COMPENDIUM

THEOLOGIAE MORALIS

P. IOANNIS PETRI GURY S. I.

AB AUCTORE RECOGNITUM

ET

ANTONII BALLERINI

EIUSDEM SOCIETATIS

IN COLLEGIO ROMANO PROFESSORIS

ADNOTATIONIBUS LOCUPLETATUM

EDITIO SEPTIMA

NOVIS CURIS EXPOLITIOR ET AUCTIOR
PRAESERTIM RESPONSIONIBUS AD VINDICIAS ALPHONSIANAS

TOMUS PRIMUS

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA
S. C. DE PROPAGANDA FIDE
MDCCCLXXXII.

☞ Cum opus, cui titulus est *Compendium Theologiae moralis P. Ioannis Petri Gury S. I. ab Auctore recognitum et Antonii Ballerini eiusdem Societatis in Collegio romano Professoris adnotationibus locupletatum,* etc. aliqui eiusdem Societatis theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint; facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Romae, 15 Octobris 1874.

PETRUS BECKX Praep. Generalis Soc. Iesu.

REIMPRIMATUR

P. Fr. Raph. A. Salini O. P. S. P. A. Pro-Mag.

REIMPRIMATUR

Iulius Lenti Archiep. Siden. Vicesg.

BENEVOLO LECTORI

ANTONIUS BALLERINI E S. I.

In litteris, quas anno proxime elapso vulgavi (*a*) ut calumnias gratis huic Compendio atque adnexis Notis ab anonymo quodam (*b*) impactas dispellerem, iam dixi, opportuniori me occasione satisfacturum gravissimis aliis tum querelis tum criminationibus, quas anonymi quidam Theologi e Ven. Congregatione SS. Redemptoris primo quidem in *Summario additionali* ad S. Alphonsi causam (*c*), deinde in volumine, cui titulus *Vindiciae Alphonsianae*, adversus hoc idem Compendium ac Notas moverant.

Et id quidem operis praestare mihi proposueram in Notis adiiciendis *Medullae* seu brevi Compendio Theologiae moralis Auctore *Hermanno Busembaum;* quod opusculum plane egregium in usum Scholae cum additamentis idoneis edere parabam. Verum si dolendum mihi fuit, quod angustiae temporis, praesertim vero notissimae, quibus contigit nos iactari, calamitates exequendo huic consilio aliquam hucusque moram iniecerunt; aliud equidem non leve pro superaddito nunc scopo emolumentum in hac tertia Gury editione adornanda partum est. Quidquid enim operis et spatii in Notis *Medullae Busembaum* addendis sibi postulasset necessitas subiiciendi Lectoris oculis sive Gury sive Notarum contextus, qui ansam anonymorum Theologorum querelis atque criminationibus dederant, nullum, uti patet, hic requiritur, cum textus eiusmodi iam integri in ipso hoc opere prostent.

(*a*) Vid. *Univers* 25. Iun. 1873.

(*b*) Vid. *Univers* 28. Maii 1873.

(*c*) Ad hoc volumen indicandum utar litteris S. A., ad auctores vero Vindiciarum indicandos litteris VV.

Quocirca illud unum iam reliquum est, ut suis locis animadversiones, rationesque indicem, quas Alphonsiani Vindices ad quamlibet quaestionem obiecerint, iisque brevissimum, prouti res ferat, responsum subiiciam. Dixi 1°. *animadversiones, rationesque*, qualescumque demum sint; dicteriis siquidem, obiurgationibus, aliisve huiusmodi, ac permultis, quae ad rem non faciunt, immorari nulla mens est, aut esse debet. Dixi 2°. *ad quamlibet quaestionem;* quamquam enim quod ad S. Alphonsi morale attinet systema, potius quam Vindices per mille anfractus sequerer, opportunum magis, magisque efficax responsum visum fuerit, sententias S. Alphonsi sententiis P. Gury plane consonas oculis subiecisse; quoad reliquas tamen quaestiones nihil praetermissum Lector ex iis reperiet, quae Vindices reprehendenda censuerunt.

Caeterum duo sunt, quae tertiam hanc e Romano Collegio prodeuntem editionem commendare utcumque possunt. Unum est, quod dissolutis difficultatibus, quas undecumque Vindicum industria corrogavit, gravissimae quaedam quaestiones iam ad rei iudicatae conditionem prope deductae videri possint. Alterum est, quod quaecumque tum ad Censuras, tum ad facultatem ab his absolvendi pertinent, ea nunc exacta ad normam novi Iuris per Constitutionem SS. D. N. PP. Pii IX. *Apostolicae Sedis* inducti reperiantur.

MONITUM

SECUNDAE EDITIONI PRAEFIXUM

Vix aliquot menses intercesserant ab editione huius operis, quae Romae et Augustae Taurinorum annis saeculi huius LXVI et LXVII adornata est, quum distractis citius opinione exemplaribus prope omnibus, ad alteram editionem parandam deveniendum fuit. Etsi autem de immutanda ratione libri adeo in scholis probati cogitandum non erat, tamen quantum per tempus licuit sedulo adlaboratum est, ut multo auctior et ad usum aptior in lucem prodiret. Quid vero haec editio differat a superiore, paucis accipe, amice Lector.

I. Imminuta nonnihil characterum forma, paginarum autem adscita paullo ampliore, utrumque volumen ad molem commodiorem redactum est.

II. Exinde quum in praecedenti editione (ne scilicet volumen secundum, iam per se ingens, plus aequo excresceret) praetermissa fuisset appendix, in quam P. Gury et propositionum damnatarum quosdam catalogos, et indiculum de re morali scriptorum coniecerat; his modo restituendis spatium superfuit. Haec nihilominus priori potius volumini praefigere, quam posteriori adiungere visum est, quum aliis de causis, tum vero etiam ut volumen utrumque magnitudine non nimium discreparet.

III. Ampliorem autem proscriptarum thesium seriem exhibebimus. Quamquam enim inhaerentes P. Gury con-

silio non alias plerumque referre in animo est, quam quae spectant ad mores; plurium tamen addendarum nobis locum reliquit Auctor, qui ex Michaele De Molinos solum paucas quasdam, ex proscriptis vero a Pio V in Michaele Baio, ab Innocentio XII circa amorem Dei purissimum, et a Pio VI in Synodo Pistoriensi attulerat nullam.

IV. Quod vero ad scriptorum de re morali indiculum pertinet, eo, quem Auctor dederat, praetermisso utpote nimis ieiuno, illum fere exscripsimus, quem Vir praeclariss. P. Michael Haringer e Congreg. SS. Redemptoris egregiae suae introductioni ad theologiam moralem S. Alphonsi inseruit; quippe qui praeferat scriptores a S. Alphonso advocatos, et subinde eiusdem sanctissimi Viri de illis iudicium.

V. Denique submovere placuit confusionem quandam inductam a duplici notarum serie, quarum aliae minutissimis exaratae literis, auctorem habebant P. Gury viginti et amplius annos suum opus retractantem; aliae vero additae primum fuerant in editione romana. Ad priores quod pertinet, eas omnes suo quamque loco textui inferendas curavimus, quem insuper in hac editione non raro expolivimus. Notis vero alterius manus, quae solae nunc reliquae sunt, haud mediocris in praesenti editione facta est accessio. His te volebam. Vale.

PRAEFATIO P. GURY

AD LECTOREM

Habes, humanissime Lector, in hoc exiguo libello brevem illam quidem, at integram, nisi fallor, rei moralis theologicae tractationem, ex probatissimorum Doctorum tum veterum, tum recentiorum doctrina concinnatam. Cum autem ex supremo S. Sedis iudicio praeclaram huic scientiae lucem proxima hâc aetate affuderit S. ALPHONSUS DE LIGORIO, nil potius certiusque visum mihi est, quam ut egregium hunc ducem sequerer, eiusque doctrinam nova quadam forma ac ordine digestam exhiberem.

Quoad methodum vero, quae planior visa est, hanc libentissime secutus sum. Itaque in ipsis cuiusvis tractationis exordiis rei definitionem ac circumscriptionem habebis; utque ea accuratissima esset ac bene in rem quadraret, omnem operam collocavi. Hinc varias reperies subiectae materiae divisiones, seu diversas veluti facies, quas variis ex partibus spectata res offert. Re ita in medio constituta, gradus fiet ad principia, quibus tanquam totidem cardinibus tota versatur quaestionum solutio. Haec non multa quidem erunt; sed ea tamen, quae totam in se vim contineant, quaeque a gravioribus Theologis prolata, communi suffragio sanciri meruerint. His constitutis, facilis erit et disputatio, et ad consectaria descensus, idest ad solutionem quaestionum, qui in re morali finis immediatus est. At quoniam in hisce disciplinis vix ullum reperias argumentum, in quo vel ipsi inter se Doctores

consentientes sint, locus erit opportunus controversiis dirimendis, quod ad modum quaestionum praestabo, opposĭtas inter se sententias committens, quamque praestabiliorem aut vere probabilem arbitror, subindicans. Haec via, hic ordo totius propemodum tractationis. Desiderabis aliquando uberiorem rationum copiam, maiorem auctoritatum numerum, pleniorem etiam alicubi explicationem. Tunc vero non abs re fuerit meminisse, hoc nil aliud quam *Compendium* esse, in quo si quid desit ex iis quae suis rem numeris absolutam redderent, desiderabitur profecto illud, quod Compendio deesse omnino debet.

Ad scribendi rationem quod attinet, in ea brevitatem pro rerum natura invenies, siccitatem non raro procul dubio reprehendes. Ad brevitatem quod spectat, ut huiuscemodi opus postulabat, eam quam maxime consectatus sum: ita tamen ut ne, dum *brevis esse laboro, obscurus fiam*. Itaque, nec vi verborum obrueris, nec in tenebris unquam, ut spero, versaberis. Ad siccitatem vero quod pertinet, illud mihi semper certum persuasumque fuit, lepores veneresque dictionum ab hisce rebus esse vehementer alienas. Igitur dummodo res perspicua sit, etsi minus venusta ac cómpta appareat, non admodum sollicitus sum. Clavem thesauro huius scientiae recludendo parem tibi praebere mens mea est. At tua, inquies, clavis ferrea est. Esto; modo aperiat, satis erit. Experire usum, et si thesaurum moralium disciplinarum reserare valeat, nihil aliud mihi in votis est. Amplam laboris mei mercedem recipiam, si hoc Opusculum in maiorem Dei gloriam, tuamque utilitatem cedat. Unum restat, ut te orem, humanissime Lector, benevolo sis animo; et si quando venia aliqua danda sit, benignus impertiaris rogo. Vale.

INDEX SCRIPTORUM

Scriptorum de re morali catalogum aliquem potiusquam a P. Gury, qui ad calcem alterius voluminis paucos quosdam tantum recensuerat, visum est sumere fere ab Introductione, quam ratisbonensi ann. 1846 editioni moralis Theologiae S. Alphonsi P. Michael Haringer Congr. SS. Redemptoris sacerdos, et egregius Theologiae moralis professor praemisit. Non solum enim uberior hic est, sed indolem quoque Scriptorum ope quorundam signorum indicat; quod sane peropportunum atque utilissimum huius disciplinae studiosis, praesertim tironibus accidit. Auctorum autem nomini subinde titulos Operum, et nonnullos quoque scriptores addere placuit. Quae quidem diversis characteribus, quos vocare solent italicos, expressa reperies.

Catalogo suo P. Haringer hoc praefixit monitum: *Ne lector sola nomina habeat, sed etiam de ipsorum meritis et auctoritate iudicare possit, semper, ubi apud* S. Alphonsum *iudicium de illis invenimus, hoc adiectis signis notavimus: quare advertendum, quod per asteriscon unicum * notatur auctor propter scientiam laudatus saltem ut doctus, vel etiam ut gravis et classicus; per duo asterisca ** signatur auctor gravis et probabilista: per signum † notatur doctor gravis probabiliorista, per †* vero auctor rigidus; mitiores semper specialiter nominantur.*

A

* *Abbas* (Nicolaus de Tudeschis) Benedictinus, *Abbas* Monacensis, Archiepiscopus *Panormitanus,* quo utroque nomine citatur *(Scripsit Commentaria in libros Decretalium, Consilia, Quaestiones, Practica),* natus 1370, mortuus est 1443.

** *Abelly* Ludovicus Gallus, episc. Ruthenensis et familiaris S. Vincentii a Paulo, cuius vitam conscripsit *(Medulla Theologica),* n. 1604, m. 1691.

** *Adrianus VI.* Papa Belga, scripsit antea varias epistolas in quartum sententiarum. m. 1523.

Aegidius Romanus ex ordine S. Augustini, Doctor fundatissimus S. Thomae discipulus, m. 1316.

Albertus Magnus Germanus *(ex Ordine S. Dominici, Arch. Ratisbonensis, S. Thomae Praeceptor)* n. 1193, m. 1280.

Albitius Franciscus Italus, Card. *(De inconstantia in Fide, de inconstantia in Iudiciis, de Iurisdictione Cardinalium in suis titulis),* n. 1623, m. 1684.

Alensis sive Alex. de Ales, Anglus, ord. S.Francisci *(S. Thomae, S. Bonaventurae, et Scoti praeceptor; hinc dictus Doctor Doctorum),* m. 1245.

** *Alvarez* Didacus Hisp., Dominicanus, professor theologiae in patria, tum Romae, postea archiepisc. Tranensis, vir celeberrimus (ait S. Alph.) propter disputationes ab illo propugnatas pro gratia praedeterminante, m. 1640.

** *Amicus* Franciscus, Italus S. I., docuit Neapoli, Aquileiae et Graecii theologiam, ibique cancellarius universitatis factus est, m. 1651.

** *Amort* Eusebius Germanus, Canonicus regularis Pollingae et S. Ioannis Lateranensis, theologus episc. Augustani, a S. Alphonso saepius laudatus ut vir pro suis variis et doctis operibus undequaque perspectus. Suam theol. moralem et scholasticam non nisi prius a Benedicto XIV. recognitam typis mandavit. Egregie defendit probabilismum, sed in quaestionibus practicis multo severior quam S. Alphonsus extitit, n. 1692, m. 1775.

Anacletus. Vide *Reiffenstuel.*

† *Andegavenses collationes. Notis ab Em. Gousset auctae prodierunt Parisiis* 1829.

** *Angelus* Ioan. de Clavasio, ordinis fratrum minorum, auctor summae angelicae, m. 1495.

** *Angles* Ios. Hispanus ord. S. Francisci, episc. Bosanus in Sardinia, circa finem saec. 16.

†** *Antoine* Paulus Gabriel, S. I., auctor valde rigidae sententiae (hom. ap. XVI. 108., th. lib. VI. n. 505.) n. 1679, m. 1743.

** *Antoninus* sanctus, ord. S. Dominici, archiep. Florentinus *(Veronae recentius recusa sunt eius opera Balleriniorum studio. Num exactius ac fidelius, quam antea? Alii viderint. Ita Fr. Ant. Zacharias),* n. 1389, m. 1459.

** *Aravius* vel *Arauxus* Franciscus, Hisp. Dominicanus, docuit per 20 annos theologiam Salmanticae, et subinde archiepiscopus Segoviae electus est, ubi in odore sanctitatis m. 1664.

Armilla. Vide *Fumus.*

** *Arragonius,* Petrus Hisp., ord. S. Augustini, m. circa 1600.

** *Arriaga* Rodericus de, Hisp., S. I., missus est in Bohemiam 1624, fuit cancellarius universitatis Pragensis, ibique m. 1667.

** *Arsdekin* Ricardus, Hibernus, S. I., docuit theologiam Lovanii et Antverpiae, et scripsit post medium saec. 17.

Astesanus, Italus, ord. minorum, scripsit circa 1330.

Aureolus Petrus, Gallus, Franciscanus, Card. et Archiepisc. Aquensis, doctor *Facundus* et *Elegans,* m. circa 1323.

Avendano Didacus de, Hisp. S. I., docuit theologiam Limae in America, m. circa 1670.

** *Aversa* Raphael, Neapolitanus, cleric. reg. minorum propter insignia merita quinquies praepositus generalis ordinis electus est. Innocentius X. obtulit ei ecclesiam episcopalem Nucerinam, et Alexander VII. Mardonensem; at ipse constanter recusavit, m. 1657.

** *Azorius* Ioan. S. I., linguarum peritia, ingenio et theologiae scientia, vitae integritate et simplicitate, animi candore et hilaritate perspicuus, Societatem Iesu longa aetate decoravit, et tandem laboribus fractus Romae m. 1607.

B

Babenstuber Ludovicus, Germanus, Benedietinus, 18. saec.

** *Bail* Ludovicus, Gallus, doctor Sorbonicus et poenitentiarius Parisiensis, 17. saec.

** *Baldellus* Nicolaus, Italus, S. I., poenitentiarius in ecclesia Vaticana *(Disputationes ex Theologia Morali),* n. 1572, m. 1655.

† *Ballerini* Petrus, Veronensis, n. 1690, m. 1764.

† *Ballerini* Hieronymus, eiusdem frater: appellantur a S. Alphonso rigidae sententiae moderatae sectatores, n. 1702, m. 1764.

** *Bancelius* Ludovicus, Dominicanus et decanus facultatis Avenionensis, m. 1685.

** *Bannez* Dominicus, Hisp., Dominicanus, professor theologiae Compluti, Vallisoleti et Salmanticae, S. Theresiam in opere reformationis plurimum adiuvit, et ipsius fuit confessarius et dux spiritualis, n. 1527, m. 1604.

** *Barbosa* Augustinus, episcopus Uxentinus, celeber canonista *(De officio Episcopi, De officio Parochi, De Iure Ecclesiastico),* m. 1648.

** *Barbosa* Petrus, Lusitanus, Doctor utriusque iuris, m. 1638.

** *Bardus* Franciscus, Siculus, S. I., m. 1661.

†* *Baronius* Vincentius, Dominicanus. Ipsius theologia moralis nimis rigida in indicem relata est. Scripsit Lovanii, circa 1670.

Bartholomaeus a S. Fausto Cisterciensis *(Thesaurus Religiosorum, Speculum Confessariorum),* 17. saec.

** *Bassaeus* Eligius, Gallus, Cappuccinus *(Flores totius Theologiae practicae),* m. circa 1650.

Baumgartner Reinhardus, Germanus, S. I. Conclusiones ex quinque libris Decretalium deductae etc. Romae 1759.

Bauny Stephanus, Gallus, S. I. *(Summa casuum conscientiae)* m. 1649.

** *Beatus Gabriel S. I. Quaestiones Morales. Romae* 1663.

Becanus Martinus, Belga, S. I. docuit per 22 annos theologiam Herbipoli, Moguntiae, Viennae in Austria cum magna admiratione, n. 1561, m. 1624.

Beia Ludovicus de, Lusitanus, Augustinianus, scripsit *(Responsiones casuum)*, circa 1587.

Benaglio Joseph, Comes, Dell' Attrizione 1846.

Bernal Augustinus, Hisp. S. I., vir eximiae eruditionis et pietatis *(De Sacram. in genere, Eucharistia et ordine)*, m. 1642.

** *Berteaut* Bartolus, doctor Parisiensis, scripsit *(Regula prudentis et pii confessarii etc.)*, circa 1637.

†* *Berti* Laurentius, Italus *(De Theologicis disciplinis)*, n. 1696, m. 1766.

* *Biel* Gabriel, Germanus, ord. cleric. regul. vitae communis, Tubingae professor, m. 1495.

Billuart Carolus, Belga, n. 1685, m. 1757.

Binetus Stephanus, Gallus, S. I., scripsit sub ficto nomine Francisci Fontani, n. 1569, m. 1639.

Binsfeldius Petrus, Germanus, suffraganeus Trevirensis *(De confessionibus maleficorum, et sagarum, Pastorale, De usuris)*, m. 1606.

** *Bissus* Bernardus, Benedictinus, scripsit nomine totius academiae Cassinensis contra Thyrsum Gonzalez, 1694.

Blanchis Paulus, Venetus, Dominicanus, scripsit circa 1623.

Bona Ioan. Card. *(De sacrificio missae, Manuductio ad caelum etc.)*, n. 1609, m. 1674.

** *Bonacina* Martinus, doctor Mediolan., episcopus et nuntius Urbani VIII. apud aulam Austriacam *(Opera Moralia)*, m. 1631.

** *Bonaespei* Franciscus Carmelita, scripsit 1659.

Bonagratia Habsensis, Cappuccinus, *Summula QQ. Regularium*, fl. 1664.

Bonartius Oliverius, Belga, S. I. *(De horis Canonicis)*, m. 1655.

Bonaventura sanctus, ord. minorum, Cardinalis et Episcopus Albanensis, doctor Seraphicus, n. 1221, m. 1274.

** *Bordonus* Franciscus, Italus, ordinis S. Francisci.

** *Bosco* Ioan. a, Batavus, Franciscanus *(Theologia Sacramentalis)* circa 1665.

** *Bossius* Ioan. Barnabita, sui ordinis praepositus generalis, m. 1665.

Boudewins Michael, Belga, scripsit *(Ventilabrum medico-theologicum)*, 1666.

** *Bouvier Jo. Bapt. episc. Cenomanensis (Institutiones Theologicae in usum Seminariorum)*, m. 1855.

** *Bresserus* Mart., Belga, S. I., rector collegii Brugensis, m. 1635.

Burghaber Adamus, Bavarus, S. I. *(Tres centuriae casuum)*, n. 1608, m. 1668.

** *Busembaum* Hermannus, Germanus, S. I., rector collegii Hildesiensis, m. 1668.

C

† *Cabassutius* Ioan., Gallus, congregationis oratorii *(Iuris canonici theoria et praxis)*, n. 1604, m. 1685.

* *Caietanus* (Thomas de Vio), praepositus generalis ordinis S. Dominici, Cardinalis et archiepiscopus Panormi *(In S. Th. Summam, Summa casuum, Opuscula)*, n. 1469, m. 1534.

†* *Camargo* (De) Ignatius S. I. *(Regula honestatis moralis)*, m. 1702.

** *Candidus* Vincentius Dominicanus, magister sacri palatii sub Innocentio X., qui ipsum ut sapientum ducem et magistrum solidae pietatis aestimavit, m. 1654.

* *Canus* Melchior, Hisp., Dominicanus, episcopus Canariensis, theologus clarissimus, interfuit concilio Tridentino. S. Alphonsus vocat eum auctorem doctissimum, eruditissimum et classicum *(Loci communes theologici etc.)*, n. 1523, m. 1566.

Capreolus Ioan., Gallus, ex ordine S. Dominici, m. 1415.

Caramuel (Ioan. de Lobkowitz) Cisterciensis, abbas Mesrosensis, episcop. Vigevanensis in Italia. Hunc S. Alphonsus principem laxistarum vocat *(Theologia fundamentalis, moralis, Theologia regularis)*, n. 1602, m. 1649.

** *Cardenas* (Ioan. de), Hisp., S. I. *(Crisis Theologica)*, circa 1700.

† *Carrière Iosephus, Gallus, Congr. S. Sulpitii (Praelectiones Theologicae maiores, De Contractibus, et de matrimonio)*, m. 1864.

** *Caspensis* Ludovicus, ord. S. Francisci, circa 1635.

* *Castropalaus* (Palaus) Ferdinandus, Hisp., S. I., iam a pueris ingenio et pietate conspicuus, ab aequalibus in quaestionibus theologicis ut oraculum veneratus est. De instante morte monitus insolitae laetitiae signa edidit, ingenue fassus, se nullius letalis culpae in anteacta vita argui a conscientia: sic placidissime in Domino obdormivit *(Opus morale)*, 1633.

** *Catalani Petrus S. I. (Theologia moralis)*, 1728.

Chapeauville Ioan., Belga, n. 1551, m. 1617.

Chokier Erasmus a, Belga, canonicus Leodiensis, scripsit *(De Iurisdictione Ordinarii etc.)*, 1621.

Clericatus Ioan., praepositus Patavinus.

Cocq Florentinus, Canonicus ord. Praemonstratensis *(Theologia moralis)*, m. 1626.

† *Collet* Petrus, Gallus, continuator Tournely, n. 1697, m. 1770.

†* *Comitolus* Paulus, Italus, S. I. *(Consilia seu responsa moralia)* (*a*), n. 1546, m. 1626.

(*a*) Per calumniam Nicolius probabilismi osoribus Comitolum accensuit. Quem errorem incaute e Nicolio transcripsit Thyrsus Gonzalez, et ab hoc alii deinceps.

(*a*) A nota laxitatis Dianam, virum alioquin scientia et eruditione perinsignem, egregie vindicavit Franc. Antonius Zacharia.

Duarte Didacus ord. S. Francisci. Brevis expositio Propositionum damnatarum, Romae 1712.

** *Duarte* Franciscus, Hisp., S. I. n. 1559, m. 1601.

** *Du Hamel* Ioan. Bapt., professor Parisiensis *(Theologia speculatrix et practica)*, n. 1624, m. 1706.

Dupinius Ludovicus, Gallus, Iansenianus, n. 1657, m. 1719.

Durandus de S. Portiano, Dominicanus, Magister S. Palatii, et Episcopus, 1320.

** *Duvallius* Andreas, professor regius in Sorbona et decanus facultatis theologicae. Fuit amicus et dux spiritualis S. Vincentii de Paulo *(In S. Thomam, de potestate Pontificis)*, n. 1554, m. 1638.

E

** *Ehrentreich Adamus, Germanus, S. I. Principiorum de usu opinionis probabilis declaratio. Romae*, 1699.

** *Elbel* Beniamin, Germanus, ordinis fratrum minorum, theologiae lector et examinator synodalis episc. Passaviensis, m. post 1750.

† *Elizalde* Mich. de, Hispanus, S. I. scripsit *(ficto nomine Antonii Celladeus: Recta doctrina morum)*, circa 1690.

Engel Ludovicus, Benedictinus, Collegium universi iuris Canonici, 1688.

** *Escobar* Antonius de, Vallisoletanus, S. I. *(Universa theologia moralis)*, n. 1589, m. 1669.

** *Esparsa* Mart., Hisp., S. I. *(Cursus theologicus)*, circa 1666.

Eugenius Lombardus V. *Sfondrati Card.*

F

†** *Fagnanus* Prosper, per multos annos sacrae congreg. concilii secretarius auctorum rigidorum (iuxta S. Alph.) facile princeps *(In libros Decretalium)*, n. 1598, m. 1678.

** *Fagundez* Stephanus, Lusitanus, S. I., docuit theol. Olisipone *(In Praecepta Decalogi et Ecclesiae. De iustitia et contractibus)*, n. 1577, m. 1645.

** *Farinaccius* Prosper, iurisconsultus Romanus *(Decisiones Rotae romanae)*, m. 1618.

Felinus. Vide *Sandaeus*.

** *Fenek Ioannes Lucas, Romae Parochus, Flores casuum conscientiae.*

** *Ferraris* Lucius, Italus, ord. minorum, consultor sacri officii *(Bibliotheca iuridica, canonica etc.)*, m. post 1760.

** *Filliuccius* Vincentius, Italus, S. I., fuit professor theologiae in

Collegio romano, tum responsor quaestionum conscientiae et poenitentiarius Papae *(moral. Quaest. Cursus etc.)*, n. 1556, m. 1622.

** *Fragosa* Ioan. Bapt., Lusitanus, S. I., m. 1639.

** *Francolinus* Balth., Italus, S. I. *(Clericus romanus. De dolore ad Sacr. Poenitentiae requisito etc.)*, 18. saec.

†* *Franzoia* Angelus, Patavinus, rigidior adhuc, ait S. Alph., Patre Concina.

Frassen Claudius, Gallus, ord. minorum, n. 1620, m. 1711.

** *Fumus* Bartholomaeus, Italus, Dominicanus et inquisitor generalis. Dicitur etiam *Armilla* ab ipsius summa sic dicta, m. 1545.

G

** *Gallego* Barnabas, Hisp., ord. S. Dominici, m. circa 1661.

** *Gamachaeus* Philippus, doctor et professor sorbonicus, abbas S. Iuliani Turonensis, n. 1568, m. 1625.

Gandavensis Henricus, professor sorbonicus, tum archidiaconus Tornacensis, doctor Solemnis, n. 1219, m. 1295.

** *Garcias* Nicolaus, Hisp., professor iuris civilis et canonici, canonicus Abulensis *(De Beneficiis. De Dispensationibus)*, 17. saec.

Gavantus Bartholomaeus, Italus, clericus regularis S. Pauli (Barnabita) *(In rubricas missalis et Breviarii)*, m. 1640.

†* *Genettus* Franciscus, Gallus, episc. Vasionensis, n. 1640, m. 1702.

Gerson (Ioan. Charlier), cancellarius universitatis Parisiensis, n. 1363, m. 1429.

** *Gesualdus* de Bononiis Franciscanus, professor theologiae et qualificator sacri officii in regno Siciliae, pietate et doctrina pariter egregius, 16. saec.

** *Gibertus* Ioan. Petrus, Gallus, n. 1660, m. 1736.

Gigas Hieronymus, Italus, iurisperitus, floruit circa 1548.

Giraldi Ubaldi e Cler. Regul. schol. Piar. Expositio Iuris Pontificii, 1769.

Giribaldus Sebastianus, Italus, Clericus regularis S. Pauli, scripsit an. 1700.

Gisbertus Ioan., Gallus, S. I., n. 1639, m. 1711.

Gobat Georgius, Germanus, S. I., docuit theologiam Friburgi in Helvetia et Constantiae. Auctor multum eruditus et experientia abundans, sed satis benignus (*a*) *(Experientiae Sacramentales. Quinarium Tractatuum)*, n. 1600, m. 1679.

Gomez Antonius, Hisp., iurisconsultus Salmanticensis, scripsit, circa 1550.

(*a*) A laxitatis nota egregie Gobatum alii vindicarunt. Vid. infr. *V Vindiciae.*

H

sententia ipsis Gallis moraliter certa et a formidine immunis videtur, n. 1635, m. 1717.

** *Hacquetus* Ioan. Bapt., Hibernus, Dominicanus, docuit theologiam Mediolani, Neapoli et Romae, m. circa 1685.

Harduinus Ioan., Gallus, S. I., vir perdoctus, sed in sententiis suis plane singularis, n. 1646, m. 1729.

Haunoldus Christophorus, Bavarus, S. I. *(De Contractibus)*, m. 1630.

** *Hauzeur* Mathias, Flandrus, ord. fratrum minorum definitor et provincialis, m. 1650.

†* *Henno* Franciscus, Belga, ord. S. Francisci, 17. saec.

†* *Henricus* a S. Ignatio, Belga, Carmelita *(Ethica amoris, quod opus damnatum est)*, m. 1720.

** *Henriquez* Henricus, Lusitanus, S. I., docuit theologiam Cordubae et Salmanticae, ubi celebrem P. Suarez discipulum habuit *(Summa Theologiae moralis)*, n. 1536, m. 1608.

** *Herinx* Guillelmus, Belga, Franciscanus, propter merita sua episcopus Yprensis electus est, n. 1536, m. 1608.

** *Holzmann*, Germanus, saec. 18.

Homobonus de Bonis, ordinis clericorum regularium S. Pauli *(Moralis)*.

Hostiensis Henricus de Segusia, episcopus Hostiensis (unde nomen) et Cardinalis, celeberrimus iuris utriusque doctor *(Aurea Summa)*, m. 1271.

** *Humbertus* praepositus generalis ordinis S. Dominici, m. 1277.

** *Hurtadus* Gasparus, Hisp., S. I., docuit theologiam Compluti, ibique decanus facultatis electus est *(De Sacramentis)*, n. 1575, m. 1646.

Hurtadus Petrus, de Mendoza. Hisp., S. I. *(De Fide, spe, charitate, iustitia etc.)*, n. 1578, m. 1651.

Hurtadus Thomas, Hisp., clericus regularis minorum *(De residentia etc.)*, m. 1659.

†* *Huygens* Gomarus, doctor Lovaniensis, Quesnellii familiaris, n. 1631, m. 1702.

I

** *Ildephonsus* Ioan. Bapt., Hisp., Dominicanus, rector collegii Caesaraugustani, *(Opus suum edidit ex formali praecepto et decreto Capituli Generalis Dominicanorum Romae celebrato)*, m. 1639.

Illsung Iacobus, Germanus, S. I., docuit Ingolstadii *(Theologia Practica Universa)*, 1693.

Ioannes Maior, professor Parisiensis, circa 1528.

** *Ioannes* a S. Thoma, Lusitanus, ord. S. Dominici, m. circa 1664.

** *Iosephus* a S. Ianuario *(Quaest. Select.)*, 17. saec.

** *Isambertus* Nicolaus, Gallus, doctor sorbonicus, amicus S. Vincentii de Paulo, m. 1642.

K

Katzemberger Kilianus, Germanus, ord. minorum, continuator Sporerii, 18. saec.

Kercne Simon, S. I. In quartum Decretalium, 1713.

Krimer Ferdinandus, Germanus, S. I. *(Quaest. Canon. in 5 libros Decretalium),* 18. saec.

Kugler Ioannes, Germanus, S. I. cancellarius universitatis Wratislaviensis, scripsit de matrimonio et sponsalibus circa 1712.

L

Lambertini Prosper, Cardinalis, postea Papa Bened. XIV, n. 1675. m. 1758.

Lancellotti Ioan. Paulus, Italus, iurisperitus celeberrimus, n. 1511, m. 1591.

** *Lanfrancus* Nicolaus, Polonus, S. I., vir sapientia et virtute clarissimus, n. 1575, m. 1652.

** *Lao* Andreas, Dominicanus, 17. saec.

✝** *Launoius* Ioannes, Gallus, doctor sorbonicus, apostolicae Sedi multum infestus, n. 1603, m. 1678.

Laurentius Augustinus, S. I. Syntagmata Theologica etc. n. 1692.

** *Laymannus* Paulus, Germanus, S. I., natus Oeniponti, docuit philosophiam, theologiam moralem et ius canonicum, cuius fuit peritissimus, Ingolstadii, Monachii et Dilingae. Vir profunde doctus, et quod rarum est, modestissimus et humillimus. In iure canonico, quod etiam commentariis illustravit, tanti fiebat, ut eius dictata aliarum academiarum doctores saeculares etiam pretio sibi describi curaverint. Consulebatur passim ex remotissimis locis super difficillimis rebus tamquam oraculum. Doli videbatur expers, patiens laborum, animo extra spem metumque posito, paratus omnibus obsequi et sui despectu infra omnes se abiiciens. Ad extremum Constantiae peste contactus est; qua ne forte alium inficeret, in separatum locum statim se abdidit, dehortando alios, ne sua causa periculo contagionis se exponerent: et in hac animi demissione mortales deseruit. Est doctor classicus, apud quem parem cognitionem S. Scripturae, SS. Patrum et canonum ecclesiae atque theologorum moralium invenimus: quare Muzzarelli ait, quod nulli aut fere nulli theologo morali fuerit secundus, n. 1576, m. 1625.

Leander a SS. Sacramento, Gallus, ord. SS. Trinitatis, auctor nimis benignus *(Summa novem partium),* m. 1667.

Le Dent Belga, S. I., De attritione ex metu gehennae, 1667.

** *Ledesma* Bartholomaeus de, Hisp., ord. S. Dominici, episcopus Antequeranus in America, m. 1604.

** *Ledesma* Petrus, Hispanus, Dominicanus, m. 1616.

† *Le Drou Petrus Lambertus. De contritione et attritione,* 1708.

** *Lessius* Leonardus Belga, inter maxima decora S. I. numerandus est, et ipsum laudare vix sufficimus. A iuvenili aetate usque ad exitum semper aegrotans et doloribus confractus, sine carne vitam trahere videbatur; quare mirandum est, quomodo tantum scribere et in omnibus doctrinis sacris atque profanis tam singulariter excellere potuerit. Sapientissimi sui aevi viri, ut Suarez, Vasquez, Molina aliique, in gravissimis scientiarum negotiis ipsius iudicium exquirebant. Nihil sibi tristius quam sui laudes audire. Inter dolores tamen semper hilaris alios consolabatur. Quid dicam de eius austeritate erga seipsum et singulari devotione erga B. V. Mariam, de qua pendere aiebat perseverantiam in vocatione? Angelicae puritatis fuit aemulator insignis, et ipse aliquando, cum de peccatis luxuriae tractasset, ingenue fassus est, se ne primos quidem carnis motus sensisse. Ut paucis dicam, omnium virtutum erat exemplar. Summi Pontifices Paulus V. et Sixtus V. eum maximi aestimabant; sanctus vero Franciscus Salesius ipsi pro opere suo de iustitia caeterisque virtutibus Cardinalibus gratias egit; S. Carolus Borromaeus eius opera confessariis commendavit; S. Alphonsus vero pariter eum inter doctores classicos numerat *(De iustitia et iure, Auctarium ad* 1. 2., *in quo varii casus conscientiae),* n. 1534, m. 1623.

Leurenius Petrus, Germanus, S. I., scripsit *(Forum beneficiale),* n. 1534, m. 1623.

** *Lezana* Ioan. Bapt., Hisp., Carmelita, docuit theologiam Toleti, Compluti et Romae. Summi Pontifices Urbanus VIII., Innocentius X. et Alexander VII. eum magni aestimabant et in rebus gravissimis ipsum adhibebant. Fuit consultor congregationis indicis et rituum, assistens sex generalium, et sui ordinis procurator generalis *(Summa Quaest. Regularium, Mare magnum, Consulta moralia),* n. 1586, m. 1659.

** *Ligorio (De) S. Alphonsus, Episcopus S. Agathae Gothorum, et Fundator Congregationis SS. Redemptoris, Theologia moralis. Homo Apostolicus etc. Eius doctrinam posse quemque tuto sequi S. Poenitentiaria declaravit,* m. 1787.

Lohner Tobias, Bavarus, S. I., scripsit *(Instructiones pro Confessariis, De missa, divino officio etc.),* n. 1619, m. circa 1680.

** *Longus* Franciscus a Coriolano, Italus, Capuccinus, 17. saec.

** *Lopez* Ludovicus, Hisp., ordinis S. Dominici, m. 1596.

** *Lorca* Petrus de, Hisp., Cisterciensis, m. 1602.

** *Lott* Lud. Bertrandus, Dominicanus, m. 1653.

Lotterius Melchior, Italus, iurisconsultus *(De re beneficiaria).*

Luca, Ioan. Bapt. de, Italus, Cardinalis *(Theatrum veritatis et iustitiae),* n. 1617, m. 1683.

** *Lugo* Franciscus de, Hisp., S. I., fuit professor theologiae, tum missionarius apud Indos; sed Romam revocatus librorum a Societate

edendorum censor factus est. Verum cum aestimationem sibi ex praesentia fratris tunc Cardinalis ferre non posset, in Hispaniam remeavit, ibique cum odore sanctitatis vitam finivit. Maiorem partem operum, quae conscripserat, naufragio perierunt: quae supersunt, magni aestimantur *(De Deo, De Sacramentis)*, n. 1580, m. 1652.

** *Lugo* Ioan. de, Hisp., frater Francisci de Lugo, annis minor, sed laude adhuc praestantior, sanctae romanae ecclesiae Cardinalis, societatis Iesu singulare decus. Tantae erat indolis tantique ingenii, ut trium annorum puer libros legeret, et decimo quarto aetatis suae anno theses ex logica publice defenderet. Exemplo fratris motus, licet invito patre, S. I. amplexus est. Absolutis studiis tradidit philosophiam et theologiam Vallisoleti per 10, et Romae per 20 annos. Vasta sapientia et profunda humilitate conspicuus et ab omnibus aestimatus ipse honores sollicite fugit: sed fugientem honores subsequuntur. Cum nihil tale suspicatus ab Urbano VIII. Cardinalis creatus esset, summum Pontificem adiit et submisse quaesivit, an Sanctitas sua in virtute sacrae obedientiae id ipsi praeciperet. Respondit Pontifex: Ita omnino praeceptum formale et formalissimum tibi imponimus: quo dicto humilis pater obedienter acquiescens caput Sanctissimo, rubrum pileum imponenti, reverenter submisit. Cardinalis factus non tamen immutavit vitam religiosam. Sacramentis a cardinali Sfortia Pallavicino, suo olim in theologia dilectissimo discipulo, rite provisus et benedictione pontificia munitus, animam Deo reddidit. Ait S. Alphonsus (l. III. 552.), quod Lugo post S. Thomam non temere inter alios theologos facile princeps dici possit *(De Iure et iustitia, De fide, Sacramentis in genere, Eucharistia, Poenitentia. Responsa moralia)*, n. 1583, m. 1660.

** *Lupus* Christianus, Flandrus, ord. S. Augustini. Clemens IX. eum magni aestimavit et ad episcopatum evehere voluit; ipse vero Lovanii manere maluit, ubi professor et decanus facultatis fuit, n. 1612, m. 1681.

Lyranus (Nicolaus de Lyra), Gallus, ord. S. Francisci, m. 1349.

M

Machado de Chaves Ioan., archidiaconus Limanus in America, m. 1653.

Maior Ioan., Scotus, professor Parisiensis, n. 1478, m. 1548.

** *Malderus* Ioan., Belga, episcopus Antverpiensis, m. 1633.

Maldonatus Ioan., Hispanus, S. I., evangeliorum celeberrimus commentator, propter ingentem eruditionem ad novam Septuaginta editionem comparandam a Gregorio XIII. Romam vocatus est, ibique vitam finivit, n. 1534, m. 1583.

** *Malettus* Carolus, doctor sorbonicus, n. 1608, m. 1628.

Mangionus Valentinus, Italus, S. I. De religiosa paupertate, m. 1660.

Mansi Ioan. Dominicus, Italus, celeber collector conciliorum, n. 1692, m. 1769.

Marchantius Iacobus, decanus Couvensis, scripsit *(Resolutiones Pastorales)*, circa 1630.

** *Marchantius* Petrus, Belga, Franciscanus, fungebatur primis officiis sui ordinis *(Tribunal sacramentale)*, n. 1585, m. 1661.

Martinez Gregorius, Hispanus, Dominicanus, provincialis sui ordinis, m. 1668.

Martinon Ioan., Gallus, S. I., m. 1662.

Mascardus Ios., Italus, iurisconsultus *(De probationibus)*, m. 1595.

** *Mastrius* Bartholomaeus, Italus, ord. minorum, m. 1669.

Maurus Sylvester, Italus, S. I. *(Quaestiones theologicae)*, n. 1619, m. 1672.

** *Mazzotta* Nicolaus, Neapolitanus, S. I. *(Theologia Moralis)*, m. 1748.

** *Medina* Bartholomaeus, Hisp., Dominicanus, celeber professor Salmanticensis, qui primus doctrinam de opinionibus probabilibus in systema redegit *(Expositiones in S. Thom.)*, n. 1528, m. 1581.

** *Medina* Ioan., Hisp., theologus Complutensis, n. 1490, m. 1546.

Megala Marcellus *(Praxis criminalis Canonica. Resolutiones morales canonicae etc)*.

Mendo Andreas, S. I. *(Statera opinionum)*.

Menochius Iacobus, Italus, celeber iurisconsultus *(De probationibus)*, n. 1532, m. 1607.

Merati Caietanus Maria, clericus regularis, n. 1668.

Meratius Ludovicus, Gallus, S. I., m. 1664.

†* *Merbes* Bonus. Summa christiana. Baianismum olet.

†* *Mercorus* Iulius, Dominicanus, acerrimus rigidae sententiae propugnator, m. 1658.

†* *Merenda* Antonius, Italus *(opus ipsius damnatum fuit)*, n. 1578, m. 1657.

Merolla Franciscus, Neapolitanus, ex congregatione Oratorii *(Theologia Moralis)*, 17. saec.

Michel Augustinus, Germanus, n. 1661, m. 1751.

** *Milante*, Neapolitanus, episcopus, m. 1749.

Molfesius Andreas, Italus, Theatinus, circa 1613.

* *Molina* Ludovicus, Hisp., S. I., celeberrimus auctor operis *de iustitia et iure*, et alterius, *de concordia gratiae et liberi arbitrii*, n. 1555. m. 1600.

Monacellus Franciscus *(De Regulis Cancellariae)*.

Montesinos Ludovicus, Hispanus, m. 1621.

Moya Matthaeus, Hispanus, S. I. Ipsius quaestiones morales teste Rassler ut nimis benignae Romae prohibitae et igni traditae sunt; sed postea correctae prodierunt Coloniae cum approbatione superiorum *(Quaestiones selectae morales)*, m. post 1672.

Muniessa Thomas, Hispanus, S. I. Stimulus conscientiae, 1698.

N

O

P

Q

R

S

Simanchus Iacobus, Italus, episcopus Pacensis.

Simonet Edmundus, Gallus, n. 1662, m. 1733.

✝* *Sinnichius* Ioan., Hibernus, doctor Lovaniensis, Iansenii propugnator, qui non dubitavit asserere: « Non potest damnari Iansenius nisi ridente Pelagio, plorante Augustino. » Idem est auctor propositionis damnatae, quae aiebat, non esse licitum inter opiniones probabiles sequi probabilissimam, m. 1666.

Sorbo Hieronymus de, Capuccinus.

** *Sotus* Dominicus, Hisp., ord. S. Dominici, docuit theologiam per 30 annos in universitate Salmanticensi et interfuit concilio Tridentino *(In 4. libr. Sententiarum. De Iustitia et Iure),* n. 1494, m. 1560.

Sotus Petrus, Hispanus, ord. S. Dominici *(De institutione Sacerdotum),* m. 1563.

Spe Fridericus, Germanus, S. I. Cautio criminalis, m. 1635.

Sperellus Alexander, Italus, episcopus Eugubinus *(Decisiones fori ecclesiastici),* circa 1638.

** *Sporer* Patritius, Germanus, Passaviensis, ord. S. Francisci, definitor sui ordinis. De hoc auctore ait S. Alphonsus, quod fuit in suis sententiis satis aequus et forte aliquando plus, quam par est, benignus *(Theol. Moralis etc.),* m. post 1700.

Stephanus a S. Paulo, Carmelita *(Theologia Moralis).*

** *Stoz* Matthaeus, Germanus, S. I. *(Tribunal poenitentiale),* n. 1614, m. 1678.

** *Struggl Marcus M., egregius ex ord. Serv. B. M. V. Theologus. Theologia Moralis iuxta SS. Canones, et probatos auctores etc.* 1758.

** *Suarez* Franciscus, Hisp., S. I., vir fundatissimae scientiae et profundae humilitatis. Docuit theologiam cum summa laude Compluti, Salmanticae et Romae, et 23 tomos in folio praeter manuscripta reliquit. Benedictus XIV. ipsum luminare theologiae nuncupavit. Bossuetus eum imprimis quasi doctorem omnigenae scientiae laudat; S. Alphonsus vero doctoribus classicis annumerat. Tali fuit vitae sanctitate, ut moriens prae dulci iubilo exclamare posset, se non putasse, tam facilem esse exitum. Multi opinati sunt, scientias illi divinitus infusas fuisse, n. 1548, m. 1617.

Suarez Ioan., Lusitanus, ord. S. Augustini, episcopus Colimbriensis, interfuit concilio Tridentino, m. 1580.

** *Sylvius* Franciscus, Belga, canonicus et decanus sancti Amati Duaci, ubi plus quam 30 annos theologiam docuit. Vir simul doctus et sanctus, n. 1581, m. 1649.

T

✝* *Taberna* Ioan. Bapt., Belga, S. I. *(Synopsis Theologiae practicae)* (*a*), c. 1700.

(*a*) Fuerunt qui Tabernam potius laxitatis incusarunt. Quam notam alii deinceps ab eo depulerunt. Vid. infr. *V. Vindiciae.*

Tabiena Ioan., Italus, Dominicanus *(Summa Tabiena, seu Summa Summarum)*, c. 1525.

Tamburini Ascanius, Congr. Vallumbrosanae. De Iure Abbatum.

Tamburini Thomas, Siculus, S. I., docuit 24 annos theologiam, et subinde librorum censor ac consultor sacri Officii factus est. Auctor nimis benignus *(In Decalogum etc.)*, n. 1591, m. 1675.

Tancredus Vincentius, Italus, S. I. *(Quaestiones morales, De matrimonio, De virtute Religionis)*, n. 1609, m. 1659.

** *Tanner* Adam, Germanus, S. I., natus Oeniponti, docuit theologiam Ingolstadii et Monachii 20 annos; sed crescente fama Mathias imperator eum Viennam accersivit, ut pro Martino Becano theologiam explicaret: Ferdinandus vero II. universitati Pragensi cancellarium dedit, quando eam Societati Iesu commisit. Demum adversante valetudine et Gustavo Adolpho Bavariam incursante, in Tirolim regressus in ipso itinere extinctus est. Variarum linguarum peritus, historiae ecclesiasticae amator, sanctorum Patrum indefessus pervestigator, magna auctoritate pollebat, quam virtutes religiosae adhuc augebant, n. 1572, m. 1632.

** *Terillus* Antonius, Anglus, S. I., doctor et professor Lovaniensis eruditissimus, probabilistarum antesignanus, ut ait Amort *(De conscientia probabili, regula morum)*, c. 1668.

Thesaurus Carolus, S. I., De Poenis ecclesiasticis.

Thomas Aquinas sanctus, doctor Angelicus, n. 1227, m. 1274.

Thomassinus Ludovicus, Gallus, congregationis Oratorii *(Vetus et nova disciplina Ecclesiae circa beneficia etc.)*, n. 1619, m. 1695.

Tiraquellus Andreas, Gallus, celeber iurisperitus *(De privilegiis piae causae)*, m. 1558.

** *Toletus* Franciscus, Hisp., fuit singulare decus *Societatis Iesu*, et cum Bellarmino, Lugone, Pallavicino dignus habitus est, qui in sacrum collegium Cardinalium assumeretur. Summam scientiam cum profunda humilitate et devotione ita egregie coniunxit, ut multi dubitarent, num potius sanctitatem an doctrinam mirarentur. Ipsius instructio sacerdotum cum summa laude christiani orbis excepta, et a S. Francisco Salesio ut tutam doctrinam continens clero commendata est. Cabassutius, quamvis antiprobabilista, non dubitavit dicere, quod plura saecula virum tanti meriti vix visura sint, nec ullas laudes sufficere pro Card. Toleto, n. 1532, m. 1596 (*a*).

Tonduti Petrus Franciscus de. (Quaestiones et Resolutiones canonicae etc.).

Trovamala Ioan. Bapt. de, Italus, ordinis Minorum, auctor summae quae dicitur *Rosella*, 15. saec.

** *Trullenchus* Ioan., Hisp. *(Praxis Sacramentorum)*, m. 1633.

(*a*) Eiusdem *In Summam Theologiae S. Thomae Aquinatis Enarratio ex autographo primum* edita est *Romae typis S. Congregationis de Propaganda Fide* annis 1869 et 1870, comprehensa quattuor tomis in 4°.

U

V

Zambranus Melchior, Hisp. (*Aureae decisiones casuum Conscientiae*), circa 1604.

Zanardus Michael, Italus, auctor nimis benignus, n. 1570, m. 1641.

Zecchius Laelius, Iurisconsultus, Canonicus Brixiensis. De Republica ecclesiastica etc., c. 1580.

Zechius Franc. Xav., Germanus, S. I., professor Ingolstadiensis, m. c. 1750.

** *Zerola* Thomas, Italus, episcopus Minoricensis (*Praxis Episcopalis. Praxis Sacramenti Poenitentiae*), m. 1663.

Zoesius Henricus, I. U. D. Lovanii. In Ius Canonicum universum, m. 1627.

Zumel Franciscus, Hisp., ordinis de Mercede, m. 1706.

Zypus Franciscus, Iurisc., Vicarius Generalis Antuerpiae. Responsa de Iure Canonico. De Iurisdictione ecclesiastica. Ius Pontificium novum.

SERIES CHRONOLOGICA

PROPOSITIONUM DAMNATARUM

AB ANNO 1418 CONTRA IOANNEM WICLEFFUM,
AD ANNUM 1864 CONTRA RECENTIORES ERRORES.

NUM. I.

Articuli 45. *Ioannis Wicleffi, damnati in Concilio Constantiensi Sessione* 45. *anno* 1418.

1. Substantia panis materialis et similiter substantia vini materialis remanent in Sacramento altaris.

2. Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem Sacramento.

3. Christus non est in eodem Sacramento identice et realiter propria praesentia corporali.

4. Si Episcopus vel sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat.

5. Non est fundatum in Evangelio, quod Christus Missam ordinaverit.

6. Deus debet obedire diabolo.

7. Si homo fuerit debite contritus, omnis Confessio exterior est sibi superflua et inutilis.

8. Si Papa sit praescitus et malus, et per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam, nisi forte a Caesare.

9. Post Urbanum VI. non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more graecorum sub legibus propriis.

10. Contra Scripturam sacram est, quod viri ecclesiastici habeant possessiones.

11. Nullus Praelatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum excommunicatum a Deo: et qui sic excommunicat, fit ex hoc haereticus vel excommunicatus.

12. Praelatus excommunicans clericum, qui appellavit ad regem vel ad Concilium regni, eo ipso traditor est regis et regni.

13. Illi, qui dimittunt praedicare sive audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, et in Dei iudicio traditores habebuntur.

14. Licet alicui diacono vel presbytero praedicare verbum Dei absque auctoritate Sedis apostolicae sive Episcopi catholici.

15. Nullus est dominus civilis, nullus est Praelatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

16. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, idest ex habitu, non solum actu delinquentibus.

17. Populares possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere.

18. Decimae sunt purae eleemosynae, et possunt parochiani propter peccata suorum praelatorum ad libitum suum eas auferre.

19. Speciales orationes, applicatae uni personae per praelatos vel religiosos, non plus prosunt eidem, quam generales, caeteris paribus.

20. Conferens eleemosynam fratribus est excommunicatus eo facto.

21. Si aliquis ingreditur religionem privatam qualemcumque, tam possessionatorum quam mendicantium, redditur ineptior et inhabilior ad observationem mandatorum Dei.

22. Sancti, instituentes religiones privatas, sic instituendo peccaverunt.

23. Religiosi viventes in religionibus privatis non sunt de religione christiana.

24. Fratres tenentur per laborem manuum victum acquirere, et non per mendicitatem.

25. Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus.

26. Oratio praesciti nulli valet.

27. Omnia de necessitate absoluta eveniunt.

28. Confirmatio iuvenum, clericorum Ordinatio, locorum consecratio reservatur Papae et Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis et honoris.

29. Universitates, studia, collegia, graduationes et magisteria in iisdem sunt vana gentilitate introducta: tantum prosunt Ecclesiae, sicut diabolus.

30. Excommunicatio Papae vel cuiuscumque Praelati non est timenda: quia est censura Antichristi.

31. Peccant fundantes claustra: et ingredientes sunt viri diabolici.

32. Ditare clerum est contra regulam Christi.

33. Sylvester Papa et Constantinus imperator errarunt, Ecclesiam dotando.

34. Omnes ordines mendicantium sunt haeretici, et dantes eis eleemosynas sunt excommunicati.

35. Ingredientes religionem, aut aliquem ordinem, eo ipso inhabiles sunt ad observanda divina praecepta, et per consequens ad perveniendum ad regnum caelorum, nisi apostataverint ab eisdem.

36. Papa cum omnibus clericis suis possessionem habentibus sunt haeretici, eo quod possessiones habent, et consentientes eis, omnes videlicet domini saeculares et caeteri laici.

37. Ecclesia romana est synagoga satanae, nec Papa est proximus et immediatus Vicarius Christi et Apostolorum.

38. Decretales epistolae sunt apocryphae, et seducunt a Fide Christi; et clerici sunt stulti, qui student eis.

39. Imperator et domini saeculares sunt seducti a diabolo, ut Ecclesiam ditarent bonis temporalibus.

40. Electio Papae a Cardinalibus, a diabolo est introducta.

41. Non est de necessitate salutis credere, romanam Ecclesiam esse supremam inter alias ecclesias.

42. Fatuum est credere indulgentiis Papae et Episcoporum.

43. Iuramenta illicita sunt, quae fiunt ad corroborandos humanos contractus et commercia civilia.

44. Augustinus, Benedictus, et Bernardus damnati sunt, nisi poenituerint de hoc quod habuerunt possessiones, et instituerunt et intraverunt religiones: et sic, a Papa usque ad ultimum religiosum, omnes sunt haeretici.

45. Omnes religiones indifferenter introductae sunt a diabolo.

NUM. II.

Articuli 30. *Ioannis Hus, damnati ut supra.*

1. Unica est sancta universalis Ecclesia, quae est praedestinatorum universitas.

2. Paulus nunquam fuit membrum diaboli, licet fecit quosdam actus actibus Ecclesiae malignantium consimiles.

3. Praesciti non sunt partes Ecclesiae, cum nulla pars eius finaliter excidat ab ea, eo quod praedestinationis charitas, quae ipsam ligat, non excidet.

4. Duae naturae, Divinitas et Humanitas, sunt unus Christus.

5. Praescitus, etsi aliquando est in gratia secundum praesentem iustitiam, tamen nunquam est pars sanctae Ecclesiae: et praedestinatus semper manet membrum Ecclesiae, licet aliquando excidat a gratia adventitia, sed non a gratia praedestinationis.

6. Sumendo Ecclesiam pro convocatione praedestinatorum, sive fuerint in gratia sive non, secundum praesentem iustitiam, isto modo Ecclesia est articulus Fidei.

7. Petrus non est nec fuit caput Ecclesiae sanctae catholicae.

8. Sacerdotes quomodolibet criminose viventes, Sacerdotii polluunt potestatem, et sicut filii infideles sentiunt infideliter de septem Sacramentis Ecclesiae, de clavibus, officiis, censuris, moribus, caeremoniis et sacris rebus Ecclesiae, veneratione reliquiarum, indulgentiis et Ordinibus.

9. Papalis dignitas a Caesare inolevit, et Papae perfectio et institutio a Caesaris potentia emanavit.

10. Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se vel alio, quod esset caput Ecclesiae particularis, nec romanus Pontifex est caput romanae Ecclesiae particularis.

11. Non oportet credere, quod iste, quicumque est romanus Pontifex, sit caput cuiuscumque particularis Ecclesiae sanctae, nisi Deus eum praedestinaverit.

12. Nemo gerit vicem Christi vel Petri, nisi sequatur eum in moribus: cum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter recipiat a Deo procuratoriam potestatem: quia ad illud officium vicariatus requiritur et morum conformitas et instituentis auctoritas.

13. Papa non est verus et manifestus successor apostolorum principis Petri, si vivit moribus contrariis Petro: et si quaerit avaritiam, tunc est vicarius Iudae Iscarioth. Et pari evidentia Cardinales non sunt veri et manifesti successores Collegii aliorum apostolorum Christi, nisi vixerint more apostolorum, servantes mandata et consilia Domini nostri Iesu Christi.

14. Doctores ponentes quod aliquis per censuram ecclesiasticam emendandus, si corrigi noluerit, saeculari iudicio est tradendus, pro certo sequuntur in hoc Pontifices, scribas, et pharisaeos, qui Christum non volentem eis obedire in omnibus, dicentes *Nobis non licet interficere quemquam,* ipsum saeculari iudicio tradiderunt: et quod tales sint homicidae graviores, quam Pilatus.

15. Obedientia ecclesiastica est obedientia secundum adinventionem sacerdotum Ecclesiae propter expressam auctoritatem Scripturae.

16. Divisio immediata humanorum operum est, quod sunt vel virtuosa vel vitiosa: quia si homo est vitiosus et agit quidquam, tunc agit vitiose; et si est virtuosus et agit quidquam, tunc agit virtuose; quia sicut vitium, quod crimen dicitur seu mortale peccatum, inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi.

17. Sacerdotes Christi viventes secundum legem eius, et habentes Scripturae notitiam, et affectum ad aedificandum populum debent praedicare non obstante praetensa excommunicatione. Quod si Papa vel aliquis Praelatus mandat sacerdoti sic disposito non praedicare, non debet subditus obedire.

18. Quilibet praedicantis officium de mandato accipit, qui ad Sacer-

dotium accedit: et illud mandatum debet exequi, praetensa excommunicatione non obstante.

19. Per censuras ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis et interdicti ad sui exaltationem clerus populum laicalem sibi suppeditat, avaritiam protegit, et viam praeparat Antichristo. Signum autem evidens est quod ab Antichristo tales procedunt censurae, quas vocant in suis processibus fulminationes, quibus clerus principalissime procedit contra illos qui denudant nequitiam Antichristi, qui clerum pro se maxime usurpabit.

* 20. Si Papa est malus, et praesertim si est praescitus, tunc ut Iudas apostolus est diaboli, fur, et filius perditionis, et non est caput sanctae militantis Ecclesiae, cum nec sit membrum eius.

21. Gratia praedestinationis est vinculum, quo corpus Ecclesiae et quodlibet eius membrum iungitur Christo capiti insolubiliter.

22. Papa vel Praelatus malus et praescitus est aequivoce pastor, et vere fur et latro.

23. Papa non debet dici sanctissimus, etiam secundum officium: quia alias rex deberet etiam dici sanctissimus secundum officium, et tortores et praecones dicerentur sancti: imo etiam diabolus deberet dici sanctus, cum sit officiarius Dei.

24. Si Papa vivat Christo contrarie, etiamsi ascenderet per ritam et legitimam electionem secundum constitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde ascenderet quam per Christum, dato etiam quod intraret per electionem a Deo principaliter factam: nam Iudas Iscariothes rite et legitime est electus a Deo Christo Iesu ad episcopatum, et tamen ascendit aliunde ad ovile ovium.

25. Condemnatio 45. art. Ioannis Wicleff, per doctores facta, est irrationabilis et iniqua et malefacta; ficta est causa per eos allegata, videlicet ex eo quod nullus eorum sit catholicus, sed quilibet eorum aut est haereticus, aut erroneus aut scandalosus.

26. Non eo ipso, quod electores vel maior pars eorum consenserint viva voce secundum ritus hominum in personam aliquam, eo ipso illa persona est legitime electa, vel eo ipso est verus et manifestus successor vel vicarius Petri apostoli vel alterius apostoli in officio ecclesiastico: unde, sive electores bene vel male elegerint, operibus electi debemus credere: nam eo ipso, quo quis copiosius operatur meritorie ad profectum Ecclesiae, habet a Deo ad hoc copiosius facultatem.

27. Non est scintilla apparentiae, quod oporteat esse unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum Ecclesia ipsa militante conversetur et conservetur.

28. Christus sine talibus monstruosis capitibus per suos veraces discipulos sparsos per orbem terrarum melius suam Ecclesiam regularet.

29. Apostoli et fideles sacerdotes Domini strenue in necessariis ad salutem regularunt Ecclesiam, antequam Papae officium foret introdu-

ctum: sic facerent, deficiente per summe possibile Papa, usque ad diem iudicii.

30. Nullus est dominus civilis, nullus est Praelatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

NUM. III.

Propositiones 9. *Magistri Petri Oxomensis, damnatae in Congregatione Complutensi, et deinde a Sixto IV, anno* 1479.

1. Peccata mortalia, quantum ad culpam et poenam alterius saeculi, delentur per solam cordis contritionem sine ordine ad claves.

2. Confessio de peccatis in specie fuit ex aliquo statuto utilis Ecclesiae, non de iure divino.

3. Pravae cogitationes confiteri non debent, sed sola displicentia delentur sine ordine ad claves.

4. Confessio debet esse secreta, idest de peccatis secretis, non de manifestis.

5. Non sunt absolvendi poenitentes, nisi peracta prius poenitentia eis iniuncta.

6. Papa non potest indulgere alicui viro poenam purgatorii.

7. Ecclesia urbis Romae errare potest.

8. Papa non potest dispensare in statutis universalis Ecclesiae.

9. Sacramentum Poenitentiae, quantum ad collationem gratiae sacramentalis, naturae est, non alicuius institutionis veteris vel novi Testamenti.

Damnatae ut scandalosae et haereticae.

NUM. IV.

Errores 41. *Martini Lutheri, damnati a Leone X, bulla* Exurge Domine, *etc.* 16 Maii 1520.

1. Haeretica sententia est, sed usitata, sacramenta novae legis iustificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.

2. In puero post baptismum negare remanens peccatum, est Paulum et Christum simul conculcare.

3. Fomes peccati, etiamsi nullum adsit actuale peccatum, moratur exeuntem a corpore animam ab ingressu caeli.

4. Imperfecta charitas morituri fert secum necessario magnum timorem, qui se solo satis est facere poenam purgatorii, et impedit introitum regni.

5. Tres esse partes Poenitentiae, contritionem, confessionem, et satisfactionem, non est fundatum in sacra Scriptura nec antiquis sanctis christianis doctoribus.

6. Contritio, quae paratur per discussionem, collationem, et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, amissionem aeternae beatitudinis, ac aeternae damnationis acquisitionem, haec contritio facit hypocritam imo magis peccatorem.

7. Verissimum est proverbium, et omnium doctrina de contritionibus hucusque data praestantius: de caetero non facere, summa poenitentia: optima poenitentia, nova vita.

8. Nullo modo praesumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est ut omnia mortalia cognoscas. Unde primitiva Ecclesia solum manifesta mortalia confitebatur.

9. Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod misericordiae Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.

10. Peccata non sunt ulli remissa, nisi remittente sacerdote credat sibi remitti, imo peccatum maneret, nisi remissum crederet: non enim sufficit remissio peccati et gratiae donatio, sed oportet etiam credere esse remissum.

11. Nullo modo confidas absolvi propter tuam contritionem, sed propter verbum Christi *Quodcumque solveris* etc. (Matth. XVI.). Hinc, inquam, confide, si sacerdotis obtinueris absolutionem, et crede fortiter te absolutum, et absolutus vere eris, quidquid sit de contritione.

12. Si per impossibile confessus non esset contritus, aut sacerdos non serio sed ioco absolveret; si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus.

13. In sacramento Poenitentiae ac remissione culpae non plus facit Papa aut Episcopus, quam infimus sacerdos: imo, ubi non est sacerdos, aeque tantum quilibet christianus, etiamsi mulier aut puer esset.

14. Nullus debet sacerdoti respondere se esse contritum, nec sacerdos requirere.

15. Magnus est error eorum, qui ad sacramentum Eucharistiae accedunt huic innixi, quod sint confessi, quod non sint sibi conscii alicuius peccati mortalis, quod praemiserint orationes suas et praeparatoria: omnes illi iudicium sibi manducant et bibunt. Sed si credant et confidant se gratiam ibi consecuturos, haec sola fides facit eos puros et dignos.

16. Consultum videtur, quod Ecclesia in communi Concilio statueret laicos sub utraque specie communicandos: nec Bohemi communicantes sub utraque specie sunt haeretici, sed schismatici.

17. Thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi et sanctorum.

18. Indulgentiae sunt piae fraudes fidelium, et remissiones bonorum operum: et sunt de numero eorum quae licent, et non de numero eorum quae expediunt.

19. Indulgentiae his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad

remissionem poenae pro peccatis actualibus debitae apud divinam iustitiam.

20. Seducuntur credentes indulgentias esse salutares et ad fructus spiritus utiles.

21. Indulgentiae necessariae sunt solum publicis criminibus, et proprie conceduntur duris solummodo et impatientibus.

22. Sex generibus hominum indulgentiae nec sunt necessariae nec utiles: videlicet mortuis seu morituris, infirmis, legitime impeditis, his qui non commiserunt crimina, his qui crimina commiserunt sed non publica, his qui meliora operantur.

23. Excommunicationes sunt tantum externae poenae, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiae orationibus.

24. Docendi sunt christiani plus diligere excommunicationem, quam timere.

25. Romanus Pontifex, Petri successor, non est Christi vicarius super omnes totius mundi Ecclesias ab ipso Christo in beato Petro institutus.

26. Verbum Christi ad Petrum: *Quodcumque solveris super terram* etc. (Matth. XVI.) extenditur dumtaxat ad ligata ab ipso Petro.

27. Certum est, in manu Ecclesiae aut Papae prorsus non esse statuere articulos Fidei, imo nec leges morum seu bonorum operum.

28. Si Papa cum magna parte Ecclesiae sic vel sic sentiret, nec etiam erraret; adhuc non est peccatum aut haeresis contrarium sentire, praesertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per Concilium universale alterum reprobatum, alterum approbatum.

29. Via nobis facta est enervandi auctoritatem Conciliorum, et libere contradicendi eorum gestis, et iudicandi eorum decreta, et confidenter confitendi quidquid verum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocumque Concilio.

30. Aliqui articuli Ioannis Hus condemnati in Concilio Constantiensi sunt christianissimi, verissimi, et evangelici, quos nec universalis Ecclesia posset damnare.

31. In omni opere bono iustus peccat.

32. Opus bonum optime factum, est veniale peccatum.

33. Haereticos comburi, est contra voluntatem Spiritus.

34. Praeliari adversus turcas, est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos.

35. Nemo est certus, se non semper peccare mortaliter, propter occultissimum superbiae vitium.

36. Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo: et dum facit quod in se est, peccat mortaliter.

37. Purgatorium non potest probari ex sacra Scriptura, quae sit in canone.

38. Animae in purgatorio non sunt securae de earum salute, saltem

omnes: nec probatum est ullis aut rationibus aut Scripturis, ipsas esse extra statum merendi aut augendae charitatis.

39. Animae in purgatorio peccant sine intermissione, quamdiu quaerunt requiem et horrent poenas.

40. Animae e purgatorio liberatae suffragiis viventium, minus beantur, quam si per se satisfecissent.

41. Praelati ecclesiastici et principes saeculares non male facerent, si omnes saccos mendicitatis delerent.

NUM. V.

Propositiones 79. *Michaelis Baii, damnatae a S. Pio V, bulla* Ex omnibus afflictionibus *etc.* 1 Oct. 1567, *necnon a Gregorio XIII, bulla* Provisionis nostrae *etc.* 29 Ian. 1579, *et ab Urbano VIII, bulla* In eminenti *etc.* 6 Mart. 1641.

1. Nec angeli nec primi hominis adhuc integri merita, recte vocantur gratia.

2. Sicut opus malum ex natura sua est mortis aeternae meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitae aeternae meritorium.

3. Et bonis angelis et primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitae, felicitas esset merces, et non gratia.

4. Vita aeterna homini integro et angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, et bona opera ex lege naturae ad illam consequendam per se sufficiunt.

5. In promissione facta angelo et primo homini continetur naturalis iustitiae constitutio, qua pro bonis operibus sine alio respectu vita aeterna iustis promittitur.

6. Naturali lege constitutum fuit homini, ut, si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

7. Primi hominis integri merita fuerunt primae creationis munera: sed iuxta modum loquendi Scripturae sacrae non recte vocantur gratia; quo fit, ut tantum merita, non etiam gratia, debeant nuncupari.

8. In redemptis per gratiam Christi, nullum inveniri potest bonum meritum, quod sit gratis indigno collatum.

9. Dona concessa homini integro et angelo, forsitan, non improbanda ratione, possunt dici gratia: sed quia, secundum usum sacrae Scripturae, nomine gratiae ea tantum munera intelliguntur quae per Iesum Christum male merentibus et indignis conferuntur, ideo neque merita neque merces, quae illis redditur, gratia dici debet.

10. Solutio poenae temporalis, quae peccato dimisso saepe manet, et corporis resurrectio proprie nonnisi meritis Christi adscribenda est.

11. Quod pie et iuste in hac vita mortali usque in finem vitae conversati vitam consequimur aeternam, id non proprie gratiae Dei, sed

ordinationi naturali statim initio creationis constitutae iusto Dei iudicio deputandum est: neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est, ut iusto Dei iudicio obedientiae mandatorum vita aeterna reddatur.

12. Pelagii sententia est: opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est regni caelestis meritorium.

13. Opera bona, a filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo quod fiant per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum eo quod sint conformia legi, quodque per ea praestatur obedientia legi.

14. Opera bona iustorum non accipient in die iudicii extremi mercedem ampliorem, quam iusto Dei iudicio mereantur accipere.

15. Ratio meriti non consistit in eo quod qui bene operatur habeat gratiam et inhabitantem Spiritum Sanctum, sed in eo solum quod obedit divinae legi.

16. Non est vera legis obedientia, quae fit sine charitate.

17. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo de gratia adoptionis sublimetur ad statum deificum.

18. Opera catechumenorum, ut Fides et Poenitentia ante remissionem peccatorum facta, sunt vitae aeternae merita: quam vitam ipsi non consequentur nisi prius praecedentium delictorum impedimenta tollantur.

19. Opera iustitiae et temperantiae, quae Christus fecit, ex dignitate personae operantis non traxerunt maiorem valorem.

20. Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam.

21. Humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae debita fuit integritati primae conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis.

22. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos II. *Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt faciunt*, intelligunt de gentibus Fidei gratiam non habentibus.

23. Absurda est eorum sententia, qui dicunt hominem ab initio, dono quodam supernaturali et gratuito, supra conditionem naturae suae fuisse exaltatum, ut Fide, Spe, et Charitate Deum supernaturaliter coleret.

24. A vanis et otiosis hominibus, secundum insipientiam philosophorum, excogitata est sententia, quae ad pelagianismum reiicienda est, hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturae superaddita fuerit largitate conditoris sublimatus et in Dei filium adoptatus.

25. Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia.

26. Integritas primae creationis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis eius conditio.

27. Liberum arbitrium, sine gratiae Dei adiutorio, nonnisi ad peccandum valet.

28. Pelagianus est error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

29. Non soli fures ii sunt et latrones, qui Christum viam et ostium veritatis et vitae negant, sed etiam quicumque aliunde quam per ipsum in viam iustitiae (hoc est aliquam iustitiam) conscendi posse docent:

30. Aut tentationi ulli sine gratiae ipsius adiutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur aut ab ea non superetur.

31. Charitas perfecta et sincera, quae est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in catechumenis quam in poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum.

32. Charitas illa, quae est plenitudo legis, non est semper coniuncta cum remissione peccatorum.

33. Catechumenus iuste, recte, et sancte vivit, et mandata Dei observat, ac legem implet per Charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quae in Baptismi lavacro demum percipitur.

34. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet quo Deus amatur ut auctor naturae, et gratuiti quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia, et ad illudendum sacris Litteris et plurimis veterum testimoniis excogitata.

35. Omne quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est.

36. Amor naturalis, qui ex viribus naturae exoritur, ex sola philosophia per elationem praesumptionis humanae cum iniuria crucis Christi defenditur a nonnullis doctoribus.

37. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est quod ex naturae solis viribus ortum ducit, agnoscit.

38. Omnis amor creaturae rationalis aut vitiosa est cupiditas qua mundus diligitur, quae a Ioanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur.

39. Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.

40. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.

41. Is libertatis modus, qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato.

42. Iustitia, qua iustificatur per Fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quae est operum iustitia: non autem in gratia aliqua animae infusa, qua adoptatur homo in filium Dei et secundum interiorem hominem renovatur ac divinae naturae consors efficitur, ut, sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere et Dei mandatis obedire possit.

43. In hominibus poenitentibus ante Sacramentum absolutionis, et in catechumenis ante Baptismum, est vera iustificatio: separata tamen a remissione peccatorum.

44. Operibus plerisque quae a fidelibus fiunt solum ut Dei mandatis

pareant, cuiusmodi sunt obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, a furto, a fornicatione abstinere, iustificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia et vera legis iustitia: non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

45. Sacrificium Missae non alia ratione est sacrificium, quam generali illa, qua omne opus quod fit, ut sancta societate Deo homo inhaereat.

46. Ad rationem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quaestio est, sed causae et originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.

47. Unde peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla relatione ac respectu ad voluntatem a qua originem habuit.

48. Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, et habitualiter dominatur parvulo: eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium:

49. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus decedens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, et legi Dei repugnet.

50. Prava desideria, quibus ratio non consentit, et quae homo invitus patitur, sunt prohibita praecepto *Non concupisces*.

51. Concupiscentia, sive lex membrorum, et prava eius desideria, quae inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

52. Omne scelus est eius conditionis, ut suum auctorem et omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.

53. Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum a generante contrahunt qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum maioribus.

54. Definitiva haec sententia, Deum homini nihil impossibile praecepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit.

55. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.

56. In peccato duo sunt, actus et reatus: transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus sive obligatio ad poenam.

57. Unde in sacramento Baptismi aut sacerdotis absolutione, proprie reatus peccati duntaxat tollitur, et ministerium sacerdotum solum liberat a reatu.

58. Peccator poenitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui, poenitentiam suggerens et inspirans, vivificat eum et resuscitat: ministerio autem sacerdotis solum reatus tollitur.

59. Quando per eleemosynas aliaque poenitentiae opera Deo satisfacimus pro poenis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioqui essemus, saltem aliqua ex parte, redemptores): sed aliquid facimus, cuius intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, et communicatur.

60. Per passiones Sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta: sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus qui pretio Sanguinis Christi a poenis pro peccatis debitis liberemur.

61. Illa doctorum distinctio, divinae legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad praeceptorum operum substantiam tantum, altero modo quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad regnum aeternum (hoc est ad modum meritorium), commentitia est et explodenda.

62. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex obiecto et omnibus circumstantiis rectum est et bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt), vel quia est meritorium regni aeterni eo quod sit a vivo Christi membro per spiritum charitatis, reiicienda est.

63. Sed et illa distinctio duplicis iustitiae, alterius quae fit per spiritum charitatis inhabitantem, alterius quae fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti cor ad poenitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis et in eo charitatem diffundentis, qua divinae legis iustificatio impleatur, similiter reiicitur.

64. Item et illa distinctio duplicis vivificationis, alterius qua vivificatur peccator dum ei poenitentiae et vitae novae propositum et inchoatio per Dei gratiam inspiratur, alterius qua vivificatur qui vere iustificatur, et palmes vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia est et Scripturis minime congruens.

65. Nonnisi pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus: et gratiae Christi iniuriam facit, qui ita sentit et docet.

66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod necessario facit.

68. Infidelitas pure negativa, in his, in quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.

69. Iustificatio impii fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem et inspirationem gratiae, quae per eam iustificatos faciat implere legem.

70. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu aeternae damnationis, potest habere veram charitatem: et charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu aeternae damnationis.

71. Per contritionem etiam cum charitate perfecta et cum voto suscipiendi Sacramentum coniunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.

72. Omnes omnino iustorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum: unde et Iob et martyres, quae passi sunt, propter peccata sua passi sunt.

73. Nemo, praeter Christum, est absque peccato originali, hinc beata

Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque eius afflictiones in hac vita, sicut et aliorum iustorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis.

74. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus iam dominatur, peccatum est, sicut et alii habitus pravi.

75. Motus pravi concupiscentiae sunt, pro statu hominis vitiati, prohibiti praecepto *Non concupisces*: unde homo eos sentiens, et non consentiens, transgreditur praeceptum *Non concupisces:* quamvis transgressio in peccatum non deputetur.

76. Quamdiu aliquid concupiscentiae carnalis in diligente est, non facit praeceptum *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

77. Satisfactiones laboriosae iustificatorum non valent expiare de condigno poenam temporalem restantem post culpam condonatam.

78. Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio.

79. Falsa est doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari et institui sine iustitia naturali.

NUM. VI.

Propositio, qua asseritur aequalitas sanctorum Petri et Pauli, damnata ab Innocentio X, decreto Congregationis generalis sanctae romanae et universalis Inquisitionis Editus est *etc.* 29 *Ian.* 1647.

Sanctissimus, relata unanimi theologorum ad hoc specialiter deputatorum censura, et auditis votis eminentissimorum et reverendissimorum DD. Cardinalium Generalium Inquisitorum, propositionem hanc *S. Petrus et S. Paulus sunt duo Ecclesiae principes qui unicum efficiunt,* vel *sunt duo Ecclesiae catholicae coryphaei ac supremi duces summa inter se unitate coniuncti,* vel *sunt geminus universalis Ecclesiae vertex qui in unum divinissime coaluerunt,* vel *sunt duo Ecclesiae summi pastores ac praesides qui unicum caput constituunt,* ita explicatam, ut ponat omnimodam aequalitatem inter S. Petrum et S. Paulum sine subordinatione et subiectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema et regimine universalis Ecclesiae, haereticam censuit et declaravit.

NUM. VII.

Propositiones 5. *Cornelii Iansenii, ex eius libro cui titulus* Augustinus *excerptae, damnatae ab Innocentio X, constitutione* Cum occasione *etc.* 31 *Maii* 1653, *necnon ab Alexandro VII, constitutione* Ad sanctam B. Petri Sedem *etc.* 16 *Oct.* 1665, *tum constitutione* Regiminis apostolici *etc.* 15 *Febr.* 1664, *in qua* formularium *edidit, denique a Clemente XI, constitutione* Vineam Domini sabaoth *etc.* 16 *Iul.* 1705.

1. Aliqua Dei praecepta hominibus iustis volentibus et conantibus, secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant. *Declarata et damnata uti* temeraria, impia, blasphema, anathemate damnanda, et haeretica.

2. Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur. *Declarata et damnata uti* haeretica.

3. Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. *Declarata et damnata uti* haeretica.

4. Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei: et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare. *Declarata et damnata uti* falsa et haeretica.

5. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse. *Declarata et damnata uti* falsa, temeraria, scandalosa, et (intellecta eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit) impia, blasphema, contumeliosa, divinae pietati derogans, et haeretica.

Formularium Alexandri VII.

« Ego N. constitutioni apostolicae Innocentii X, datae die 31 Maii 1653, » et constitutioni Alexandri VII, datae die 16 Octobris 1665 summorum » Pontificum me subiicio, et quinque propositiones ex Cornelii Iansenii » libro, cui nomen *Augustinus*, excerptas, et in sensu ab eodem aucto» re intento, prout illas per dictas constitutiones Sedes apostolica da» mnavit, sincero animo reiicio ac damno, et ita iuro. Sic me Deus ad» iuvet, et haec sancta Dei Evangelia. »

NUM. VIII.

Propositiones 45. *damnatae ab Alexandro VII decretis Congregationis generalis sanctae romanae et universalis Inquisitionis,* Sanctissimus Dominus noster *etc.* 24 *Sept.* 1665, *et* 18 *Mart.* 1666.

Feria V, die 24 Septembris anno 1665.

Sanctissimus Dominus noster audivit non sine magno animi sui moerore, complures opiniones, christianae disciplinae relaxativas et animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire, et summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab evangelica simplicitate sanctorumque Patrum doctrina, et quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens irreptura esset christianae vitae corruptela. Quare, ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus (cuius verba in aeternum permanent) arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari seu verius perverti contingeret, idem SS. D. N., ut oves sibi creditas ab eiusmodi spatiosa lataque (per quam itur ad perditionem) via pro pastorali sollicitudine in rectam semitam evocaret, earumdem opinionum examen *etc.*

1. Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, et Charitatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens bullam Coenae solum prohibere absolutionem haeresis et aliorum criminum quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629, 18 iulii in Consistorio sacrae Congregationis eminentissimorum Cardinalium visa et tolerata est.

4. Praelati regulares possunt in foro conscientiae absolvere quoscumque saeculares ab haeresi occulta, et ab excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse haereticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in sacramentali Confessione tribuit poenitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitare in Confessione, ac proinde non est denuntiandus.

7. Modus evitandi obligationem denuntiandae sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante: hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

8. Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.

9. Post decretum Urbani potest sacerdos, cui Missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illo minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra iustitiam, pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, et Sacrificium unum offerre. Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam iuramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitae aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit praecepto annuae Confessionis, qui confitetur regulari Episcopo praesentato, sed ab eo iniuste reprobato.

14. Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae.

15. Poenitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum religioso vel clerico calumniatorem gravia crimina de se vel de sua religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit: uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi religioso vel eius religioni publice et coram gravissimis viris praedicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam iudicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio a Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam iudicis, eo quod sit poena.

21. Habens cappellaniam collativam aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suae obligationi, si Officium per alium recitet.

22. Non est contra iustitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis: quia collator conferens illa beneficia ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens ieiunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat mor-

taliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subiicere praecepto.

24. Mollities, sodomia, et bestialitas sunt peccata eiusdem speciei infimae: ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis praecepto dicens, commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones aeque probabiles, potest iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius prae alio.

27. Si liber sit alicuius iunioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, reiectam esse a Sede apostolica tamquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam.

Feria V, die 18 Martii anno 1666.

Propos. 29. In die ieiunii, qui saepius modicum quid comedit, non frangit ieiunium.

30. Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione ieiunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum ieiunio.

31. Excusantur absolute a praecepto ieiunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans Officium paschale satisfacit praecepto.

35. Unico Officio potest quis satisfacere duplici praecepto pro die praesenti et crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiae uti privilegiis suis, quae sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiae concessae Regularibus, et revocatae a Paulo V, hodie sunt revalidatae.

38. Mandatum Tridentini factum sacerdoti (sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali) confitendi quamprimum, est consilium, non praeceptum.

39. Illa particula *quamprimum* intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quae dicit esse tantum veniale osculum

habitum ob delectationem carnalem et sensibilem quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad eiiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo *regalo*, dum, deficiente illa, nimis aegre ageret vitam, et aliae epulae taedio magno concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos.

44. Quoad forum conscientiae, reo correcto, eiusque contumacia cessante, cessant censurae.

45. Libri prohibiti, *donec expurgentur*, possunt retineri usque dum adhibita diligentia corrigantur.

Omnes damnatae et prohibitae ut minimum tanquam scandalosae.

NUM. IX.

Propositiones 65, *damnatae ab Innocentio XI, decreto Congregationis generalis sanctae romanae et universalis Inquisitionis,* Sanctissimus Dominus noster *etc.* 2. *Mart.* 1679.

Feria V, die 2. Martii 1679.

1. Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis sacerdotalis, aut episcopalis.

2. Probabiliter existimo, iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim, dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis, non credens ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur iustificari, et non habemus aliam viam, qua iustificari possimus.

8. Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non

est peccatum, modo non obsit valetudini: quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus coniugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno et formali.

11. Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in saecularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicuius tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hereditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub praeceptum speciale et secundum se.

17. Satis est actum Fidei semel in vita elicere.

18. Si a potestate publica quis interrogetur, Fidem ingenue confiteri, ut Deo et Fidei gloriosum consulo: tacere, ut peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus Fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21. Assensus Fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22. Nonnisi Fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides late dicta, ex testimonio creaturarum similive motivo, ad iustificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est iurare sine animo iurandi, sive res sit levis sive gravis.

26. Si quis, vel solus vel coram aliis, sive interrogatus sive propria sponte, sive recreationis causa sive quocumque alio fine, iuret se non fecisse aliquid quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur nec est periurus.

27. Causa iusta utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens et studiosa.

28. Qui mediante commendatione vel munere ad magistratum vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali praestare iuramentum quod de mandato regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis: quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa iusta sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, et post impactam alapam vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva quae actu possidemus, sed etiam ad quae ius inchoatum habemus, et quae nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam heredi quam legatario, contra iniuste impedientem ne vel hereditas adeatur vel legata solvantur, se taliter defendere: sicut et ius habenti in cathedram vel praebendam contra earum possessionem iniuste impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.

35. Videtur probabile, omnem foetum (quamdiu in utero est) carere anima rationali, et tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli et famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus mohatra licitus est, etiam respectu eiusdem personae, et cum contractu retrovenditionis praevie inito cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit qui non maioris faciat pecuniam praesentem quam futuram; potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex

benevolentia et gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex iustitia debitum.

43. Quidni nonnisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam, sibi noxiam, falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam iustitiam et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur, quam res spiritualis.

47. Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores et ecclesiae magis utiles ipsi iudicaverint, ad ecclesias promovent; Concilium vel primo videtur per hoc *digniores* non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit *digniores*, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities iure naturae prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum coniugata, consentiente marito, non est adulterium: adeoque sufficit in Confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adiuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo ianuam, aut quid simile coöperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro, qui duas eius partes, imo quatuor, simul a diversis celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad se minorem.

55. Praecepto Communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confessio et Communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota praedestinationis.

57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem.

59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus poenitentium, qualis verbi gratia potest contingere in die magnae alicuius festivitatis aut indulgentiae.

60. Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae, aut Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere et proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult omittere, quin imo directe et ex proposito quaerit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quaerere directe occasionem proximam peccandi, pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum Fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium sanctissimae Trinitatis et Incarnationis Domini Nostri Iesu Christi.

65. Sufficit illa mysteria semel credidisse.

Omnes damnatae et prohibitae, sicut iacent, ut minimum tanquam scandalosae et in praxi perniciosae.

Summus Pontifex decretum concludit his verbis: Tandem, ut ab iniuriosis contentionibus doctores seu scholastici aut alii quicumque imposterum se abstineant, et ut paci et charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute sanctae obedientiae eis praecipit, ut tam in libris imprimendis ac manuscriptis, quam in thesibus, disputationibus ac praedicationibus caveant ab omni censura et nota nec non a quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quae adhuc inter catholicos hinc inde controvertuntur, donec a sancta Sede, re cognita, super iisdem propositionibus iudicium proferatur.

Alia propositio damnata sub eodem Innoc. XI, an. 1682.

Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione et gravamine poenitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cuius comparatione prius merito contemnatur.

Revocari huc potest et decretum Clementis VIII, 26. *Maii an.* 1594.

Tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessarii, qui postea ad Superioris gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea no-

ʒitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.

Quoad sacramentum Poenitentiae sub Clemente VIII, 19. Iul. 1602. proscripta est sequens Propositio.

Licet per litteras seu internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere.

NUM. X.

Propositiones 68. *Michaelis de Molinos damnatae ab Innocentio XI, Constitutione* Caelestis Pastor *etc.* 20. *Nov.* 1687.

1. Oportet hominem suas potentias annihilare, et haec est vita interna.

2. Velle operari active, est Deum offendere, qui vult esse ipse solus agens: et ideo opus est seipsum in Deo totum et totaliter derelinquere, et postea permanere velut corpus exanime.

3. Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva.

4. Activitas naturalis est gratiae inimica, impeditque Dei operationes et veram perfectionem: quia Deus operari vult in nobis sine nobis.

5. Nihil operando anima se annihilat, et ad ipsum principium redit et ad suam originem, quae est essentia Dei, in qua transformata remanet ac divinizata, et Deus tunc in se ipso remanet; quia tunc non sunt amplius duae res unitae, sed una tantum, et hac ratione Deus vivit et regnat in nobis, et anima seipsam annihilat in esse operativo.

6. Via interna est illa, qua non cognoscitur nec lumen nec amor nec resignatio, et non oportet Deum cognoscere, et hoc modo recte proceditur.

7. Non debet anima cogitare nec de praemio nec de punitione, nec de paradiso nec de inferno, nec de morte, nec de aeternitate.

8. Non debet velle scire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate resignata maneat, nec ne: nec opus est ut velit cognoscere suum statum nec proprium nihil, sed debet ut corpus exanime manere.

9. Non debet anima reminisci nec sui nec Dei nec cuiuscumque rei, et in via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas humanas actiones et ad proprios defectus.

10. Si propriis defectibus alios scandalizet, non est necessarium reflectere, dummodo non adsit voluntas scandalizandi: et ad proprios defectus non posse reflectere, gratia Dei est.

11. Ad dubia, quae occurrunt, an recte procedatur, nec ne, non opus est reflectere.

12. Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno nec de paradiso: nec debet desiderium habere propriae perfectionis, nec virtutum, nec propriae sanctitatis, nec propriae salutis, cuius spem expurgare debet.

13. Resignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda est cogitatio et cura de omni re nostra, et relinquere ut faciat in nobis sine nobis suam divinam voluntatem.

14. Qui divinae voluntati resignatus est, non convenit ut a Deo rem aliquam petat: quia petere est imperfectio, cum sit actus propriae voluntatis et electionis, et est velle quod divina voluntas nostrae conformetur, et non quod nostra divinae: et illud Evangelii *Petite et accipietis,* non est dictum a Christo pro animabus internis, quae nolunt habere voluntatem: imo huiusmodi animae eo perveniunt, ut non possint a Deo rem aliquam petere.

15. Sicut non debent a Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob aliquam gratias agere debent: quia utrumque est actus propriae voluntatis.

16. Non convenit indulgentias quaerere pro poena propriis peccatis debita: quia melius est divinae iustitiae satisfacere, quam divinam misericordiam quaerere: quoniam illud ex puro Dei amore procedit, et istud ab amore nostri interessato, nec est Deo grata nec meritoria, quia est velle crucem fugere.

17. Tradito Deo libero arbitrio, et eidem relicta cura et cogitatione animae nostrae, non est amplius habenda ratio tentationum: nec eis alia resistentia fieri debet nisi negativa, nulla adhibita industria: et si natura commovetur, oportet sinere, ut commoveatur, quia est natura.

18. Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus, et propriis conceptibus, non adorat Deum in spiritu et veritate.

19. Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum.

20. Asserere quod in oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre et per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia est. Deus nunquam loquitur, eius locutio est operatio, et semper in anima operatur, quando haec suis discursibus, cogitationibus, et operationibus eum non impedit.

21. In oratione opus est manere in Fide obscura et universali, cum quiete et oblivione cuiuscumque cogitationis particularis ac distinctae attributorum Dei ac Trinitatis, et sic in Dei praesentia manere ad illum adorandum et amandum eique inserviendum, sed absque productione actuum, quia Deus in his sibi non complacet.

22. Cognitio haec per Fidem non est actus a creatura productus, sed est cognitio a Deo creaturae tradita, quam creatura se habere non cognoscit, nec postea cognoscit se illam habuisse: et idem dicitur de amore.

23. Mystici cum S. Bernardo in scala claustralium distinguunt qua-

tuor gradus, lectionem, meditationem, orationem, et contemplationem infusam. Qui semper in primo sistit, nunquam ad secundum pertransit. Qui semper in secundo persistit, nunquam ad tertium pervenit, qui est nostra contemplatio acquisita, in qua per totam vitam persistendum est, dummodo Deus animam non trahat (absque eo quod ipsa id expectet) ad contemplationem infusam: et hac cessante, anima regredi debet ad tertium gradum et in ipso permanere, absque eo quod amplius redeat ad secundum aut primum.

24. Qualescumque cogitationes in oratione occurrant, etiam impurae, etiam contra Deum, Sanctos, Fidem, et sacramenta, si voluntarie non nutriantur, nec voluntarie expellantur, sed cum indifferentia et resignatione tolerentur, non impediunt orationem Fidei: imo eam perfectiorem efficiunt, quia anima tunc magis divinae voluntati resignata remanet.

25. Etiamsi superveniat somnus et dormiatur, nihilominus fit oratio et contemplatio actualis: quia oratio et resignatio idem sunt, et dum resignatio perdurat, perdurat et oratio.

26. Tres illae viae purgativa, illuminativa, et unitiva est absurdum maximum, quod dictum fuerit in mystica: cum non sit nisi unica via, scilicet via interna.

27. Qui desiderat et amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat nec quaerit Deum, sed seipsum: et male agit, cum eam desiderat et eam habere conatur, qui per viam internam incedit, tam in locis sacris quam in diebus solemnibus.

28. Taedium rerum spiritualium bonum est, siquidem per illud purgatur amor proprius.

29. Dum anima interna fastidit discursus de Deo, et virtutes, frigida remanet, nullum in se ipsa sentiens fervorem, bonum signum est.

30. Totum sensibile, quod experimitur in vita spirituali, est abominabile, spurcum, et immundum.

31. Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quae non debent a sensibus cognosci. Opus est amittere virtutes.

32. Nec ante nec post Communionem alia requiritur praeparatio aut gratiarum actio (pro istis animabus internis), quam permanentia in solida resignatione passiva: quia modo perfectiore supplet omnes actus virtutum, qui possunt et fiunt in via ordinaria. Et si hac occasione Communionis insurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi sunt, quoties non dignoscatur, eos esse ex impulsu speciali Dei: alias sunt impulsus naturae nondum mortuae.

33. Male agit anima, quae procedit per hanc viam internam, si in diebus solemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in se devotum aliquem sensum: quoniam animae internae omnes dies sunt aequales, omnes festivi. Et idem dicitur de locis sacris, quia huiusmodi animabus omnia loca aequalia sunt.

34. Verbis et lingua gratias agere Deo, non est pro animabus inter-

nis, quae in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo quod operetur in illis: et quo magis Deo se resignant, experiuntur se non posse orationem dominicam seu Pater noster recitare.

35. Non convenit animabus huius viae internae, quod faciant operationes etiam virtuosas ex propria electione et activitate; alias non essent mortuae. Nec debent elicere actus amoris erga beatam Virginem, Sanctos, aut Humanitatem Christi: quia, cum ista obiecta sensibilia sint, talis est amor erga illa.

36. Nulla creatura, nec Beata Virgo, nec Sancti sedere debent in nostro corde: quia solus Deus vult illud occupare et possidere.

37. In occasione tentationum etiam furiosarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supradicto amore et resignatione permanere.

38. Crux voluntaria mortificationum, pondus grave est et infructuosum, ideoque dimittenda.

39. Sanctiora opera et poenitentiae, quas peregerunt Sancti, non sufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhaesionem.

40. Beata Virgo nullum unquam opus exterius peregit, et tamen fuit Sanctis omnibus sanctior. Igitur ad sanctitatem perveniri potest absque opere exteriori.

41. Deus permittit et vult, ad nos humiliandos et ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, daemon violentiam inferat earum corporibus, easque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia et sine mentis offuscatione, movendo physice illarum manus et alia membra contra earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per se peccaminosos: in quo casu non sunt peccata, quia his non adest consensus.

42. Potest dari casus, quod huiusmodi violentiae ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum personarum, scilicet maris et feminae, et ex parte utriusque sequatur actus.

43. Deus praeteritis saeculis sanctos efficiebat tyrannorum ministerio: nunc vero eos efficit sanctos ministerio daemonum, qui causando in eis praedictas violentias, facit ut illi seipsos magis despiciant atque annihilent, et se Deo resignent.

44. Iob blasphemavit, et tamen non peccavit labiis suis: quia fuit ex daemonis violentia.

45. Sanctus Paulus huiusmodi daemonis violentias in suo corpore passus est: unde scripsit: *Non quod volo bonum, hoc ago: sed, quod nolo malum, hoc facio.*

46. Huiusmodi violentiae sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, et ad eam veram transformationem et unionem perducendam, nec alia superest via: et haec est via facilior et tutior.

47. Cum huiusmodi violentiae occurrunt, sinere oportet ut satanas operetur, nullam adhibendo industriam nullumque proprium conatum,

sed permanere debet homo in suo nihilo: et etiamsi sequantur pollutiones et actus obsceni propriis manibus, et etiam peiora, non opus est se ipsum inquietare, sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia, et timores: quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magisque candida, et acquiritur sancta libertas. Et prae omnibus non opus est haec confiteri, et sanctissime fit non confitendo: quia hoc pacto superatur daemon, et acquiritur thesaurus pacis.

48. Satanas, qui huiusmodi violentias infert, suadet deinde gravia esse delicta, ut anima se inquietet, ne in via interna ulterius progrediatur: unde ad eius vires enervandas melius est ea non confiteri: quia non sunt peccata, nec etiam venialia.

49. Iob ex violentia daemonis se propriis manibus polluebat, eodem tempore, quo mundas habebat ad Deum preces (sic interpretando locum ex capite XVI Iob).

50. David, Ieremias, et multi ex sanctis prophetis huiusmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.

51. In sacra Scriptura multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos: uti illud de Samsone qui per violentiam se ipsum occidit cum philistaeis, coniugium iniit cum alienigena, et cum Dalila meretrice fornicatus est, quae alias erant prohibita, et peccata fuissent: de Inditha, quae Holoferni mentita fuit: de Elisaeo, qui pueris maledixit: de Elia, qui combussit duces cum turmis regis Achab. An vero fuerit violentia immediate a Deo peracta, vel daemonum ministerio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.

52. Cum huiusmodi violentiae etiam impurae absque mentis offuscatione accidunt, tunc anima Deo potest uniri, et de facto semper magis unitur.

53. Ad cognoscendum in praxi, an aliqua operatio in aliis personis fuerit violenta, regula quam de hoc habeo, nedum sunt protestationes animarum illarum, quae protestantur se dictis violentiis non consensisse, aut iurare non posse quod iis consenserint, et videre quod sint animae quae proficiunt in via interna: sed regulam sumerem a lumine quodam actuali cognitione humana ac theologica superiore, quod me certo cognoscere facit cum interna certitudine quod talis operatio est violenta: et certus sum quod hoc lumen a Deo procedit, quia ad me provenit coniunctum cum certitudine quod a Deo proveniat, et mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium: eo modo, quo interdum contingit, quod Deus, aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quod ipse sit qui revelat, et anima in contrarium non potest dubitare.

54. Spirituales vitae ordinariae in hora mortis se delusos invenient et confusos, et cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis.

55. Per hanc viam internam pervenitur, etsi multa cum sufferentia, ad purgandas et extinguendas omnes passiones, ita quod nihil amplius sentitur, nihil, nihil: nec ulla sentitur inquietudo, sicut corpus mortuum, nec anima se amplius commoveri sinit.

56. Duae leges et duae cupiditates (animae una et amoris proprii altera) tamdiu perdurant, quamdiu perdurat amor proprius: unde quando hic purgatus est et mortuus, ut fit per viam internam, non adsunt amplius illae duae leges et duae cupiditates, nec ulterius lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur amplius, ne quidem veniale peccatum.

57. Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata nec mortalia nec venialia.

58. Ad huiusmodi statum pervenitur, non reflectendo amplius ad proprias operationes: quia defectus ex reflexione oriuntur.

59. Via interna seiuncta est a Confessione, a confessariis, et a casibus conscientiae, a theologia, et philosophia.

60. Animabus provectis, quae reflexionibus mori incipiunt, et eo etiam perveniunt ut sint mortuae, Deus Confessionem aliquando efficit impossibilem, et supplet ipse tanta gratia praeservante, quantam in sacramento reciperent: et ideo huiusmodi animabus non est bonum in tali casu ad sacramentum Poenitentiae accedere, quia id est in illis impossibile.

61. Anima, cum ad mortem mysticam pervenit, non potest amplius aliud velle, quam quod Deus vult, quia non habet amplius voluntatem, et Deus illi eam abstulit.

62. Per viam internam pervenitur ad continuum statum immobilem in pace imperturbabili.

63. Per viam internam pervenitur etiam ad mortem sensuum: quin imo signum quod quis in statu nihilitatis maneat, id est mortis mysticae, est, si sensus exteriores non repraesentent amplius res sensibiles, unde sint ac si non essent, quia non perveniunt ad faciendum quod intellectus se ad eas applicet.

64. Theologus minorem dispositionem habet quam homo rudis ad statum contemplativi: primo quia non habet Fidem adeo puram, secundo quia non est adeo humilis, tertio quia non adeo curat propriam salutem, quarto quia caput refertum habet phantasmatibus, speciebus, opinionibus, et speculationibus, et non potest in illum ingredi verum lumen.

65. Praepositis obediendum est in exteriore, et latitudo voti obedientiae religiosorum tantummodo ad exterius pertingit. In interiore vero aliter se res habet, quo solus Deus et director intrant.

66. Risu digna est nova quaedam doctrina in Ecclesia Dei, quod anima quoad internum gubernari debeat ab Episcopo: quod si Episcopus non sit capax, anima ipsum cum suo directore adeat. Novam dico doctrinam: quia nec sacra Scriptura, nec Concilia, nec canones, nec bullae, nec sancti, nec auctores eam umquam tradiderunt, nec tradere possunt: quia Ecclesia non iudicat de occultis, et anima ius habet eligendi quemcumque sibi bene visum.

67. Dicere quod internum manifestandum est exteriori tribunali praepositorum, et quod peccatum sit id non facere, est manifesta deceptio:

quia Ecclesia non iudicat de occultis: et propriis animabus praeiudicant ois deceptionibus et simulationibus.

68. In mundo non est facultas nec iurisdictio ad praecipiendum ut manifestentur epistolae directoris quoad internum animae: et ideo opus est animadvertere, quod hoc est insultus satanae etc.

Damnatae tanquam haereticae, suspectae, erroneae, scandalosae, blasphemae, piarum aurium offensivae, temerariae, christianae disciplinae relaxativae et eversivae, et seditiosae respective.

NUM. XI.

Propositiones 2, *damnatae ab Alexandro VIII*, *decreto* Sanctissimus Dominus noster *etc.* 24 *Aug.* 1690.

1. Bonitas obiectiva consistit in convenientia obiecti cum natura rationali: formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative: HUNC HOMO NON TENETUR AMARE NEQUE IN PRINCIPIO NEQUE IN DECURSU VITAE SUAE MORTALIS.

Declarata et damnata uti haeretica.

2. Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturae rationali et rectae rationi: theologicum vero et mortale est trangressio libera divinae legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum.

Declarata et damnata uti scandalosa, temeraria, piarum aurium offensiva, et erronea. *Illam effinxerat pro suo libito Arnaldus, suisque adversariis calumniose de more attribuit.*

NUM. XII.

Propositiones 31, *damnatae ab Alexandro VIII*, *decreto* Sanctissimus Dominus noster *etc.* 7 *Dec.* 1690.

1. In statu naturae lapsae ad peccatum formale et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, et voluntate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis iuris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.

3. Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus.

5. Pagani, iudaei, haeretici, aliique huius generis nullum omnino ac-

cipiunt a Iesu Christo influxum: adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic, ut proinde merito possimus petere: A gratia sufficienti libera nos, Domine.

7. Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi: si Dei, Charitas Patris est: si mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala est.

8. Necesse est, infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob eius turpitudinem et disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis detestatur malum et prosequitur bonum mere ut coelestem obtineat gloriam, non est recta nec Deo placens.

11. Omne quod non est ex Fide christiana supernaturali, quae per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides: et etiamsi videatur credere, non est Fides divina, sed humana.

13. Quisquis etiam aeternae mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14. Timor gehennae non est supernaturalis.

15. Attritio, quae gehennae et poenarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.

16. Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiae, sed ipsa Christi lex et praescriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi, ordo poenitentiae est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem sacramenti Poenitentiae, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

19. Homo debet agere tota vita poenitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud religiosos factae, pleraeque vel sacrilegae sunt vel invalidae.

21. Parochianus potest suspicari de mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi et incongrua poenitentia seu satisfactione, ob quaestum seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt iudicandi, qui ius ad Communionem percipiendam praetendunt antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint.

23. Similiter arcendi sunt a sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in templo, quae fiebat a beata Virgine Maria in die purificationis suae per duos pullos columbarum, unum in holocaustum et alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit purificatione,

et quod filius (qui offerebatur) etiam macula Matris maculatus esset, secundum verba legis.

25. Dei Patris sedentis simulacrum nefas est christiano in templo collocare.

26. Laus, quae defertur Mariae, ut Mariae, vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus; In nomine Patris etc., praetermissis illis: Ego te baptizo.

28. Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: Non intendo quod facit Ecclesia.

29. Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis romani supra Concilium oecumenicum auctoritate, atque in Fidei quaestionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis bullam.

31. Bulla Urbani VIII, *In eminenti* est subreptitia.

Damnatae et prohibitae tanquam temerariae, scandalosae, male sonantes, iniuriosae, haeresi proximae, haeresim sapientes, erroneae, schismaticae, et haereticae respective.

NUM. XIII.

Propositiones 23, *super amore erga Deum purissimo, damnatae ab Innocentio XII, Brevi* Cum alias etc. 12 *Mart.* 1699.

1. Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, et sine ulla admixtione motivi proprii interesse. Neque timor poenarum neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in amando inveniendam.

2. In statu vitae contemplativae sive unitivae amittitur omne motivum interessatum timoris et spei.

3. Id, quod est essentiale in directione animae, est, non aliud facere, quam sequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, praecautione, et subtilitate. Oportet se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere, et nunquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeo durum est animabus adhuc sibimet affixis, et ideo potest illas scandalizare aut in perturbationem coniicere.

4. In statu sanctae indifferentiae anima non habet amplius desideria voluntaria et deliberata propter suum interesse, exceptis iis occasionibus in quibus toti suae gratiae fideliter non cooperatur.

5. In eodem statu sanctae indifferentiae nihil nobis, omnia Deo vo-

lumus. Nihil volumus, ut simus perfecti et beati propter interesse proprium: sed omnem perfectionem ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere ut velimus res istas impressione suae gratiae.

6. In hoc sanctae indifferentiae statu nolumus amplius salutem, ut salutem propriam, ut liberationem aeternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum: sed eam volumus voluntate plena, ut gloriam et beneplacitum Dei, ut rem quam ipse vult, et quam nos vult velle propter ipsum.

7. Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renuntiatio, quam Iesus Christus a nobis in Evangelio requirit, postquam externa omnia reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est nisi quoad interesse proprium... Extremae probationes, in quibus haec abnegatio seu sui ipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus aemulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium, neque ullam spem quoad suum interesse proprium, etiam aeternum.

8. Omnia sacrificia, quae fieri solent ab animabus quam maxime disinteressatis circa earum aeternam beatitudinem, sunt conditionalia... Sed hoc sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc sacrificium fit aliquo modo absolutum.

9. In extremis probationibus potest animae invincibiliter persuasum esse persuasione reflexa, et quae non est intimus conscientiae fundus, se iuste reprobatam esse a Deo.

10. Tunc anima divisa a semetipsa expirat cum Christo in cruce, dicens: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* In hac involuntaria impressione desperationis conficit sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad aeternitatem.

11. In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse; sed nunquam amittit in parte superiori, idest in suis actibus directis et intimis, spem perfectam, quae est desiderium disinteressatum promissionum.

12. Director tunc potest huic animae permittere, ut simpliciter acquiescat iacturae sui proprii interesse, et iustae condemnationi, quam sibi a Deo indictam credit.

13. Inferior Christi pars in cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes.

14. In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quaedam separatio partis superioris animae ab inferiori... In ista separatione actus partis inferioris manant ex omnino caeca et involuntaria perturbatione, nam totum, quod est voluntarium et intellectuale, est partis superioris.

15. Meditatio constat discursivis actibus, qui a se invicem facile distinguuntur... Ista compositio actuum discursivorum et reflexorum est propria exercitatio amoris interessati.

16. Datur status contemplationis adeo sublimis adeoque perfectae, ut

fiat habitualis: ita ut quoties anima actu orat, sua oratio sit contemplativa, non discursiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem eiusque actus methodicos.

17. Animae contemplativae privantur intuitu distincto, sensibili, et reflexo Iesu Christi duobus temporibus diversis... Primo, in fervore nascente earum contemplationis... Secundo, anima amittit intuitum Iesu Christi in extremis probationibus.

18. In statu passivo exercentur omnes virtutes distinctae, non cogitando quod sint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id quod Deus vult; et amor zelotypus simul efficit, ne quis amplius sibi virtutem velit, nec unquam sit adeo virtute praeditus, quam cum virtuti amplius affixus non est.

19. Potest dici in hoc sensu, quod anima passiva et disinteressata nec ipsum amorem vult amplius, quatenus est sua perfectio et sua felicitas, sed solum quatenus est id quod Deus a nobis vult.

20. In confitendo debent animae transformatae sua peccata detestari, et condemnare se, et desiderare remissionem suorum peccatorum, non ut propriam purificationem, et liberationem, sed ut rem quam Deus vult, et vult nos velle propter suam gloriam.

21. Sancti mystici excluserunt a statu animarum transformatarum exercitationes virtutum.

22. Quamvis haec doctrina *(de puro amore)* esset pura et simplex perfectio evangelica in universa traditione designata; antiqui pastores non proponebant passim multitudini iustorum nisi exercitia amoris interessati eorum gratiae proportionata.

23. Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem: et tunc evadit unicum principium et unicum motivum omnium actuum, qui deliberati et meritorii sunt.

Damnatae et reprobatae tanquam, sive in obvio earum verborum sensu, sive attenta sententiarum connexione, temerariae, scandalosae, male sonantes, piarum aurium offensivae, in praxi perniciosae, ac etiam respective erroneae.

NUM. XIV.

Propositiones 101 *Paschasii Quesnelli, damnatae a Clemente XI Constitutione* Unigenitus *etc.* 8 *Sept.* 1713.

1. Quid aliud remanet animae, quae Deum atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, et peccati consecutiones, superba paupertas, et segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, et ad omne opus bonum?

2. Iesu Christi gratia, principium efficax boni cuiuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum: absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest.

3. In vanum, Domine, praecipis, si tu ipse non das quod praecipis.

4. Ita, Domine: omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.

5. Quando Deus non emollit cor per interiorem únctionem gratiae suae, exhortationes et gratiae exteriores non inserviunt nisi ad illud magis obdurandum.

6. Discrimen inter foedus iudaicum et christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati et implementum legis a peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in isto vero Deus peccatori dat quod iubet. illum sua gratia purificando.

7. Quae utilitas pro homine in veteri foedere, in quo Deus illum reliquit eius propriae infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quae vero felicitas non est, admitti ad foedus, in quo Deus nobis donat quod petit a nobis?

8. Nos non pertinemus ad novum foedus, nisi in quantum participes sumus ipsius novae gratiae, quae operatur in nobis id quod Deus nobis praecipit.

9. Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, et cum qua nunquam illum abnegamus.

10. Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare.

11. Gratia non est aliud, quam voluntas omnipotentis Dei iubentis et facientis quod iubet.

12. Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.

13. Quando Deus vult animam salvam facere, et eam tangit interioris gratiae suae manu, nulla voluntas humana ei resistit.

14. Quantumcumque remotus a salute sit peccator obstinatus, quando Iesus se ei videndum exhibet lumine salutari suae gratiae, oportet ut se dedat, accurrat, se se humiliet, et adoret Salvatorem suum.

15. Quando Deus mandatum suum et suam externam locutionem comitatur unctione sui Spiritus et interiori vi gratiae suae, operatur illam in corde obedientiam, quam petit.

16. Nullae sunt illecebrae, quae non cedant illecebris gratiae: quia nihil resistit omnipotenti.

17. Gratia est vox illa Patris, quae homines interius docet, ac eos venire facit ad Iesum Christum: quicumque ad eum non venit postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus a Patre.

18. Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum.

19. Dei gratia nihil aliud est, quam eius omnipotens voluntas: haec est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis.

20. Vera gratiae idea est, quod Deus vult sibi a nobis obediri, et obeditur: imperat, et omnia fiunt: loquitur tanquam Dominus, et omnia sibi submissa sunt.

21. Gratia Iesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quae est operatio voluntatis omnipotentis, sequela et imitatio operationis Dei incarnantis et resuscitantis Filium suum.

22. Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipsius voluntatis consensu demonstratur illico nobis in incarnatione, veluti fonte atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiae et gratiae, quae omnes ita gratuitae atque ita dependentes a Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio.

23. Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suae gratiae, eam significans per illam, quae creaturas e nihilo producit, et mortuis reddit vitam.

24. Iusta idea, quam centurio habet de omnipotentia Dei et Iesu Christi in sanandis corporibus solo motu suae voluntatis, est imago ideae, quae haberi debet de omnipotentia suae gratiae in sanandis animabus a cupiditate.

25. Deus illuminat animam et eam sanat, aeque ac corpus, sola sua voluntate: iubet, et ipsi obtemperatur.

26. Nullae dantur gratiae, nisi per Fidem.

27. Fides est prima gratia, et fons omnium aliarum.

28. Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.

29. Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.

30. Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infalliblliter.

31. Desideria Christi semper habent suum effectum: pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

32. Iesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo Sanguine primogenitos, idest electos, de manu angeli exterminatoris.

33. Proh! quantum oportet bonis terrenis et sibimetipsi renuntiasse, ad hoc ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Iesum, eius amorem, mortem et mysteria! ut facit sanctus Paulus dicens: *Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.*

34. Gratia Adami non producebat nisi merita humana.

35. Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturae sanae et integrae.

36. Differentia essentialis inter gratiam Adami et status innocentiae ac gratiam christianam est, quod primam unusquisque in propria persona recepisset, ista vero non recipitur nisi in persona Iesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.

37. Gratia Adami, sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata: gratia christiana, nos sanctificando in Iesu Christo, est omnipotens et digna Filio Dei.

38. Peccator non est liber nisi ad malum, sine gratia Liberatoris.

39. Voluntas, quam gratia non praevenit, nihil habet luminis nisi

ad aberrandum, ardoris nisi ad se praecipitandum, virium nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, et incapax ad omne bonum.

40. Sine gratia, nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem.

41. Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in philosophis ethnicis, non potest venire nisi a Deo: et sine gratia non producit nisi praesumptionem, vanitatem, et oppositionem ad ipsum Deum loco affectuum adorationis, gratitudinis, et amoris.

42. Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium Fidei: sine hoc, nihil nisi impuritas, nihil nisi indignitas.

43. Primus effectus gratiae baptismalis est facere ut moriamur peccato, adeo ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitae pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi.

44. Non sunt nisi duo amores, unde volitiones et actiones omnes nostrae nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, et amor quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, et propter hoc ipsum fit malus.

45. Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones eius corrumpat.

46. Cupiditas aut charitas usum sensuum bonum vel malum faciunt.

47. Obedientia legis profluere debet ex fonte, et hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, et Dei gloria eius finis; tunc purum est quando apparet exterius: alioquin non est nisi hypocrisis aut falsa iustitia.

48. Quid aliud esse possumus, nisi tenebrae, nisi aberratio, et nisi peccatum, sine Fidei lumine, sine Christo, et sine charitate?

49. Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei.

50. Frustra clamamus ad Deum *Pater mi,* si spiritus charitatis non est ille qui clamat.

51. Fides iustificat quando operatur, sed ipsa non operatur nisi per charitatem.

52. Omnia alia salutis media continentur in Fide, tanquam in suo germine et semine: sed haec Fides non est absque amore et fiducia.

53. Sola charitas christiano modo facit (actiones christianas) per relationem ad Deum et Iesum Christum.

54. Sola charitas est, quae Deo loquitur, eam solam Deus audit.

55. Deus non coronat nisi charitatem: qui currit ex alio impulsu et ex alio motivo, in vanum currit.

56. Deus non remunerat nisi charitatem: quoniam charitas sola Deum honorat.

57. Totum deest peccatori, quando ei deest spes: et non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.

58. Nec Deus est nec religio, ubi non est charitas.

59. Oratio impiorum est novum peccatum: et quod Deus illis concedit, est novum in eos iudicium.

60. Si solus supplicii timor animat poenitentiam, quo haec est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem.

61. Timor nonnisi manum cohibet: cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore iustitiae non ducitur.

62. Qui a malo non abstinet nisi timore poenae, illud committit in corde suo, et iam est reus coram Deo.

63. Baptizatus adhuc est sub lege sicut iudaeus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.

64. Sub maledicto legis nunquam fit bonum: quia peccatur sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando.

65. Moyses, prophetae, sacerdotes, et doctores legis mortui sunt absque eo quod ullum Deo dederint filium, cum non effecerint nisi mancipia per timorem.

66. Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem aut per timorem sicuti bestiae, sed per Fidem et per amorem sicuti Filii.

67. Timor servilis non sibi repraesentat Deum nisi ut Dominum durum, imperiosum, iniustum, intractabilem.

68. Dei bonitas abbreviavit viam salutis, claudendo totum in Fide et precibus.

69. Fides, usus, augmentum, et praemium Fidei, totum est donum purae liberalitatis Dei.

70. Nunquam Deus affligit innocentes: et afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.

71. Homo ob sui conservationem potest se se dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter eius utilitatem.

72. Nota Ecclesiae christianae est, quod sit catholica, comprehendens et omnes angelos coeli, et omnes electos et iustos terrae, et omnium saeculorum.

73. Quid est Ecclesia, nisi coetus filiorum Dei, manentium in eius sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in eius persona, redemptorum eius sanguine, viventium eius spiritu, agentium per eius gratiam, et expectantium gratiam futuri saeculi?

74. Ecclesia, sive integer Christus, incarnatum Verbum habet ut caput, omnes vero sanctos ut membra.

75. Ecclesia est unus solus homo compositus ex pluribus membris, quorum Christus est caput, vita, subsistentia, et persona: unus solus Christus compositus ex pluribus sanctis, quorum est sanctificator.

76. Nihil spatiosius Ecclesia Dei: quia omnes electi et iusti omnium saeculorum illam componunt.

77. Qui non ducit vitam dignam Filio Dei et membro Christi, cessat interius habere Deum pro Patre et Christum pro capite.

78. Separatur quis a populo electo, cuius figura fuit populus iudaicus et caput est Iesus Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.

79. Utile et necessarium est omni tempore, omni loco, et omni personarum generi studere et cognoscere spiritum, pietatem, et mysteria sacrae Scripturae.

80. Lectio sacrae Scripturae est pro omnibus.

81. Obscuritas sancti verbi Dei non est laicis ratio dispensandi se ipsos ab eius lectione.

82. Dies dominicus a christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, et super omnia sanctarum Scripturarum. Damnosum est velle christianum ab hac lectione retrahere.

83. Est illusio sibi persuadere, quod notitia mysteriorum Religionis non debeat communicari feminis lectione sacrorum librorum. Non ex feminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est Scripturarum abusus, et natae sunt haereses.

84. Abripere e christianorum manibus novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere auferendo eis modum istud intelligendi, est illis Christi os obturare.

85. Interdicere christianis lectionem sacrae Scripturae, praesertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, et facere ut patiantur speciem quamdam excommunicationis.

86. Eripere simplici populo hoc solatium, iungendi vocem suam voci totius Ecclesiae, est usus contrarius praxi apostolicae et intentioni Dei.

87. Modus plenus sapientia, lumine, et charitate est dare animabus tempus portandi cum humilitate et sentiendi statum peccati, petendi spiritum poenitentiae et contritionis, et incipiendi ad minus satisfacere iustitiae Dei, antequam reconcilientur.

88. Ignoramus quid sit peccatum et vera poenitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum quibus nos peccatum spoliavit, et detrectamus separationis istius ferre confusionem.

89. Quartusdecimus gradus conversionis peccatoris est, quod cum sit iam reconciliatus, habet ius assistendi Sacrificio Ecclesiae.

90. Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos pastores, de consensu saltem praesumpto totius corporis.

91. Excommunicationis iniustae metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro: nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Iesu Christo, atque ipsi Ecclesiae per charitatem affixi sumus.

92. Pati potius in pace excommunicationem et anathema iniustum, quam prodere veritatem, est imitari sanctum Paulum: tantum abest, ut sit erigere se contra auctoritatem, aut scindere unitatem.

93. Iesus quandoque sanat vulnera, quae praeceps primorum pasto-

rum festinatio infligit sine ipsius mandato. Iesus restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.

94. Nihil peiorem de Ecclesia opinionem ingerit eius inimicis, quam videre illic dominatum exerceri supra Fidem fidelium, et foveri divisiones propter res quae nec Fidem laedunt nec mores.

95. Veritates eo devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque christianis, et modus eas praedicandi est veluti idioma incognitum: adeo remotus est a simplicitate apostolorum, et supra communem captum fidelium: neque satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maxime sensibilibus senectutis Ecclesiae, et irae Dei in filios suos.

96. Deus permittit, ut omnes potestates sint contrariae praedicatoribus veritatis, ut eius victoria attribui non possit nisi divinae gratiae.

97. Nimis saepe contingit, membra illa quae magis sancte ac magis stricte unita Ecclesiae sunt, respici atque tractari tanquam indigna ut sint in Ecclesia, vel tanquam ab ea separata: sed iustus vivit ex Fide, et non ex opinione hominum.

98. Status persecutionis et poenarum, quas quis tolerat tanquam haereticus, flagitiosus, et impius, ultima plerumque probatio est et maxime meritoria, utpote quae facit hominem magis conformem Iesu Christo.

99. Pervicacia, praeventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut cognoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in sua Ecclesia posuit ut in ea esset odor vitae, verbi gratia bonos libros, instructiones, sancta exempla, etc.

100. Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus persequendo veritatem eiusque discipulos! Tempus hoc advenit... Haberi et tractari a Religionis ministris tanquam impium et indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum capax corrumpendi omnia in societate sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate et zelo quodam Religionis, persequendo flamma ferroque viros probos, si propria passione est excaecatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo impium, et sacrificamus diabolo Dei servum.

101. Nihil spiritui Dei et doctrinae Iesu Christi magis opponitur, quam communia facere iuramenta in Ecclesia: quia hoc est multiplicare occasiones peierandi, laqueos tendere infirmis et idiotis, et efficere ut nomen et veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum.

Declaratae et damnatae tanquam falsae, captiosae, male sonantes, piarum aurium offensivae, scandalosae, perniciosae, temerariae, Ecclesiae et eius praxi iniuriosae, neque in Ecclesiam solum sed etiam in potestates saeculi contumeliosae, seditiosae, impiae, blasphemae, suspectae de haeresi, ac haeresim ipsam sapientes, nec non haereticis et haeresibus ac etiam schismati faventes, erroneae, haeresi proximae, pluries damnatae, ac demum haereticae, variasque haereses et potissimum illas, quae

in famosis Iansenii propositionibus, et quidem in eo sensu in quo hae damnatae fuerunt acceptis, continentur, manifeste innovantes respective.

NUM. XV.

Propositiones 5. *de duello, damnatae a Benedicto XIV, Constitutione* Detestabilem *etc.* 10 *Nov.* 1752.

1. Vir militaris, qui, nisi offerat vel acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abiectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio quo se suosque sustentat privaretur, vel promotionis alias sibi debitae ac promeritae spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret, sive offerat sive acceptet duellum.

2. Excusari possunt etiam, honoris tuendi vel humanae vilipensionis vitandae gratia, duellum acceptantes vel ad illud provocantes, quando certò sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

3. Non incurrit ecclesiasticas poenas ab Ecclesia contra duellantes latas dux vel officialis militiae, acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae et officii.

4. Licitum est, in statu hominis naturali, acceptare et offerre duellum, ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum iactura propulsari nequit.

5. Asserta licentia pro statu naturali, applicari etiam potest statui civitatis male ordinatae, in qua nimirum, vel negligentia vel malitia magistratus, iustitia aperte denegatur.

Damnatae ac prohibitae tanquam falsae, scandalosae, ac perniciosae.

NUM. XVI.

Propositiones 85. *Synodi dioecesanae Pistoriensis, damnatae a Pio VI, Constitutione* Auctorem Fidei *etc.* 28 *Augusti* 1794, *quae integra exhibetur.*

Sanctissimi Domini nostri Domini Pii divina Providentia Papae Sexti damnatio quamplurium propositionum excerptarum ex libro italico idiomate impresso sub titulo Atti e decreti del Concilio diocesano di Pistoia dell'anno 1786, in Pistoia per Atto Bracali stampatore vescovile con approvazione, *cum prohibitione eiusdem libri et aliorum quorumcumque in eius defensionem tam forsan editorum quam imposterum edendorum.*

Pius Episcopus Servus Servorum Dei
universis christifidelibus salutem et apostolicam benedictionem.

Auctorem fidei, et consummatorem Iesum aspicientes, nos iubet Apostolus (*a*) sedulo recogitare qualem quantamque ille sustinuit a pecca-

(*a*) *Ad Hebr. XI.*

toribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne laboribus et periculis defatigati deficiamus aliquando animis nostris, peneque concidamus. Hac saluberrima cogitatione muniri nos ac refici tum maxime necessarium est, cum adversus corpus ipsummet Christi, *quod est Ecclesia* (*a*), dirae istius nec unquam desiturae coniurationis aestus acrius exardescit: ut a Domino confortati, et in potentia virtutis eius, scuto Fidei protecti, resistere possimus in die malo, et omnia tela iniquissimi ignea extinguere (*b*). In hoc sane motu temporum, in hac rerum perturbatissima conversione, gravis est quidem bonis omnibus contra omnes cuiusque generis christiani nominis hostes colluctatio subeunda: gravior nobis, quibus, pro credita Pastorali nostrae sollicitudini Gregis totius cura et moderatione, *maior cunctis christianae Religionis zelus incumbit* (*c*). Verum in hac ipsa oneris gravitate, quae humeris nostris imposita est, *portandi onera omnium qui gravantur*, quo magis conscii nobis sumus infirmitatis nostrae, eo firmiorem in spem erigit nos et sublevat apostolici huiusce muneris in persona beati Petri divinitus instituta ratio, ut, qui semel tradita sibi a Christo Ecclesiae gubernacula nunquam derelicturus erat, ipse apostolicae gubernationis onera in illis portare non desineret, quos ei Deus protegendos perpetua successione ac tuendos heredes dedisset.

Et in hisce quidem aerumnis, quae undique circumstant, ad caeterarum molestiarum velut cumulum accessit, ut, unde oportuerat nos gaudere, maiorem inde tristitiam hauriremus. *Quippe cum aliquis sacrosanctae Ecclesiae Dei praepositus sub sacerdotis nomine ipsum Christi populum a tramite veritatis in praeceps deviae persuasionis avertit, et hoc in amplissima Urbe; tum plane est geminanda lamentatio, et maior sollicitudo adhibenda* (*d*).

Fuit sane non in ultimis terris, verum in media luce Italiae, sub oculis Urbis, et prope Apostolorum limina, fuit Episcopus duplicis Sedis honore insignis (Scipio de Ricciis, antea Episcopus Pistoriensis et Pratensis), quem ad nos pro Pastorali munere suscipiendo accedentem paterna charitate complexi sumus: qui vicissim nobis atque huic apostolicae Sedi in ipso sacrae suae ordinationis ritu debitam fidem et obedientiam solemnis iurisiurandi religione obstrinxit.

Atque is ipse, non longo intervallo posteaquam a complexu nostro cum osculo pacis dimissus ad commissas sibi plebes accessit, coacervatorum perversae sapientiae magistrorum fraudibus circumventus eo coepit intendere, ut, quam superiores Antistites ex ecclesiastica regula laudabilem et pacatam christianae institutionis formam iam pridem invexerant ac pene defixerant, non ille pro eo ac debebat tueretur, coleret,

(*a*) *Ad Coloss. I.*

(*b*) *Ad Ephes. VI.*

(*c*) *S. Siricius,* ad Himerium Tarraconensem epist. apud Coustant.

(*d*) *S. Coelestinus I,* epist. 12. apud Coust.

perficeret, sed contra per speciem fictae reformationis importunis inducendis novitatibus perturbaret, convelleret, funditus everteret.

Quin etiam, cum et hortatu nostro ad Synodum dioecesanam animum adiunxisset, praefracta eius in suo sensu pertinacia effectum est, ut, unde remedium aliquod vulnerum petendum erat, inde gravior pernicies enasceretur. Sane postquam Synodus haec Pistoriensis e latebris erupit, in quibus aliquamdiu abdita delituit, nemo fuit de summa Religione pie sapienterque sentiens, qui non continuo adverterit, hoc fuisse auctorum consilium, ut, quae antea per multiplices libellos pravarum doctrinarum semina sparserant, ea in unum velut corpus compingerent, proscriptos dudum errores exsuscitarent, apostolicis quibus proscripti sunt decretis fidem auctoritatemque derogarent.

Quae cum cerneremus, quo graviora sunt per se se, tanto impensius Pastoralis nostrae sollicitudinis opem efflagitare; mentem convertere non distulimus, ad ea capienda consilia, quae surgenti malo vel sanando vel comprimendo accommodatiora viderentur.

Atque in primis, sapientis moniti memores Praedecessoris nostri B. Zosimi (*a*) *ea quae magna sunt, magnum pondus examinis desiderare,* Synodum ab Episcopo editam primum quatuor Episcopis aliisque adiunctis e clero saeculari theologis examinandam commisimus: tum et plurium S. R. E. Cardinalium aliorumque Episcoporum Congregationem deputavimus, qui totam actorum seriem diligenter perpenderent, loca inter se dissita conferrent, excerptas sententias discuterent, quorum suffragia coram nobis voce et scripto edita excepimus; qui et Synodum universe reprobandam, et plurimas inde collectas propositiones, alias quidem per se se, alias attenta sententiarum connexione plus minusve acribus censuris perstringendas censuerunt. Quorum auditis perpensisque animadversionibus, illud quoque nobis curae fuit, ut selecta ex tota Synodo praecipua quaedam pravarum doctrinarum capita, ad quae potissimum fusae per Synodum reprobandae sententiae directe vel indirecte referuntur, in certum deinceps ordinem redigerentur, eisdemque sua cuique peculiaris censura subiiceretur.

Ne vero ex hac ipsa tametsi accuratissime peracta sive locorum collatione sive sententiarum disquisitione pervicaces homines obtrectandi occasionem arriperent; ut huic forte iam paratae calumniae obviam iretur, sapienti consilio uti statuimus, quod in emergentibus huiusmodi periculosis noxiisve novitatibus reprimendis plures nostri sancti Praedecessores, tum et gravissimi Antistites, ac generales etiam Synodi rite cauteque adhibitum, illustribus exemplis testatum commendatumque reliquissent.

Norant illi versutam novatorum fallendi artem, qui, catholicarum aurium offensionem veriti, captionum suarum laqueos persaepe student

(*a*) *S. Zosimus,* epist. 2. apud Coust.

subdolis verborum involucris obtegere, ut inter discrimina sensuum (*a*) latens error lenius influat in animos, fiatque ut, corrupta per brevissimam adiectionem aut commutationem veritate sententiae, confessio, quae salutem operabatur, subtili quodam transitu vergat in mortem. Atque haec quidem involuta fallax disserendi ratio, cum in omni orationis genere vitiosa est, tum in Synodo minime ferenda, cuius est haec laus praecipua, eam in docendo dilucidam consectari dicendi rationem, quae nullum offensionis periculum relinquat. Quo in genere proinde si quid peccatum sit, hac nequeat, quae afferri solet, subdola excusatione defendi, quod, quae alicubi durius dicta exciderint, ea locis aliis planius explicata aut etiam correcta reperiantur: quasi procax istaec affirmandi et negandi ac secum pro libito pugnandi licentia, quae fraudulenta semper fuit novatorum astutia ad circumventionem erroris, non potius ad prodendum quam ad excusandum errorem valeret: aut quasi rudibus praesertim, qui in hanc vel illam forte inciderint partem Synodi vulgari lingua omnibus expositae, praesto semper essent alia quae inspicienda forent dispersa loca, aut his etiam inspectis satis cuique facultatis suppeteret ad ea sic per se se componenda, ut, quemadmodum perperam isti effutiunt, erroris omne periculum effugere valerent. Exitiosissimum profecto insinuandi erroris artificium, quod in Constantinopolitani Antistitis Nestorii litteris iam olim sapienter detectum gravissima reprehensione Praedecessor noster Coelestinus (*b*) coarguit: quibus nempe in litteris vestigatus veterator ille, deprehensus, et tentus, suo se multiloquio labefaciens, dum vera involvens obscuris, rursus, utraque confundens, vel confiteretur negata, vel niteretur negare confessa. Ad quas depellendas insidias, nimium saepe omni aetate renovatas, non alia potior via inita est, quam ut, iis exponendis sententiis quae sub latibulo ambiguitatis periculosam suspiciosamque involvunt discrepantiam sensuum, perversa significatio notaretur, cui subesset error quem catholica sententia reprobaret.

Quam et nos moderationis plenam rationem eo libentius amplexi sumus, quo magis ad reconciliandos animos et ad unitatem spiritus in vinculo pacis adducendos (quod favente Deo in pluribus gaudemus iam feliciter evenisse) magno fore adiumento prospeximus, providere primum ne pertinacibus (si qui supererunt, quod Deus avertat) Synodi sectatoribus integrum sit posthac ad novas turbas ciendas, iustae suae damnationis consortes veluti ac socias sibi adsciscere scholas catholicas, quas invitas plane ac repugnantes, per detortam quamdam affinium vocabulorum similitudinem, in expressa quam illae testantur sententiarum dissimilitudine, in partes suas pertrahere nituntur. Deinde, si quos imprudentes aliqua fefellit adhuc praeconcepta mitior opinio de Synodo, his

(*a*) *S. Leo Magnus*, epist. 129. edit. Ballerin.
(*b*) *S. Coelestinus I*, epist. 13. num. 2. apud Coust.

etiam omnis conquerendi locus praecludatur, qui, si recta sapiunt (ut videri volunt), aegre ferre nequeant doctrinas damnari sic denotatas, quae errores praeseferant a quibus ipsi profitentur se longissime abesse.

Necdum tamen satis ex animo lenitati nostrae factum putavimus, seu verius charitati quae urget nos erga Fratrem nostrum, *cui omni ope volumus, si adhuc possumus, subvenire* (a). Charitas nempe illa urget nos, qua inductus Praedecessor noster Coelestinus (b), etiam *contra fas*, seu maiori quam fas esse videretur patientia, sacerdotes corrigendos expectare non abnuebat. Magis enim cum Augustino Milevitanisque Patribus volumus et optamus homines prava docentes *Pastorali cura in Ecclesia sanari, quam desperata salute ex illa resecari, si necessitas nulla compellat* (c).

Quam ad rem, ne quod genus officii ad lucrandum Fratrem praetermissum videretur, praefatum Episcopum, antequam ad ulteriora progrederemur, amantissimis litteris ad eum iussu nostro datis ad nos acciendum duximus, polliciti fore ut benevolo animo a nobis exciperetur, nec vetaretur quin, quae in rem suam facere sibi viderentur, libere aperteque exprómeret. Nec vero spes nos omnis deseruerat fieri posse, ut, si quidem animum illum docibilem afferret, quem ex Apostoli sententia in Episcopo maxime Augustinus (d) requirebat, cum simpliciter et candide (omni remota concertatione et acerbitate) recognoscenda ei proponerentur praecipua doctrinarum capita quae visa essent maiori animadversione digna, tum facile se se ipse colligens non dubitaret, quae ambigue posita essent, in saniorem sensum exponere, quaeve manifestam pravitatem praeseferrent, aperte repudiare: atque ita, magna cum sui nominis existimatione, tum laetissima bonorum omnium gratulatione, pacatissima qua fieri posset ratione, orti in Ecclesia strepitus optatissima correctione comprimerentur (e).

Nunc vero cum ille oblato beneficio incommodae valetudinis nomine minus utendum sibi esse censuerit, differre iam non possumus quin Apostolico nostro muneri satisfaciamus. Non unius tantummodo alteriusve dioecesis periculum agitur. *Universalis Ecclesia quacumque novitate pulsatur* (f). Undique iam pridem non expectatur modo, verum assiduis repetitis precibus efflagitatur supremae apostolicae Sedis iudicium. Absit ut vox Petri in illa umquam Sede sua conticescat, in qua perpetuo vivens ille ac praesidens praestat quaerentibus Fidei veritatem (g). Tuta non est in talibus longior conniventia· quia tantumdem pene criminis

(a) *S. Coelestinus I,* epist. 14. ad populum CP. num. 8., apud Coust.
(b) Epist. 13. ad Nestor. num. 9.
(c) Epist. 176. num. 4., 178. num. 2. edit. Maurin.
(d) Lib. 4. Bapt. contra Donat. c. 5., et lib. 5. c. 26.
(e) *S. Coelestinus I,* epist. 16. num. 2. apud Coust.
(f) *S. Coelestinus I,* epist. 21. ad Episcopos Galliarum.
(g) *Chrysologus,* epist. ad Eutychem.

est connivere in talibus, quanti est tam irreligiosa praedicare (*a*). Abscindendum igitur tale vulnus, quo non unum membrum laeditur, sed totum corpus Ecclesiae sauciatur (*b*). Atque divina opitulante pietate providendum, ut, amputatis dissensionibus, Fides catholica inviolata servetur, et, his qui prava defendunt ab errore revocatis, nostra auctoritate quorum Fides probata fuerit, muniantur (*c*).

Implorato itaque cum assiduis nostris tum et piorum christifidelium privatis publicisque precibus Spiritus Sancti lumine, omnibus plene et mature consideratis, complures ex actis et decretis memoratae Synodi propositiones, doctrinas, sententias, sive expresse traditas, sive per ambiguitatem insinuatas, suis (ut praefatum est) cuique appositis notis et censuris, damnandas et reprobandas censuimus, prout hac nostra perpetuo valitura constitutione damnamus et reprobamus.

Sunt autem quae sequuntur:

DE OBSCURATIONE VERITATUM IN ECCLESIA

Ex decr. de grat. §. 1.

1. Propositio, quae asserit, *postremis hisce saeculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti, spectantes ad Religionem, et quae sunt basis Fidei et moralis doctrinae Iesu Christi;*

Haeretica.

DE POTESTATE COMMUNITATI ECCLESIAE ATTRIBUTA UT PER HANC PASTORIBUS COMMUNICETUR

Epist. convoc.

2. Propositio, quae statuit, *potestatem a Deo datam Ecclesiae, ut communicaretur Pastoribus, qui sunt eius ministri pro salute animarum;*

Sic intellecta, ut a communitate fidelium in Pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas:

Haeretica.

DE CAPITIS MINISTERIALIS DENOMINATIONE ROMANO PONTIFICI ATTRIBUTA

Decr. de Fide §. 2.

3. Insuper, quae statuit, *romanum Pontificem esse caput ministeriale;* Sic explicata, ut romanus Pontifex non a Christo in persona beati

(*a*) *S. Coelestinus I*, epist. 12. num. 2.
(*b*) Idem, epist. 11. Cyrillo num. 3.
(*c*) *S. Leo Magnus*, epist. 23. Flaviano CP. num. 2.

Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua, velut Petri Successor, verus Christi Vicarius, ac totius Ecclesiae Caput, pollet in universa Ecclesia;

Haeretica.

DE POTESTATE ECCLESIAE QUOAD CONSTITUENDAM ET SANCIENDAM EXTERIOREM DISCIPLINAM

Decr. de Fide §§. 13. 14.

4. Propositio affirmans, *abusum fore auctoritatis Ecclesiae, transferendo illam ultra limites doctrinae ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id quod pendet a persuasione et corde;* tum etiam, *multo minus ad eam pertinere exigere per vim exteriorem subiectionem suis decretis*;

Quatenus indeterminatis illis verbis *extendendo ad res exteriores* notet, velut abusum auctoritatis Ecclesiae, usum eius potestatis acceptae a Deo, qua usi sunt et ipsimet apostoli, in disciplina exteriore constituenda et sancienda:

Haeretica.

5. Qua parte insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem subiectionis suis decretis exigendae aliter quam per media, quae pendent a persuasione;

Quatenus intendat, Ecclesiam *non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam iubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore iudicio ac salubribus poenis coercendi atque cogendi:*

Ex Bened. XIV. in brevi *Ad assiduas* anni 1755. Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis Regni Polon.

Inducens in systema alias damnatum ut haereticum.

IURA EPISCOPIS PRAETER FAS ATTRIBUTA

Decr. de ord. §. 25.

6. Doctrina Synodi, qua profitetur, *persuasum sibi esse, Episcopum accepisse a Christo omnia iura necessaria pro bono regimine suae dioecesis;*

Perinde ac si ad bonum regimen cuiusque dioecesis necessariae non sint superiores ordinationes spectantes sive ad Fidem et mores, sive ad generalem disciplinam, quarum ius est penes summos Pontifices et Concilia generalia pro universa Ecclesia;

Schismatica, ad minus erronea.

7. Item, in eo quod hortatur Episcopum *ad prosequendam naviter perfectiorem ecclesiasticae disciplinae constitutionem;* idque, *contra omnes contrarias consuetudines, exemptiones, reservationes, quae ad-*

versantur bono ordini dioecesis, maiori gloriae Dei, et maiori aedificationi fidelium;

Per id quod supponit, Episcopo fas esse proprio suo iudicio et arbitratu statuere et decernere contra consuetudines, exemptiones, reservationes, sive quae in universa Ecclesia, sive etiam in unaquaque provincia locum habent, sine venia et interventu superioris hierarchicae potestatis, a qua inductae sunt aut probatae, et vim legis obtinent;

Inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.

8. Item quod et sibi persuasum esse ait, *iura Episcopi a Iesu Christo accepta pro gubernanda Ecclesia nec alterari nec impediri posse, et, ubi contigerit horum iurium exercitium quavis de causa fuisse interruptum, posse semper Episcopum ac debere in originaria sua iura regredi, quotiescumque id exigit maius bonum suae Ecclesiae;*

In eo quod innuit, iurium episcopalium exercitium nulla superiori potestate praepediri aut coerceri posse, quandocumque Episcopus proprio iudicio censuerit minus id expedire maiori bono suae Ecclesiae;

Inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.

IUS PERPERAM TRIBUTUM INFERIORIS ORDINIS SACERDOTIBUS IN DECRETIS FIDEI ET DISCIPLINAE

Epist. convoc.

9. Doctrina, quae statuit, *reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam in Synodis dioecesanis ab Episcopo et parochis aequaliter pendere ac stabiliri debere, ac sine libertate decisionis indebitam fore subiectionem suggestionibus et iussionibus Episcoporum;*

Falsa, temeraria, Episcopalis auctoritatis laesiva, regiminis hierarchici subversiva, favens haeresi ærianae a Calvino innovatae.

Ex epist. convoc., ex epist. ad Vicar. for., ex orat. ad Synod. §. 8., *ex sess.* 3.

10. Item doctrina, qua parochi aliive sacerdotes in Synodo congregati pronuntiantur una cum Episcopo iudices Fidei, et simul innuitur iudicium in causis Fidei ipsis competere iure proprio, et quidem etiam per ordinationem accepto;

Falsa, temeraria, ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati definitionum iudiciorumve dogmaticorum Ecclesiae, ad minus erronea.

Orat. Synod. §. 8.

11. Sententia enuntians, veteri maiorum instituto, ab apostolicis usque temporibus ducto, per meliora Ecclesiae saecula servato, receptum fuisse, *ut decreta, aut definitiones, aut sententiae etiam maiorum sedium non acceptarentur, nisi recognitae fuissent et approbatae a Synodo dioecesana;*

Falsa, temeraria, derogans pro sua generalitate obedientiae debitae

constitutionibus apostolicis tum et sententiis ab hierarchica superiore legitima potestate manantibus, schisma fovens et haeresim.

CALUMNIAE ADVERSUS ALIQUAS DECISIONES IN MATERIA FIDEI AB ALIQUOT SAECULIS EMANATAS

De Fide §. 12.

12. Assertiones Synodi complexive acceptae circa decisiones in materia Fidei ab aliquot saeculis emanatas, quas perhibet velut decreta ab una particulari ecclesia vel paucis pastoribus profecta, nulla sufficienti auctoritate suffulta, nata corrumpendae puritati Fidei ac turbis excitandis, intrusa per vim, e quibus inflicta sunt vulnera nimium adhuc recentia;

Falsae, captiosae, temerariae, scandalosae, in romanos Pontifices et Ecclesiam iniuriosae, debitae apostolicis constitutionibus obedientiae derogantes, schismaticae, perniciosae, ad minus erroneae.

DE PACE DICTA CLEMENTIS IX.

Orat. Synod. §. 2. *in nota.*

13. Propositio relata inter acta Synodi, quae innuit Clementem IX. pacem Ecclesiae reddidisse per approbationem distinctionis iuris et facti in subscriptione formularii ab Alexandro VII. praescripti;

Falsa, temeraria, Clementi IX. iniuriosa.

14. Quatenus vero ei distinctioni suffragatur, eiusdem fautores laudibus extollendo, et eorum adversarios vituperando;

Temeraria, perniciosa, summis Pontificibus iniuriosa, schisma fovens et haeresim.

DE COAGMENTATIONE CORPORIS ECCLESIAE

Append. n. 28.

15. Doctrina, quae proponit Ecclesiam *considerandam velut unum corpus mysticum coagmentatum ex Christo Capite et fidelibus, qui sunt eius membra per unionem ineffabilem, qua mirabiliter evadimus cum ipso unus solus sacerdos, una sola victima, unus solus adorator perfectus Dei Patris in spiritu et veritate;*

Intellecta hoc sensu, ut ad corpus Ecclesiae non pertineant nisi fideles qui sunt perfecti adoratores in spiritu et veritate:

Haeretica.

DE STATU INNOCENTIAE

De grat. §§. 4. 7., *de Sacram. in gen.* §. 1., *de Poenit.* §. 4.

16. Doctrina Synodi de statu felici innocentiae, qualem eum reprae-

sentat in Adamo ante peccatum, complectente non modo integritatem, sed et iustitiam interiorem cum impulsu in Deum per amorem charitatis, atque primaevam sanctitatem aliqua ratione post lapsum restitutam:

Quatenus complexive accepta innuit, statum illum sequelam fuisse creationis, debitum ex naturali exigentia et conditione humanae naturae, non gratuitum Dei beneficium;

Falsa, alias damnata in Baio et Quesnellio, erronea, favens haeresi pelagianae.

DE IMMORTALITATE SPECTATA UT NATURALI CONDITIONE HOMINIS

De Bapt. §. 2.

17. Propositio his verbis enuntiata: *edocti ab Apostolo, spectamus mortem non iam ut naturalem conditionem hominis, sed revera ut iustam poenam culpae originalis:*

Quatenus sub nomine Apostoli subdole allegato insinuat, mortem, quae in praesenti statu inflicta est velut iusta poena peccati per iustam subtractionem immortalitatis, non fuisse naturalem conditionem hominis, quasi immortalitas non fuisset gratuitum beneficium, sed naturalis conditio;

Captiosa, temeraria, Apostolo iniuriosa, alias damnata.

DE CONDITIONE HOMINIS IN STATU NATURAE

De grat. §. 10

18. Doctrina Synodi enuntians, *post lapsum Adami Deum annuntiasse promissionem futuri liberatoris, et voluisse consolari genus humanum per spem salutis, quam Iesus Christus allaturus erat;* tamen *Deum voluisse ut genus humanum transiret per varios status, antequam veniret plenitudo temporum;* ac primum ut in statu naturae *homo relictus propriis luminibus disceret de sua caeca ratione diffidere, et ex suis aberrationibus moveret se ad desiderandum auxilium superioris luminis:*

Doctrina, ut iacet, captiosa: atque intellecta de desiderio adiutorii superioris luminis in ordine ad salutem promissam per Christum, ad quod concipiendum homo relictus suis propriis luminibus supponatur se se potuisse movere;

Suspecta, favens haeresi semipelagianae.

DE CONDITIONE HOMINIS SUB LEGE

Ibid.

19. Item, quae subiungit, hominem sub lege, *cum esset impotens ad eam observandam, praevaricatorem evasisse, non quidem culpa legis, quae sanctissima erat, sed culpa hominis, qui sub lege sine gra-*

tia magis magisque praevaricator evasit; superadditque, *legem, si non sanavit cor hominis, effecisse ut sua mala cognosceret, et de sua infirmitate convictus desideraret gratiam Mediatoris;*

Qua parte generaliter innuit, hominem praevaricatorem evasisse per inobservantiam legis, quam impotens esset observare; quasi *impossibile aliquid potuerit imperare qui iustus est, aut damnaturus sit hominem pro eo quod non potuit vitare, qui pius est;*

Ex S. Caesario serm. 73. in append. S. Aug. serm. 273. edit. maurin.

Ex S. August. de nat. et grat. cap. 43.—De grat. et lib. arb. cap.16. — Enarr. in psal. 56. num. 1.

Falsa, scandalosa, impia, in Baio damnata.

20. Qua parte datur intelligi, hominem sub lege sine gratia potuisse concipere desiderium gratiae Mediatoris ordinatum ad salutem promissam per Christum; quasi *non ipsa gratia faciat ut invocetur a nobis;*

Ex Concil. Araus. II. can. 3.

Propositio, ut iacet, captiosa, suspecta, favens haeresi semipelagianae.

DE GRATIA ILLUMINANTE ET EXCITANTE

De grat. §. 11.

21. Propositio, quae asserit, *lumen gratiae, quando sit solum, non praestare nisi ut cognoscamus infelicitatem nostri status et gravitatem nostri mali; gratiam in tali casu producere eundem effectum, quem lex producebat, ideo necesse esse, ut Deus creet in corde nostro sanctum amorem, et inspiret sanctam delectationem contrariam amori in nobis dominanti; hunc amorem sanctum, hanc sanctam delectationem esse proprie gratiam Iesu Christi, inspirationem charitatis, qua cognita sancto amore faciamus; hanc esse illam radicem, e qua germinant bona opera; hanc esse gratiam novi Testamenti, quae nos liberat a servitute peccati, et constituit filios Dei:*

Quatenus intendat, eam solam esse proprie gratiam Iesu Christi, quae creet in corde sanctum amorem, et quae facit ut faciamus, sive etiam qua homo liberatus a servitute peccati constituitur filius Dei: et non sit etiam proprie gratia Christi ea gratia, qua cor hominis tangitur per illuminationem Spiritus Sancti (Trid. sess. 6. cap. 5.); nec vera detur interior gratia Christi, cui resistitur;

Falsa, captiosa, inducens in errorem in secunda propositione Iansenii damnatum ut haereticum, eumque renovans.

DE FIDE VELUT PRIMA GRATIA

De Fide §. 1.

22. Propositio, quae innuit, Fidem *a qua incipit series gratiarum, et per quam velut primam vocem vocamur ad salutem et Ecclesiam,*

esse ipsammet excellentem virtutem Fidei, qua homines fideles nominantur et sunt;

Perinde ac prior non esset gratia illa, quae, *ut praevenit voluntatem, sic praevenit et Fidem;*

Ex S. August. de dono persev. cap. 16. num. 41., suspecta de haeresi, eamque sapiens, alias in Quesnellio damnata, erronea.

DE DUPLICI AMORE

De grat. §. 8.

23. Doctrina Synodi de duplici amore (dominantis cupiditatis, et charitatis dominantis) enuntians, hominem sine gratia esse sub servitute peccati, ipsumque in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones inficere et corrumpere;

Quatenus insinuat, in homine, dum est sub servitute sive in statu peccati, destitutus gratia illa, qua liberatur a servitute peccati et constituitur filius Dei, sic dominari cupiditatem, ut per generalem huius influxum omnes illius actiones in se inficiantur et corrumpantur; aut opera omnia, quae ante iustificationem fiunt, quacumque ratione fiant, sint peccata;

Quasi in omnibus suis actibus peccator serviat dominanti cupiditati;

Falsa, perniciosa, inducens in errorem a Tridentino damnatum ut haereticum, iterum in Baio damnatum art. 40. §. 12.

24. Qua vero parte inter dominantem cupiditatem et charitatem dominantem nulli ponuntur affectus medii a natura ipsa insiti suapteque natura laudabiles, qui una cum amore beatitudinis naturalique propensione ad bonum *remanserunt velut extrema lineamenta et reliquiae imaginis:*

Ex S. August. de Spir. et litt. cap. 28.

Perinde ac si *inter dilectionem divinam, quae nos perducit ad regnum, et dilectionem humanam illicitam, quae damnatur,* non daretur *dilectio humana licita, quae non reprehenditur;*

Ex S. August. serm. 349. de charit., edit. maurin.; falsa, alias damnata.

DE TIMORE SERVILI

De Poenit. §. 3.

25. Doctrina, quae timorem poenarum generatim perhibet *dumtaxat non posse dici malum, si saltem pertingit ad cohibendam manum;*

Quasi timor ipse gehennae, quam Fides docet peccato infligendam, non sit in se bonus et utilis, velut donum supernaturale ac motus a Deo inspiratus praeparans ad amorem iustitiae:

Falsa, temeraria, perniciosa, divinis donis iniuriosa, alias damnata, contraria doctrinae Concilii Tridentini, tum et communi Patrum sententiae, *opus esse,* iuxta consuetum ordinem praeparationis ad

iustitiam, *ut intret timor primo, per quem veniat charitas: timor medicamentum, charitas sanitas.*

Ex S. August. in epist. Io. cap. 4. tract. 9. num. 4. 5.—In Io. evang. tract. 41. num. 10.—Enarr. in psal. 127. num. 7.—Serm. 157. de verbis Apostoli num. 13.—Serm. 161. de verbis Apostoli num. 8.—Serm. 349. de Charitate num. 7.

DE POENA DECEDENTIUM CUM SOLO ORIGINALI

De Bapt. §. 3.

26. Doctrina, quae velut fabulam pelagianam explodit locum illum inferorum (quem limbi puerorum nomine fideles passim designant), in quo animae decedentium cum sola originali culpa poena damni citra poenam ignis puniantur;

Perinde ac si hoc ipso quod, qui poenam ignis removent, inducerent locum illum et statum medium expertem culpae et poenae inter regnum Dei et damnationem aeternam, qualem fabulabantur pelagiani;

Falsa, temeraria, in scholas catholicas iniuriosa.

DE SACRAMENTIS, AC PRIMUM DE FORMA SACRAMENTALI CUM ADIUNCTA CONDITIONE

De Bapt. §. 12.

27. Deliberatio Synodi, qua, praetextu adhaesionis ad antiquos canones, in casu dubii Baptismatis, propositum suum declarat de omittenda formae conditionalis mentione;

Temeraria, praxi, legi, auctoritati Ecclesiae contraria.

DE PARTICIPATIONE VICTIMAE IN SACRIFICIO MISSAE

De Euch. §. 6.

28. Propositio Synodi, qua, postquam statuit *Victimae participationem esse partem Sacrificio essentialem;* subiungit, *non tamen se damnare ut illicitas Missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant, ideo quia isti participant, licet minus perfecte, de ipsa Victima, spiritu illam recipiendo;*

Quatenus insinuat, ad Sacrificii essentiam deesse aliquid in eo Sacrificio quod peragatur sive nullo adstante sive adstantibus qui nec sacramentaliter nec spiritualiter de Victima participant; et quasi damnandae essent ut illicitae Missae illae in quibus, solo sacerdote communicante, nemo adsit qui sive sacramentaliter sive spiritualiter communicet;

Falsa, erronea, de haeresi suspecta, eamque sapiens.

DE RITUS CONSECRATIONIS EFFICACIA

De Euch. §. 2.

29. Doctrina Synodi, qua parte tradere instituens Fidei doctrinam de ritu consecrationis, remotis quaestionibus scholasticis circa modum quo Christus est in Eucharistia, a quibus parochos docendi munere fungentes abstinere hortatur, duobus his tantum propositis, 1. Christum post consecrationem vere, realiter, substantialiter esse sub speciebus, 2. tunc omnem panis et vini substantiam cessare, solis remanentibus speciebus, prorsus omittit ullam mentionem facere Transubstantiationis seu conversionis totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam velut articulum Fidei Tridentinum Concilium definivit, et quae in solemni Fidei professione continetur;

Quatenus per inconsultam istiusmodi suspiciosamque omissionem notitia subtrahitur tum articuli ad Fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratae ad illius tuendam professionem adversus haereses, tenditque adeo ad eius oblivionem inducendam, quasi ageretur de quaestione mere scholastica;

Perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicae circa dogma Transubstantiationis, favens haereticis.

DE APPLICATIONE FRUCTUS SACRIFICII

De Euch. §. 8.

30. Doctrina Synodi, qua, dum profitetur *credere Sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen ut in liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsi,* dein continuo subiicit: *Non tamen quod credamus in arbitrio esse sacerdotis applicare fructus Sacrificii cui vult, imo damnamus hunc errorem velut magnopere offendentem iura Dei, qui solus distribuit fructus Sacrificii cui vult, et secundum mensuram quae ipsi placet;* unde et consequenter traducit velut *falsam opinionem invectam in populum, quod illi, qui eleemosynam subministrant sacerdoti sub conditione quod celebret unam Missam, specialem fructum ex ea percipiant;*

Sic intellecta, ut, praeter peculiarem commemorationem et orationem, specialis ipsa oblatio seu applicatio Sacrificii, quae fit a sacerdote, non magis prosit (caeteris paribus) illis pro quibus applicatur, quam aliis quibusque; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis aut personarum ordinibus faciendam commendat ac praecipit Ecclesia, speciatim a pastoribus pro suis ovibus, quod velut ex divino praecepto descendens a sacra Tridentina Synodo diserte est expressum;

Sess. 23. cap. 1. de reform. — Bened. XIV. constit. *Cum semper oblatas* §. 2.

Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo.

DE CONVENIENTI ORDINE IN CULTU SERVANDO

De Euch. §. 5.

31. Propositio Synodi enuntians conveniens esse, pro divinorum officiorum ordine et antiqua consuetudine, ut in unoquoque templo unum tantum sit altare, sibique adeo placere morem illum restituere:

Temeraria, perantiquo pio multis abhinc saeculis in Ecclesia praesertim latina vigenti et probato mori iniuriosa.

Ibid.

32. Item, praescriptio vetans, ne super altaria sacrarum reliquiarum thecae floresve apponantur;

Temeraria, pio ac probato Ecclesiae mori iniuriosa.

Ibid. §. 6.

33. Propositio Synodi, qua cupere se ostendit, ut causae tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum ád liturgiae ordinem spectantium, *revocando illam ad maiorem rituum simplicitatem, eam vulgari lingua exponendo, et elata voce proferendo:*

Quasi vigens órdo liturgiae ab Ecclesia receptus et probatus aliqua ex parte manasset ex oblivione principiorum quibus illa regi debet;

Temeraria, piarum aurium offensiva, in Ecclesiam contumeliosa, favens haereticorum in eam conviciis.

DE ORDINE POENITENTIAE

De Poenit. §. 7.

34. Declaratio Synodi, qua, postquam praemisit ordinem Poenitentiae canonicae sic ad Apostolorum exemplum ab Ecclesia statutum fuisse, ut esset communis omnibus, nec tantum pro punitione culpae sed praecipue pro dispositiõne ad gratiam, subdit, se *in ordine illo mirabili et augusto totam agnoscere dignitatem Sacramenti adeo necessarii, liberam a subtilitatibus quae ipsi decursu temporis adiunctae sunt;*

Quasi per ordinem, quo, sine peracto canonicae Poenitentiae cursu, hoc Sacramentum per totam Ecclesiam administrari consuevit, illius fuisset dignitas imminuta;

Temeraria, scandalosa, inducens in contemptum dignitatis Sacramenti prout per Ecclesiam totam consuevit administrari, Ecclesiae ipsi iniuriósa.

De Poenit. §. 10. *n.* 4.

35. Propositio his verbis concepta: *Si charitas in principio semper*

debilis est, de via ordinaria ad obtinendum augmentum huius charitatis oportet ut Sacerdos praecedere faciat eos actus humiliationis et poenitentiae, qui fuerunt omni aetate ab Ecclesia commendati; redigere hos actus ad paucas orationes aut ad aliquod ieiunium post iam collatam absolutionem, videtur potius materiale desiderium conservandi huic sacramento nudum nomen Poenitentiae, quam medium illuminatum et aptum ad augendum illum fervorem charitatis, qui debet praecedere absolutionem: longe quidem absumus ab improbanda praxi imponendi poenitentias etiam post absolutionem adimplendas: si omnia nostra bona opera semper adiunctos habent nostros defectus, quanto magis vereri debemus ne plurimas imperfectiones admiserimus in difficillimo et magni momenti opere nostrae reconciliationis;

Quatenus innuit, poenitentias, quae imponuntur adimplendae post absolutionem, spectandas potius ésse velut supplementum pro defectibus admissis in opere nostrae reconciliationis, quam ut poenitentias vere sacramentales et satisfactorias pro peccatis confessis; quasi, ut vera ratio Sacramenti, non nudum nomen servetur, oporteat de via ordinaria ut actus humiliationis et poenitentiae, qui imponuntur per modum satisfactionis sacramentalis, praecedere debeant absolutionem:

Falsa, temeraria, communi praxi Ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum.

DE PRAEVIA NECESSARIA DISPOSITIONE PRO ADMITTENDIS POENITENTIBUS AD RECONCILIATIONEM

De grat. §. 15.

36. Doctrina Synodi, qua, postquam praemisit, *quando habebuntur signa non aequivoca amoris Dei dominantis in corde hominis, posse illum merito iudicari dignum qui admittatur ad participationem sanguinis Iesu Christi, quae fit in Sacramentis,* subdit, *supposititias conversiones, quae fiunt per attritionem, nec efficaces esse solere nec durabiles;* consequenter *pastorem animarum debere insistere signis non aequivocis charitatis dominantis antequam admittat suos poenitentes ad Sacramenta;* quae signa, ut deinde tradit (§. 17.), *pastor deducere poterit ex stabili cessatione a peccato, et fervore in operibus bonis;* quem insuper *fervorem charitatis* perhibet (*de Poenit.* §. 10.) velut dispositionem quae *debet praecedere absolutionem;*

Sic intellecta, ut non solum contritio imperfecta, quae passim attritionis nomine donatur, etiam quae iuncta sit cum dilectione qua homo incipit diligere Deum tanquam omnis iustitiae fontem, nec modo contritio charitate formata, sed et fervor charitatis dominantis, et ille quidem diuturno experimento per fervorem in operibus bonis probatus, generaliter et absolute requiratur ut homo ad Sacramenta et speciatim poenitentes ad absolutionis beneficium admittantur;

Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, tutae ac probatae in Ecclesia praxi contraria, Sacramenti efficaciae detrahens et iniuriosa.

DE AUCTORITATE ABSOLVENDI

De Poenit. §. 10. *n.* 6.

37. Doctrina Synodi, quae de auctoritate absolvendi accepta per Ordinationem enuntiat, *post institutionem dioecesium et parochiarum conveniens esse, ut quisque iudicium hoc exerceat super personas sibi subditas sive ratione territorii sive iure quodam personali,* propterea quod *aliter confusio induceretur et perturbatio:*

Quatenus post institutas dioeceses et parochias enuntiat tantummodo *conveniens esse, ad praecavendam confusionem, ut absolvendi potestas exerceatur super subditos;* sic intellecta tanquam ad validum usum huius potestatis non sit necessaria ordinaria vel subdelegata illa iurisdictio, sine qua Tridentinum declarat nullius momenti esse absolutionem a sacerdote prolatam;

Falsa, temeraria, perniciosa, Tridentino contraria et iniuriosa, erronea.

Ibid. §. 11.

38. Item doctrina, qua, postquam Synodus professa est *se non posse non admirari illam adeo venerabilem disciplinam antiquitatis, quae* (ut ait) *ad Poenitentiam non ita facile et forte nunquam eum admittebat, qui post primum peccatum et primam reconciliationem relapsus esset in culpam,* subiungit, *per timorem perpetuae exclusionis a communione et pace, etiam in articulo mortis, magnum fraenum illis iniectum iri, qui parum considerant malum peccati et minus illud timent;*

Contraria can. 13. Concilii Nicaeni I., decretali Innocentii I. ad Exuperium Tolos., tum et decretali Caelestini I. ad Episcopos Viennen. et Narbonen. provinciae, redolens pravitatem quam in ea decretali sanctus Pontifex exhorret.

DE PECCATORUM VENIALIUM CONFESSIONE

De Poenit. §. 12.

39. Declaratio Synodi in peccatorum venialium confessione, quam optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur huiusmodi confessiones;

Temeraria, perniciosa, sanctorum ac piorum praxi a sacro Concilio Tridentino probatae contraria.

DE INDULGENTIIS

De Poenit. §. 16.

40. Propositio asserens, *indulgentiam secundum suam praecisam*

notionem aliud non esse, quam remissionem partis eius poenitentiae quae per canones statuta erat peccanti;

Quasi indulgentia, praeter nudam remissionem poenae canonicae, non etiam valeat ad remissionem poenae temporalis pro peccatis actualibus debitae apud divinam iustitiam;

Falsa, temeraria, Christi meritis iniuriosa, dudum in art. 19. Lutheri damnata.

Ibid.

41. Item, in eo quod subditur, *scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et Sanctorum, et clarae notioni absolutionis a poena canonica substituisse confusam et falsam applicationis meritorum;*

Quasi thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sint merita Christi et Sanctorum;

Falsa, temeraria, Christi et Sanctorum meritis iniuriosa, dudum in articulo 17. Lutheri damnata.

Ibid.

42. Item, in eo quod superaddit, *luctuosius adhuc esse quod chimaerica istaec applicatio transferri volita sit in defunctos;*

Falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in romanos Pontifices et in praxim et sensum universalis Ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in art. 22. Lutheri.

Ibid.

43. In eo demum quod impudentissime invehitur in tabellas indulgentiarum, altaria privilegiata, etc.;

Temeraria, piarum aurium offensiva, scandalosa, in summos Pontifices atque in praxim tota Ecclesia frequentatam contumeliosa.

DE RESERVATIONE CASUUM

De Poenit. §. 19.

44. Propositio Synodi asserens, *reservationem casuum nunc temporis aliud non esse, quam improvidum ligamen pro inferioribus sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro poenitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem:*

Falsa, temeraria, male sonans, perniciosa, Concilio Tridentino contraria, superioris hierarchicae potestatis laesiva.

Ibid.

45. Item, de spe quam ostendit fore, *ut reformato rituali et ordine Poenitentiae, nullum amplius locum habiturae sint huiusmodi reservationes:*

Prout, attenta generalitate verborum, innuit, per reformationem ritualis et ordinis Poenitentiae factam ab Episcopo vel Synodo aboleri

posse casus, quos Tridentina Synodus (sess. 14. c. 7.) declarat Pontifices maximos potuisse pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita peculiari suo iudicio reservare;

Propositio falsa, temeraria, Concilio Tridentino et summorum Pontificum auctoritati derogans et iniuriosa.

DE CENSURIS

De Poenit. §§. 20. 22.

46. Propositio asserens, *effectum excommunicationis exteriorem dumtaxat esse, quia tantummodo natura sua excludit ab exteriore communicatione Ecclesiae:*

Quasi excommunicatio non sit poena spiritualis, ligans in caelo, animas obligans;

Ex S. August. epist. 250. Auxilio Episcopo. — Tract. 50. in Io. num. 12.

Falsa, perniciosa, in art. 23. Lutheri damnata, ad minus erronea.

§§. 21. 23.

47. Item, quae tradit, necessarium esse iuxta leges naturales et divinas, ut sive ad excommunicationem sive ad suspensionem praecedere debeat examen personale; atque adeo sententias dictas *ipso facto* non aliam vim habere, nisi seriae comminationis sine ullo actuali effectu;

Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiae potestati iniuriosa, erronea.

§. 22.

48. Item, quae pronuntiat, *inutilem ac vanam esse formulam nonnullis ab hinc saeculis inductam absolvendi generaliter ab excommunicationibus, in quas fidelis incidere potuisset:*

Falsa, temeraria, praxi Ecclesiae iniuriosa.

§. 24.

49. Item, quae damnat ut nullas et invalidas *suspensiones ex informata conscientia:*

Falsa, perniciosa, in Tridentinum iniuriosa.

Ibid.

50. Item, in eo quod insinuat, soli Episcopo fas non esse uti potestate, quam tamen ei defert Tridentinum (sess. 14. c. 1. de reform.), suspensionis *ex informata conscientia* legitime infligendae;

Iurisdictionis Praelatorum Ecclesiae laesiva.

DE ORDINE

De Ordine §. 4.

51. Doctrina Synodi, quae perhibet, in promovendis ad Ordines hanc de more et instituto veteris disciplinae rationem servari consuevisse, *ut si quis clericorum distinguebatur sanctitate vitae, et dignus*

aestimabatur qui ad Ordines sacros ascenderet, ille solitus erat promoveri ad Diaconatum vel Sacerdotium etiamsi inferiores Ordines non suscepisset; neque tum talis ordinatio dicebatur per saltum, ut postea dictum est.

§. 5.

52. Item quae innuit, non alium titulum Ordinationum fuisse, quam deputationem ad aliquod speciale ministerium, qualis praescripta est in Concilio Chalcedonensi; subiungens (§. 6.), quamdiu Ecclesia sese his principiis in delectu sacrorum ministrorum conformavit, ecclesiasticum ordinem floruisse; verum beatos illos dies transiisse, novaque principia subinde introducta, quibus corrupta fuit disciplina in delectu ministrorum sanctuarii.

§. 7.

53. Item, quod inter haec ipsa corruptionis principia refert, quod recessum sit a vetere instituto, quo, ut ait (§. 3.), Ecclesia insistens Apostoli vestigiis neminem ad Sacerdotium admittendum statuerat, nisi qui conservasset innocentiam baptismalem;

Quatenus innuit, corruptam fuisse disciplinam per decreta et instituta,

1. Sive quibus Ordinationes per saltum vetitae sunt;

2. Sive quibus pro Ecclesiarum necessitate et commoditate probatae sunt Ordinationes sine titulo specialis officii, velut speciatim a Tridentino ordinatio ad titulum patrimonii; salva obedientia qua sic ordinati Ecclesiarum necessitatibus deservire debent iis obeundis officiis, quibus pro loco ac tempore ab Episcopo admoti fuerint, quemadmodum ab apostolicis temporibus in primitiva Ecclesia fieri consuevit;

3. Sive quibus iure canonico facta est criminum distinctio, quae delinquentes reddunt irregulares; quasi per hanc distinctionem Ecclesia recesserit a spiritu Apostoli, non excludendo generaliter et indistincte ab ecclesiastico ministerio omnes quoscumque, qui baptismalem innocentiam non conservassent;

Doctrina singulis suis partibus falsa, temeraria, ordinis pro ecclesiarum necessitate et commoditate inducti perturbativa, in disciplinam per canones et speciatim per Tridentini decreta probatam iniuriosa.

§. 13.

54. Item, quae velut turpem abusum notat unquam praetendere eleemosynam pro celebrandis Missis et Sacramentis administrandis, sicuti et accipere quemlibet proventum dictum *stolae,* et generatim quodcumque stipendium et honorarium, quod suffragiorum aut cuiuslibet parochialis functionis occasione offertur;

Quasi turpis abusus crimine notandi essent ministri Ecclesiae, qui secundum receptum et probatum Ecclesiae morem et institutum utuntur iure promulgato ab Apostolo accipiendi temporalia ab his, quibus spiritualia ministrantur;

Falsa, temeraria, ecclesiastici ac pastoralis iuris laesiva, in Ecclesiam eiusque ministros iniuriosa.

§. 14.

55. Item, quae vehementer optare se profitetur, ut aliqua ratio inveniretur minutuli cleri (quo nomine inferiorum ordinum clericos designat) a Cathedralibus et Collegiatis submovendi, providendo aliter (nempe per probos et provectioris aetatis laicos, congruo assignato stipendio) ministerio inserviendi Missis et aliis officiis, velut Acolythi etc., ut olim, inquit, fieri solebat, quando eius generis officia non ad meram speciem pro maioribus Ordinibus suscipiendis redacta erant;

Quatenus reprehendit institutum, quo cavetur, ut *minorum ordinum functiones per eos tantum praestentur exerceanturve, qui in illis constituti adscriptive sunt* (Concil. Prov. IV. mediol.); idque ad mentem Tridentini (sess. 23. c. 17.), *ut sanctorum Ordinum a Diaconatu ad Ostiariatum functiones ab apostolicis temporibus in Ecclesia laudabiliter receptae, et in pluribus locis aliquamdiu intermissae iuxta sacros canones revocentur, nec ab haereticis tanquam otiosae traducantur;*

Suggestio temeraria, piarum aurium offensiva, ecclesiastici ministerii perturbativa, servandae quoad fieri potest in celebrandis mysteriis decentiae imminutiva, in minorum ordinum munera et functiones, tum in disciplinam per canones et speciatim per Tridentinum probatam iniuriosa, favens haereticorum in eam conviciis et calumniis.

§. 18.

56. Doctrina, quae statuit, conveniens videri in impedimentis canonicis, quae proveniunt ex delictis in iure expressis, ullam unquam nec concedendam nec admittendam esse dispensationem;

Aequitatis et moderationis canonicae a sacro Concilio Tridentino probatae laesiva, auctoritati et iuribus Ecclesiae derogans.

Ibid. §. 22.

57. Praescriptio Synodi, quae generaliter et indiscriminatim velut abusum reiicit quamcumque dispensationem, ut plus quam unum residentiale beneficium uni eidemque conferatur, item, in eo quod subiungit, certum sibi esse, iuxta Ecclesiae spiritum plus quam uno beneficio tametsi simplici neminem frui posse:

Pro sua generalitate, derogans moderationi Tridentini sess. 7. c. 5., et sess. 24. c. 17.

DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIO

Libell. memorial. circa sponsalia etc. §. 2.

58. Propositio, quae statuit, sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad Matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum praescripto omnino subiacere;

Quasi actus disponens ad Sacramentum non subiaceat sub hac ratione iuri Ecclesiae;

Falsa, iuris Ecclesiae quoad effectus etiam e sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes laesiva, disciplinae ab Ecclesia constitutae derogans.

De Matrim. §§. 7. 11. 12.

59. Doctrina Synodi asserens, *ad supremam civilem potestatem dumtaxat originarie spectare contractui Matrimonii apponere impedimenta eius generis, quae ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia:* quod *ius originarium* praeterea dicitur cum *iure dispensandi essentialiter connexum;* subiungens, *supposito assensu vel conniventia principum, potuisse Ecclesiam iuste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum Matrimonii;*

Quasi Ecclesia non semper potuerit ac possit in christianorum Matrimoniis iure proprio impedimenta constituere, quae Matrimonium non solum impediant sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare;

Canonum 3. 4. 9. 12. sessionis 24. Concilii Tridentini eversiva, haeretica.

Cit. libell. memorial. circa sponsal. §. 10.

60. Item rogatio Synodi ad potestatem civilem, ut *e numero impedimentorum tollat cognationem spiritualem, atque illud quod dicitur publicae honestatis, quorum origo reperitur in collectione Iustiniani;* tum ut *restringat impedimentum affinitatis et cognationis, ex quacumque licita aut illicita coniunctione provenientis, ad quartum gradum iuxta civilem computationem per lineam lateralem et obliquam; ita tamen, ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinendae;*

Quatenus civili potestati ius attribuit sive abolendi sive restringendi impedimenta Ecclesiae auctoritate constituta vel comprobata; item qua parte supponit, Ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse iure suo dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis vel comprobatis;

Libertatis ac potestatis Ecclesiae subversiva, Tridentino contraria, ex haereticali supra damnato principio profecta.

DE OFFICIIS, EXERCITATIONIBUS, INSTITUTIONIBUS AD RELIGIOSUM CULTUM PERTINENTIBUS

ET PRIMUM DE ADORANDA HUMANITATE CHRISTI

De Fide §. 3.

61. Propositio, quae asserit, *adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam eius partem, fore semper honorem divinum datum creaturae;*

Quatenus per hoc verbum directe intendat reprobare adorationis

cultum quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, qua humanitas, ipsaque caro vivifica Christi adoratur non quidem propter se et tanquam nuda caro sed prout unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturae, et non potius una eademque adoratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur;

Ex Concil. CP. V. Gen. Can. 9.

Falsa, captiosa, pio ac debito cultui humanitati Christi a fidelibus praestito ac praestando detrahens et iniuriosa.

De Orat. §. 10.

62. Doctrina, quae devotionem erga sacratissimum Cor Iesu reiicit inter devotiones, quas notat velut novas, erroneas, aut saltem periculosas;

Intellecta de hac devotione, qualis est ab apostolica Sede probata;

Falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in apostolicam Sedem iniuriosa.

De orat. §. 10. *et append. n.* 32.

63. Item, in eo quod cultores Cordis Iesu hoc etiam nomine arguit, quod non advertant, sanctissimam carnem Christi aut eius partem aliquam aut etiam humanitatem totam cum separatione aut praecisione a divinitate adorari non posse cultu latriae;

Quasi fideles Cor Iesu adorarent cum separatione vel praecisione a divinitate, dum illud adorant ut est Cor Iesu, Cor nempe personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum quo exsangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut praecisione a divinitate adorabile fuit in sepulchro;

Captiosa, in fideles Cordis Christi cultores iniuriosa.

DE ORDINE PRAESCRIPTO IN PIIS EXERCITATIONIBUS OBEUNDIS

De orat. §. 14., *append. n.* 34.

64. Doctrina, quae velut superstitiosam universe notat *quamcumque efficaciam, quae ponatur in determinato numero precum et piarum salutationum;*

Tamquam superstitiosa censenda esset efficacia, quae sumitur non ex numero in se spectato, sed ex praescripto Ecclesiae certum numerum precum vel externarum actionum praefinientis pro indulgentiis consequendis, pro adimplendis poenitentiis, et generatim pro sacro et religioso cultu rite et ex ordine peragendo;

Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, pietati fidelium iniuriosa, Ecclesiae auctoritati derogans, erronea.

De Poenit. §. 10.

65. Propositio enuntians, *irregularem strepitum novarum institutionum, quae dictae sunt exercitia vel missiones... forte nunquam aut saltem perraro eo pertingere, ut absolutam conversionem operen-*

tur; et exteriores illos commotionis actus, qui apparuere, nil aliud fuisse quam transeuntia naturalis concussionis fulgura;

Temeraria, male sonans, perniciosa, mori pie ac salutariter per Ecclesiam frequentato et in verbo Dei fundato iniuriosa.

DE MODO IUNGENDAE VOCIS POPULI CUM VOCE ECCLESIAE IN PRECIBUS PUBLICIS

66. Propositio asserens, *fore contra apostolicam praxim et Dei consilia, nisi populo faciliores viae pararentur vocem suam iungendi cum voce totius Ecclesiae;*

Intellecta de usu vulgaris linguae in liturgicas preces inducendae;

Falsa, temeraria, ordinis pro mysteriorum celebratione praescripti perturbativa, plurium malorum facile productrix.

DE LECTIONE SACRAE SCRIPTURAE

Ex nota in fine decr. de gratia.

67. Doctrina perhibens, a lectione sacrarum Scripturarum *nonnisi veram impotentiam excusare;* subiungens, ultro se prodere obscurationem, quae ex huiusce praecepti neglectu orta est super primarias veritates Religionis;

Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, alias in Quesnellio damnata.

DE PROSCRIPTIS LIBRIS IN ECCLESIA PUBLICE LEGENDIS

De orat. §. 29.

68. Laudatio, qua summopere Synodus commendat Quesnellii commentationes in novum Testamentum, aliaque aliorum quesnellianis erroribus faventium opera licet proscripta; eademque parochis proponit, ut ea tanquam solidis Religionis principiis referta in suis quisque paroeciis populo post reliquas functiones perlegant;

Falsa, scandalosa, temeraria, seditiosa, Ecclesiae iniuriosa, schisma fovens et haeresim.

DE SACRIS IMAGINIBUS

De orat. §. 17.

69. Praescriptio, quae generaliter et indistincte inter imagines ab Ecclesia auferendas, velut rudibus erroris occasionem praebentes, notat imagines Trinitatis incomprehensibilis;

Propter sui generalitatem, temeraria, ac pio per Ecclesiam frequentato mori contraria, quasi nullae extent imagines sanctissimae Trinitatis communiter approbatae ac tuto permittendae;

Ex brevi *Sollicitudini nostrae* Benedicti XIV, anni 1745.

70. Item, doctrina et praescriptio generatim reprobans omnem specialem cultum, quem alicui speciatim imagini solent fideles impendere, et ad ipsam potius quam ad aliam confugere;

Temeraria, perniciosa, pio per Ecclesiam frequentato mori, tum et illi providentiae ordini iniuriosa, quo *ita Deus nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicuique prout vult.*

Ex S. August. epist. 78. clero, senioribus, et universae plebi ecclesiae Hipponensis.

71. Item, quae vetat ne imagines praesertim beatae Virginis ullis titulis distinguantur, praeterquam denominationibus quae sint analogae mysteriis de quibus in sacra Scriptura expressa fit mentio;

Quasi nec adscribi possent imaginibus piae aliae denominationes, quas vel in ipsismet publicis precibus Ecclesia probat et commendat;

Temeraria, piarum aurium offensiva, venerationi beatae praesertim Virgini debitae iniuriosa.

72. Item, quae velut abusum extirpari vult morem, quo velatae asservantur certae imagines;

Temeraria, frequentato in Ecclesia et ad fidelium pietatem fovendam inducto mori contraria.

DE FESTIS

Libell. memorial. pro fest. reform. §. 3.

73. Propositio enuntians novorum festorum institutionem ex neglectu in veteribus observandis, et ex falsis notionibus naturae et finis earundem solemnitatum originem duxisse;

Falsa, temeraria, scandalosa, Ecclesiae iniuriosa, favens haereticorum in dies festos per Ecclesiam celebratos conviciis.

Ibid. §. 8.

74. Deliberatio Synodi de transferendis in diem dominicum festis per annum institutis, idque pro iure quod persuasum sibi esse ait, Episcopo competere super disciplinam ecclesiasticam in ordine ad res mere spirituales; ideoque et praeceptum Missae audiendae abrogandi diebus in quibus ex pristina Ecclesiae lege viget etiamnum id praeceptum; tum etiam in eo quod superaddit de transferendis in adventum episcopali auctoritate ieiuniis per annum ex Ecclesiae praecepto servandis;

Quatenus adstruit, Episcopo fas esse iure proprio transferre dies ab Ecclesia praescriptos pro festis ieiuniisve celebrandis, aut inductum Missae audiendae praeceptum abrogare;

Propositio falsa, iuris Conciliorum generalium et summorum Pontificum laesiva, scandalosa, schismati favens.

DE IURAMENTIS

Libell. memorial. pro iuram. reform. §. 5.

75. Doctrina, quae perhibet, beatis temporibus nascentis Ecclesiae iuramenta visa esse a documentis divini praeceptoris atque ab aurea evangelica simplicitate adeo aliena, ut *ipsummet iurare sine extrema et ineluctabili necessitate reputatum fuisset actus irreligiosus, homine christiano indignus;* insuper *continuatam Patrum seriem demonstrare, iuramenta communi sensu pro vetitis habita fuisse;* indeque progreditur ad improbanda iuramenta, quae curia ecclesiastica, iurisprudentiae feudalis (ut ait) normam secuta, in investituris et in sacris ipsis Episcoporum ordinationibus adoptavit; statuitque, adeo implorandam a saeculari potestate legem pro abolendis iuramentis, quae in Curiis etiam ecclesiasticis exiguntur pro suscipiendis muniis et officiis, et generatim pro omni actu curiali;

Falsa, Ecclesiae iniuriosa, iuris ecclesiastici laesiva, disciplinae per canones inductae et probatae subversiva.

DE COLLATIONIBUS ECCLESIASTICIS

De collat. ecclesiast. §. 1.

76. Insectatio, qua Synodus scholasticam exagitat, velut eam, *quae viam aperuit inveniendis novis et inter se discordantibus systematibus quoad veritates maioris pretii, ac demum adduxit ad probabilismum et laxismum;*

Quatenus in scholasticam reiicit privatorum vitia, qui abuti ea potuerunt aut abusi sunt;

Falsa, temeraria, in sanctissimos viros et doctores, qui magno catholicae Religionis bono scholasticam excoluere, iniuriosa, favens infestis in eam haereticorum conviciis.

Ibid.

77. Item, in eo quod subdit, *mutationem formae regiminis ecclesiastici, qua factum est ut ministri Ecclesiae in oblivionem venirent suorum iurium, quae simul sunt eorum obligationes, eo demum rem adduxisse, ut obliterari faceret primitivas notiones ministerii ecclesiastici et sollicitudinis pastoralis;*

Quasi per mutationem regiminis congruentem disciplinae in Ecclesia constitutae et probatae obliterari unquam potuerit et amitti primitiva notio ecclesiastici ministerii pastoralisve sollicitudinis;

Propositio falsa, temeraria, erronea.

§. 4.

78. Praescriptio Synodi de ordine rerum tractandarum in collationibus, qua, posteaquam praemisit, *in quolibet articulo distinguendum*

id quod pertinet ad fidem et ad essentiam Religionis ab eo quod est proprium disciplinae, subiungit, *in hac ipsa* (disciplina) *distinguendum, quod est necessarium aut utile ad retinendos in spiritu fideles ab eo quod est inutile aut onerosius quam libertas filiorum novi foederis patiatur, magis vero ab eo quod est periculosum aut noxium, utpote inducens ad superstitionem et materialismum;*

Quatenus pro generalitate verborum comprehendat et praescripto examini subiiciat etiam disciplinam ab Ecclesia constitutam et probatam; quasi Ecclesia, quae spiritu Dei regitur, disciplinam constituere posset non solum inutilem et onerosiorem quam libertas christiana patiatur, sed et periculosam, noxiam, inducentem in superstitionem et materialismum;

Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, piarum aurium offensiva, Ecclesiae ac spiritui Dei, quo ipsa regitur, iniuriosa, ad minus erronea.

CONVICIA ADVERSUS ALIQUAS SENTENTIAS IN SCHOLIS CATHOLICIS USQUE ADHUC AGITATAS

Orat. ad Synod. §. 2.

79. Assertio, quae conviciis et contumeliis insectatur sententias in scholis catholicis agitatas, et de quibus apostolica Sedes nihil adhuc definiendum aut pronunciandum censuit;

Falsa, temeraria, in scholas catholicas iniuriosa, debitae apostolicis constitutionibus obedientiae derogans.

DE TRIBUS REGULIS FUNDAMENTI LOCO A SYNODO POSITIS PRO REFORMATIONE REGULARIUM

Libell. memorial. pro reform. regularium §. 9.

80. Regula I, quae statuit universe et indiscriminatim, *Statum regularem aut monasticum natura sua componi non posse cum animarum cura cumque vitae pastoralis muneribus, nec adeo in partem venire posse ecclesiasticae hierarchiae, quin ex adverso pugnet cum ipsiusmet vitae monasticae principiis;*

Falsa, perniciosa, in sanctissimos ecclesiae Patres et Praesules, qui regularis vitae instituta cum clericalis ordinis muneribus consociarunt, iniuriosa, pio vetusto probato Ecclesiae mori summorumque Pontificum sanctionibus contraria: *Quasi monachi, quos morum gravitas et vitae ac Fidei institutio sancta commendat,* non rite, nec modo sine Religionis offensione, sed et cum multa utilitate Ecclesiae *clericorum officiis aggregentur.*

Ex S. Siricio epist. decret. ad Himerium Tarracon. c. 13.

81. Item, in eo quod subiungit, sanctos Thomam et Bonaventuram

sic in tuendis adversus summos homines mendicantium institutis versatos esse, ut in eorum defensionibus minor aestus, accuratio maior desideranda fuisset;

Scandalosa, in sanctissimos doctores iniuriosa, impiis damnatorum auctorum contumeliis favens.

82. Regula II, *Multiplicationem ordinum ac diversitatem naturaliter inferre perturbationem et confusionem;* item in eo quod praemittit (§. 4.) *regularium fundatores,* qui post monastica instituta prodierunt, *ordines superaddentes ordinibus, reformationes reformationibus, nihil aliud effecisse, quam primariam mali causam magis magisque dilatare;*

Intellecta de ordinibus et institutis a sancta Sede probatis, quasi distincta piorum munerum varietas, quibus distincti ordines addicti sunt, natura sua perturbationem et confusionem parere debeat;

Falsa, calumniosa, in sanctos fundatores eorumque fideles alumnos, tum et in ipsos summos Pontifices iniuriosa.

83. Regula III, qua, postquam praemisit, *parvum corpus degens intra civilem societatem, quin fere sit pars eiusdem, parvamque monarchiam figit, in statu, semper esse periculosum,* subinde hoc nomine criminatur privata monasteria, communis instituti vinculo sub uno praesertim capite, consociata, velut speciales totidem monarchias civili reipublicae periculosas et noxias;

Falsa, temeraria, regularibus institutis a sancta Sede ad Religionis profectum approbatis iniuriosa, favens haereticorum in eadem instituta insectationibus et calumniis.

DE SYSTEMATE SEU ORDINATIONUM COMPLEXIONE DUCTA EX ALLATIS REGULIS, ET OCTO SEQUENTIBUS ARTICULIS COMPREHENSA, PRO REFORMATIONE REGULARIUM

§. 10.

84. Art. I. *De uno dumtaxat ordine in Ecclesia retinendo, ac de seligenda prae caeteris regula sancti Benedicti, cum ob sui praestantiam, tum ob praeclara illius ordinis merita; sic tamen, ut, in his quae forte occurrent temporum conditioni minus congrua, instituta vitae ratio apud Portum-Regium lucem praeferat ad explorandum, quid addere quid detrahere conveniat;*

II. *Ne compotes fiant ecclesiasticae hierarchiae, qui se huic ordini adiunxerint: nec ad sacros Ordines promoveantur, praeterquam ad summum unus vel duo, initiandi tanquam curati vel cappellani monasterii, reliquis in simplici laicorum ordine remanentibus;*

III. *Unum tantum in unaquaque civitate admittendum monasterium, idque extra moenia civitatis in locis abditioribus et remotioribus collocandum;*

IV. *Inter occupationes vitae monasticae pars sua labori manuum inviolate servanda, relicto tamen congruo tempore psalmodiae impendendo, aut etiam (si cui libuerit) litterarum studio; psalmodia deberet esse moderata, quia nimia eius prolixitas parit praecipitantiam, molestiam, evagationem; quo plus auctae sunt psalmodiae, orationes. preces, tantumdem peraequa proportione omni tempore imminutus fervor est, sanctitasque regularium;*

V. *Nulla foret admittenda distinctio monachos inter sive choro sive ministeriis addictos; inaequalitas istaec gravissimas omni tempore lites excitavit ac discordias, et a communitatibus regularium spiritum charitatis expulit;*

VI. *Votum perpetuae stabilitatis nunquam tolerandum; non illud norant veteres monachi, qui tamen Ecclesiae consolatio et christianismi ornamentum extiterunt; vota castitatis, paupertatis, et obedientiae non admittentur instar communis et stabilis regulae: si quis ea vota aut omnia aut aliqua facere voluerit, consilium et veniam ab Episcopo postulabit, qui tamen nunquam permittet ut perpetua sint, nec anni fines excedent; tantummodo facultas dabitur ea renovandi sub iisdem conditionibus;*

VII. *Omnem Episcopus habebit inspectionem in eorum vitam, studia, progressum in pietate, ad ipsum pertinebit monachos admittere et expellere, semper tamen accepto contubernalium consilio.*

VIII. *Regulares ordinum qui adhuc remanent, licet sacerdotes, in hoc monasterium admitti etiam possent, modo in silentio et solitudine propriae sanctificationi vacare cuperent; quo casu dispensationi locus fieret in generali regula num. II. statuta, sic tamen ne vitae institutionem sequantur ab aliis discrepantem, adeo ut non plus quam una aut ad summum duae in diem Missae celebrentur, satisque caeteris sacerdotibus esse debeat una cum communitate concelebrare;*

ITEM PRO REFORMATIONE MONIALIUM

§. 11.

Vota perpetua usque ad annum 40. aut 45. non admittenda; moniales solidis exercitationibus, speciatim labori, addicendae; a carnali spiritualitate, qua pleraeque distinentur, avocandae; expendendum utrum quod ad ipsas attinet, satius foret monasterium in civitate relinqui.

Systema vigentis atque iam antiquitus probatae ac receptae disciplinae subversivum, perniciosum, constitutionibus apostolicis et plurium Conciliorum etiam Generalium tum speciatim Tridentini sanctionibus oppositum et iniuriosum, favens haereticorum in monastica vota et regularia instituta stabiliori consiliorum evangelicorum professioni addicta conviciis et calumniis.

DE NATIONALI CONCILIO CONVOCANDO

Libell. memorial. pro convoc. concil. national. §. 1.

85. Propositio enuntians, qualemcumque cognitionem ecclesiasticae historiae sufficere, ut fateri quisque debeat, convocationem concilii nationalis unam esse ex viis canonicis, qua finiantur in Ecclesia respectivarum nationum controversiae spectantes ad Religionem;

Sic intellecta, ut controversiae ad Fidem et mores spectantes in Ecclesia quacumque subortae per nationale concilium irrefragabili iudicio finiri valeant; quasi inerrantia in Fidei et morum quaestionibus nationali concilio competeret;

Schismatica, haeretica.

Mandamus igitur omnibus utriusque sexus christifidelibus, ne de dictis propositionibus et doctrinis sentire, docere, praedicare praesumant, contra quam in hac nostra constitutione declaratur: ita ut quicumque illas vel earum aliquam coniunctim vel divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputando publice vel privatim tractaverit, nisi forsitan impugnando, ecclesiasticis censuris aliisque contra similia perpetrantes a iure statutis poenis, ipso facto absque alia declaratione subiaceat.

Caeterum, per hanc expressam praefatarum propositionum et doctrinarum reprobationem, alia in eodem libro contenta nullatenus approbare intendimus: cum praesertim in eo complures deprehensae fuerint propositiones et doctrinae sive illis quae supra damnatae sunt affines, sive quae communis ac probatae cum doctrinae et disciplinae temerarium contemptum, tum maxime infensum in romanos Pontifices et apostolicam Sedem animum praeseferunt.

Duo vero speciatim notanda censemus, quae de augustissimo sanctissimae Trinitatis mysterio §. 2. decreti de Fide si non pravo animo, imprudentius certe Synodo exciderunt, quae facile rudes praesertim et incautos in fraudem impellere valeant. Primum, dum, posteaquam rite praemisit Deum in suo Esse unum et simplicissimum permanere, continuo subiungens ipsum Deum in tribus personis distingui, perperam discedit a communi et probata in christianae doctrinae institutionibus formula, qua Deus unus quidem in tribus personis distinctis dicitur, non in tribus personis distinctus: cuius formulae commutatione hoc vi verborum subrepit erroris periculum, ut essentia divina distincta in personis putetur, quam Fides catholica sic unam in personis distinctis confitetur, ut eam simul profiteatur in se prorsus indistinctam.

Alterum, quod de ipsismet tribus divinis personis tradit, eas secundum earum proprietates personales et incommunicabiles exactius loquendo exprimi seu appellari Patrem, Verbum, et Spiritum Sanctum: quasi minus propria et exacta foret appellatio Filii tot Scripturae locis conse-

crata, voce ipsa Patris e caelis et e nube delapsa, tum formula Baptismi a Christo praescripta, tum et praeclara illa confessione qua beatus ab ipsomet Christo Petrus est pronuntiatus; ac non potius retinendum esset quod, edoctus ab Augustino, Angelicus praeceptor (*a*) vicissim ipse docuit, *in nomine Verbi eamdem proprietatem importari quae in nomine Filii*, dicente nimirum Augustino (*b*): *Eo dicitur Verbum, quo Filius*.

Neque silentio praetereunda insignis ea fraudis plena Synodi temeritas, quae pridem improbatam ab apostolica Sede conventus Gallicani declarationem anni 1682. ausa sit non amplissimis modo laudibus exornare, sed, quo maiorem illi auctoritatem conciliaret, eam in decretum *de Fide* inscriptum insidiose includere, articulos in illa contentos palam adoptare, et, quae sparsim per hoc ipsum decretum tradita sunt, horum articulorum publica et solemni professione obsignare. Quo sane non solum gravior longe se nobis offert de Synodo, quam praedecessoribus nostris fuerit de comitiis illis expostulandi ratio, sed et ipsimet Gallicanae ecclesiae non levis iniuria irrogatur, quam dignam Synodus existimaverit, cuius auctoritas in patrocinium vocaretur errorum, quibus illud est contaminatum decretum.

Quamobrem, quae acta conventus Gallicani, mox ut prodierunt, praedecessor noster venerabilis Innocentius XI, per litteras in forma brevis die II. aprilis anni 1682., post autem expressius Alexander VIII, constitutione *Inter multiplices* die 4. augusti anni 1690. pro apostolici sui muneris ratione improbarunt, resciderunt, nulla et irrita declararunt; multo fortius exigit a nobis pastoralis sollicitudo recentem horum factam in Synodo tot vitiis affectam adoptionem velut temerariam, scandalosam, ac praesertim (post edita praedecessorum nostrorum decreta) huic apostolicae Sedi summopere iniuriosam reprobare ac damnare, prout eam praesenti hac nostra constitutione reprobamus et damnamus, ac pro reprobata et damnata haberi volumus.

Ad id genus fraudis pertinet, quod Synodus in hoc ipso decreto de Fide quamplures articulos complexa, quos Lovaniensis facultatis theologi ad Innocentii XI. iudicium detulerunt, tum et alios duodecim a Cardinali de Noailles Benedicto XIII oblatos, non dubitaverit ex reprobato secundo Ultraiectensi Concilio vanum vetusque commentum exsuscitare temereque his verbis iactare in vulgus, nempe universae Europae notissimum esse, eos articulos Romae severissimo examini subiectos fuisse, et non solum a qualicumque censura immunes exiisse, sed etiam a laudatis romanis Pontificibus fuisse commendatos: cuius tamen assertae commendationis non modo nullum extat authenticum documentum, quin potius eidem refragantur acta examinis quae in nostrae supremae in-

(*a*) *S. Thomas, 1. p. q. 34. art. 2. ad 3.*
(*b*) *S. Augustinus, de Trinit. lib. 7. cap. 2.*

quisitionis tabulis asservantur, e quibus id tantum apparet, nullum super iis prolatum fuisse iudicium.

Hisce propterea de causis, librum hunc ipsum, cui titulus *Atti e decreti del Concilio diocesano di Pistoia dell'anno MDCCLXXXVI, in Pistoia per Atto Bracali stampatore vescovile con approvazione,* sive praemisso sive quovis alio titulo inscriptum, ubicumque et quocumque idiomate, quavis editione aut versione hactenus impressum aut imprimendum, auctoritate apostolica tenore praesentium prohibemus et damnamus, quemadmodum etiam alios omnes libros in eius sive eius doctrinae defensionem tam scripto quam typis forsan iam editos seu (quod Deus avertat) edendos, eorumque lectionem, descriptionem, retentionem, et usum omnibus et singulis christifidelibus, sub poena excommunicationis per contrafacientes ipso facto incurrendae, prohibemus pariter et interdicimus.

Praecipimus insuper venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, nec non haereticae pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores et rebelles quoscumque, per censuras et poenas praefatas aliaque iuris et facti remedia, invocato etiam ad hoc (si opus fuerit) brachii saecularis auxilio, omnino coerceant et compellant.

Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, et interdictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo nonagesimo quarto, quinto calendas septembris, Pontificatus nostri anno vigesimo.

PH. CARD. PRO-DATARIUS

R. CARD. BRASCHIUS DE HONESTIS

Visa de Curia I. MANASSEI

Loco ✠ Plumbi E. LIVIZZARIUS

Registrata in Secretaria brevium.

Anno a Nativitate Domini nostri Iesu Christi millesimo septingentesimo nonagesimo quarto, indictione duodecima, die vero trigesima prima augusti, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri, Domini Pii Divina Providentia Papae Sexti anno vi-

gesimo, supradictae litterae apostolicae affixae et publicatae fuerunt ad Valvas basilicae Lateranensis, et Principis apostolorum, cancellariae apostolicae, curiae generalis in Monte Citorio, in Acie Campi Florae, ac in aliis locis solitis et consuetis Urbis, per me Ioannem Renzoni apostolicum cursorem.

Felix Castellacci *Magister Cursorum.*

PROPOSITIONES DAMNATAE A PIO IX.

Transcribimus *Syllabum* quem Pontifex una cum Encyclica *Quanta cura,* 8 Decembris 1864, toti Orbi christiano direxit. Integrum hunc tradimus, simul cum nonnullis propositionibus in praefata Encyclica confixis. Etsi plures propositiones in *Syllabo* contentae non pertineant ad Theologiam moralem, piaculum haberemus, tale monumentum quasi mutilum offerri lectori, neque volumus videri aliquid detrahere de hac pontificia Declaratione, in qua Petrus per os Pii IX profecto locutus est.

SYLLABUS

COMPLECTENS PRAECIPUOS NOSTRAE AETATIS ERRORES QUI NOTANTUR IN ALLOCUTIONIBUS CONSISTORIALIBUS, IN ENCYCLICIS, ALIISQUE APOSTOLICIS LITTERIS SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII PAPAE IX.

§. I.

Pantheismus, Naturalismus et Rationalismus absolutus.

1. Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen divinum existit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura, et idcirco immutationibus obnoxius, Deusque reapse fit in homine et mundo, atque omnia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam; ac una eademque res est Deus cum mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et iustum cum iniusto.

Alloc. *Maxima quidem,* 9 Iunii 1862.

2. Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum.

Alloc. *Maxima quidem,* 9 Iunii 1862.

3. Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex, et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit.

Alloc. *Maxima quidem,* 9 Iunii 1862.

4. Omnes Religionis veritates ex nativa humanae rationis vi deri-

vant; hinc ratio est princeps norma, qua homo cognitionem omnium cuiuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat.

Epist. encycl. *Qui pluribus,* 9 Novembris 1846. — Epist. encycl. *Singulari quidem,* 17 Martii 1856. — Alloc. *Maxima quidem,* 9 Iunii 1862.

5. Divina revelatio est imperfecta, et idcirco subiecta continuo et indefinito progressui qui humanae rationis progressioni respondeat.

Epist. encycl. *Qui pluribus,* 9 Novembris 1846. — Alloc. *Maxima quidem,* 9 Iunii 1862.

6. Christi fides humanae refragatur rationi; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni.

Epist. encycl. *Qui pluribus,* 9 Novembris 1846. — Alloc. *Maxima quidem,* 9 Iunii 1862.

7. Prophetiae et miracula, in sacris Litteris exposita et narrata, sunt poetarum commenta, et christianae Fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa; ipseque Iesus Christus est mythica fictio.

Epist. encycl. *Qui pluribus,* 9 Novembris 1846. — Alloc. *Maxima quidem,* 9 Iunii 1862.

§. II.

Rationalismus moderatus.

8. Quum ratio humana ipsi Religioni aequiparetur, idcirco theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt.

Alloc. *Singulari quadam perfusi,* 9 Decembris 1854.

9. Omnia indiscriminatim dogmata Religionis christianae sunt obiectum naturalis scientiae seu philosophiae; et humana ratio historice tantum exculta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditioribus scientiam pervenire, modo haec dogmata ipsi rationi tanquam obiectum proposita fuerint.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas,* 11 Decembris 1862. — Epist. ad eundem *Tuas libenter,* 21 Decembris 1863.

10. Quum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille ius et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit; at philosophia neque potest, neque debet ulli sese submittere auctoritati.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas,* 11 Decembris 1862. — Epist. ad eundem *Tuas libenter,* 21 Decembris 1863.

11. Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiae tolerare errores, eique relinquere ut ipsa se corrigat.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas,* 11 Decembris 1862.

12. Apostolicae Sedis, Romanarumque Congregationum Decreta liberum scientiae progressum impediunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter,* 21 Decembris 1863.

13. Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter,* 21 Decembris 1863.

14. Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter,* 21 Decembris 186[illegible]

N. B. Cum rationalismi systemate cohaerent ad maximam partem errores Antonii Günther, qui damnantur in Epist. ad Card. Archiep. Colonien. *Eximiam tuam,* 15 Iunii 1847, et in Epist. ad Episc. Wratislavien. *Dolore haud mediocri,* 30 Aprilis 1860.

§. III.

Indifferentismus, Latitudinarismus.

15. Liberum cuique homini est eam amplecti et profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit.

Litt. Apost. *Multiplices inter,* 10 Iunii 1851. — Alloc. *Maxima quidem,* 9 Iunii 1862.

16. Homines in cuiusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire, aeternamque salutem assequi possunt.

Epist. encycl. *Qui pluribus,* 9 Novembris 1846. — Alloc. *Ubi primum,* 17 Decembris 1847. — Epist. encycl. *Singulari quidem,* 17 Martii 1856.

17. Saltem bene sperandum est de aeterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur.

Alloc. *Singulari quadam,* 9 Decembris 1854. — Epist. encycl. *Quanto conficiamur,* 17 Augusti 1863.

18. Protestantismus non aliud est quam diversa verae eiusdem christianae Religionis forma, in qua aeque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est.

Epist. encycl. *Noscitis et Nobiscum,* 8 Decembris 1849.

§. IV.

Socialismus, Communismus, Societates clandestinae, Societates biblicae, Societates clerico-liberales.

Eiusmodi pestes saepe gravissimisque verborum formulis reprobantur in Epist. encycl. *Qui pluribus,* 9 Novembris 1846; in Alloc. *Quibus quantisque,* 20 Aprilis 1849; in Epist. encycl. *Noscitis et Nobiscum,* 8 Decembris 1849; in Alloc. *Singulari quadam,* 9 Decembris 1854; in Epist. encycl. *Quanto conficiamur moerore,* 15 Augusti 1863.

§. V.

Errores de Ecclesia eiusque iuribus.

19. Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino suo Fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire, quae sint Ecclesiae iura ac limites, intra quos eadem iura exercere queat.

Alloc. *Singulari quadam,* 9 Decembris 1854. — Alloc. *Multis gravibusque,* 17 Decembris 1860. — Alloc. *Maxima quidem,* 9 Iunii 1862.

20. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis Gubernii venia et assensu.

Alloc. *Meminit unusquisque,* 30 Septembris 1861.

21. Ecclesia non habet potestatem dogmatice definiendi, Religionem catholicae Ecclesiae esse unice veram Religionem.

Litt. Apost. *Multiplices inter,* 10 Iunii 1851.

22. Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum quae ab infallibili Ecclesiae iudicio veluti Fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter,* 21 Decembris 1863.

23. Romani Pontifices et Concilia oecumenica a limitibus suae potestatis recesserunt, iura Principum usurparunt, atque etiam in rebus Fidei et morum definiendis errarunt.

Litt. Apost. *Multiplices inter,* 10 Iunii 1851.

24. Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 Augusti 1851.

25. Praeter potestatem episcopatui inhaerentem, alia est attributa temporalis potestas a civili imperio vel expresse vel tacite concessa, revocanda propterea, cum libuerit, a civili imperio.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 Augusti 1851.

26. Ecclesia non habet nativum ac legitimum ius acquirendi ac possidendi.

Alloc. *Nunquam fore,* 15 Decembris 1856. — Epist. encycl. *Incredibili,* 17 Septembris 1863.

27. Sacri Ecclesiae Ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi.

Alloc. *Maxima quidem,* 9 Iunii 1862.

28. Episcopis, sine Gubernii venia, fas non est vel ipsas Apostolicas Litteras promulgare.

Alloc. *Nunquam fore,* 15 Decembris 1856.

29. Gratiae a Romano Pontifice concessae existimari debent tanquam irritae, nisi per Gubernium fuerint imploratae.

Alloc. *Nunquam fore,* 15 Decembris 1856.

30. Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a iure civili ortum habuit.

Litt. Apost. *Multiplices inter,* 10 Iunii 1851.

31. Ecclesiasticum forum pro temporalibus Clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede.

Alloc. *Acerbissimum,* 27 Septembris 1852. — Alloc. *Nunquam fore,* 15 Decembris 1856.

32. Absque ulla naturalis iuris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua Clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta.

Epist. ad Episc. Montis regal. *Singularis Nobisque,* 29 Septembris 1864.

33. Non pertinet unice ad ecclesiasticam iurisdictionis potestatem proprio ac nativo iure dirigere theologicarum rerum doctrinam.

Epist. Ad Archiep. Frising. *Tuas libenter,* 21 Decembris 1863.

34. Doctrina comparantium Romanum Pontificem Principi libero et agenti in universa Ecclesia, doctrina est quae medio aevo praevaluit.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 Augusti 1851.

35. Nihil vetat, alicuius Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, summum Pontificatum ab Romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 Augusti 1851.

36. Nationalis Concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 Augusti 1851.

37. Institui possunt nationales Ecclesiae, ab auctoritate Romani Pontificis subductae planeque divisae.

Alloc. *Multis gravibusque,* 17 Decembris 1860. — Alloc. *Iamdudum cernimus,* 18 Martii 1861.

38. Divisioni Ecclesiae in orientalem atque occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulerunt.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 Augusti 1851.

§. VI.

Errores de societate civili tum in se, tum in suis ad Ecclesiam relationibus spectata.

39. Reipublicae status, utpote omnium iurium origo et fons, iure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.

Alloc. *Maxima quidem,* 9 Iunii 1862.

40. Catholicae Ecclesiae doctrina humanae societatis bono et commodis adversatur.

Epist. encycl. *Qui pluribus,* 9 Novembris 1846. — Alloc. *Quibus quantisque,* 20 Aprilis 1849.

41. Civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum ius quod vocant *exequatur,* sed etiam ius appellationis, quam nuncupant *ab abusu.*

Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 Augusti 1851.

42. In conflictu legum utriusque potestatis, ius civile praevalet.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 Augusti 1851.

43. Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes conventiones (vulgo *Concordata*) super usu iurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine huius consensu, imo et ea reclamante.

Alloc. *In consistoriali,* 1 Novembris 1850. — Alloc. *Multis gravibusque,* 17 Decembris 1860.

44. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus iudicare, quas Ecclesiae Pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt; quin etiam potest de divinorum Sacramentorum administratione, et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere.

Alloc. *In consistoriali,* 1 Novembris 1850. — Alloc. *Maxima quidem,* 9 Iunii 1862.

45. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus iuventus christianae alicuius Reipublicae instituitur, episcopalibus duntaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur ius immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum.

Alloc. *In consistoriali,* 1 Novembris 1850. — Alloc. *Quibus luctuosissimis,* 5 Septembris 1851.

46. Imo in ipsis Clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subiicitur.

Alloc. *Nunquam fore,* 15 Decembris 1856.

47. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholae, quae patent omnibus cuiusque e populo classis pueris, ac publica universim Instituta, quae litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi iuventutis curandae sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiae auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subiiciantur ad imperantium placita et ad communium aetatis opinionum amussim.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine,* 14 Iulii 1864.

48. Catholicis viris probari potest ea iuventutis instituendae ratio, quae sit a catholica Fide et ab Ecclesiae potestate seiuncta, quaeque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines tantummodo vel saltem primarium spectet.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine,* 14 Iulii 1864.

49. Civilis auctoritas potest impedire quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent.

Alloc. *Maxima quidem,* 9 Iunii 1862.

50. Laica auctoritas habet per se ius praesentandi Episcopos, et potest ab illis exigere ut ineant dioecesium procurationem antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et Apostolicas Litteras accipiant.

Alloc. *Nunquam fore,* 15 Decembris 1856.

51. Imo laicum Gubernium habet ius deponendi ab exercitio pastoralis ministerii Episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis quae Episcopatum et Episcoporum respiciunt institutionem.

Litt. Apost. *Multiplices inter,* 10 Iunii 1851. — Alloc. *Acerbissimum,* 27 Septembris 1852.

52. Gubernium potest suo iure immutare aetatem ab Ecclesia praescriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis Familiis indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant.

Alloc. *Nunquam fore,* 15 Decembris 1856.

53. Abrogandae sunt leges quae ad religiosarum Familiarum statum tutandum, earumque iura et officia pertinent; imo potest civile Gubernium iis omnibus auxilium praestare, qui a suscepto religiosae vitae instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest religiosas easdem Familias, perinde ac collegiatas Ecclesias et beneficia simplicia etiam iuris patronatus, penitus extinguere, illorumque bona et reditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subiicere et vindicare.

Alloc. *Acerbissimum,* 27 Septembris 1852. — Alloc. *Probe memineritis* 22 Ianuarii 1855. — Alloc. *Cum saepe,* 26 Iulii 1855.

54. Reges et Principes non solum ab Ecclesiae iurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus iurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia.

Litt. Apost. *Multiplices inter,* 10 Iunii 1851.

55. Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia seiungendus est.

Alloc. *Acerbissimum,* 27 Septembris 1852.

§. VII.

Errores de Ethica naturali et christiana.

56. Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est ut humanae leges ad naturae ius conformentur aut obligandi vim a Deo accipiant.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Iunii 1862.

57. Philosophicarum rerum morumque scientia, itemque civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Iunii 1862.

58. Aliae vires non sunt agnoscendae nisi illae quae in materia positae sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Iunii 1862. — Epist. encycl. *Quanto conficiamur*, 10 Augusti 1863.

59. Ius in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta iuris vim habent.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Iunii 1862.

60. Auctoritas nihil aliud est nisi numeri et materialium virium summa.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Iunii 1862.

61. Fortunata facti iniustitia nullum iuris sanctitati detrimentum affert.

Alloc. *Iamdudum cernimus*, 18 Maii 1861.

62. Proclamandum est et observandum principium quod vocant *de non interventu*.

Alloc. *Novos et ante*, 28 Septembris 1860.

63. Legitimis Principibus obedientiam detrectare, imo et rebellare licet. Epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846. — Alloc. *Quisque vestrum*, 4 Octobris 1847. — Epist. encycl. *Noscitis et Nobiscum*, 8 Decembris 1849. — Litt. Apost. *Cum catholica*, 26 Martii 1860.

64. Tum cuiusque sanctissimi iuramenti violatio, tum quaelibet scelesta flagitiosaque actio sempiternae legi repugnans, non solum haud est improbanda, verum etiam omnino licita, summisque laudibus efferenda, quando id pro patriae amore agatur.

Alloc. *Quibus quantisque*, 20 Aprilis 1849.

§. VIII.

Errores de matrimonio christiano.

65. Nulla ratione ferri potest, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem Sacramenti.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

66. Matrimonii Sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque Sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

67. Iure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851. — Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852.

68. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi; sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt.

Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 Iunii 1851.

69. Ecclesia sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepit, non iure proprio, sed illo iure usa, quod a civili potestate mutuata erat.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

70. Tridentini Canones qui anathematis censuram illis inferunt qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non sunt dogmatici, vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

71. Tridentini forma sub infirmitatis pœna non obligat, ubi lex civilis aliam formam praestituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

72. Bonifacius VIII votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

73. Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse Sacramentum, aut nullum esse contractum, si Sacramentum excludatur.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851. — Lettera di S. S. Pio IX al Re di Sardegna, 9 Settembre 1852. — Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852. — Alloc. *Multis gravibusque*, 17 Decembris 1860.

74. Causae matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851. — Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852.

N. B. Huc facere possunt duo alii errores de Clericorum caelibatu abolendo, et de statu matrimonii statui virginitatis anteferendo. Confodiuntur prior in Epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1849: posterior in Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 Iunii 1851.

§. IX.

Errores de civili Romani Pontificis principatu.

75. De temporalis regni cum spirituali comparabilitate disputant inter se christianae et catholicae Ecclesiae filii.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 Augusti 1851.

76. Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret.

Alloc. *Quibus quantisque,* 20 Aprilis 1849.

N. B. Praeter hos errores explicite notatos, alii complures implicite reprobantur proposita et asserta doctrina, quam catholici omnes firmissime retinere debeant, de civili Romani Pontificis principatu. Eiusmodi doctrina luculenter traditur in Alloc. *Quibus quantisque,* 20 Aprilis 1849; in Alloc. *Si semper antea,* 20 Maii 1850; in Litt. Apost. *Cum catholica Ecclesia,* 26 Martii 1860; in Alloc. *Novas,* 28 Septembris 1860; in Alloc. *Iamdudum,* 18 Martii 1861; in Alloc. *Maxima quidem,* 9 Iunii 1862.

§. X.

Errores qui ad liberalismum hodiernum referuntur.

77. Aetate hac nostra, non amplius expedit Religionem catholicam haberi tamquam unicam Status religionem, caeteris quibuscumque cultibus exclusis.

Alloc. *Nemo vestrum,* 26 Iulii 1855.

78. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cuiusque cultus exercitium habere.

Alloc. *Acerbissimum,* 27 Septembris 1852.

79. Enimvero falsum est civilem cuiusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos, ac indifferentismi pestem propagandam.

Alloc. *Numquam fore,* 15 Decembris 1856.

80. Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cnm recenti civilitate sese reconciliare et componere.

Alloc. *Iamdudum cernimus,* 18 Martii 1861.

ADDENDA

Ex Encyclica PII IX, *Quanta cura.*

Praeter praefatas propositiones, aliae memorandae sunt quas in Encyclica *Quanta cura* confixit Pius IX. Eae porro sunt hominum qui docent:

1° Optimam societatis publicae rationem, civilemque progressum omnino requirere, ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad Religionem respectu ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine.

2° Optimam esse conditionem societatis, in qua Imperio non agnoscitur officium coercendi sancitis poenis violatores catholicae Religionis, nisi quatenus pax publica postulet.

3° Libertatem conscientiae et cultuum esse proprium cuiuscumque hominis ius, quod lege proclamari et asseri debet in omni recte constituta societate, et ius civibus inesse ad omnimodam libertatem nulla vel ecclesiastica vel civili auctoritate coarctandam, quo suos conceptus quoscumque manifestare ac declarare valeant.

4° Voluntatem populi, publica, quam dicunt, opinione vel alia ratione manifestatam constituere supremam legem ab omni divino humanoque iure solutam; et in ordine politico facta consummata, eo ipso quod consummata sunt, vim iuris habere.

5° Auferendam esse civibus et Ecclesiae facultatem *qua eleemosynas christianae charitatis causa palam erogare valeant,* ac de medio tollendam legem *qua certis aliquibus diebus opera servilia propter Dei cultum prohibentur.*

6° Societatem domesticam seu familiam totam suae existentiae rationem a iure dumtaxat civili mutuari; proindeque ex lege tantum civili dimanare ac pendere iura omnia parentum in filios, cum primis vero ius institutionis educationisque curandae.

7° Clerum, utpote vero utilique scientiae et civilitatis progressui inimicum, ab omni iuventutis instituendae educandaeque cura et officio esse amovendum.

8° Ecclesiae leges non obligare in conscientia, nisi cum promulgantur a civili potestate; — acta et decreta Romanorum Pontificum ad Religionem et Ecclesiam spectantia indigere sanctione et approbatione, vel minimum assensu potestatis civilis; — Constitutiones Apostolicas quibus damnantur clandestinae Societates, sive in eis exigatur, sive non exigatur iuramentum de secreto servando, earumque asseclae, et fautores anathemate mulctantur, nullam habere vim in illis orbis regionibus ubi eiusmodi aggregationes tolerantur a civili gubernio; — excommunicationem a Concilio Tridentino et Romanis Pontificibus latam in eos qui

iura possessionesque Ecclesiae invadunt et usurpant, niti confusione ordinis spiritualis, ordinisque civilis ac politici ad mundanum dumtaxat bonum prosequendum; — Ecclesiam nihil debere decernere, quod obstringere possit fidelium conscientias in ordine ad usum rerum temporalium; — Ecclesiae ius non competere violatores legum suarum poenis temporalibus coercendi; — conforme esse sacrae Theologiae, iurisque publici principiis, bonorum proprietatem, quae ab Ecclesiis, a Familiis religiosis, aliisque locis piis possidentur, civili Gubernio asserere et vindicare.

9° Ecclesiasticam potestatem non esse iure divino distinctam et independentem a potestate civili, neque eiusmodi distinctionem et independentiam servari posse, quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur essentialia iura potestatis civilis.

10° Illis Apostolicae Sedis iudiciis et decretis, quorum obiectum ad bonum generale Ecclesiae, eiusdemque iura, ac disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et obedientiam detrectari absque peccato, et absque ulla catholicae professionis iactura.

De quibus propositionibus sic statuit Pontifex:

« Omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas singillatim hisce
» Litteris commemoratas auctoritate Nostra Apostolica *reprobamus, pro-*
» *scribimus* atque *damnamus*, easque ab omnibus Catholicae Ecclesiae
» filiis veluti reprobatas, proscriptas atque damnatas omnino haberi
» volumus et mandamus. »

ADNOTANDA

I. *Quoties numerus ex auctoribus indicabitur, is ad tractatum de quo agitur, apud illos auctores referendus erit: sic, v. gr. si in tractatu de Legibus reperias* S. Lig. n. 40, *intelligas:* S. Lig. n. 40, in tractatu de Legibus. *Si quando autem locus citatus ad diversum tractatum spectet, id expresse indicabitur.*

II. *Auctores ad confirmandam doctrinam adductos, ad maiorem tractationis perspicuitatem post expositas rationes retulimus; non ideo igitur rationes, saltem omnes, iisdem auctoribus indiscriminatim adscribendae sunt; eorum enim testimonium ad doctrinae potius, quam ad rationum confirmationem adducitur.*

NOTANDUM

CIRCA FORMULAS RESPONSIONUM SS. CONGREGATIONUM

Occurrunt nonnunquam in responsionibus S. C. termini non ita facilis intelligentiae. Explicantur.

Dilata, idest differtur respondere, ut res maturiori examini subiiciatur ùtpote difficilis solutionis.

Affirmative et amplius, Negative et amplius, idest cum res fuerit in S. C. satis superque discussa, et plenis votis prout iacet decisa, non amplius admittitur tale quaesitum.

Nihil, hoc est non admittitur petitio utpote incongrua.

Relatum vel *Lectum*, idest cum relatum, vel lectum fuerit in S. C. postulatum, non fuit admissum.

Qui modi haud contemnendi sunt, cum inducti sint ad evitandas longiores verborum circumlocutiones.

COMPENDIUM
THEOLOGIAE MORALIS

TRACTATUS
DE ACTIBUS HUMANIS

Cum Theologia Moralis tota versetur circa actus humanos dirigendos, exordium tractationis nostrae, prouti rerum ordo et communis consuetudo postulat, ab ipsis *humanis actibus* ducemus. Agendum igitur hic nobis est 1° de notione, 2° de principiis, 3° de moralitate actuum humanorum.

CAPUT I.

DE NOTIONE ACTUUM HUMANORUM

1. — Definitio. Actus *in genere* est determinatio potentiae, seu est facultas agendi in exercitio posita, vel etiam est exercitium facultatis agendi. — Ipsa potentia dici solet *actus primus,* et eius determinatio *actus secundus.*

Actus vero *humanus* ille est, qui procedit a deliberata hominis voluntate; seu est actus procedens a voluntate libera cum advertentia ad bonitatem vel malitiam actus.

Etenim ille solus potest dici *humanus* actus, qui procedit ab homine in quantum homo est, et differt a creaturis irrationabilibus (*a*). Porro homo tunc solum, ut *talis,* agit, quando in agendo utitur facultatibus sibi essentialibus, scilicet cognoscendi, volendi, et libere

(*a*) Ex hoc dicendi modo neoterici quidam post Alasiam inepte concludunt, intellectus quoque actus quoslibet, uti sunt cogitatio, perceptio, iudicium, ratiocinium, itemque actus voluntatis etiam non liberae, prorsus esse *actus humanos,* quia, inquiunt, iis potentiis perficiuntur quibus homo essentialiter a brutis differt. Non intellexerunt isti scilicet, discrimen hominis a brutis heic a Doctoribus usurpari non solum quoad facultatum substantiam, sed potissime quoad operandi modum *(Vid. Suarez in 1. 2. Tract.1. Disp. 2. Sect. 2. a n. 7.).* Et iste quidem innovandi abusus hunc unice fructum afferre potest, tum ut homines se mutuo non intelligant, et controversias moveant, quae mere ex alterius sententiis non perceptis oriantur, tum ut in Doctorum libris, imo et ecclesiasticis monumentis decretisque legendis gravissime errandi periculum subeant.

se determinandi; ergo non datur actus *proprie* humanus, quin a deliberata seu libera hominis voluntate procedat. Unde actus humanus demum idem est, ac actus moralis.— *S. Thom. 1.2. qu. 1. art. 1.*

Hinc differt ab actu hominis (*a*), qui fit in homine, vel ab homine absque ulla deliberatione, ut sunt actus indeliberati, motus *primo-primi,* vel actus hominis penitus distracti, somniantis, delirantis, amentis, ebrii, aut usu rationis quomodocumque destituti (*b*).

2. — Divisio. Actus humanus multipliciter distinguitur.

1° *Elicitus,* vel *imperatus*. *Elicitus* dicitur qui consummatur in ipsa voluntate, ut actus amoris, odii, desiderii. *Imperatus* vero, qui imperante voluntate perficitur ab alia potentia vel interna, ut actus cogitandi, vel externa, ut actus ambulandi, scribendi.

2° *Internus,* vel *externus*. Actus *internus* ille est, qui tantum internis animae potentiis perficitur, qualis est actus cogitandi, amandi. Actus vero *externus,* seu *mixtus,* ille est, quem voluntas per corporis organa perficit. Actus internus specialius *actus* dicitur, et actus externus potius *actio* nuncupatur (*c*).

3° *Bonus, malus, indifferens*. Actus *bonus* dicitur ille, qui conformis est rectae rationi; *malus,* qui non est illi consentaneus; *indifferens,* qui rationis normae neque conformis est, neque repugnat. — Actus bonus aut indifferens dicitur etiam *licitus* (*d*); actus vero malus, *illicitus*.

4° *Naturalis,* vel *supernaturalis*. *Prior* ille est, qui solis naturae viribus producitur; *posterior* vero, qui auxilio divinae gratiae perficitur (*e*).

(*a*) Neotericus quidam, abiecta consueta veterum distinctione in *actus hominis,* et *actus humanos,* novam invexit actuum *naturalium* seu *animalium,* et actuum *personalium;* quippe, ut inquit, facultates intellectus et voluntatis, utpote summum activum principium, *personalitatem* constituunt. Atqui prona hinc via ad graves errores patet; si enim in *summo* seu *supremo activo principio* personalitas constituatur, iam Deus pro unica natura, seu *activo principio* unicam personam, duplicem vero Christus, pro duplici natura habebit.

(*b*) Placuit nonnullis multiplices in homine actus distinguere secundum quod S. Gregorius M. (*Hom. 29. in Evang.*) hominem dixit aliquid de omni creatura habere, ut proinde 1° alii actus dicantur *naturales,* uti vivere, vegetare, crescere, etc., alii 2° *animales,* etiam brutis communes, uti comedere, ambulare, etc., alii 3° *hominis,* uti loqui, ridere, intelligere, etc., alii 4° denique *humani,* qui a deliberata voluntate procedunt; in quibus intellectus se habet ut conditio, libera autem voluntas ut causa.

(*c*) Consideratio actus *interni* vel *externi* eo maxime nunc spectat, utrum actus internus, v. gr. voluntatis consensus, exterius ullo modo prodeat seu manifestetur; ut nempe exinde colligatur, num legi, aut censurae, aut reservationi, etc. subiiciatur.

(*d*) Qui actus in individuo indifferentes non admittunt, eo ipso quemvis actum licitum etiam ut moraliter bonum habent. *Vid. infr. dicenda Cap. III. Art. 1.*

(*e*) Supernaturalis actus *meritorius* dicitur vel *de condigno,* vel *de congruo,* prout ipsi retributio aliqua vel ex iustitia, vel ex mera decentia ac benignitate Dei rependitur.

5° *Validus,* vel *invalidus.* Actus *validus* ille est, qui gaudet omnibus requisitis ad effectum proprium producendum essentialibus. *Invalidus* autem ille est, qui vel uno quopiam ex essentialibus caret. Sic est validus contractus, in quo requisita sive lege naturali, sive lege positiva ad eius valorem reperiuntur. Secus invalidus est habendus.

CAPUT II.

DE PRINCIPIIS ACTUUM HUMANORUM

3. — Tria actuum humanorum principia numerantur: 1° *cognitio,* 2° *voluntas,* 3° *libertas.* Haec enim sunt eorundem constitutiva atque adeo ad quemlibet actum proprie humanum requisita, ut ex definitione actus humani patet.

Voluntas cognitionem praeviam necessario supponit; nihil enim potest esse obiectum voluntatis, quin prius ope intellectus apprehensum fuerit. Hinc axioma: *Nihil volitum, quin praecognitum.* Utrumque autem supponit libertas. Libertas enim est facultas eligendi, seu ad actum aliquem sese determinandi; electio autem fieri nequit, nisi voluntate seipsam in praecognitam hanc vel alteram partem movente.

ARTICULUS I.

DE VOLUNTARIO

§. I. *De voluntario in genere.*

4. — Definitio. Voluntarium, seu actus voluntarius dicitur, qui procedit a voluntate cum intellectuali finis cognitione. Ratio huius definitionis patet ex modo dictis, seu ex necessitate praeviae cognitionis, ut voluntas ad actum se determinare possit.

Hinc differt 1° a *volito* (*a*), quod potest esse obiectum voluntatis etiam inefficacis, atque adeo quin sit eiusdem voluntatis effectus; sic pluvia in aridam terram effusa quoad agricolam dicetur *volita,* non autem voluntaria: 2° a *spontaneo,* quod fit cum cogni-

**(*a*) *Volitum* nimirum non dicitur de actu voluntatis, sed de obiecto, in quod voluntas tendit: et hoc contingere potest, licet obiectum a voluntate, tamquam effectus a sua causa, non pendeat. Dixi, *contingere potest;* nam quod dicimus *volitum,* potest etiam a voluntate procedere et pendere, ita ut et volitum et voluntarium id sit. Ita v. gr. dum moves pedem aut manum, hic motus et *volitus* et voluntarius tibi dicetur. Quocirca vix apparet, cur editor recentissimae gallicae editionis (Anicii 1873) ad rationem voliti exigat, ut a voluntate non procedat aut pendeat, cum nihil magis contrarium sit frequentissimo Theologorum usui.

tione mere sensitiva et materiali, adeoque imperfecta, et communiter etiam brutis tribuitur.

5. — Divisio. Multiplex est voluntarium, scilicet

1° *Perfectum,* vel *imperfectum. Prius* illud est quod fit cum plena cognitione, et pleno voluntatis consensu. *Posterius* vero quod ex subobscura cognitione, aut imperfecto consensu (*a*) procedit.

2° *Voluntarium simpliciter,* vel *secundum quid. Prius* est, quod fit ex plena voluntatis deliberatione et inclinatione. *Posterius* vero, quod fit cum voluntatis consensu, sed cum aliqua repugnantia, seu quapiam inclinatione voluntatis in oppositum (*b*).

3° *Directum,* vel *indirectum* (*c*). *Prius* est illud, quod in se ipso, seu *per se* intenditur, id est quod immediatum est obiectum voluntatis (*d*), ut furtum a fure patratum, vel occisio a malevolo homicida intenta. *Posterius* illud dicitur, quod non est volitum *in se,* sed *in alio* directe volito, sive ut effectus in causa, sive ut aliquid ipsi connexum, v. gr. ebrietas in potatione excessiva, vel homicidium ex temeraria lapidis proiectione.

4° *Positivum,* vel *negativum. Prius* dicitur, quod est a voluntate reipsa agente, seu quod actionem positivam requirit, puta, lectionem. *Posterius* illud est, quod procedit ex omissione actus a voluntate dependentis. Talis est omissio Missae in eo, qui ad instantem eius celebrationem advertens, nihilominus studio domi vacare pergit (*e*).

5° *Expressum,* vel *tacitum.* Dicitur *expressum,* si verbis aut signis manifestetur; *tacitum* vero, si adesse ex facto aliquo aut etiam omissione cognoscatur. Sic peccata subditorum sunt Superiori voluntaria et imputabilia, si iis se non opponat, cum alioquin id pos-

(*a*) Intellige, ubi non plena adsit deliberatio; qua in re multiplex haberi gradus potest.

(*b*) Communius Doctores partitionem hanc adhibent cum iis dumtaxat actibus, in quibus aliquid est *voluntarii* simul et *involuntarii;* quando scilicet voluntatis affectio ad duo tendit, quae simul habere non potest, ac proinde circa unum assurgit efficaciter et illud amplectitur, erga alterum inefficaciter, atque adeo hoc relinquit: circa unum habetur voluntas, circa aliud velleitas: in unum voluntas fertur absolute, in alterum vero conditionate, nempe si prius amittendum non sit: atque inde appellatio *voluntatis absolutae* seu *simplicis,* et voluntatis *secundum quid,* nimirum secundum aliquem respectum seu complacentiam inefficacem.

(*c*) Alii cum S. Thoma *(1. 2. q. 6. art. 3.)* nomine voluntarii *directi* et *indirecti* id intelligunt, quod Auctor dictionibus voluntarii *positivi* et *negativi* mox designat. Quae vero heic traduntur, alia partitione exprimunt *voluntarii in se,* et *voluntarii in causa.*

(*d*) Immediatum obiectum voluntatis esse potest etiam effectus valde remotus, dummodo hic quoque *in se* intendatur. Voluntarium vero *in causa* dices, quod in se non intenditur quidem, attamen secuturum praevidetur.

** (*e*) Brevius et clarius dices, *positivum* appellari, quando actum voluntas elicit; *negativum,* cum voluntas nullum elicit actum, sed manet suspensa. Quae distinctio usurpatur, quando quaeritur an dari omissio possit sine ullo actu voluntatis. Vid. Suar. in 1. 2. Tract. V. Disp. 3. Sect. 2.

sit, ac debeat (*a*). Hinc regula 43 iuris: *Qui tacet consentire videtur* (*b*).

6° *Actuale, virtuale, habituale* et *interpretativum*. Dicitur *actuale*, si a voluntate actualiter influente procedat, ut v. gr. contritio in eo, qui hic et nunc poenitentiae actum elicit. *Virtuale* est, si vi actus prius positi, et in agentem moraliter influere pergentis, proveniat, ut absolutio a confessario distracto impertita. *Habituale* vocatur, si olim fuit quidem habitum, nec retractatum, sed nunc neque directe neque reflexe in voluntatem aut in actum influat. *Interpretativum* nuncupatur, si neque physice neque moraliter est habitum, sed prudenter praesumi potest, et haberetur, si de eo cogitaretur, aut cogitari posset. Sic infirmus sensibus destitutus, si christiane vixerit, censetur extremam Unctionem velle suscipere (*c*).

6. **Resolves.** — 1° In eodem actu haberi potest voluntarium directum seu *in se*, voluntarium indirectum seu in causa, et involuntarium (*d*). Exemplum: *Titius* quaerens *Caium* inimicum ad mortem, eum aggreditur, cum periculo laedendi etiam eius socium, quem cernit illi associatum; sed glande, praeter utrumque, ferit quoque *Sempronium*, quem neque videbat, neque inibi adesse suspicari poterat. *Caius* percutitur ex voluntario directo *Titii*, *socius* ex voluntario in causa, et *Sempronius* praeter omne voluntarium.

2° Ubi nulla est advertentia ad praeceptum, nullum relate ad illud est voluntarium, et proinde nulla praecepti voluntaria transgressio, atque adeo nullum peccatum. — *S. Lig. n. 8.*

3° Ubi semiplena est mentis advertentia, actum habes dumtaxat semivoluntarium, qui in gravis quoque praecepti violatione non excedit peccatum veniale; sic evenit in semisopitis, aut ad alia distractis. Idem de imperfecto voluntatis consensu teneto. — *S. Lig. ibid.*

4° Aliquis actus potest esse voluntarius sub uno respectu, non

(*a*) In isto exemplo habes 1° voluntarium *tacitum*, uti patet, 2° voluntarium *in causa* (A. appellat *indirectum*), quatenus peccata censentur effectus omissae a Superiore correctionis, et 3° voluntarium *negativum* (alii cum S. Thoma dicunt *indirectum*), quatenus effectus provenit ex omissione.

(*b*) Ad rite intelligendum axioma: *Qui tacet consentire videtur*, facere possunt istae regulae. I. Consentire quis censetur in favorabilibus. II. Item tacens, ubi alioquin intercedit obligatio aliqua aut necessitas contradicendi, et expedita ad id facultas; quo spectat et illud effatum : *Scientia et patientia in iis, quae sunt modici praeiudicii, consensum operatur*. III. Tacens, si quid iniuste aut minus recte decernitur, ubi communi consilio ac suffragio deliberatur. IV. Item qui plura rogatus, de quopiam silet, dum reliqua recusat. V. Adde casus ex iuris dispositione, v. gr. filii tacentis in sponsalibus pro ipso a parente contractis.

(*c*) Differt voluntarium *interpretativum* a *tacito*, quod in illo nullus, in hoc verus adsit consensus. Utrumque autem dici solet voluntarium praesumptum, quia praesumitur suo modo adesse.

**(*d*) Patet ex contextu, *involuntarium* hic non dici, quod sit contra voluntatem. Alii potius quam involuntarium, *non voluntarium* id dicunt. Secus non *praeter*, sed *contra* voluntatem dicendum id foret.

vero sub alio, prout aliter vel aliter cognoscitur: sic qui occidit aliquem, ignorans illum esse Sacerdotem, homicidium committit, non vero sacrilegium. — *S. Lig. ibid.*

5° Qui violat grave praeceptum, inductus timore humano, aut minis sociorum, ponit actum *simpliciter voluntarium,* et quidem graviter peccaminosum in materia gravi (*a*), quia agit cum plena voluntatis determinatione, etsi aegre agat, et libentius hoc non egisset; attamen eiusmodi actus est etiam involuntarius *secundum quid,* et proinde minus culpabilis evadit. — *S. Lig. n. 21.*

6° Non solum voluntarium actuale, sed etiam mere virtuale in actus moralitatem aut validitatem satis ita influit, ut sit bonus vel malus, validus aut invalidus; secus vero dicendum de habituali et interpretativo, ut ex eorum definitione manifestum fit.

7° Omissio potest esse voluntaria (*b*), sicut actus positivus voluntatis; non tamen, secluso praecepto, potest esse ad culpam imputabilis. Sic omittens Missam die feriali non peccat. — *S. Lig. n. 11.*

§. II. *De voluntario in specie.*

Cum in caeteris voluntarii speciebus nulla specialis difficultas occurrat, solum dicemus

De voluntario indirecto, seu in causa.

7. **Praenotanda.** — Voluntarium indirectum seu in causa, ut dictum est, non intenditur *in se*, sed ex alio directe volito, velut effectus ex causa, cernitur secuturum. Nihilominus est verum voluntatis obiectum, licet indirectum; qui enim vult causam, vult quoque effectum ex ea sequentem, si effectum hunc praevideat. Hinc effatum: *Qui est causa causae, est causa causati.* Sic quando quis peccat coram aliis, scandalum ex eius peccato proveniens ratione voluntarii indirecti ipsi imputatur.

Causa autem multiplex distinguitur, scilicet

1° *Physica,* vel *moralis. Prior* est, quae physice agendo effectum producit, ut ignis incendium, sol lucem. *Posterior,* quae aliam cau-

(*a*) Praepropere hoc loco ponitur ista resolutio, quae notum id supponit, quod disserendum infra erit de metu. Itaque ut vera sit resolutio, supponi debet, metum 1° nec valde rationis usum turbasse, 2° nec a servando praecepto excusare. Nam, prout infra dicetur, timor gravis mali non modo excusat a praecepto ecclesiastico, v. gr. audiendi Missam, sed etiam a divino positivo, v. gr. integre confitendi, imo et a divino naturali, v. gr. servandi secretum.

(*b*) Imo nec ipsa omissio, si vere voluntaria, idest libera sit, iuxta veriorem doctrinam intelligi potest sine aliquo actu voluntatis. Necesse est enim, ut ad eam voluntas se determinet, illamque prae opposita eligat. Porro eiusmodi determinatio seu electio dicit positivum actum voluntatis. Aequivocationem autem, cui innititur sententia opposita, quae scilicet liberam omissionem contingere admittit sine ullo voluntatis actu, facile ex S. Thoma *(1. 2. q. 71. art. 5.)* deprehendes.

sam liberam ad agendum efficaciter movet. Sic homicidium iubens causa moralis est occisionis.

2° *Immediata*, vel *mediata*. *Prior* ea est, quae effectum producit, nulla alia intercedente causa, v. gr. si quis transfodiat pectus alterius, erit causa immediata eius mortis. *Posterior,* quae effectum non producit, nisi alia causa interposita. Hinc causa moralis est semper causa mediata.

3° *Proxima,* vel *remota.* Dicitur *proxima,* quae habet connexionem necessariam vel ordinariam cum effectu. *Remota* vero, quae licet effectum producere valeat, vim tamen magnam non habet, et in illum non influit notabiliter; vel ea est, ex qua effectus ut plurimum non provenit.

4° *Causa per se,* vel *per accidens. Prior* est, quae ex natura sua tendit et ordinatur ad effectum producendum. Sic potus excessivus est causa *per se* ebrietatis. *Posterior* vero, quae licet non sit ex natura sua ordinata ad quempiam effectum, attamen aliquando, intercedente aliqua circumstantia, illum producere valet. Sic homicidium ex ebrietate sequi potest. Plerumque haec ultima divisio in praecedentem recidit.

8. **Principia.** — I. *Principium.* Triplex conditio requiritur, ut effectus agenti, seu ponenti causam imputari queat, scilicet

1° Ut agens effectum, *saltem in confuso,* praeviderit. Ratio est, quia effectus nullo modo praevisus, nullatenus potest esse voluntarius: *nihil enim volitum , quin fuerit praecognitum.* Hinc ebrietas voluntaria non est, nec ei imputanda, qui inebriatur ex modico vino, cuius vim ignorabat. Non ergo , ut quidam contenderunt, sufficit ad culpam , ut malus effectus *potuerit,* aut *debuerit praevideri;* nam negandum est suppositum, scilicet, posse praevideri effectum, si de facto non praevideatur *saltem in confuso:* prima enim idea alicuius rei non est in hominis potestate.

2° Ut agens potuerit causam non ponere, vel positam auferre; secus enim , deficiente libertate , necessario deficit voluntarium. Aliunde obligatio dari nequit, quando haec impleri non potest. Hinc axioma: *Nemo ad impossibile tenetur.* Hinc etiam *Aug. de lib. arb. lib. III. cap. 18: Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?*

3° Ut agens , ne talis effectus sequatur, teneatur causam non ponere, aut positam tollere. Si enim non detur obligatio vitandi causam, effectus ex illa sequens imputari nequit; quia agens iure suo utitur, et se habet tantum permissive quoad effectum. Hinc motus inordinati non imputantur medico vel chirurgo in exercitio artis suae, quasi voluntarii; quia isti artem suam ad hunc effectum praecavendum omittere non tenentur , sed e contrario iustam habent rationem eam exercendi, ut ex principio sequenti magis declarabitur. — *S. Thom. 1. 2. qu. 20. art. 5.*

9.— II. *Principium.* Licet ponere causam bonam aut indifferentem,

ex qua immediate sequitur duplex effectus, unus bonus, alter vero malus, si adsit causa proportionate gravis, et finis agentis sit honestus, pravum scilicet effectum non intendat. — *S. Thom. 2. 2. qu. 64. art. 7.*

Ratio huius principii est, quia, si id non liceret, agens peccaret, vel ex intentione pravi effectus, vel ex positione causae, vel ex praevisione effectus mali. Porro nullum ex his dici potest.

Etenim 1° hoc illicitum non est ratione finis, quippe qui supponitur honestus; 2° neque ratione appositionis causae, siquidem supponitur bona, vel saltem indifferens, aut etiamsi mala sit, non tamen sit mala ob secuturum illum effectum; 3° neque ex praevisione pravi effectus, nam in hypothesi hic non intenditur, sed mere permittitur; eum autem permittendi causa adest proportionate gravis ac iusta.

Quatuor autem conditiones, quae in hoc principio enuntiantur, omnino requiruntur, scilicet 1° ut honestus sit finis agentis; 2° ut causa sit bona, vel saltem indifferens; 3° ut effectus bonus sit immediatus, et 4° adsit ratio gravis ponendi causam, nec teneatur agens ex iustitia, aut ex officio, aut ex charitate eam omittere.

Itaque 1° requiritur finis bonus, idest agens malum effectum intendere non debet, quia secus malus effectus esset in se voluntarius. Idcirco neque de pravo effectu ullo modo sibi complacere debet.

2° Requiritur causa bona, vel saltem indifferens, scilicet ut actus nulli legi opponatur (*a*). Ratio evidens est. Etenim, si causa in se mala foret, per se reatum induceret.

3° Requiritur ut bonus effectus saltem aeque immediate ex causa sequatur. Ratio est, quia si causa directe et immediate pravum habet effectum, et nonnisi mediante illo pravo effectu bonus effectus provenit, tunc bonum ex malo quaeritur: porro nunquam fas est malum, quantumvis leve, patrare ad bonum quodcumque procurandum; nam iuxta pervulgatum axioma ex Apostolo depromptum *Rom. 3. 8: Nunquam sunt facienda mala, ut eveniant bona.* Sic mentiri tibi non licet, etiam ad vitam hominis salvandam.

4° Requiritur ut adsit ratio proportionate gravis ponendi causam; quia aequitas naturalis nos obligat ad vitanda mala, et praecavenda proximi damna, quando id sine damno proportionate gravi possumus (*b*).

(*a*) Haec enunciatio patet latius, quam par sit. Et sane qui iniuste hominem occidit, causam, ob quam creditores damnum patiantur, malam imo pessimam ponit, nec tamen idcirco ad restitutionem, nisi damnum illud intenderit, ex communi DD. sententia tenetur. Reatus itaque spectandus hic est, non qui causae in se insit propter oppositionem ad legem quamlibet, sed qui ex obligatione effectum illum praecavendi exsurgat.

** (*b*) Hic tamen non unice perpendendum est damnum seu incommodum tunc agentis, sed etiam ac multo magis commune omnium incommodum, si generatim id exigeretur.

Porro in hisce casibus eo maior ratio requiritur ad agendum, quo propinquius causa malum effectum attingit, quo probabilior est malus effectus, et quo minus iuris ad actionem in se spectatam habetur.

10. **Resolves.** — 1° Effectus malus, qui sequitur *per accidens* ex causa voluntaria, non est ad culpam imputabilis, nisi adsit circumstantia accidentalis unde praevideatur effectus necessario praecavendus: v. gr. vendere arma per se nullum est malum; licet malum sit ea vendere alicui furioso. Ratio prioris partis est, quia effectus malus, si forte sequatur, nisi sit intentus, non est proprie voluntarius, cum non contineatur in causa per necessariam connexionem, nec ad huiusmodi effectum causa ordinetur. Ergo causam ponens in effectum efficaciter non influit; atque adeo effectus non est imputabilis. — *Reuter, n. 15.* — Ratio alterius partis est, quia damnum, quod ex armis furioso traditis facile praevidere potes, avertere tum ex charitate tum ex iustitia teneris.

2° Voluntariae sunt blasphemiae, impudicitiae, rixae aut iniustitiae, quae in ebrietate fiunt, quando praevideri possunt; sufficienter autem praevidentur ex consuetudine talia in hoc statu peragendi, et proinde sunt in causa voluntariae, et ad peccatum imputabiles.

3° Non peccat belli dux, qui tempore obsidionis ad arcendum hostem incendat agros, etc..., etsi per accidens patiantur incolae innocentes. Item si incendat turrim, in qua simul cum hostibus forte peregrini bello extranei includuntur; quia causa damni huius est in se honesta; damnum autem innocentium mere *per accidens* sequitur, nec intenditur, sed tantum permittitur.

4° Non peccat Sacerdos, qui porrigit Communionem peccatori occulto publice petenti; quia quamvis sacrilegium sit malum ingens, tamen damnum publicum ex tali Eucharistiae denegatione secuturum magis vitandum est.

5° Non peccat qui pecunia egens, nec aliunde habere valens, mutuum petit ab usurario lucrum iniustum exacturo; quia petitio pecuniae per se non est causa malae voluntatis exigendi iniustas usuras, sed soli usurario animus suus pravus est imputandus.

6° Peccat graviter puella, quae ex delicto gravida abortum procurat ad vitandam infamiam; ratio, quia non adest sufficiens causa eiusmodi damnum proli inferendi (*a*).

7° Advocatus non tenetur omittere iustam defensionem, ex qua secutura est mors iniusti invasoris. Ratio est, quia damnatio, quam subire debet malefactor, non sequitur ex iusta invasi defensione, sed ex invadentis malitia, quae ipsi voluntaria ac libera fuit (*b*).

**(*a*) Rationem melius petes ex dictis ad Princip. II. n. 3°, prouti videre licet etiam infra n. 403. in Resol. 1.

**(*b*) Vix apparet, quorsum de hoc quaestio moveatur. Nam si licet accusare reum, immo licet et supplicium reorum ex recto fine optare, quidnam dubii oriri potest circa casum hic propositum?

8º Si causa remote et leviter influat in effectum malum, et ex ea etiam sequatur aliquis bonus effectus, quamvis non praeponderet, aut non aequivaleat malo, non est obligatio auferendi causam; quia minor ratio requiritur ad ponendam causam leviter tantum et remote influentem in malum, quam si graviter et proxime influeret. Hinc non teneris abstinere a colloquio honesto et utili propter carnales motus inde exsurgentes. Ita Billuart, *diss. 1. art. 1.*

9º Si vero causa remote et leviter influens sit in se venialiter mala, aut ex ea nullus sequatur bonus effectus, obligatio aderit eam auferendi, sed levis, et sub veniali tantum, nisi agatur de gravi proximi damno; ratio, quia ista obligatio aestimanda est iuxta quantitatem influxus causae. Cum enim effectus non sit voluntarius, nisi in causa, et leviter ac remote contineatur in causa, leviter est in ea voluntarius, adeoque leviter ad culpam imputabilis, et idcirco levis obligatio auferendi causam ob illum effectum. Billuart, *ibid.*

10º Omissio actuum, de quibus homo nullatenus cogitat, ne indirecte quidem est voluntaria; quia illi actus advertentiam agentis penitus effugiunt. Attamen talis omissio potest esse voluntaria et imputabilis in causa, si oblivio seu inadvertentia ex praecedenti negligentia proveniat (*a*).

11º Qui scienter ponit causam actionis vel omissionis, in eo instanti malitiam coram Deo contrahit, etsi actio vel omissio reipsa non sequatur; et proinde eam ut volitam confiteri tenetur. — *V. Casus, t. 1. n. 7. et seq.*

Ex iisdem principiis circa voluntarium indirectum et in causa innumerae aliae pendent resolutiones, praesertim ubi de scandalo, et de cooperatione tum ad alterius peccatum tum in damnum proximi.

ARTICULUS II.

DE LIBERO

11. — Definitio. Liberum dicitur, quod procedit a voluntate seipsam determinante cum potentia non agendi. Libertas vero est facultas agendi vel non agendi, seu facultas unum eligendi prae alio. Hinc omne liberum est voluntarium, sed non viceversa.

Licet liberum et voluntarium in se distinguantur, ut patet ex definitione utriusque, in actibus tamen, quibus homo viator ad finem suum tendit, reapse non distinguuntur; quoties enim actus aliquis est voluntarius, est etiam liber, et viceversa. Ratio est, quia

**(*a*) Auctores Vindiciar. Alphonsin. *(pag. 906.)* haec exhibent tamquam dissona a doctrina S. Alphonsi (Lib. 4. n. 143), ubi statuit, tot peccata committi, quot omissiones fuerint praevisae etc., de qua doctrina sermo redibit in Tractatu *de Peccatis*. Magnus erit Apollo, quisquis divinare sciat, ubinam in his sit dissensio. Ad indicandos hosce AA., utemur deinceps signo VV.

homo viator sui compos in his, quae sunt ad finem, nunquam necessario agit (*a*).

Divisio. Multiplex distinguitur libertatis species.

1° Libertas a *necessitate*, seu libertas indifferentiae, vel electionis, quae est immunitas ab omni necessitate intrinseca antecedente; et haec est proprie et stricte dicta libertas.

2° Libertas a *coactione*, seu libertas *spontaneitatis*, quae est immunitas ab omni violentia extrinsecus illata.

3° Libertas *contradictionis*, quae est facultas se ferendi ad contradictoria, v. gr. studendi, aut non studendi.

4° Libertas *contrarietatis*, per quam eligere aliquis unum quid potest, aut huius contrarium, v. gr. diligere, vel odio habere.

5° Libertas *specificationis*, quae est facultas se ferendi ad diversa, v. gr. ambulare, ludere, etc.

His praemissis, catholicae doctrinae praecipua fundamenta paucis subiicienda sunt.

PROPOSITIO I.

12. — ***Homo in statu naturae lapsae liber est ab omni necessitate intrinseca.***

Constat 1° *ex Scriptura sacra.* Sic enim *Eccli. 31. 10: Erit illi gloria aeterna, qui potuit transgredi, et non est transgressus; facere mala, et non fecit.* Et *Eccli. 15. 14: Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adiecit mandata et praecepta sua: si volueris servare mandata, conservabunt te... Ante hominem vita et mors, bonum et malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* Eadem doctrina ex sexcentis aliis sacrae Scripturae locis confirmatur.

2° *Ex ratione.* Homo ex omnium consensu potest mereri et demereri, seu elicere actus meritorios et demeritorios; atqui ad hoc requiritur libertas a necessitate: et sane nisi homo esset liber ad

(*a*) Egregie more suo S. Thomas (*2. Dist. 25. q. 1. art. 2. o*): *Si proponitur voluntati aliquod bonum, quod completam boni rationem habet, ut ultimus finis, propter quem omnia appetuntur, non potest voluntas hoc non velle: unde nullus non potest non velle esse felix, aut velle esse miser. In his autem, quae ad ultimum finem ordinantur, nihil invenitur adeo malum, quin aliquod bonum admixtum habeat; nec aliquod adeo bonum, quod in omnibus sufficiat: unde quantumcumque ostendatur bonum vel malum, semper potest adhaerere et facere in contrarium ratione alterius, quod in ipso est, ex quo accipitur, si malum est simpliciter, ut apparens bonum, et si bonum est simpliciter, ut apparens malum; et inde est, quod in omnibus, quae sub electione cadunt, voluntas libera manet, in hoc solo determinationem habens, quod felicitatem naturaliter appetit, et non determinate in hoc vel illo.* Quae quidem doctrina non minus rectae rationi quam fidei catholicae congrua manifeste ostendit, quo loco habenda sit recens quaedam philosophia, quae praetexto *limitum libertatis humanae* titulo innumeros actus inaniter invehit, ad quos homo viator, alioquin sui compos, necessario feratur.

actum ponendum aut non ponendum, non esset dominus actus sui, ergo actus ille non posset ipsi imputari neque ad meritum neque ad poenam. Insuper ad quid praecepta homini imponerentur? Ad quid prodessent adhortationes? Ad quid praemia, minae, et poenae, nisi homo libertate potiretur? Demum id constat ex sensu intimo, cum homo se sentiat liberum, et aliunde sensus intimus fallere nequeat. Ergo...

3° *Ex definitione Ecclesiae.* Sic enim sancitum fuit in *Conc. Trid. sess. 6. can. 5: Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo..., anathema sit.*

Confirmatur ex damnatione *prop. seq.* Iansenii ab Innoc. X facta: *Ad merendum vel demerendum in statu naturae lapsae non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione* (*a*).

PROPOSITIO II.

Homo viator non tantum est liber libertate contradictionis, sed etiam libertate contrarietatis, qua ad malum ferri potest.

Constat ex omnibus rationibus et testimoniis mox relatis, v. gr. ex illis verbis: *Potuit transgredi..., facere mala,* etc.

Caeterum tota essentia liberi arbitrii reperitur in libertate *contradictionis;* in eo enim consistit, quod sit facultas agendi, vel non agendi: atqui hoc praestat libertas *contradictionis,* ut patet. Ergo... Hinc potentia peccandi non est de ratione liberi arbitrii. — *Vide plura de libertate in Theologia dogmatica.*

ARTICULUS III.

DE OPPOSITIS VOLUNTARIO ET LIBERO

Quatuor opponuntur, scilicet ignorantia, concupiscentia, metus, et vis seu violentia.

§. I. *De ignorantia.*

13. — DEFINITIO. Ignorantia generatim sumpta est carentia scientiae.

DIVISIO. Distinguitur ignorantia

1° *Positiva* vel *negativa,* prout est carentia scientiae debitae, vel indebitae, v. gr. ignorantia iuris canonici in rustico.

(*a*) Adverte insuper, libertatem Adami peccantis non sufficere, ut hominis lapsi actiones evadant morales ac demeritoriae. Definitum id habemus in proscriptione huius thesis Christiani Lupi, quae prima est inter 31. damnatas ab Alexandro VIII: *In statu naturae lapsae ad peccatum formale et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in sua causa, peccato originali et libertate Adami peccantis.*

2° *Iuris*, vel *facti*, prout versatur circa legis, vel facti particularis existentiam.

3° *Vincibilis*, vel *invincibilis*, prout, adhibita diligentia, vinci potest, vel non. — Invincibilis autem est *physice*, si nullo modo vinci possit (*a*); *moraliter* vero, si adhibita morali diligentia tolli nequeat. Moralis autem censetur ea diligentia, quam viri prudentes, pro rei gravitate, adhibere solent. Porro non datur ignorantia vincibilis, nisi cognoscatur, saltem *in confuso*, obligatio ulterius inquirendi; quia prima idea non est in hominis potestate.

Hinc mentio quoque facienda ignorantiae *concomitantis*, qua quis ignorat quid agat, sed adhuc ageret, licet non ignoraret. Ipsa in actum nullatenus influit. — *Scav.*

Ignorantia vincibilis triplex distinguitur, scilicet 1° *simpliciter talis*, quando ad eam depellendam diligentia aliqua, non tamen sufficiens, adhibetur; 2° *crassa* seu *supina*, quando nullum aut vix ullum in veritate indaganda studium apponitur; 3° *affectata*, quando quis media ignorantiam deponendi voluntarie refugit, ne a suo proposito retrahatur.

Ad ignorantiam invincibilem referenda est oblivio perfecta, et inadvertentia plena. Hae autem, si non sint perfectae, et ex negligentia procedant, ad ignorantiam vincibilem spectant.

4° Ignorantia *antecedens* ea est, quae praecedit omnem voluntatem; *consequens* vero, quae eam aliquo modo subsequitur (*b*).

14. **Principia.** — I. Ignorantia invincibilis penitus tollit voluntarium, tum quia ipsa non est voluntaria, tum quia nihil esse potest voluntarium, ubi nulla est cognitio. Nullus igitur actus ex ignorantia invincibili procedens imputari agenti potest.

Sic pariter de oblivione et inadvertentia perfecta statuendum, cum eadem ratio recurrat.

II. Ignorantia vincibilis non tollit voluntarium. Talis enim ignorantia sive directe, sive indirecte est vere voluntaria. Attamen voluntarium minuit, quia est causa illud volendi, quod, ea absente,

(*a*) Huius considerationis nullus usus est in moralibus; nusquam enim Theologi inquirunt, num *physice*, sed solum an *moraliter* ignorantia sit vincibilis.

(*b*) Ad rem S. Thomas (1. 2. q. 6. a. 8.): *Antecedenter se habet ad voluntatem ignorantia, quando non est voluntaria, et tamen est causa volendi, quod alias non vellet... Et talis ignorantia causat involuntarium simpliciter.*

Consequenter autem se habet ignorantia ad voluntatem, in quantum ipsa ignorantia est voluntaria... Cum autem ipsa ignorantia sit voluntaria... non potest causare simpliciter involuntarium: causat tamen secundum quid involuntarium, in quantum praecedit (idest causat) *motum voluntatis ad aliquid agendum, qui non esset, scientia praesente.*

Et ex his patet, ignorantiam *antecedentem* dici, quae nec voluntaria est, nec vincibilis, atque adeo nec culpabilis; *consequentem* vero et voluntariam esse, et vincibilem, et plus minusve culpabilem.

quis nunquam vellet. Idem quoque ob paritatem rationis de oblivione et inadvertentia imperfecta dicito.

III. Ignorantia crassa et ignorantia affectata multo minus minuunt voluntarium, ac proinde peccatum. Ratio est, quia prior ex gravi oritur negligentia, posterior vero de industria ad liberius peccandum retinetur.

Resolves. — 1° Coniux peccans cum muliere, quam invincibiliter ignorat esse sororem uxoris suae, reus est adulterii, non tamen incestus, utpote invincibiliter ignorati.

2° Pueri, qui egerunt de se illicita sine ullo angore conscientiae vel suspicione malitiae, reipsa formaliter non peccarunt, etsi usum rationis adepti iam fuerint; et proinde postea non tenentur ea confiteri, dum esse illicita intelligunt, cum peccata materialia non sint materia confessionis.

3° Si confessarius vel iudex advertat sibi deesse sufficientem scientiam ad fungendum, uti par est, officio suo, et negligat scientiam acquirere, aut antequam illam acquirat, pergat munus suum exercere, tenebitur de erroribus, quos aliquo saltem modo praevidit, quia ipsi, saltem in causa, sunt voluntarii.

4° Si negligentia in deponenda ignorantia sit tantum venialiter culpabilis, factum ex ea sequens ad culpam tantum venialem erit imputabile. Ratio, quia eiusmodi actus sunt voluntarii atque adeo culpabiles tantum in causa; cum ergo causa, ignorantia scilicet, ad gravem culpam non pertingat, effectus quoque levem culpam excedere non potest.

De ignorantia plura alia vide alibi passim, imprimis in tractatu de Conscientia, de Legibus, de Peccatis et de Contractibus in genere, ubi de errore. — V. Casus, Vol. 1. n. 12. et seq.

§. II. *De concupiscentia.*

15. — Definitio. Concupiscentia est motus appetitus sensitivi, quo voluntas fertur ad bonum sensibile (*a*).

Divisio. Duplex distinguitur: alia *antecedens*, et alia *consequens*. Prior est, quae ordine causalitatis quamlibet praecedit voluntatis deliberationem seu consensum, eamque ad consentiendum allicit ac trahit. Posterior vero est, quae ordine causalitatis actum voluntatis sequitur, sive quia vehemens voluntatis motus redundat in inferiorem appetitum, sive quia hunc ipsum voluntas directe et de industria excitat (*b*).

(*a*) Nimirum *concupiscentiae* nomine hic intelligitur non quidem perpetuus ille nobisque insitus pravarum cupidinum fomes, de quo Apostolus *(Rom. VII. 23.): Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae,* etc., sed uti post Damascenum inquit S. Thomas *(3. Dist. 26. q. 1. art. 1.): Motus appetitivae virtutis sensibilis, qui est ex imaginatione boni vel mali.*

(*b*) Duplex scilicet distinguenda est concupiscentia *consequens;* alia enim

Principia. — I. Concupiscentia antecedens, atque adeo non voluntaria, quo maior est et vehementior, magis peccatum imminuit, imo a peccato omnino excusare potest. Ratio, quia motus appetitus sensibilis turbat, minuit, seu etiam impedit iudicium rationis; causae autem, quae diminuunt iudicium rationis, diminuunt et voluntarium. Cum igitur actus in tantum sit peccatum, in quantum est voluntarius, eo ipso concupiscentia, dum voluntarium imminuit, minuit et peccatum; atque adeo ubi intensior ac fortior est concupiscentia, ibi minus est peccatum; imo penitus cessabit ratio peccati, si concupiscentiae motus totaliter usum rationis impediat. S. Thom. *1. 2. q. 73. art. 6;* et *q. 77. art. 2. 6. et 7.* (*a*).

II. Concupiscentia consequens, ideoque voluntaria, non diminuit peccatum, sed magis auget, *seu potius* (ut ait S. Thomas *1. 2. q. 77. art. 6.*) *est signum magnitudinis eius, in quantum demonstrat intensionem voluntatis ad actum peccati*. S. Thom. *1. 2. q. 77. art. 6.*

Prob. 1ª pars, quia peccatum consistit in actu voluntatis rationalis, qui ex hypothesi antecedit motum concupiscentiae, sicut causa praecedit effectum. Posterior ergo rationis perturbatio, quam concupiscentia inducit, non potest afficere actum peccandi, qui iam praecessit, ideoque nec voluntarii et peccati rationem minuere.

Prob. 2ª pars, quia, ut habet S. Thomas (De mal. q. 3. art. 11): *Quando ex forti motu voluntatis commovetur appetitus sensitivus ad passionem, passio addit meritum vel demeritum, quia est signum, quod motus voluntatis sit fortior: et hoc modo verum est, quod ille qui cum maiori compassione facit eleemosynam, magis meretur* (*b*), *et qui*

quasi indirecte est ex redundantia, quatenus motus voluntatis redundat in appetitum; alia vero directe a voluntate cietur. Prior voluntaria dicenda est potius *in causa,* quam *in se;* secus vero, ubi quis appetitum excitet, vel excitatum studiose foveat et continuet, uti v. gr. cum quis apposite de inimico, acceptisque iniuriis cogitat, ut in se odium accendat aut vindictae augeat cupidinem. *Sic* (inquit Suarez in 1. 2. Tr. 2. Disp. 3. Sect. 3. n. 1.) *homines studiosi excitant in se similes affectus ad melius exercendas actiones, et de hac* (concupiscentia) *dixit Aristoteles* (3. Eth. c. 8.), *operari ex ira non esse viri fortis, sed excitare in se iram per virtutem fortitudinis, ut melius operetur: adducit Homerum dicentem:* virtuti immitte furorem: *et de hac Augustinus* (De Civ. Dei Lib. 14. c. 9.) *dicit, sapientem non posse in hac vita vivere sine affectibus.* Et huc quidem spectat, quod quispiam eos reprehensurus, quos tenero diligat affectu, semet ad reprehensionem serio adhibendam quodammodo excitare debeat.

(*a*) S. Thomas: *Passio quandoque est tanta, quod totaliter aufert usum rationis, sicut patet in his, qui propter amorem vel iram insaniunt. Et tunc si talis passio... non fuerit voluntaria... actus omnino redditur involuntarius, et per consequens totaliter a peccato excusat. Quandoque vero passio non est tanta, quod totaliter intercipiat usum rationis. Et tunc ratio potest passionem excludere... Unde talis passio non totaliter excusat a peccato.* 1. 2. q. 77. a. 7.

(*b*) Ex his patet, ea quae hic dicuntur de motibus sensitivi appetitus, aeque spectare ad actus malos ac bonos. Proinde totam doctrinam actibus bonis sic applicat S. Thomas (1. 2. q. 77. a. 6. ad 2.): *Bona passio consequens iudicium rationis augmentat meritum; si autem praecedat, ut*

cum maiori libidine facit peccatum, magis peccat: quia hoc est signum, quod motus voluntatis sit fortior.

16. — Hucusque de concupiscentia, prout est passio appetitus sensitivi ad bonum vel ad malum indifferens, et a Theologis consideratur uti minuens aut etiam penitus auferens voluntarium. Nunc nonnulla alia de concupiscentia, prouti hoc nomine designatur pravarum cupiditatum fomes, de qua saepius Apostolus disserit, estque ad malum propensio non solum in inferiori, sed etiam in superiori appetitu residens (*a*).

Principia. — I. Utcumque pravi fomitis stimulis animus pulsetur, nulla unquam aderit peccati labes, nisi aliquo modo voluntas aut eis consentiat, aut ipsos, cum potest et debet impedire, non impediat. Communis et certa. — Vid. S. Thom. *2. dist. 34. q. 3. art. 1*; et *Quodlib. 4. art. 21.*

II. Voluntatis motus primo-primi, nempe qui praeveniunt quamlibet rationis deliberationem, et eliciuntur, antequam attendatur ad obiecti convenientiam cum regula morum, prorsus culpa carent. Ratio, quia quatenus deliberationem rationis, et advertentiam ad moralem malitiam praeveniunt, nec voluntarii sunt nec liberi, et consequenter formalis peccati sunt expertes. Ita Theologi omnes.

III. Motus voluntatis secundo-primi, qui scilicet ad aliqualem rationis usum consequuntur, eliciuntur tamen cum tenui tantummodo, obscura, et imperfecta ad regulam morum advertentia, in qualibet etiam gravi materia sunt solum peccatum veniale. Ratio, quia eiusmodi actus sunt imperfecte liberi et solum semi-deliberati; adeoque propter imperfectionem actus a gravi culpa excusantur. Ita pariter Communis Theologorum.

Resolves. — 1° Motus utcumque pravi, quousque voluntati displicent, etiam post advertentiam ad regulam morum, omni culpa vacant. Ratio, quia ubi est eiusmodi displicentia, nullus est consensus. *Nocere autem non consentientibus, sed viriliter per Christi gratiam repugnantibus (concupiscentia) non valet*, ut docet Synodus Trid. *Sess. 5.*

2° Motibus concupiscentiae, post rationis advertentiam, resisti debet saltem per displicentiam virtualem, animum scilicet ad alia distrahendo, nec sufficit se negative seu neutraliter tunc habere, etiamsi periculum consensus abesse videatur. Ita communiter Theologi.

3° Potissime vero id valet quoad motus concupiscentiae in re venerea, qui ne praetextu quidem luctae et exercitii virtutis retineri debent.

4° Nulla tamen adest obligatio carnalibus motibus positive resi-

scilicet homo magis ex passione, quam ex iudicio rationis moveatur ad bene agendum, talis passio diminuit bonitatem et laudem actus.

(*a*) Commodior de his disputandi locus communiter, et quidem merito, in Tractatu *De Peccatis* servatur. Nihil enim ea pertinent ad quaestionem praesentem de iis, quae *voluntarium* minuant aut prorsus tollant.

stendi, cum talis resistentia subinde magis illos excitet; multoque minus necessaria est resistentia materialis.

5° Non modo quoad carnales motus, sed etiam quoad motus contra fidem et charitatem resistentia mere indirecta per distractionem mentis consulenda est, potiusquam directa aliqua resistentia seu oppugnatio. — *S. Alph. Lib. 5. n. 6.*

6° Nec item tenemur ad positivam resistentiam adversus quamlibet tentationem, quae diu protrahatur; hoc enim nimis molestum, et innumeris scrupulis obnoxium foret.

7° Quando absit periculum consensus, in motibus concupiscentiae mere negative se habere iuxta veriorem sententiam peccatum tantum veniale est, licet de obiecto gravi agatur, nec alia adsit causa a resistentia excusans. — *S. Alph. Lib. 5. n. 9.*

Quaeres: *Quaenam sint remedia contra motus concupiscentiae?*

Resp. Ea generatim, quae eorum causis opponuntur. Hinc si proveniant ex phantasia, haec compescenda est, aut ad alia convertenda; si ex obiectis externis, aut occasionibus, haec fugienda, nisi iustae rationes contra exigant, aut ab omnibus obiectis quis moveatur; si ex complexione, vel humorum abundantia, mortificatio adhibenda est; si ex timore, vincendus hic est, seu spernendi sunt motus. — *V. Casus, n. 21.*

§. III. *De metu.*

17. — Definitio. Metus est trepidatio mentis ob aliquod periculum instans vel futurum sibi aut proxime coniunctis.

Divisio. Metus sic communiter dividitur, scilicet

1° Metus *gravis,* vel *levis,* prout timetur malum vel *grave,* uti mors, mutilatio, dura carceratio, notabile famae detrimentum, magna bonorum iactura, etc.; vel *leve* e contrario, seu mediocre incommodum, uti amissio rei levis momenti, exiguum famae detrimentum, vel etiam *grave,* sed ex levi causa, aut quod facile averti possit, etc.

Metus autem gravis est *absolute,* vel *relative.* Metus dicitur *absolute gravis,* cum mala in se vere gravia timentur; *relative* autem *gravis,* quando, licet levis in se, gravis tamen est respective ad quasdam personas: sic pueri, mulieres, senes timore maiori in eodem periculo affici solent, quam viri aetate maturi.

2° Metus ab *intrinseco,* vel ab *extrinseco,* prout provenit a causa intrinseca, v. gr. a morbo, ab infirmitate mentis, etc., vel a causa extrinseca sive libera, nempe ab homine, sive necessaria seu naturali, ut ex elementis, contagione, etc.

3° Metus *iuste,* vel *iniuste* incussus, prouti causa vel iusta, v. gr. poenarum promeritarum infertur; vel iniusta, hoc est per iniuriam incutitur.

Addendus etiam metus reverentialis, qui habetur quando quis

timet ne parentes suos, aut alios Superiores habeat offensos. Ad metum iustum vel iniustum refertur, prout iusta vel iniusta est eius causa. Potest autem esse gravis, si prudens timor sit, ne diu vel graviter offensi habeantur, qui metum incutiunt.

18. **Principia.** — I. Actus ex metu quantumvis gravi positus, est *simpliciter*, et *absolute voluntarius* et *liber*. Ratio est, quia per metum neque tollitur cognitio ex parte intellectus, nisi penitus mens perturbetur, neque electio ex parte voluntatis, quae semper gaudet facultate se determinandi in oppositum. — *S. Lig. n. 21.* — Hinc semper ut apostatae illi habiti sunt, qui metu tormentorum victi Fidem negarunt.

II. Quae ex metu fiunt, etiamsi sint simpliciter voluntaria, tamen regulariter (*a*) sunt etiam involuntaria *secundum quid :* unde et culpae gravitas minuitur. Ratio est, quia cum quis solo metu ad agendum impellitur, ita agit, ut absente metu ab agendo refugeret; atque adeo opus ex solo metu factum sociatam quandam voluntatis tristitiam ac repugnantiam, licet inefficacem, habet.

III. Si metus rationis usum auferat, actus, uti patet, voluntarius nullo modo esse potest. Si autem non auferat quidem usum rationis, sed illum notabiliter impediat, actus erit imperfecte voluntarius ob imperfectam rei cognitionem.

IV. Metus sub omni respectu levis saltem in foro externo (*b*) non censetur actuum causa efficax. Praesumitur enim, eiusmodi timorem contemni facile potuisse, atque adeo hominem sua prorsus sponte egisse.

19. **Resolves.** — 1° Metus levis nunquam a peccato gravi excusare potest, ubi materia praecepti violati gravis est.

2° Metus etiam gravis non excusat *per se* a peccato mortali, nec de mortali veniale facit, quoties violatio cedit in contemptum Fidei vel Religionis, et generatim quoties lex non cessat propter grave aliquod incommodum, ut infra dicetur in *Tract. de Leg. n. 108.* Caeterum remoto eiusmodi periculo, metus gravis excusat a lege humana; quia non censetur legislator cum tanto incommodo obligationem legis urgere velle (*c*).

3° Metus, si rationem perturbet, excusat a mortali, ut supra dictum est, ubi de concupiscentia, *n. 15.*

(*a*) Dicitur *regulariter;* quia dolor peccatorum, qui ex metu divinae ultionis elicitur, omnem veri *involuntarii* rationem, seu omnem affectum deliberatum erga peccatum excludit.

(*b*) Dicitur *in foro externo;* quia est mera praesumptio, cum alioqui etiam metus levis possit reapse causa esse agendi, adeo ut actus sit quidem *simpliciter* voluntarius, tamen involuntarius quoque *secundum quid;* et quamvis levis metus excusare non possit a gravi ulla obligatione, attamen, si iniuste incutiatur, probabiliter in foro conscientiae ius tribuit, ne quis ad contractum ex tali metu initum obligetur. — *S. Alph. Lib. 3. n. 718.*

(*c*) Quando autem metus a censuris aliisve poenis delinquentem eximat, aut quando actuum valori obsit, suis locis, ubi de Voto, de Contractibus, de Matrimonio, de Censuris, etc., disputatur.

4° Metus ab intrinseco vel a causis naturalibus proveniens, non impedit quominus actus ex illo elicitus sit simpliciter voluntarius, et possit esse validus : sic valet votum ex metu mortis in medio naufragio, aut in gravi morbo emissum. — *Reuter, n. 20.— Billuart, diss. 1. art. 7. — Elbel, n. 48. — V. Casus, n. 17. et seq.*

§. IV. *De vi, seu violentia.*

20. — Definitio. Vis seu violentia est coactio, quae a causa extrinseca et libera alicui infertur, repugnante eius voluntate.

Divisio. Duplex distinguitur violentia, scilicet, *absoluta* vel *secundum quid*, prout coactio alicui omnimode, vel aliquatenus tantum repugnanti infertur (*a*).

Principia. — I. Actus eliciti voluntatis nullatenus cogi possunt, quia voluntati vis inferri nequit. Proinde S. Anselmus: *Invitus* (inquit) *nemo potest velle, quia nemo potest nolens velle* (De libero arbitrio, c. 6.). Et S. Thomas: *Contra rationem ipsius actus voluntatis est quod sit coactus, vel violentus (1. 2. q. 6. art. 4.).*

II. Actus externi (*b*) ex violentia absoluta positi nullatenus sunt voluntarii aut liberi, nec proinde peccaminosi aut demeritorii; actus autem externi, qui ex violentia *secundum quid* tantum ponuntur, plus vel minus sunt liberi pro maiori vel minori resistendi difficultate, aut pro maiori vel minori affectu, quo quis vim patitur. — *S. Lig. n. 17-18.*

21. **Resolves.** — 1° Mulier quae omnimode resistit violentiae, quae ipsi infertur, nullo modo peccat, etiamsi stuprum patiatur; nemo enim peccat omnino invitus.

2° Peccant graviter feminae vim patientes, si pusillanimitate, aut vano timore, v. gr. offendendi aggressorem, etc., non resistant, quantum possunt, etiam secluso periculo consensus ; quia etiamsi non consentiant in sensualem delectationem, tamen dum minus, quam par est, resistunt, aequivalenter in sui violationem consentiunt, et crimini alterius cooperantur. — An vero peccet mulier vi oppressa, si ob metum mortis clamare omittat, controvertitur. — Probabiliter negandum videtur, secluso consensus periculo. Imo valde probabiliter, secluso praedicto periculo, non tenetur mulier ad clamandum, stante periculo cuiuslibet notabilis damni, sive infamiae, vel nimiae verecundiae; nam si alioqui iam resistat quantum potest, non

(*a*) Dupliciter contingit, quempiam aliquatenus tantum repugnare, scil. 1° cum vis non est eiusmodi, quae contumaci resistentia frangi aut debilitari non possit, 2° aut cum vim illatam, quaecumque demum sit, quis non patitur invitus.

(*b*) Intellige actus extrinsecos voluntati, qui aliis potentiis sive externis, sive internis eliciuntur. Etenim non solum exteriora corporis membra, sed etiam interiores facultates, uti sunt phantasia, appetitus sensitivus, etc. vi aliqua extrinseca, v. gr. Angeli tum boni tum mali, voluntate nequicquam reluctante, ad aliquos actus moveri possunt.

tenetur cum tanto incommodo vim repellere. Sic expresse *S. Lig. l. 3. n. 430*. In praxi tamen suadenda est opposita agendi ratio, ob alicuius consensus periculum (*a*). — *S. Lig. l. 3. n. 368.*

3º Aliquando non requiritur resistentia omnino absoluta et continua illatae coactioni, quando scilicet ex una parte inutilis foret, ex altera autem agitur de materia minus periculosa. Sic martyres ducti ad templa paganorum non peccabant, quamvis ambularent. At in omni casu resistendum est quantum ad avertendum periculum scandali, vel Religionis iniuriam requiritur.

CAPUT III.

DE MORALITATE ACTUUM HUMANORUM

Dicetur 1º de essentia moralitatis; 2º de eiusdem fontibus.

ARTICULUS I.

DE ESSENTIA MORALITATIS

22. — Theologi non pauci in varias sententias et in intricatissimas quaestiones abeunt ad explicandam determinandamque moralitatis actuum humanorum essentiam. Iuxta communiorem autem doctrinam, sequentia videntur statuenda:

I. Essentia moralitatis primario consistit in habitudine seu relatione actus humani ad legem aeternam, quae est ratio divina, seu voluntas Dei ordinem naturalem conservari iubens et perturbari vetans. Ratio est, quia sola lex aeterna potest esse primaria morum regula (*b*). Et sane huiuscemodi regula debet esse infallibilis, indefectibilis, et valens obligare in conscientia; atqui talis est sola lex aeterna, e qua sola caeterae leges vim obligandi accipiunt: ergo. Sic ex *S. Thom. 1. 2. q. 9. art. 2.*

II. Essentia moralitatis secundario consistit in habitudine actus humani ad rectam rationem. Ratio, quia sola recta ratio potest homini manifestare legem aeternam, seu primariam morum regulam. Ergo recta ratio est regula subiectiva primariam manifestans. Ergo essentia moralitatis consistit secundario in conformitate seu difformitate actus humani cum recta ratione.— *S. Thom. 1. 2. q. 94. art. 4.*

(*a*) At enim si adest periculum consensus, non suadenda modo est opposita agendi ratio, sed prorsus indicenda. Si vero abesse eiusmodi periculum prudenter censeri potest, haud apparet, poenitentem ad grave damni seu infamiae discrimen subeundum sine pari causa facile inductum iri. Conf. *La Croix, Lib. 3. P. 1. n. 916.*

(*b*) Ut recte lex aeterna statuatur ceu regula morum, seu norma *moralitatis,* latius hic accipiatur oportet, adeo ut indicet non solum ordinem, qui necessario servandus est, sed etiam qui convenienter servatur. Secus excludetur actuum non praeceptorum honestas.

23. **Resolves.** — 1° Ens igitur morale illud omne et solum est, quod substat regulae morum seu legi Dei praecipienti aut vetanti aut permittenti (*a*). Per illud enim solum ordinamur ad finem nostrum ultimum, vel ab eo deordinamur. Ergo ut actus nostri sint boni, debent esse aliquo modo conformes voluntati divinae, cum sit summa et primaria morum regula.

2° Libertas praeexigitur ut fundamentum moralitatis; secus enim actus non esset humanus, atque adeo omnia peccata et merita de medio tollerentur. Ergo...

3° Falsum est essentiam moralitatis reponendam esse in sola libertate. Etenim moralitatem actus humani consequitur ipsius imputabilitas ad laudem vel vituperium, ad praemium vel poenam; atqui actus non est tantum dignus laude aut vituperio quia liber est, sed etiam et maxime quia conformis est vel difformis regulis morum, seu divinae voluntati. Ergo....

4° Falsum est a fortiori moralitatem consistere in solo voluntario. Voluntarium enim sine libertate neque laude, neque vituperio dignum est (*b*), quippe homo sine libertate non est actus sui dominus.

24. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An dentur actus proprie indifferentes, seu moralitate carentes, sive in specie, sive in individuo?*

Resp. 1° Certum est dari actus indifferentes *in specie*, seu actus qui in sua specie expertes sunt moralitatis. Sunt enim actus, qui in se spectati, abstrahendo a fine et circumstantiis, nullam habent cum lege, aut recta ratione convenientiam aut repugnantiam, ideoque nec boni nec mali reputandi sunt. Sic ambulare, scribere, et innumera similia, sunt actus *per se* indifferentes.

Resp. 2° Controvertitur autem quoad actus *in individuo*, seu in agente spectatos.

I^a *Sententia communior et probabilior negat cum S. Thoma.* Ratio est, quia homo deliberate agens necessario aliquem finem sibi proponit; debet enim agere ut homo: porro finis quem sibi proponit, est necessario bonus vel malus, seu conformis rationi, vel non conformis: ergo in nullo casu actus proprie indifferens *in individuo* dabitur (*c*).

** (*a*) Minus apta est ista disiunctiva: neque enim actus quilibet, qui non sit praeceptus aut prohibitus, dici debet mere *permissus*, neque apte diceres mere *permissam* professionem consiliorum evangelicorum.

** (*b*) Quod ad rationem meriti ac demeriti sufficiat merum *voluntarium*, haeresis est ianseniana post Lutherum, Calvinum, etc. Vid supr. n. 12.

** (*c*) Conf. S. Thom. 1. 2. q. 18. a. 9. S. Alphonsus (*Lib. 5. De Act. Hum. n. XLIV.*) rationibus S. Thomae addidit etiam hoc argumentum: *Ad haec homo tenetur omnes actus suos ad Deum referre, quando agit cum deliberatione et propter aliquem finem. Inquit enim Apostolus 1. Cor. 10: Sive manducatis, sive bibitis, sive aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite. Si ergo ad Deum refert saltem per intentionem virtualem, actus erit bonus: si non refert erit malus; nullus igitur indiffe-*

II[a] *Sententia affirmat cum Scotistis.* Ratio autem eorum est, quia non constat de lege intendendi finem positive bonum in omnibus, siquidem talis lex a multis doctoribus ignoratur. Numquid enim dictat recta ratio, hominem male agere, dum ponit actionem a Deo permissam, nec tamen eam ad finem positive honestum refert (*a*)?

rens. Quod quidem argumentum S. Doctor sumpsit prope ad literam ex Collet (*De actib. hum. Cap. 6. Sect. 2. concl. 1.*), *ad quem* (inquit) *mitto, qui fusius hanc quaestionem pertractatam.... studiose quaerit.*

At enim dissimulandum non est, gravissimis haec premi difficultatibus, nec deesse scopulos, qui vix aut ne vix quidem vitari possint. Et reipsa ipse Collet advertit, ad defensionem errorum suorum arma hinc sumpsisse et Ioannem Huss, et Lutherum, et Baium, et Iansenium, et Quesnellum, quibus adiungi debent pseudo-theologi illi Lovanienses, Laurentius Neessen, Macarius Havermans, Ioannes Sinnichius, Gerardus Van Werm, Gregorius Van Goorlaechem etc., ut videre est apud Card. Aguirre (*Theol. S. Anselm. Disp. 130.*): ad quos quidem scopulos declinandos idem Collet ad absurda, quae videsis infra (*Not. ad §. 32. Q. 1.*), confugere debuit.

Caeterum, ut res pateat, non multis opus est. Nam, ne actus malus sit, atque adeo peccatum, iuxta hanc doctrinam necessaria est relatio in Deum, saltem virtualis. Porro *virtualis* dicitur, quae manet virtute actualis praehabitae, nec (ut bene dicit Collet *l. c.*) *revocata sit per actum contrarium, puta peccatum;* quod idem repetit et Card. Gotti a VV. allegatus (*pag. 130*). Ergo quoties aut nulla *actualis* relatio praecesserit, aut praehabita iam retractata per actum contrarium fuerit, omnes consequentes actus virtuali necessaria relatione carebunt, atque adeo erunt mali. Cumque referre actus in Deum, sive in gloriam Dei, ad virtutem theologicam charitatis pertineat, uti evidenter inferius ostenditur, et actualis operum relatio in Deum nihil aliud sit, ut habet S. Thomas (*2. Dist. 40. q. 1. art. 5. ad 6.*), quam *habitum charitatis exire in actum;* manifesto consequitur, illum, qui aut nunquam actum charitatis elicuerit, aut habitum charitatis per peccatum amiserit, in omni opere deliberato peccare. Redivivam ergo habemus damnatam doctrinam, tum infideles tum peccatores in omni opere suo semper peccare.

Neque vero haec consectaria adscribi doctrinae S. Thomae possunt. Nam utique docet, sub praeceptum charitatis cadere, quod omnia referantur in Deum; at simul docet, hoc praeceptum non semper urgere, sed solum quando homo tenetur actum charitatis elicere; alioquin autem nusquam dicit, ad moralem actuum bonitatem eiusmodi relationem ita necessariam esse, ut, si haec desit, omni bonitate morali destituantur, atque adeo, ut fert opinio Iansenistarum et Colleti, mali evadant. Et haec quidem melius infra patebunt, ubi de hac operum relatione in Deum sermo redibit.

Caeterum si qui alii ad evincendum, nullum in individuo actum esse indifferentem, sententiam Apostoli invocarunt, inde tantum arguebant, quod quilibet actus debeat esse referibilis in ultimum finem, et idcirco debeat esse honestus, adeoque honestum ac rationi consonum finem proximum habere debeat. Verum, uti patet, nihil huc pertinet id, quod dicitur de relatione in Dei gloriam *actuali*, aut *virtuali*, in qua actualis praecedentis perseveret influxus. Quocirca non potest hinc illud Colleti argumentum duci: *aut homo actum saltem virtualiter refert in Deum, et sic erit bonus; aut non refert, et sic erit malus.* Quinimo relatio actus in Deum, ut finem ultimum, actum iam referibilem per se esse, atque adeo ex fine proximo honestum existere supponit.

(*a*) Hanc opinionem tribuit S. Bonaventurae P. Staidel in Dissert. *de Actib. Human.* praefixa Tomo I Gabrielis Antoine n. 278. Sed reipsa S. Doctor ad summum id affirmat de actuum indifferentia quoad meritum vitae

Caeterum utraque sententia, licet specie tenus opposita, non tamen videtur adeo differre. Etenim iuxta omnes pravus finis debet semper excludi; secus actus, quantumvis indifferens in se, malus evaderet. Bonus autem dicitur a Thomistis finis, qui ut indifferens ab adversariis habetur. Agitur enim de fine, non supernaturali, sed naturaliter bono seu honesto. Porro ille fine naturaliter honesto ducitur, qui agit propter finem naturaliter operi intrinsecum, seu propter id, ad quod opus suapte natura ordinatur.

25. — Quaer. 2° *An actus externus addat moralitatem actui interno?*

Resp. 1° *Per se* actus externus nullam moralitatem addit actui interno, atque adeo neque auget neque minuit meritum aut demeritum substantiale actus interni. — Ratio est, quia omnis moralitas ab intrinseco, seu a voluntate desumitur; nec actus externus ullam habet imputabilitatem ad meritum vel demeritum sibi propriam et distinctam ab imputabilitate actus interni. Quocirca actus externus non est formaliter, sed tantum materialiter honestus, vel inhonestus.

Constat etiam ex Scriptura sacra, quae saepe voluntatem pro ipso facto reputat. Sic *Gen.* 22. Deus dixit Abrahae, qui filium immolare tantum voluit: *Quia fecisti hanc rem, nec pepercisti filio tuo... benedicam tibi.* Et *Matth.* 5. dixit ipse Christus: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo.* — Nec obstat obligatio declarandi actum externum in confessione; declarari enim debet, quia constituit unum eumdemque actum cum interno, ut dicetur ubi de confessionis integritate.

Resp. 2° *Per accidens* tamen plerumque actus externus auget moralitatem, quia saepissime est occasio, cur augeatur bonitas vel malitia actus interni, v. gr. ut protrahatur, aut multiplicetur, etc. Actus enim internus adaugetur propter arduitatem boni operis externi, vel delectationem mali, aut propter longiorem temporis moram in opere externo perficiendo necessariam.

Aliunde saepe adest in opere externo scandalum aut damnum proximi, aut e contrario bona aedificatio, ex quibus adaugetur etiam actus interni moralitas. Ita *communiter Theologi.* Conf. Suarez *De humanor. act. bonitate Disp. X. Sect. 1.*

ARTICULUS II.

DE FONTIBUS MORALITATIS

Fontes moralitatis nuncupantur ea principia, quae actibus humanis speciem, aut speciei modificationem in genere moris tribuunt.

aeternae, non autem quoad moralem bonitatem. *Vid. 2. Dist. 28. art. 2. q. 3.* Imo etiam Scotum ita intelligendum esse ostendit Gabriel Vasquez. *In 1. 2. Disp. 217. Cap. 1. n. 6*

Tres moralitatis fontes numerantur, scilicet 1° obiectum actus; 2° circumstantiae eiusdem; 3° finis agentis. Tria haec omnino ad actum bonum requiruntur; si vel unum malum sit, actus malus evadet. Hinc pervulgatum axioma: *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu.*

§. I. *De obiecto.*

26. — Obiectum illud est, circa quod actus moralis versatur, et in quo proxime et per se terminatur voluntas agentis.

Obiectum est *bonum,* vel *malum,* vel *indifferens,* prout rationi, legi, aut recto ordini consentit vel non, aut praeter legem seu rectum ordinem se habet. Item potest esse intrinsece bonum, vel malum, id est ratione sui ex recti ordinis exigentia; aut non intrinsece, sed solum ratione praecepti positivi.

Dico: Ex obiecto moraliter considerato desumitur prima et essentialis moralitas actus humani; moralitas enim quam obiectum actioni tribuit, concipitur ante omnem aliam, quae sive ex fine sive ex circumstantiis proveniat.

Moralitas, quae ex obiecto desumitur, appellatur moralitas, seu bonitas vel malitia *obiectiva.* — Si obiectum fuerit in se indifferens, ex fine vel ex circumstantiis moralitatem suam accipiet.

Obiecta autem intrinsece mala sunt triplicis classis, scilicet 1° Quaedam talia sunt *absolute,* et independenter ab omni circumstantia; quia ex se involvunt repugnantiam cum recto ordine absolute necessario, ut est odium Dei, blasphemia, etc. — 2° Alia sunt *intrinsece* mala, non praecise in se, sed ratione adiuncti aut conditionis alicuius, quae pendet a dominativa potestate Dei aut hominis: talia sunt ablatio rei alienae, laesio corporis vel famae, et similia quae aliquando licita evadunt. — 3° Alia tandem mala sunt tantum ratione periculi, quod ordinarie adiunctum habent, ut aspectus obiecti turpis, lectio pravi libri, etc... Haec, data rationabili causa, et semoto periculo, licita fieri possunt.

§. II. *De circumstantiis.*

27. — Circumstantiae sunt determinationes accidentales actus, sine quibus hic posset quoad substantiam exsistere, et quae tamen attingunt aliquo modo moralitatem eiusdem. Hinc circumstantiae non sunt obiectum actus, quia secundario tantum a voluntate attinguntur.

Septem numerantur circumstantiarum classes, hoc versiculo expressae:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

Scilicet: *Quis,* seu qualis sit agens, uxoratus, clericus, etc.? — *quid,* seu quae sit accidentalis qualitas aut quantitas obiecti? —

ubi, seu quonam in loco, an sacro vel profano? etc. — *quibus auxiliis,* idest, quibusnam mediis, instrumentis etc. usus fuerit agens? — *cur,* seu ex quali fine, nempe extrinseco? — *quomodo,* nempe an malitiose, vel bona fide, an modo intenso, vel remisso, an advertenter, necne? — *quando,* id est, quali, vel quanto tempore?

Dico: Actus humanus veram moralitatem desumit ex circumstantiis. Ratio est, quia circumstantiae actum determinant ut moralem, nimirum ut habentem relationem convenientiae aut disconvenientiae cum ratione et recto ordine; imo eiusmodi convenientiam aut disconvenientiam interdum solae circumstantiae in actum inducunt, ut contingit in actibus ex obiecto indifferentibus.

Hinc 1° circumstantiae aliae sunt quae ad moralitatem actus attinent; — 2° aliae quae ad eam nihil conferunt, quaeque proinde prorsus indifferentes habendae sunt; — 3° aliae quae in eadem specie morali obiectum relinquunt, et aliae quae speciem ipsam mutant, seu novam speciem superaddunt. Ex prioribus, aliae malitiam aggravant, aliae vero minuunt, idque graviter vel leviter efficiunt (*a*).

Quaer. *An circumstantia leviter mala totum actum bonum semper corrumpat?*

Resp. Neg. Etenim substantia actus boni, non obstante eiusmodi circumstantia, illaesa remanere potest; unde actus ille nonnisi ex parte inficitur. Sic, v. gr. agens non amittit totum meritum boni operis, nec praecipuam eius partem, licet alicui tentationi vanae gloriae *incidenti* consensum praestiterit. — *Billuart, diss. 4. art. 4.* — *Vide dicenda infra de fine,* n. 30.

§. III. *De fine.*

28. — Finis in genere est id, cuius gratia aliquid fit.

Duplex est, scilicet *finis operis,* nempe finis ipsi operi intrinsecus, et ad quem opus per se tendit; et *finis operantis,* id est extrinsecus operi, et ad quem agens ad libitum intentionem suam dirigit, seu quem agens sibi praestituit (*b*). De hoc tantum posteriori fine dicendum nobis est, quippe qui solus proprie finis dicitur.

Est autem finis ille 1° *intermedius,* vel *ultimus,* prout ad alium finem refertur, vel voluntas in eo quiescit; — 2° *positive* ultimus, vel *negative* ultimus, prout intenditur, vel non intenditur cum exclusione alterius finis; — 3° *primarius,* vel *secundarius,* prout causa est totaliter motiva actus, aut partialiter tantum impulsiva. Iterum finis ultimus potest esse *explicite* vel *implicite* intentus, prout agens *expresse* aut *virtualiter* tantum huiusmodi fine impellitur.

(*a*) Si circumstantiae ita peccatum minuunt aut aggravant, ut ex mortali fiat veniale, aut viceversa, tunc actum in aliam speciem *theologicam* transferre dicuntur.

(*b*) Duo isti fines interdum in idem recidunt, interdum alius alii superadditur, interdum secluso operis fine intrinseco solus actum dirigit extrinsecus.

Dico 1°. Actus humanus veram moralitatem a fine desumit. Ratio, quia finis potest dicere ordinem conformitatis, et deformitatis ad rectam rationem. Sic rectae rationi conforme est non solum dare eleemosynam, sed etiam eam dare in peccatorum remissionem; sicut pariter rectae rationi repugnat non solum furari, sed etiam furari ad se inebriandum.

Dico 2°: Peccat qui agit propter solam delectationem (*a*). Ratio est, quia ille agit inordinate, pervertens ordinem rerum ab auctore naturae institutum. Etenim iuxta ordinem ab auctore naturae institutum delectatio est propter operationem, et non vice versa: scilicet delectatio est velut sal et condimentum quoddam, quod inservit ad alliciendum ad actiones vitae necessarias, vel utiles. Igitur delectatio est tantum medium ad actiones facilius, melius, constantius efficiendas, non autem finis ultimus actionis. Sic enim S. Thomas: *Divinus intellectus, qui est institutor naturae, delectationes apposuit propter operationes. 1. 2. q. 4. art. 2.*

Confirm. ex prop. 8ª. ab Inn. XI damnata, quae sic sonat: *Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est pec-*

(*a*) Aliud est agere propter delectationem, aliud agere propter *solam* delectationem. Posterius hoc ulteriorem operis finem *positive* excludit; haec autem finis exclusio inordinata est, et quidem non solum in appetenda delectatione, sed in cuiusvis quoque virtutis actu; quia et actus virtutis, si ita exerceatur, seu in ipso ita sistitur, ut superior seu ultimus finis positive excludatur, eo ipso iam fiet vitiosus.

At primum illud nullam eiusmodi inordinationem involvit. Nam primo quidem *delectatio*, ut ait S. Thomas (*Contr. Gen. lib. 3. Cap. 26. n. 6.*), *bona est et appetenda, si bonam consequatur operationem:* et proprium virtutis temperantiae est, ut usum delectabilium moderetur, et ab iis quidem retrahat, quae sunt contra rationem, non vero ab iis, quae secundum rationem sunt convenientia (Vid. *S. Thom. 2. 2. q. 141. art. 1. ad 1.*). Deinde vero non excluditur finis ulterior, nisi forte *negative* tantum. At vero exclusio finis negativa actum non vitiat; neque enim ad actionis honestatem necesse est de ulteriori, aut etiam de fine operis intrinseco cogitare. Proinde ut honeste quis delectationem ex ludo, aut cibo, aut quiete capiat, nequaquam opus est, ut de ludi, aut cibi, aut quietis fine sive intrinseco sive ulteriori cogitet; sed satis est, ut actionem ceu rectae rationi consonam apprehendat, seu etiam ut nihil in ea ordini rationis contrarium inveniat; quippe, ut habet S.Thomas (*Suppl. q. 49. a. 4.*), *ex eodem habet actus aliquis quod non sit malus in genere moris, et quod sit bonus, quia non est aliquis actus indifferens.*

Exinde se manifeste prodit ratio, cur merito ab Innocentio XI proscriptae sint propositiones VIII et IX de opere coniugii aut actu comedendi ob *solam* voluptatem. Intrinseco enim vitio laborant ob praedicatum *solam*, quod positive excludit alios quosvis fines, in quos actiones eiusmodi ordinantur. Nam quod alioquin ad opus quis alliciatur ac moveatur appetitu delectationis, quemadmodum et ad laborem spe praemii seu mercedis, id ordini naturae est consentaneum, ut habet S. Thomas *l. c.* Conf. Salmantic. (*De Matr. Cap. 3. n. 33.*), Viva (*Ad Prop. VIII. Innoc. XI, n. 6.*), Duarte (*Expos. Prop. damnat. n. 162.*), Ronc. (*De Matr. Q. II. Cap. 1. q. 2. Resp. 2.*), Pont. (*De Matr. Lib. X. Cap. 8. n. 6.*), Azor (*Part. I. Lib. 2. Cap. 5. Q. 4.*), etc.

catum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui. — Attamen haec deordinatio *per se* non est gravis, et proinde peccatum veniale non excedit; quia *ordinarie* finis ultimus (*a*) non excluditur ne implicite quidem, nisi agatur de iis, de quibus ait Apost. *Philipp. 3. 19: Quorum Deus venter est.*

29. **Resolves.** — 1° Omnis electio mali medii est mala, sed non e converso omnis electio boni medii est bona. Sic nemo laudatur ex eo, quod abstineat a potu ex avaritia: reus autem habendus est, qui furatur pecuniam ad eleemosynam faciendam.

2° Qui eligit medium honestum ad finem honestum, ponit actum duplicis honestatis (*b*), si utraque honestas sit intenta. Item duplicis

(*a*) *Finem ultimum* A. intelligit vitae humanae, non vero finem intrinsecum illorum operum, de quibus est sermo. Porro iste finis ultimus excluditur per quodvis grave peccatum, quod A. merito supponit in iis, *quorum Deus,* ut ait Apostolus, *venter est.*

**(*b*) S. Alphonsus (*De Act. Hum. n. XXXVIII*) post Collet (*De Act. Hum. Cap. 6. art. 2. Sect. 2. Concl. 3.*) scribit, hanc doctrinam esse *communem theologorum, uno excepto Vasquez.* Sed haec exceptio *Vasquezii* est mera hallucinatio Colleti, qui hic accurate scholarum distinctiones et conclusiones prae oculis non habuit. Videlicet ut in casu duplex sit bonitas actus, necesse est, ut medium ametur non solum quia utile est ad finem, sed etiam quia bonum in se. Huc spectant illa Becani (*De Act. Hum. Cap. 4. Q. 3. n. 6.*): *Quando obiectum electionis, quod per se bonum est, non amatur ullo modo propter se, sed solum propter finem, tunc bonitas obiecti nihil ad rem facit. Quando autem et propter se amatur, quatenus per se bonum est, et propter finem, quatenus ad illum consequendum utile est, tunc manet bonitas obiecti cum bonitate finis.* Idcirco Auctor addit illud: *Si utraque honestas sit intenta.* Et huc spectat Vasquez (*In 1. 2. Disp. 51. Cap. 3. n. 13;* quem locum allegat Collet), ubi ait: *Cum aliquis eligens opus unius virtutis ex intentione finis alterius virtutis, tunc non alliciatur a bonitate virtutis, cuius est illa materia, et opus illud eligat tantum ut utile ad finem, efficitur, electionem illam solam habere bonitatem finis*

Ad vitandas autem Colleti hallucinationes etiam ubi actui duplex reipsa accedit honestas seu bonitas, inspicienda est scholae doctrina, quam sic effert Suarez (*In 1. 2. Tract. 3. Disp. 6. Sect. 2. n. 2.*): *Fieri potest, ut obiectum honestum non sit quidem volitum propter suam honestatem, eius tamen honestas sit in se, et per se volita propter alium finem.....; nam unum bonum potest esse utile ad aliud, non solum ratione suae materiae, sed etiam ratione suae honestatis; et tunc potest quidem honestas unius obiecti vel actus in se amari, licet non ametur propter se praecise, sed propter alium finem.* Et mox idem Suarez (*ibid. n. 3.*): *De huiusmodi actu omnes etiam fere conveniunt, habere bonitatem essentialem et primam ex fine, non autem ex obiecto materiali, neque ex honestate eius. Ita potest sumi D. Thomas (3. Contr. gent. cap. 138.), ubi significat, abstinentiam factam (ex voto) habere praeter bonitatem temperantiae, etiam bonitatem religionis: imo laudabiliorem esse ex voto, quam ex abstinentia.*

Ex quibus posset quispiam cum Colleto concludere, iuxta Suaresium negari duplicem in actu temperantiae bonitatem. At non ita theologi, licet bonitatem alteram essentialem, alteram dicant accidentalem. Ita etiam Vasquez (cit. Disp. 51. Cap. 2.): *Si vero medium habet ex se propriam bonitatem... etiamsi electio haberet bonitatem propriam ex medio, nihi-*

malitiae reus est, qui eligit medium malum ad finem malum, puta si quis pecuniam furetur, ut se inebriet.

3° Qui adhibet medium malum ad finem bonum, contrahit tantum malitiam medii, v. gr. si quis mentiatur ad proximum e periculo liberandum. Item vice versa qui adhibet medium honestum ad finem malum, contrahit tantum malitiam finis.

4° Qui adhibet medium indifferens ad finem bonum vel malum, contrahit tantum bonitatem vel malitiam finis. Sic v. gr. si iter arripias, ut peregrino viam indices, habes tantum meritum finis; item si canas, ut alteri molestiam facias, habes tantum finis reatum. In confessione autem necesse non est circumstantiam mediorum huiusmodi declarare, ut patet.

30. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An finis quilibet malus totam actus bonitatem corrumpat?*

Resp. 1° Finis graviter malus semper actum omnino inficit, quantumvis bonum sit obiectum in se. Actus enim ille nulla ex parte bonus esse potest, siquidem agens peccando mortaliter a Deo totaliter recedit.

Resp. 2° Finis leviter malus etiam totum actum corrumpit, si sit finis *totalis*, vel saltem *primarius* agentis. Etenim si sit *totalis*, totum obiectum complectitur, et proinde totum inficit, quia *agens malo fine vult bonum sub ratione mali, et ideo, prout volitum est ab eo, malum est.* S. Thomas *1. 2. q. 19. art. 7.* — Constat etiam ex verbis Christi, *Matth. 6. 23: Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Hinc dona Cain, licet in se bona, Deo displicuerunt utpote a malo fine provenientia.

Si vero duplex habeatur finis, et malus sit primarius, eodem modo est resolvendum, quia actus ille adhuc eligitur, ut sit instrumentum ad malum, et proinde substantialiter vitiatur.

Resp. 3° Si autem finis leviter malus sit mere *secundarius, probabilius* non corrumpit totum actum, qui erit partim bonus, partim malus. Ratio est, quia actus ille bonitatem suam ex obiecto retinet: finis autem malus se habet tantum *concomitanter,* nec in ipsam actionis substantiam influit. Si secus esset, pauciores actus boni reperirentur. — *Billuart, diss. 4. art. 4.* — *Gerdil, de Act. hum. et alii communiter.*

31. — QUAER. 2° *An omnes actiones, ut bonae moraliter sint, motivo charitatis informari debeant?*

Resp. Neg. Actus enim ex motivo aliarum virtutum eliciti sunt per se boni, ut sunt actus Fidei, Spei, etc... Constat id etiam ex *Conc. Trid. sess. 14. c. 4.* ubi declaratur, attritionem esse donum Dei et disponere poenitentem ad iustificationem. Item *sess. 6. can. 31.,*

lominus sumeret etiam speciem alterius bonitatis ex fine, ita ut ea esset primaria et substantialis, quatenus electio est, ea vero, quam haberet ex medio secundum se, esset ei secundaria, et quasi accidentalis.

ubi dicitur: *Si quis dixerit iustificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur, anathema sit.*

QUAER. 3° *An omnes actiones nostrae, ut honestae sint, ad Deum referri debeant ex motivo supernaturali, seu quod per Fidem apprehendatur?*

Resp. Neg. Secus enim omnia opera infidelium essent peccata, quae doctrina ab Ecclesia damnata est.

QUAER. 4° *An omnes actiones nostrae ad Deum referri debeant? iuxta verba Apostoli, 1. Cor. 10. 31: Omnia in gloriam Dei facite,*

Resp. Circa obligationem, quae ex allato textu eruatur, referendi actiones in Deum, posthabitis quorundam recentiorum opinionibus obscuris saepius implexisque, praeferenda prorsus est communis veterum doctrina, quae hisce capitibus continetur.

Ac primo quidem Pauli verba ex communi DD. sententia ad virtutem charitatis spectant, et non secus ac praeceptum charitatis, accipi possunt sensu tum negativo, tum affirmativo.

Si sensu *negativo* accipiantur, significant: *Nihil contra Deum faciatis* (*a*): et sic ex omnium sententia imo et ex ipsa rei natura praeceptum continent, scilicet non peccandi. Hoc tamen praeceptum peccato speciem non tribuit, quia peccata speciem suam non a generali virtute seu lege, sed a specialibus praeceptis, v. gr. non occidendi, non blasphemandi, desumunt.

Si vero Pauli verba sensu *affirmativo* intelligantur, nonnihil dissentiunt inter se Doctores, et neque eodem modo illa explicant, neque eandem vim iisdem attribuunt.

Quidam enim cum S. Bonaventura censuerunt, Paulum per ea verba insinuare, ut singulae actiones vel saltem singulae actionum sibi subordinatarum series, *actu* seu *relatione actuali* in Deum referantur. Verumtamen simul contendebant, Paulum ibi non praeceptum aliquod tradidisse, sed merum consilium. — ***Vid. S. Bonavent. 2. dist. 41. art. 1. q. 3. ad 1. et ad 6.***

Alii vero communius cum S. Thoma docent, verbis Apostoli reipsa praeceptum contineri. Verum ne ad absurda exinde quis abripiatur (*b*), plane opus est integram de hac re doctrinam S. Thomae retinere.

(*a*) Vid. S. Thomam *2. Dist. 40. q. 1. art. 5. ad 7.* et S. Bonaventuram *2. Dist. 41. art. 1. q. 3. ad 1.*

(*b*) Insignis fuit fraus iansenistarum, ut praeceptiva esse Pauli verba contenderent, haec allegando ex S. Thoma (*Lect. 3. in Coloss. Cap. 3.*): *Quidam dicunt, quod hoc est consilium; sed hoc non est verum:* paulinam vero sententiam non cum S. Thoma explicarent, sed cum S. Bonaventura, ubi ait (*2. Dist. 41. art. 1. q. 3. ad 1.*): *Admonet Apostolus..., quod quodlibet opus nostrum referamus in Deum: et de quolibet divisim possumus facere.* Exinde autem concludebant, peccari toties quoties opus aliquod *actu* non referatur in Deum. Et cum referre opera in Deum ad charitatem spectet, praeter alia hoc quoque inferebant, infideles et peccatores, utpote qui charitatem non habent, in omni opere peccare.

Caeterum non pauci e recentioribus, quamvis a damnato hoc errore abhorreant, dum tamen et ipsi disparatas S. Thomae et S. Bonaventurae

Itaque S. Thomas facta distinctione inter relationem *actualem,* qua nempe opus *actu* in Deum dirigitur, et *virtualem,* quando scilicet virtus primae ordinationis seu relationis manet in actionibus sequentibus, statuit:

interpretationes Paulini textus in unum quid permiscent, in aliud incidunt incommodum. Etenim hinc quidem verba Pauli cum S. Thoma ad praeceptum revocant; inde vero praecepti huius rationem in eo collocant, quod S. Bonaventura mere *ad rationem meriti* requirebat, nimirum ut actiones singulae aut saltem singulae actionum series in Deum *actu* referantur; et sic dum actualem istam omnium operum relationem statuunt obligatoriam, rem eo adducunt, ut vix inveniri quispiam possit, qui, ob omissam hanc operum relationem in Deum, multiplici se reatu quotidie et passim non inquinet, uti reipsa (et sane cohaerenter) conclusit Gazzaniga *(De Actib. hum. Diss. 2. Cap. 4. n. 87.);* additque Collet *(De Actib. hum. Cap. 6. art. 1. Sect. 2.),* non dari ignorantiam invincibilem, quae ab hoc peccato forte excuset. Cui quidem incommodo neque satis medentur, obligationem illam ita restringendo, ut sufficiat quotidie, vel aliquoties in die, ut inquit Collet *(l. c.),* aut saltem mane, opera in Deum retulisse. Nam 1° id non efficit, ut singulae aut actiones aut actionum sibi subordinatarum series iuxta mentem S. Bonaventurae ad Deum *actu* referantur, atque adeo multiplex omissionum reatus absit; 2° cum actualis ista relatio non distinguatur ab actu perfectae charitatis , iam obligationem huc usque in scholis inauditam inferunt, actum nempe charitatis saepius in die aut saltem semel mane quotidie eliciendi. Et ex his satis liquet, nullam vitandi haec incommoda rationem suppetere, nisi ut aut negemus cum S.Bonaventura, in verbis Pauli positivum praeceptum contineri, aut siquidem melius cum S. Thoma contendimus, in iis praeceptum edici, etiam praecepti explicationem, prouti in textu A. exponitur, ab eodem S. Doctore sumamus.

** Et optandum sane fuisset, ut S. Alphonsus, qui egregie (*Tract. de Actib. Human. initio*) scripserat: *Non recedendum puto a sana Doctoris Angelici doctrina, ubi haberi potest; ipso enim duce in rebus theologicis inoffenso pede ambulatur;* optandum, inquam, ut S. Doctor in hac quoque quaestione Angelicum potius Doctorem, quam Collet Tournelii continuatorem secutus fuisset. Huius siquidem vestigiis insistens scribit (*ibid. n. XLIV.*): *Hinc pro praxi colligimus. Oportet saepius in die, saltem mane, generaliter offerre Deo omnes actus suos, ut sic adimpleatur praeceptum Apostoli, saltem intentione virtuali omnia faciendi in gloriam Dei.* Quorum verborum manifestissimus sensus est, oportere scilicet ad implendum praeceptum Apostoli, ut saepius in die, saltem mane, *actu* offerantur omnes actiones Deo, ut sic omnes dein saltem intentione virtuali ad Dei gloriam actiones diurnae et verba referantur. Unde subdit: *Non requiritur quippe actualis relatio omnium verborum sive operum in bonum honestum, quod esset importabile pondus, et res sexcentis implexa scrupulis, sed sufficit virtualis, ut diximus.*

In praecedenti huius Compendii editione curae fuit hanc S. Doctoris sententiam aliquo modo emollire. At VV. tum in S. A. (*pag. 114. 115.*), tum in V. (*pag.127-134.*) tamquam probrum in S. Doctorem iactum, id acceperunt. Oggerunt contra 1° quod *Doctores, qui stant pro obligatione quotidianae actuum relationis, iis minime accensendi sunt, qui actualem omnium actionum relationem exigunt, et* 2° *nullatenus affirmant, quotidie actum charitatis esse eliciendum:* quae omnia abs re sunt, quia non est hic quaestio, quid dixerint alii Doctores; et praeterea innituntur falso supposito, quasi nempe allegati Doctores (si excipias Collet) defendant obligationem quotidianae relationis. Illud ad rem faceret, quod VV. deinde addiderunt, nempe S. Alphonsum non id, ad quod tenemur, sed mere quod expe-

1° Relationem *actualem*, qua singulae actiones, etiam distributive sumptae, in Deum *actu* ordinantur, non esse de praecepto, sed de consilio (*a*).

2° De praecepto esse *virtualem* omnium operum relationem (*b*). Ad hanc autem duo requiri et sufficere: primum quidem ex parte operis, ut sit moraliter honestum, seu nulla mortalis aut venialis peccati labe infectum. Alterum ex parte agentis, ut aliquando elicuerit, nec per gravem culpam retractaverit actum charitatis, quo se homo et sua omnia in Deum tamquam ultimum finem ordinat (*c*).

diat et congruum sit, significare voluisse. Verum hoc valde difficile est, et nimis a verisimili alienum. Nam 1° cum dicit: *Hinc pro praxi concluditur* etc., sane vult consectarium ducere eorum, quae praemiserat, scil. verba Apostoli continere *praeceptum*, non autem merum consilium. Ergo consectarium necessario respicit rem praeceptam, non autem rem consilii: secus nihil penitus dixisset de eo, quod maxime nosse interest, et quod connexio sermonis postulabat, nempe ad quid teneamur vi illius praecepti. 2° Esto, vocem *oportere* interdum sumi pro eo, quod mere utile et congruum sit. Ita v. gr. dicimus, ad vitam christiane ducendam oportere, ut piae meditationi, conscientiae examini etc. opportunum tempus concedatur. At non ita in re praesenti. Hic enim expresse sermo est de *praecepto implendo*, idest de obligatione, quam praeceptum necessario imponit, et quam praestare necesse est, ut praecepto satisfiat. Vox itaque *oportet* necessario hic significat necessitatem, quam obligatio imponit. Nec mirum, hanc vocem pro diversa quaestionis materia diversum habere sensum. Ita si dicas, *oportere*, ut quotidie audiatur Missa, et singulis octiduis aut saltem mensibus S. Eucharistia accipiatur, optime dictum id erit, si sermo sit de pietate fovenda etc.; male vero, si id de implendis Ecclesiae praeceptis, quae et Missam diebus festis audiendam, et S. Eucharistiam tempore paschali sumendam praecipiunt.

Itaque commendandum utique dicemus industrium VV. zelum pro S. Doctoris tuenda doctrina. Sed forte haud acceptissimus S. Doctori huiusmodi erit zelus, quoties a veritatis finibus abludat.

(*a*) Ita S. Thomas in eodem textu, quem ianseniani fraudulenter truncaverunt (*Lect. 3. in Coloss. Cap. 3.*): *Quidam dicunt, quod hoc est consilium; sed hoc non est verum. Sed dicendum est, quod non est necessarium, quod omnia in Deum referantur actu.* Et alibi (*2. Dist. 40. q. 1. art. 5. ad 7.*): *Si (Pauli sententia) intelligatur affirmative... ita, quod ordinatio actualis in Deum sit actu coniuncta cuilibet actioni nostrae; sic potest intelligi dupliciter, vel distributive vel collective. Si distributive, sic est sensus: quamcumque actionem faciatis, melius est, si eam actu in Deum ordinetis; et sic est consilium. Si autem sumatur collective, sic est sensus: omnia opera vestra sic faciatis, quod nullum eorum sit, quin actu in Deum ordinetis; et hoc nec praeceptum nec consilium est, sed finis praecepti, ad quod per impletionem praecepti pervenitur: sic enim Sancti in patria actus suos in Deum referunt.*

(*b*) Ita S. Thomas (*1. 2. q. 100. art. 10. ad 2.*): *Sub praecepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde; ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum; et ideo praeceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum.* Et rursus (*Qq. Disp. De Virtutibus q. 2. art. 11. ad 2.*): *Quod omnia virtute referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis ad quam omnes tenentur.* Et ibid. *ad 3.*: *Virtualiter referre omnia in Deum cadit sub praeceptum charitatis, cum hoc nihil aliud sit, quam habere Deum ultimum finem.*

(*c*) Ita S. Thomas (*2. Dist. 40. q. 1. art. 5. ad 6.*): *Nec tamen oportet, quod intentio actualis ordinans in finem ultimum sit semper coniuncta*

3° Quoad tempus eliciendi hunc charitatis actum, quo se suaque omnia homo in Deum ordinet, nihil specialiter praecipi praeter id, quod de praecepto actum charitatis aliquando eliciendi tradi communiter in scholis consuevit (*a*), ubi de praecepto charitatis agitur.

Haec porro doctrina lucem mutuabitur a subiectis quaestionibus, quae praeiactis hisce S. Thomae principiis facile solvuntur.

32. — Quaer. 5° *Quae relatio operis in Deum requiratur et sufficiat, ut moraliter honestum illud sit* (*b*)?

Resp. 1° Debet habere aptitudinem ut possit in Deum referri, nempe nullam inordinationem culpae mortalis aut venialis continere, qua impediatur ne sit in Deum referibilis (*c*).

Resp. 2° Necessarium non est ut actu opus in Deum dirigatur, quia obligatio referendi actu opera in Deum non distinguitur a praecepto charitatis. Hoc autem utpote affirmativum non obligat pro semper; atque adeo tunc solum tenemur opera in Deum actu referre, quando, ut supra diximus, ex praecepto ad actum charitatis tenemur (*d*).

cuilibet actioni, quae dirigitur in aliquem finem proximum; sed sufficit quod aliquando actualiter omnes illi fines in finem ultimum referantur; sicut fit, quando aliquis cogitat se totum ad Dei dilectionem dirigere: tunc enim quidquid ad se ipsum ordinat, ad Deum ordinatum erit.

(*a*) S. Thomas (*l. c.*): *Et si quaeratur, quando oporteat actum referre in finem ultimum, hoc nihil aliud est, quam quaerere, quando oporteat habitum charitatis exire in actum: quia quandocumque habitus charitatis in actum exit, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum et per consequens omnium eorum, quae in ipsum ordinantur ut bona sibi.*

(*b*) Haec quaestio necessaria est non modo propter iansenianos, contendentes, defectum relationis in Deum ex charitate efficere, ut omnia infidelium et peccatorum opera totidem sint peccata, sed etiam propter quasdam catholicorum opiniones, qui incaute quaedam principia ex iansenianis libris mutuati, ad vitanda deinde eorum erronea consectaria in opiniones quasdam absonas devenerunt. Ita, v. gr. Collet (*De Act. hum. cap. 6. art. 1. sect. 2.*) ne ex illa doctrina, quam superius (*in not. ad n. praec.*) diximus, minus caute ab ipso mutuatum S. Alphonsum esse, concluderet, infideles et peccatores in omni opere peccare, per duplex absurdum asseruit, eos qui charitatem non habent, non teneri hoc Pauli praecepto, aut certe huic praecepto satisfieri, licet opera in Deum non ex charitate, sed ex quadam in Deum reverentia referantur. Alii non minus absurde deprompserunt nescio quam charitatem initialem, qua opera in Deum referantur; et iansenianum errorem satis caveri putarunt, affirmando, ex defectu huiusmodi relationis solos *deliberatos* actus peccato infici: quasi vero aut ianseniani, aut qui adversus hos disputarunt, de indeliberatis actibus quaestionem haberent!

(*c*) S. Thomas (*Lect. 7. in 1. Cor. Cap. 10. v. 31.*): *Relatio haec in gloriam Dei intelligitur vel in actu, vel in aptitudine referendi, quae non solum est in bonis, sed etiam in indifferentibus* (scil. ex obiecto).

(*d*) Ita S. Thomas (*2. Dist. 41. q. 1. art. 2. ad 4.*): *Dicendum, quod non obligamur ad hoc, quod actus quilibet actu dirigatur in finem illum, in quem non potest nisi fides dirigere; quia praecepta affirmativa non obligant ad semper, quamvis semper obligent. Et ideo non oportet, ut actus infidelium, qui in finem illum non est ordinatus, semper sit peccatum; sed solum pro tempore illo, quo tenentur actum suum in finem ulti-*

QUAER. 6° *Quae relatio operis in Deum requiratur et sufficiat, ut opus sit meritorium?*

Resp. Cum *S. Thoma (de Charit. q. unic. art. 11. ad 2.),* duo requiri: 1° ut homo se per actum charitatis ordinaverit in Deum: 2° ut opus sit moraliter honestum. Sic ille: *Cum aliquis se ipsum ordinat in Deum sicut in finem, in omnibus, quae propter se facit, manet intentio ultimi finis, qui Deus est: unde in omnibus mereri potest, si charitatem habet.* Et alibi *(de Mal. q. 2. art. 5. ob. X.): Constat quod ille, qui habet charitatem, se et omnia sua ordinavit ad Deum, cui inhaeret ut ultimo fini. Ergo quidquid ordinat vel ad se, vel ad quodcumque aliud sui, meritorie agit, etiamsi actu de Deo non cogitet, nisi impediatur per aliquam inordinationem actus, qui non sit referibilis in Deum: sed hoc esse non potest, quin sit peccatum saltem veniale.* Exinde, iuxta *S. Thomam,* in eo, qui est in gratia, nullus actus etiam quoad rationem meriti est indifferens: nam vel est malus saltem *venialiter,* et sic est demeritorius; vel est moraliter bonus, et sic erit meritorius. — *S. Thom. ibid.* (*a*), et *2. dist. 40. q. 1. art. 5.* o.

QUAER. 7° *An ad meritum sit necessarium saepius renovare intentionem, seu actu referre actus ad Dei gloriam, v. gr., singulis diebus?*

Resp. Neg. Nam sufficit quod aliquando actualiter omnia in finem ultimum referantur, sicut fit quando aliquis se totum per actum charitatis ad Deum dirigit et ordinat: tunc enim quidquid ad seipsum ordinat, in Deum ordinatum erit, et virtus primae ordinationis manet in omnibus actionibus sequentibus, sicut et virtus finis ultimi manet in omnibus ad ipsum ordinatis. Ita *S. Thom. 2. dist. 40. q. 1. art. 5. ad 6. et* 7. — Quousque igitur quis non excidit statu gratiae, quaelibet illius actiones, dummodo non sint peccata (*b*),

mum referre: nempe quando tenebuntur ad actum charitatis eliciendum; de quo videnda sunt omnino quae idem S. Doctor habet *1. 2. q. 89. art. 6.* Huc faciunt quae S. Thomas in eandem rem habet *Lect. 3. in Rom. Cap. XIV: In homine infideli cum infidelitate est bonum naturae. Et ideo cum aliquis infidelis ex dictamine rationis aliquod bonum facit, non referendo ad malum, non peccat.*

(*a*) Sic nimirum ibidem concludit S. Thomas: *Ergo omnis actus habentis charitatem vel est meritorius, vel est peccatum, et nullus indifferens.*

(*b*) Proinde S. Thomas *(In Cap. 3. Isaiae ad fin.)* loquens de ludis *chorealibus* haec habet: *Ludus secundum se non est malus; aliter in ludis non esset virtus, quae dicitur Eutrapelia..., sed secundum quod ordinatur diverso fine, et vestitus diversis circumstantiis potest esse actus virtutis vel vitii. Quia enim impossibile est semper agere in vita activa et contemplativa; ideo oportet interdum gaudia curis interponere, ne animus nimia severitate frangatur, et ut homo promptius vacet ad opera virtutum. Et si tali fine fiat de ludis cum aliis circumstantiis, erit actus virtutis et poterit esse meritorius, si gratia informetur* (nempe si ludens sit in statu gratiae). *Istae autem circumstantiae videntur in ludo choreali observandae, ut non sit persona indecens, sicut clericus vel religiosus: ut sit tempore laetitiae, ut liberationis gratia, vel in nuptiis,*

meritoriae sunt, licet ipse intentionem dirigendi opera ad Deum minime renovet. Optimum tamen consilium est saepius hanc intentionem renovare, tum quia hi sunt totidem actus charitatis, tum quia fervor spiritus hoc pacto mirum in modum excitatur ac fovetur.

Quaer. 8° *An ut actiones sint meritoriae, necesse sit agere ex motivo supernaturali, aut saltem de Deo cogitare?*

Resp. 1° Haec quidem necessaria sunt ad gratiam seu iustificationem acquirendam. Nullus enim, ut ait S. Thomas *(in Hebr. cap. XI. lect. 2.)*, potest placere Deo, nisi accedat ad ipsum. Nullus autem accedit ad Deum, nisi per fidem.

Resp. 2° Sicut non oportet quod qui vadit per viam, in quolibet passu cogitet de fine; ita ad hoc, quod alicuius actionis finis sit Deus vel charitas, non oportet quod agendo illam actionem aliquis de Deo et charitate cogitet (*a*), sed sufficit quod prius per cha-

et huiusmodi: ut fiat cum honestis personis, et cum honesto cantu, et quod gestus non sint nimis lascivi (scil. liberiores), *et si qua huiusmodi sunt. Si autem fiat ad provocandam lasciviam, et secundum alias circumstantias, constat, quod actus erit vitiosus.*

Et *(ibid.)* de ornatu mulierum: *Dicendum, quod ornatus mensurandus est ad modum et mensuram personae, et intentionem. Si enim mulieres portent ornamenta decentia secundum statum et dignitatem suam, et moderate se habeant in factis suis secundum consuetudinem patriae, erit actus virtutis modestiae, quae modum ponit in incessu, statu, habitu et omnibus motibus exterioribus, et poterit esse meritorius si sit cum gratia. Similiter si faciat, ut placeat decenter viro suo, quem habet, vel accipere debet, et ut ab aliis mulieribus retrahatur. Si autem habeant ornamenta pretiosiora, quam deceat ipsas, erit arrogantia; vel deformatum vitio luxuriae, si faciant ad provocandum ad concupiscentiam sui.*

Et rursus *(2. Dist. 40. q. 1. art. 5.)*: *Comedere et bibere servato modo temperantiae, et ludere ad recreationem servato modo eutrapeliae, quae medium tenet in ludis..., meritorium erit in eo, qui charitatem habet.*

(*a*) S. Thomas *(De Mal. q. 2. art. 5. ob. 10.)*: *Ad hoc quod aliquis actus sit meritorius in habente charitatem, non requiritur, quod actu referatur in Deum, sed sufficit quod actu referatur in aliquem finem convenientem.*

Et *2. Dist. 38. q. 1. art. 1. ad 4.*: *Ad hoc quod alicuius actionis finis sit Deus vel charitas, non oportet quod agendo illam actionem aliquis de Deo vel charitate cogitet...; sed oportet, quod prius fuerit cogitatio de fine, qui est charitas vel Deus.*

Et *De Mal. q. 9. art. 2.*: *Contingit quandoque, quod homo actu non ordinet aliquem actum in Deum, cum tamen actus ille de se non contineat aliquam inordinationem, ratione cuius non sit in Deum referibilis; et tamen quia mens hominis est habitualiter relata in Deum sicut in finem* (nempe est in statu gratiae), *actus ille non modo non est peccatum, sed etiam est actus meritorius.*

Conf. Caietanus *(In Comment. ad 1. 2. q. 100. art. 10.)*, Valentia *(In 1. 2. Disp. 8. q. 6. Punct. 3.)*, Becanus *(De Grat. Cap. 5. q. 1. n. 13.)*, Montesinos *(In 1. 2. q. 1. art. 4. Quaest. 1. n. 13.)*, et Card. Aguirre *(Theol. S. Anselmi Disp. 130. n. 147.)*, tum etiam S. Franciscus Salesius *(Trattato dell' amor di Dio Part. 2. Lib. 6. Cap. 8. al. Lib. 12. Cap. 8.)*, ex quibus disces, hasce doctrinas communes in catholicis scholis extitisse.

ritatis actum omnes actiones aliquando in finem, qui est Deus, ordinatae fuerint. — *Vide S. Thom. 1. 2. q. 1. art. 6. ad 3.;* et *2. dist. 38. q. 1. art. 1. ad 4.*

APPENDIX

DE MERITO ACTUUM HUMANORUM

33. — Actus *meritorius* est opus bonum et cum gratia positum et praemio seu retributione dignum.

Meritum duplex distinguitur: 1° meritum *de condigno,* cui merces ex iustitia, hoc est, ex Dei promissione debetur; 2° meritum *de congruo,* cui merces non ex iustitia debetur, sed ex quadam decentia et Dei liberalitate.

Dico 1°: Homo iustus per gratiam operans vere et proprie mereri potest *de condigno.* — Constat ex *Matth. 5. 12: Merces vestra copiosa est in caelis;* et *2. Tim. 4. 8: Reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* — Constat etiam ex *Trident. sess. 6. c. 16.,* ubi declaratur vitam aeternam esse mercedem ex Dei promissione bene operantium meritis reddendam.

Dico 2°: Homo etiam peccator et infidelis actibus cum gratia positis mereri potest *de congruo.* — Constat ex variis S. Scripturae locis, in quibus referuntur exempla peccatorum et gentilium, quibus copiosas gratias, intuitu ipsorum bonorum operum, largitus est Deus. Sic *Actuum Apost. 10.* perhibetur Cornelius suis eleemosynis et precibus conversionem ad veram Fidem obtinuisse (*a*).

Exinde bona opera ex gratia facta triplicis sunt generis, scilicet 1° *Opera viva,* seu opera bona facta in statu gratiae sanctificantis. — 2° *Opera mortificata,* seu opera bona, quae quidem in statu gratiae peracta sunt, sed meritum omne per subsequens peccatum mortale amiserunt, recuperata autem gratia sanctificante, reviviscunt. — 3° *Opera mortua,* quae fiunt in statu peccati mortalis. Haec autem licet vitae aeternae praemium non habeant, ad meritum tamen *de congruo* prodesse possunt.

34. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quid requiratur ad meritum* de condigno?

Resp. Requiritur 1° ut actus sit liber; secus enim non esset actus humanus; 2° ut sit honestus; secus praemio dignus non esset; 3° ut ponatur ex gratia; alioquin ad vitam et mercedem supernaturalem proportionem non haberet; 4° ut agens sit in statu gratiae, quia peccator non est Dei filius aut amicus, cui promissa debentur.

(*a*) Exemplum Cornelii forte minus est ad rem. Non enim haberi debet ceu *infidelis,* qui in ss. litteris *(Act. X. 2.)* dicitur *religiosus ac timens Deum,* neque *peccator,* qui (ib. v. 22.) *appellatur iustus et timens Deum.* Iustificatus autem censeri potest per charitatem. Neque enim ad charitatem habendam, antequam ei Evangelium promulgaretur, fides in Christum ipsi necessaria erat.

QUAER. 2° *Quid homo mereri possit* de condigno?

Resp. 1° Potest mereri augmentum gratiae sanctificantis, et gloriam aeternam, quae illam consequitur. — Constat ex *Conc. Trid. sess. 6. c. 16.*

Resp. 2° Homo iustus non potest *de condigno* mereri perseverantiam finalem, neque gratias efficaces, quia haec sunt dona gratuita, quae Deus non promisit.

QUAER. 3° *Quid possit homo mereri* de congruo?

Resp. 1° Peccator per bona opera, v. gr. ieiunium, eleemosynam, orationes, mereri potest *de congruo* gratiae auxilium, ut peccatum vitet, et ad iustificationem perveniat.

Resp. 2° Iustus mereri potest *de congruo* 1° *sibi* gratias efficaces et perseverantiam finalem; 2° *aliis* gratiam primam et ulterioris gratiae auxilia.

QUAER. 4° *An opus, ut sit meritorium* de condigno, *debeat esse supererogationis, seu non praeceptum?*

Resp. Neg. Constat enim ex *Trident. sess. 6. can. 26.,* omnia opera, quae in Deo sunt facta, vitam aeternam promereri; opera autem, quae sunt praecepti, et ipsa sunt in Deo facta; ergo etiam per ea homo vitam aeternam promeretur.

35. — QUAER. 5° *An ad meritum* de condigno *requiratur actus elicitus ex charitate?*

Resp. Licet auctores gravissimi, ut ait Bellarminus *(De Iustif. Lib. 5. cap. 15.)*, et in his Vasquez *(In 1. 2. Disp. 217. cap. 4. n. 38.)*, censuerint, omnia hominis iustificati opera bona ex gratia esse meritoria vitae aeternae, etiam nulla praecedente operis relatione in Deum ex charitate, v. gr. opera bona hominis iustificati vi sacramenti antequam charitatis actum eliciat; communior tamen et probabilior sententia requirit insuper, ut opera actu vel virtute in Deum ex charitate referantur. Et quidem iam superius vidimus, quid ad istam virtualem operum in Deum relationem sufficiat ex communi DD. sententia cum S. Thoma; hoc nempe solum postulant, ut homo, dum suo tempore urget praeceptum charitatis, per huius virtutis actum se suaque omnia in Deum aliquando ordinaverit (*a*), licet deinde

(*a*) Si hoc solum (inquies) exigit S. Thomas, quorsum alibi ad meritum postulat, ut singuli actus charitate sint formati, ordinati, imperati? Ita enim ille *(De Verit. q. 14. a. 5. ad 13.)*: *In habente charitatem non potest esse aliquis actus virtutis, nisi a charitate formatus. Aut enim ille erit in finem debitum ordinatus, et hoc non potest esse nisi per charitatem in habente charitatem: aut non est ordinatus in debitum finem, et sic non erit actus virtutis.*

Resp. Haec nihil aliud sibi velle, nisi ut actus cuiusvis virtutis ordinetur ad Deum, seu summum illud bonum, quod est obiectum charitatis. Unde S. Thomas *(3. Dist. 27. q. 1. art. 4. q. 3.)*: *Quod charitas sit motor omnium aliarum virtutum, ex hoc patet, quod ipsum bonum, quod est obiectum charitatis sub ratione finis, est finis virtutum.* Et dein subdit: *Et secundum hoc (charitas) dicitur earum actus imperare.*

Eadem de causa a S. Thoma charitas virtutum *forma* dicitur *(De Virt.*

inter agendum neque de Deo neque de charitate cogitet. Plus tamen aliquid exigere videtur S. Bonaventura *(2. Dist. 41. art. 1. q. 3. o et ad 2.)* et ad meritum requirere, ut ad singula opera vel saltem ad singulas operum series fiat ista in Deum ordinatio; quae si desit, Deus opus nec remuneret nec imputet in culpam. Idcirco inquit *(ibid. ad 6.)*: *Si opus alterius generis inciperet, oporteret, ut intentio renovaretur ad hoc ut opus esset meritorium.* Nihilominus cum *(ibid.)* in Religioso ad meritum regularis observantiae sufficere autumet actum charitatis, quo ab initio vovit portare Religionis pondus; imo cum ad meritum *(ibid.)* satis habeat, si iustus, nihil de Deo cogitans, solum consideret opus, v. gr. obedire, esse bonum; vix reipsa a S. Thoma distare videtur; quinimo Vasquez *(disp. cit. cap. 2. n. 9.)* non dubitat, S. Bonaventuram in suam opinionem aut certe in S. Thomae sententiam pertrahere.

q. 2. art. 3.): *Actus omnium aliarum virtutum ordinantur in finem proprium charitatis, quod est summum bonum... Et pro tanto (charitas) dicitur forma omnium virtutum, in quantum scilicet omnes actus omnium virtutum ordinantur in summum bonum amatum.*

Eadem ratione charitas iuxta S. Doctorem dicitur virtutibus imperare *(2. Dist. 40. q. 1. art. 5.)*: *Cum charitas imperet omnibus virtutibus... oportet, quod quidquid ordinatur in finem alicuius virtutis, ordinetur in finem charitatis* (scil. in obiectum charitatis, quod est summum bonum); *et cum omnis actus bonus ordinetur in finem alicuius virtutis, in finem charitatis ordinatus remanebit, et ita meritorius erit. Et sic comedere et bibere servato modo temperantiae, et ludere ad recreationem servato modo eutrapeliae..., meritorium erit in eo, qui charitatem habet.*

Neque tamen opus est, ut dum quis agit, de finibus virtutum in finem charitatis ordinandis cogitet. Ita S. Thomas *(2. Dist. 40. q. 1. art. 5. ad 3.)*: *Non solum actus charitatis est meritorius, sed etiam actus aliarum virtutum secundum quod gratia informantur; licet meritorii esse non possint nisi secundum quod reducuntur in finem charitatis. Non autem oportet quod semper actus in finem illum (charitatis) reducantur; sed sufficit ad efficaciam merendi, quod in fines aliarum virtutum reducantur; qui enim intendit castitatem servare, etiamsi de charitate nihil cogitat, constat quod meretur, si gratiam habet. Omnis autem actus in aliquod bonum tendens nisi inordinate in illud tendat, habet pro fine bonum alicuius virtutis; eo quod virtutes sufficienter perficiunt circa omnia, quae possunt esse bona hominibus.*

FINIS TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS

TRACTATUS

DE CONSCIENTIA

36. — Definitio. Conscientia est dictamen practicum rationis, seu iudicium practicum, quo iudicamus aliquid posse vel debere fieri, quia bonum vel praeceptum, aut omittendum esse, quia malum (*a*). — Hinc differt a *synderesi*, quae principia tantum generalia dictat.

Divisio. Conscientia distinguitur

1° *Recta*, vel *erronea*, prout verum vel falsum dictat (*b*).

2° *Certa*, vel *dubia*, prout mens firmiter iudicat aliquid esse bonum vel malum, aut e contra suspensa haeret circa actionis honestatem.

3° *Scrupulosa*, vel *laxa*, prout vel inani motivo apprehendit peccatum ubi non est, vel e contrario leviori de causa peccatum abesse praesumit, aut leve habet, quod est grave.

4° *Probabilis*, vel *improbabilis*, prout ex motivo gravi aut infirmo ad opinandum mens inclinatur (*c*). — De singulis seorsim (*d*).

(*a*) Alicuius conscientiae, idest iudicii de honestate vel inhonestate actionis, necessitas ad bonum vel malum morale manifesta est. Imputari enim homini non potest actus, cuius non sit dominus. Dominus autem actuum suorum homo est per liberam voluntatem, qua se determinat. Atqui nulla voluntas est aut esse potest illius honestatis aut inhonestatis, quam agens non cognoscat, quippe *voluntas non fertur in incognitum*. Nulla ergo honestas aut inhonestas (*formalem* intellige, non autem mere *materialem*), seu nullum bonum aut malum morale inesse actibus potest, nisi et quatenus eos praecedat aliquod rationis iudicium de ipsorum honestate vel inhonestate. Et ita quidem secundum prima ac notissima philosophiae ac theologiae moralis, imo et sensus humano generi communis elementa. Quae cum manifestissima sint, Italiae tamen infelicissimum hoc servabatur aetate nostra decus, ut philosophico amicta pallio, et instar collapsam restaurantis moralem scientiam impune per eam discurreret doctrina, vi cuius actus morales sine ulla conscientia admitti debeant, et quidem actus, qui non modo moraliter boni aut mali censendi sint, sed etiam meritorii aut demeritorii, qui tamen absque ullo alioquin praecedenti iudicio de ipsorum honestate aut inhonestate eliciti fuerint! Quo pacto haec cum dogmate catholico cohaereant, alii sane viderint; quoad philosophema, sat nobis illud in praesens sit: *Quantum est in rebus inane!*

(*b*) Quidam *erroneae* volunt opponere *veram* potiusquam *rectam*; quia conscientiam *rectam* illis quoque inesse contendunt, qui agunt ex conscientia invincibiliter erronea. Agitur, ut patet, de modo loquendi.

(*c*) Communis usus habet, ut *probabilitas* aut *improbabilitas* dicantur de opinione potius quam de conscientia.

(*d*) Non omittenda distinctio est, quae passim apud Auctores recurrit, conscientiam nempe vel *antecedentem* dici, vel *consequentem*, prouti iudicium de honestate actus vel praecedit actum ipsum, vel eum subsequitur. Qua de re docenda sane est plebs christiana, *formalem* actuum bonitatem

CAPUT I.

DE CONSCIENTIA RECTA ET ERRONEA

37. — Definitio. Conscientia *recta* ea est, quae repraesentat obiectum sicut in se est: secus *erronea* est dicenda; et quidem erronea dicitur *invincibiliter,* aut *vincibiliter,* prout ignorantia seu error inculpabilis est, aut culpabilis.

Principia. — I. Conscientia *recta* praecipiens semper sequenda est, quia conscientia est regula proxima voluntatis, derivata a prima et summa regula omnium actionum humanarum. — *S. Lig. n. 3.*

II. Conscientia *invincibiliter erronea* praecipiens pariter in omni casu sequenda est; quia omnino aequiparanda est subiective conscientiae rectae, et quia, iuxta Apost. *Omne quod non est ex fide* (seu iuxta conscientiam) *peccatum est.* — *S. Lig. n. 5.*

III. Conscientia *invincibiliter erronea* permittens eximit ab omni peccato, quia ibi nullum potest esse peccatum, ubi nulla malitia apprehenditur. — *S. Lig. ibid.*

IV. Non licet sequi conscientiam vincibiliter erroneam permittentem, aut praecipientem, quia cum ex hypothesi error sit vincibilis, quisquis agit cum tali conscientia, errat voluntarie. Nec licet agere contra eam praecipientem, quia sic agens illud facit, quod iudicat prohibitum, ideoque peccat. Proinde ante actionem illa conscientia per inquisitionem veritatis deponenda est (*a*). — *S. Lig. n. 4.*

vel malitiam non a *consequenti* conscientia desumi, sed ab *antecedenti.* Decipiuntur enim saepius rudes, qui dum vel libros legunt, vel audiunt conciones, iudicant, se in quibusdam peccasse, quando de malitia illorum actuum, aut certe de quapiam culpae gravitate nunquam inter agendum cogitaverant, aut suspicati fuerant.

Pulchre S. Thomas *(1. q. 79. art. 13.),* conscientiae tum *antecedentis* tum *consequentis* munia sic describit: *Dicitur conscientia* testificari, ligare *vel* instigare, *vel etiam* accusare, *vel etiam* remordere *sive* reprehendere. *Et haec omnia consequuntur applicationem alicuius nostrae cognitionis vel scientiae ad ea, quae agimus. Quae quidem applicatio fit tripliciter: Uno modo secundum quod recognoscimus, aliquid nos fecisse vel non fecisse...; et secundum hoc conscientia dicitur* testificari (hic habes conscientiam *consequentem* licet non moralem). *Alio modo applicatur secundum quod per nostram conscientiam iudicamus, aliquid esse faciendum; et secundum hoc dicitur conscientia* ligare *vel* instigare (id pertinet ad conscientiam *antecedentem*). *Tertio modo applicatur secundum quod per conscientiam iudicamus, quod aliquod, quod factum est, sit bene factum, vel non bene factum; et secundum hoc conscientia dicitur* excusare *vel* accusare, *seu* remordere (quae spectant ad conscientiam *consequentem*).

(*a*) Haec valent quoad eum, qui hic et nunc aliquo modo advertit aut suspicatur de necessitate inquirendi, priusquam agat. At fieri etiam potest, prout monet Croix *(Lib. 1. n. 42.),* ut error quidem olim fuerit culpabilis, quem tamen in praesens quis amplius non advertat, v. gr. si confessarius non satis olim theologiam excoluit, aut huius studium nimis diu ex negligentia intermisit. Et de hoc verissime dicitur cum S. Thoma *(De Verit.*

38. **Resolves.**— 1° Qui putat esse ieiunium quando non est, ob erroneam conscientiam peccat contra praeceptum, si non ieiunet.

2° Si quis mentiatur ad liberandum proximum e periculo vitae, putans inculpabiliter se ex charitate ad id teneri, actum bonum facit; et si non mentiatur, contra charitatem peccat.

3° Qui cum aliquo dubio putat, sibi mentiendum vel furandum esse, ut proximo succurrat, non potest talem conscientiam sequi nec contra eam facere; sed debet, si possit, inquirere, eam deponere, et postea operari; talis enim error est vincibilis.

Quaer. *Quibus signis Confessarius cognoscere possit, errorem esse vincibilem in poenitente?*

Resp. Interroget 1° an aliquam indecentiam in hoc actu adverterit? 2° an ipsi sua conscientia dictaverit esse saltem interrogandum Confessarium, vel alium prudentem virum? 3° an occasionem interrogandi ex verecundia (*a*) aut metu neglexerit? Si poenitens affirmative respondeat ad unum vel alterum ex his, censeri potest, in culpabili errore versari; secus, si ad omnia negat. — *V. Casus, n. 37.*

CAPUT II.

DE CONSCIENTIA CERTA ET DUBIA

ARTICULUS I.

DE CONSCIENTIA CERTA

39. — Definitio. Conscientia certa ea est, qua quis firmiter et absque errandi formidine iudicat, aliquid esse bonum vel malum.

Divisio. Certitudo triplex distingui solet:

1° *Metaphysica,* quae competit iis propositionibus, in quibus attributum subiecto essentialiter convenit, atque adeo immutabilis est.

q. 17. art. 8. ob. 8.), quod *nunquam a peccato excusatur,* sive agat iuxta conscientiam sive contra. Et ratio patet, quia semper adest vetus illud peccatum, culpabilis nempe ignorantia eorum, quae quis scire tenetur. Nec reatus iste incurritur, dum quis acturus nunc est; sed est culpa omissae olim diligentiae, et a praesenti actione independens; cuius proinde gravitas desumi debet non ab actione nunc ponenda, sed ex communibus principiis de peccatis ignorantiae. Atque hinc vera etiam ratio patet, cur in casu magis reus sit, qui agit contra conscientiam, quam qui iuxta. Nam hic praedictum tantummodo ignorantiae reatum habet. Ille vero praeter hunc addit alium nunc reatum actionis contra conscientiam positae. Quod si quis ignorantiae culpam per congruam poenitentiam et additam diligentiam, ut par est, retractaverit, patet eum illi aequiparandum esse, qui invincibili ignorantia laborat.

(*a*) Quaedam tamen personae, ut docet experientia, subinde verecundia prohibentur ab interrogando etiam circa ea, quae nullum habent reatum.

2° *Physica,* quae fundatur in ordine constanti, quo mundus regitur; haec firma consistit, quousque leges physicae constantes sunt, et constantes fuisse censentur.

3° *Moralis,* quae nititur legibus, quibus homines in suis actibus reguntur.

Iterum certitudo moralis subdividitur in *perfectam* et *imperfectam.* Prior est, quae ita fundatur in legibus moralibus, ut clare percipiatur, propositionem falsam esse non posse. Haec ad certitudinem metaphysicam mediate reducitur. Posterior ea est, quae competit iis propositionibus, in quibus errorem esse absolute non repugnat, quamvis difficillime contingere id possit. Haec varios gradus admittit.

Item certitudo alia est *directa,* quae obtinetur per certa argumenta materiae intrinseca; alia indirecta, quae habetur ex principio aliquo extrinseco, v. gr. Ecclesiae auctoritate.

Principia. — I. Sola conscientia *certa* est recta regula morum. Ratio est 1° quia *omne quod non est ex fide, peccatum est. Rom. 14. 23.;* 2° quia agens cum conscientia non certa violat obligationem de veritate inquirendi, et ideo peccat formaliter (*a*).

II. Sufficit conscientia moraliter certa, etiam imperfecta. Ratio est, 1° quia agens cum tali conscientia, vere ex fide agit; — 2° quia certitudo absoluta plerumque haberi nequit; — 3° quia constat ex sententia communi Doctorum, et ex praxi universali (*b*).

ARTICULUS II.

DE CONSCIENTIA DUBIA

40. — Definitio. Conscientia dubia ea est, quae haeret suspensa circa actionis honestatem. Dubium enim est suspensio assensus inter opposita (*c*).

(*a*) Praecepta nempe nos obligant non modo ne scienter ipsa violemus, sed etiam ne per inquirendi negligentiam eadem transgrediamur. Et exinde est reatus illius, qui agit dubitans de actus honestate. Qua de re Suarez (*De Censuris Disp. 40. Sect. 5. n. 12.*): *Quamdiu homo non facit, quod in ipso est, ad deponendum dubium, illi imputatur quidquid est periculi in tali operatione; ignorantia enim, quae ibi intervenit, vincibilis est, ideoque non potest a culpa excusare.* Exinde ab hac culpa ne ille quidem immunis est, qui inter temere agendum partem illam amplectitur, quae cum recta agendi norma congruit.

(*b*) Quidquid plane firmae certitudini in casu desit, semper per principia reflexa suppletur, ut mox dicetur, ubi de opinione probabili. Nam alioqui certitudo de honestate actionis firma esse debet, ut inferius circa probabilioristarum theorias advertendum occurret.

(*c*) Adverte sedulo discrimen inter *dubium, suspicionem* et *opinionem;* quod paucis sic declarat S. Thomas (*2. 2. q. 2. art. 1.*): *Quidam actus intellectus habent cogitationem informem absque firma assensione sive in neutram partem declinent, sicut accidit dubitanti; sive in unam partem*

Divisio. Multiplex dubium distinguitur, scilicet

1. *Positivum,* vel *negativum,* prout adsunt rationes graves dubitandi, aut leves tantum, vel etiam nullae: seu dubium est *positivum,* quando mens suspendit assensum ob apparentem aequalitatem rationum; *negativum* vero, quando mens suspendit assensum ex defectu rationum (*a*).

2° *Iuris,* vel *facti,* prout versatur circa legis exsistentiam, eiusve obligationem, aut circa factum aliquod particulare.

3° *Speculativum,* vel *practicum,* prout versatur circa veritatis cognitionem abstractam et in communi, vel circa veritatem, quae hic et nunc ad opus ordinatur.

Dubium autem *speculativum* potest etiam dividi in *speculativum simpliciter,* cum dubitatur de re ad mores non pertinente; et in *speculativo-practicum,* quando dubitatur de principio generali morum, aut de bonitate actionis in se sumptae, nec tamen inquisitio ad opus reipsa exsequendum ordinatur; si vero circa actionem versetur hic et nunc ponendam, dicitur a quibusdam *dubium practice-practicum.*

41. **Principia.** —I. Nunquam licet operari cum conscientia *practice dubia,* sed pars tutior est sequenda. Ratio patet ex modo dictis *de conscientia certa, principio I.* — Licet autem quandoque operari cum conscientia speculative dubia, cum scilicet deposito dubio practico ex dictamine practice certo, seu ex principiis reflexis certis, conscientia efformatur, ut mox agendo de probabilismo dicemus.

II. Dubium mere negativum pro nihilo habendum est; quia in ratione prorsus nulla, aut valde levi fundatur: proinde etsi illud maneat, urget tamen obligatio, vel stat libertas (*b*), prout antea existebat; nec efficere potest, ut moralis certitudo oppositi subverta-

magis declinent, sed tententur aliquo levi signo, sicut accidit suspicanti; sive uni parti adhaereant, tamen cum formidine alterius, quod accidit opinanti.

(*a*) De his S. Thomas *(De Verit. q. 14. art. 1.): Intellectus noster... quandoque non inclinatur magis ad unum, quam ad aliud, vel propter defectum moventium, sicut in illis problematibus, de quibus rationes non habemus, vel propter apparentem aequalitatem eorum, quae movent ad utramque partem: et ista est* dubitantis *dispositio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis. Quandoque vero intellectus inclinatur magis ad unum quam ad alterum; sed tamen illud inclinans non sufficienter movet intellectum ad hoc, quod determinet ipsum ad unam partem totaliter; unde accipit quidem unam partem, tamen semper dubitat de opposita: et haec est dispositio opinantis.* Haec S. Doctor; e quibus collige, non accurate quosdam recentiores confundere *dubium positivum* cum statu *opinantis* pro alterutra parte. Nam *dubium* excludit assensum; *opinio* vero aliquem assensum habet.

(*b*) Dubium negativum est suspensio assensus ob defectum rationum pro utraque contradictionis parte. Ergo cum hic supponatur ex altera parte certa lex aut libertas, *dubium* sumitur lato quodam sensu pro inani suspicione.

tur. Verum si prudens suspicio de errore tibi oriatur, ad inquirendum teneris. Itaque cum posthac casus dubii negativi occurrent, eos, ista regula semel statuta, facile dilues, et idcirco ad solum dubium positivum attendemus. — *S. Lig. n. 24.*

42. **Resolves.** — 1° Quoties quis dubitat, utrum actus, quem hic et nunc est positurus, sit licitus, necne, diligentiam veritati inquirendae, pro rei gravitate, et personae locique conditione congruam, adhibere tenetur; probos et peritos consulat, eorum praxim investiget, rationesque solo veritatis studio perpendat: secus enim periculo legis violandae ex inquisitionis negligentia se exponit, et eo ipso peccat.

2° Si inquirere non possit, nec per se rationes utriusque partis perpendere valeat, nec alia ratione, v. gr. per principia reflexa a dubio se expedire, tutiorem partem amplectatur; quia secus ageret in dubio *practice-practico,* id est cum conscientia vere dubia, ac sine ullo de actionis honestate certo iudicio.

3° Qui diligenti ac sufficienti inquisitione peracta adhuc dubitat, an adsit lex praecipiens aut prohibens, huic obtemperare non tenetur; quia efformare sibi conscientiam potest ex principio *reflexo,* scilicet non posse obligare legem, quae inveniri non potest, ut infra, ubi de *probabilismo,* dicetur.

4° Inepte agunt, qui post actum iam commissum vel omissum apud Doctores vel a Confessario inquirunt, utrum peccaverint; nam peccatum praeteritum non pendet a sequenti iudicio Doctoris aut Confessarii, sed a dictamine practico, quod quis in agendo habuit. — Prudenter tamen facit qui interrogat, ut veritatem cognoscat, quo pacto scilicet in futurum in simili casu se gerere possit aut debeat.

43. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An graviter peccet operans cum dubio practico de peccati gravitate?*

Resp. Affirm. Qui enim agit cum conscientia practice dubia, secundum communia principia peccat ea peccati specie tum morali tum theologica, de qua practice, dum agit, dubitat. Ratio est, quia obligationem sane gravem violat praecavendi, ne per ignorantiam aut inadvertentiam voluntariam incidat in legis transgressiones, quae graves esse possint.

Quaer. 2° *An peccet graviter, qui scit actionem suam esse malam, sed ad eius gravitatem non attendit?*

Resp. Alii censent hunc peccare graviter, vel leviter, prout obiectum peccati est in se grave, vel leve; alii vero semper graviter (*a*); alii demum venialiter tantum, modo malitiam gravem, saltem in confuso, non apprehendat; quod tamen supponi nequit, ubi agitur de re notabiliter gravi (*b*). — *S. Lig. n. 23.*

(*a*) Isti nimirum supponunt hunc hominem ita animo comparatum, ut velit agere, etiamsi gravis sit culpa.

(*b*) Istae tamen sententiae vix dici possunt oppositae; quia non de eadem hypothesi, sed de diversa tractant; quocirca facile conciliari possunt.

Quaer. 3° *Quid agendum sit in casu conscientiae perplexae, quando quis scilicet inter duo praecepta constitutus haeret dubius, quodnam e duobus sequi debeat?*

Resp. Sequentes regulas in perplexitate teneto:

1° Consule, si possis, Confessarium, vel alios prudentes viros; quia in eo casu ignorantia vincibilis est.

2° Si consulere nequeas, et adsit necessitas agendi, quia actio sine gravi damno suspendi nequeat, elige quod tibi minus malum videtur, non tamen ita ut malum facias, sed ut magis a malo recedas. Scito autem legem *inferioris ordinis* debere legi *superioris ordinis* cedere.

3° Si utrumque praeceptum aeque tibi grave videatur, quidvis elige, nec peccabis; non enim peccandi datur necessitas. — *S. Lig. n. 10. — V. Casus, n. 43.*

CAPUT III.

DE CONSCIENTIA SCRUPULOSA ET LAXA

ARTICULUS I.

DE CONSCIENTIA SCRUPULOSA

Conscientia scrupulosa dicitur, quae ex levi imo et vana causa dubitat de alicuius actionis honestate, ideoque formidat de peccato, ubi peccatum non est. Scrupulus enim est inanis apprehensio, seu levis suspicio, qua quis falso iudicat aliquid esse peccatum. Vox autem *scrupulus* repetenda dicitur ex lapillis, seu scrupis, qui calceis viatorum se ingerentes pedibus molestiam creant.

Dicemus breviter de scrupulorum causis, signis, damnis, remediis, necnon de regulis pro poenitentibus scrupulosis, eorumque Confessariis.

I. CAUSAE SCRUPULORUM

44. — Causae scrupulorum praecipuae sunt sequentes:

1. *Permissio divina.* Non quidem quasi Deus falsas apprehensiones immittat, sed quod has permittens lumen suum subtrahat, ut nimirum homo in anxietates lapsus redeat ad cor, ad meliorem frugem se recipiat, ad Deum recurrere discat, et pro peccatis, patienter sustinendo angorem, satisfaciat, meritum augeat, etc.

2° *Daemonis operatio.* Dextre enim novit daemon scrupulos fabricare, commovendo sanguinem, alterando humores, varia simulacra phantasiae obiiciendo, species diversas componendo, ut tetricam et falsam imaginem peccati efformet, mentem conturbet, a profectu spirituali retrahat, et tandem in animi deiectionem, vel etiam in desperationem coniiciat

3° *Complexio melancholica et phlegmatica.* Melancholici enim sunt plerumque suspicaces, rerumque, quas apprehendunt, tenaces, et proinde proni ad omnem mali suspicionem; et cum frigidae sint complexionis, facilius timori et pusillanimitati obnoxii sunt, terrenturque ad primam mali speciem.

4° *Imbecillitas capitis,* vel defectus iudicii naturalis in personis ad timorem propensis; item pusillanimitas et deiectio animi, ob quam timores nescit quis contemnere.

5° *Nimia sollicitudo* id omne vitandi, quod habet speciem mali; dum enim scrupulosus continuo sibi inclamat: *cave a peccato...*, *attende tibi...*, seipsum sine causa terret et perturbat.

6° *Consortium cum scrupulosis;* quo spectat et directio a Confessario scrupuloso accepta, lectio casuum conscientiae et asceticorum severiorum facta ab aliquo incauto et minus intelligente; item fuga cuiusvis humanae conversationis fastidiosa.

II. SIGNA SCRUPULORUM, SEU CONSCIENTIAE SCRUPULIS OBNOXIAE

45. — Plurimum interest, ut animarum moderatores discernant veros scrupulosos a falsis. Saepe enim scrupulosi putantur qui non sunt, et vice versa; et exinde ingentes in directione errores profluunt cum non modico damni spiritualis periculo: multa igitur circumspectione hic opus est. Signa autem praecipua scrupulorum sunt:

1° *Pertinacia iudicii,* qua quis renuit parere consiliis Confessarii, vel sapientium; et dum varios consulit, nullius iudicio acquiescit; imo quanto plures audit, eo magis implicatur.

2° *Frequens mutatio iudicii* ex levibus motivis, unde frequens inconstantia in agendo, mentisque continua perturbatio.

3° *Timor peccandi in omnibus,* coniunctus cum mentis pertinacia contra iudicium Confessarii, prudentium, vel etiam contra proprium iudicium: unde sequitur frequens interrogatio circa Confessarii responsa, et repetita inquisitio, an in agendo iuxta consilium datum conscientia immunis a culpa esse possit.

4° *Reflexiones impertinentes* circa circumstantias, quae in actione adfuerunt vel adesse potuerunt, et certitudo in omnibus anxie quaesita.

5° *Obstinatio ad idem peccatum semper repetendum* in confessione, vel ad illud habendum ceu peccatum, quod tale non esse iam pluries a Confessario declaratum fuit.

6° *Anxietas continua circa confessiones praeteritas,* non obstante iudicio Confessarii, vel confessionum repetitione.

—Non potest autem, saltem statim, iudicari scrupulosus 1° qui moderate est sollicitus, aut anxius, ne Deum offendat; 2° qui post vitam in peccatis traductam adhuc angitur, nec post confessionem videtur sibi satisfecisse, sed magis vult confiteri et peccata expiare; 3° qui deliberate adhuc consentit in gravia peccata, quamvis post

commissum peccatum valde angatur, et anxie confiteatur, nam iusta est causa anxietatis, saltem moderatae: potest tamen etiam in hoc haberi verus scrupulosus; 4° qui in uno tantum vel altero casu habet scrupulum transeunter, nec dubitat, an in hoc vel illo peccaverit.

Caeterum subinde contingit, ut Confessarius non possit post poenitentem prima vel altera vice auditum statim decernere, an sit scrupulosus, etiamsi hic anxius circa multa appareat; quippe anxietatum iusta aliqua ac rationabilis causa adesse potest. Multo autem minus Confessarius scrupulosus facile iudicare potest, num poenitens scrupulosus sit, an tantum meticulosus. — *Lacroix, Lib. 1. n. 517., etc.*

III. DAMNA SCRUPULORUM

46. — Scrupuli generatim gravia incommoda et damna spiritualia, et saepe etiam corporalia secum trahunt, modo non sint a Deo immissi, verum ex culpa hominis perseverent. Praecipua autem damna scrupulorum sunt sequentia :

1° Nocent corpori ; per continuos enim angores cor constringunt, sanguinem corrumpunt, spiritus vitales consumunt, et caput debilitant.

2° Scrupulosum ineptum efficiunt ad fructuose agendum cum proximo; plerique enim scrupulosi tetrici sunt, et erga domesticos non minus ac erga extraneos morosi.

3° Nocent obedientiae, aut etiam eam totaliter impediunt ; quippe scrupulosus potius nugas ac phantasiae ludibria sectatur: sic ad agendum impellitur contra Dei voluntatem, quae illi per patrem spiritualem aut moderatorem manifestatur.

4° Orationis studium et amorem debilitant, aut etiam de medio penitus tollunt; quia vim mentis enervant, ad nugas perducendo distrahunt, anxietatibus animum implent, eumque ineptum ad coniunctionem cum Deo faciunt. Hinc sequitur non solum lucrum spirituale *cessans,* sed etiam ingens *damnum emergens.*

5° Fortitudinem infringunt : quid enim magni audeat, qui totus in nugis occupatur, et neglecta de passionibus suis victoria, tam facile deiicitur animo ?

6° Spem valde imminuunt, aut etiam perimunt, quia res demum eo adducitur, ut amissa in Deum fiducia, in laxitatem declinet. Quomodo enim Deo fidet debite, qui illum ut severissimum exactorem semper intuetur? Scrupulosus igitur, nisi fortiter contra scrupulos pugnet, iis vexatus in desperationem brevi agetur, et cupiditatibus suis frena laxabit, vel saltem vitam miserrimam et cum magno damnationis periculo ducet.

IV. REMEDIA SCRUPULORUM

47. — Versantur frequenter scrupuli, 1° circa actiones quotidianas; 2° circa pravas cogitationes; 3° circa confessiones. Igitur

I. Scrupulosis, qui in omnibus actionibus anguntur timore peccandi, iniungendum est, ut strenue contra scrupulos agant, ab iisque confitendis abstineant, nisi certissimi sint, ibi adesse peccatum. Quamvis enim sic agendo interdum materialiter peccent, non peccabunt tamen formaliter ratione obedientiae, quam Confessario praestare debent. — *S. Lig. n. 17.*

II. Scrupulosis, qui pavent assensum praebere, vel praebuisse cuilibet pravae cogitationi contra castitatem, Fidem aut Charitatem, imponendum est, ut has cogitationes velut mera phantasmata despiciant, et abstineant ab huiusmodi cogitationum confessione, nisi iurare possint, se eisdem vere consensisse. — *S. Lig. n. 15.*

III. Scrupulosis, qui semper anxii sunt circa confessiones, praesertim praeteritas, prohibendum est, ne amplius cogitent de culpis vitae anteactae, nec de iis verbum faciant in confessione, nisi iurare possint, 1° peccata mortalia se perpetrasse; 2° se nunquam ea confessos esse, praesertim si confessionem generalem iam peregerint. — *S. Lig. n. 16.*

Porro scrupulosi et timorati, de praeteritis confessionibus anxii, sic interrogandi sunt: 1° Num celasti scienter peccatum grave? 2° An proponebas peccata iterare? Si negative utrique postulationi respondeant, valida pronuncianda est eorum confessio.

V. REGULAE PRO SCRUPULOSIS

48. — 1° In rebus moralibus non est certitudo in omnibus quaerenda. Hoc pro omnibus valet; sed scrupuloso praecipue applicandum est.

2° Obedientia summa et caeca Confessario praestanda est, et cum magna humilitate et fiducia in omnibus procedendum.

3° Dubium, quod in aliis rationabile videri posset, in scrupulosis omnino spernendum est.

4° Licitum est, imo saepe obligatorium, et interdum sub gravi, adversus scrupulos decertare. — *S. Lig. n. 17.*

5° Nunquam iteranda confessio, nisi certo sacrilega fuerit; nec postremae confessionis examen unquam innovandum est, etiamsi dubium de peccato gravi omisso suboriri videatur.

6. Scrupuli contemnendi sunt; nec unquam secum de his disputandum a scrupulosis est.

VI. REGULAE PRO CONFESSARIIS

1° Scrutetur Confessarius, an poenitens sit vere scrupulosus..., an in omnibus..., et quaenam sit scrupulorum origo.

2° Sit patiens, benignus et fortis. Ad ipsum spectant haec Apostoli *2. Tim. 4. 2: Insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.*

3° Postulanti respondeat absque haesitatione et cum imperio; responsis non facile adiiciat rationes; nec iam confessa peccata pluries repeti sinat.

4° Commendet scrupuloso magnam in bonitate Dei fiduciam, frequentem orationem, otii fugam, examinis brevitatem, cordis humilitatem.

5° Cum scrupuloso generalibus, non peculiaribus utatur regulis; his enim scrupulosus dirigi non potest, quia ad eas applicandas ineptus est. — *V. Casus, n. 48.*

ARTICULUS II.

DE CONSCIENTIA LAXA

49. — Conscientia *laxa* ea dicitur, quae ex leviori ratione id, quod illicitum est, licere iudicat; vel veniale tantum peccatum ibi reperit, ubi est mortale: ea videlicet est, quae absque sufficienti ratione iudicium in favorem libertatis inflectit vel ad legem vitandam, vel ad minuendam culpae gravitatem.

Quam maxime periculosa est istiusmodi conscientia, ut attendenti facile patet, proindeque animas iniicit in *viam latam, quae ducit ad perditionem.*

Tripliciter distingui potest, scilicet 1° conscientia *laxa simpliciter,* quae tendit ad libertatem plus aequo extendendam; 2° conscientia *cauteriata,* quae ex diuturno peccandi habitu peccata gravia, quin etiam gravissima, nihili pendit (*a*); 3° conscientia *pharisaica,* quae magna parvi, et vicissim parva magni facit. Nomen ducit ex Pharisaeis, qui gravissima legis mandata spernebant, dum non lotis manibus manducando, inanesve traditiones praetereundo, se magni peccati reos existimassent.

50. — Quae ad conscientiam laxam generatim pertinent, his paucis complecti licet.

I. Graviter ille peccat, qui scienter laxae conscientiae obsequens, legem aliquam in re gravi transgreditur. Et sane huiusmodi ignorantia, utpote voluntaria, facile superari potest: ergo ipsius ignorantiae praetextu a peccato letali excusari nequit.

II. Imo graviter etiam in re levi peccare potest, si sua illum temeritas ad agendum, quovis dictamine praetermisso et contempto, impellat. Confer quae diximus supra de conscientia dubia. *Quaer. 1. n. 43.*

Quaer. *Quaenam sint conscientiae laxae causae, effectus et remedia?*

Resp. ad primum. Causae sunt omissio orationis, animi tepor, sollicitudo nimia temporalium, atque peccandi consuetudo, quae

(*a*) Hoc ex reprobo quoque sensu contingit, ad quem homines eiusmodi, obcaecatum cor habentes, deveniunt.

peccati horrorem tollit, familiaritas cum hominibus vitiosis, vita mollis, quae cor enervat et a rebus spiritualibus avertit.

Resp. ad secundum. Effectus sunt caecitas mentis, durities cordis, quod vix ullis mediis moveri solet, obduratio in malo quae summum salutis periculum inducit, iuxta illud Apost. *Rom.* 2. 5: *Secundum duritiam tuam, et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae.*

Resp. ad tertium. Remedia sequentia inter alia proponi possunt: humilis et assidua oratio; sacra exercitia; pia novissimorum meditatio iuxta illud *Eccli.* 7. 40: *Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis;* frequens piorum librorum lectio; quotidiana conscientiae discussio; recursus frequens ad Poenitentiae sacramentum; malorum fuga, et conversatio cum bonis.

CAPUT IV.

DE CONSCIENTIA PROBABILI ET IMPROBABILI

De tribus agendum est, scilicet 1° de natura, 2° de efficacia, 3° de usu probabilitatis.

ARTICULUS I.

DE NATURA PROBABILITATIS

51. — Opinio in genere est assensus in alterutrum cum formidine oppositi; seu est adhaesio alterutri e duobus contradictoriis cum formidine alterius.

Opinio vero *probabilis,* seu *sententia probabilis,* est iudicium nitens motivo gravi, licet cum formidine de opposito. — *Opinio* vero *improbabilis* est iudicium, quod motivo solido destituitur.

52. — Divisio *probabilitatis.* Distinguitur probabilitas

1° *Intrinseca,* vel *extrinseca,* prout vel rationibus ex natura rei deductis, vel auctoritati innititur (*a*). Utraque maior, vel minor esse potest.

2° *Iuris,* vel *facti,* prout circa iuris existentiam, eiusve applicationem, vel circa aliquod factum versatur.

3° *Speculativa,* vel *practica,* prout rem in genere, abstrahendo a circumstantiis, vel actum proxime ponendum respicit (*b*).

(*a*) Probabilitas *extrinseca intrinsecam* supponit; eatenus nempe DD auctoritas vim habet, quatenus censeri possit aut debeat, eos ad aliquam sententiam tenendam permotos gravi quapiam ratione fuisse. Quocirca si forte deprehendas, illos debili aut etiam prorsus falso fundamento innixos aliquid asseruisse, eorum auctoritas nihil sane momenti assertis addit.

(*b*) *Speculativam* vel *practicam* forte clarius dixeris opinionem aut sententiam, prout ad dirigendam actionem, quae hic et nunc reapse poni debet, ordinatur aut non ordinatur.

4° *Absoluta*, vel *relativa,* prout talis apparet omnibus vel plerisque, aut uni tantum vel paucis.

5° *Solitaria,* vel *comparativa,* prout talis apparet in se sola spectata, vel comparatione instituta cum contradictoriae propositionis fundamentis (*a*).

6° *Certa,* vel *dubia* aut *tenuis,* prout innititur motivis vel certo, vel dubie tantum solidis.

Probabilitas *comparativa* dividitur per gradus in triplicem, scilicet 1° in *probabilitatem maiorem,* 2° *minorem,* 3° *aequalem.* Quaevis enim propositio potest esse probabilior, vel aeque, vel minus probabilis, quam opposita, prout nititur motivis solidioribus, vel aeque, vel minus solidis. — Opinio autem probabilior et ipsa varios gradus admittit: est enim paulo vel notabiliter probabilior, prout eius motiva paulo vel notabiliter graviora sunt prae motivis oppositae. ***Probabilissima*** etiam dicitur, si gravissimo motivo gaudeat. Probabilissima est, ait *S. Lig. n. 40., quae nititur fundamento gravissimo: quapropter opposita censetur* TENUITER *vel* DUBIE *probabilis.*

Insuper opinio est *tuta,* vel *tutior,* vel *minus tuta,* prout simpliciter favet legi, vel eidem plus, minusve favet. Opinio igitur probabilior non est semper tutior, siquidem probabilitas maior etiam pro libertate stare potest.

Varia systemata circa probabilitatem.

63. — 1° *Tutiorismus absolutus,* seu *Rigorismus,* iuxta quem pars tutior, id est legi favens, semper sequenda est (*b*).

2° *Tutiorismus mitigatus,* iuxta quem licet tantum sequi probabilissimam partem libertati faventem.

3° *Probabiliorismus,* iuxta quem semper tenenda est opinio legi favens, nisi opposita sit notabiliter probabilior (*c*).

4° *Aequiprobabilismus,* iuxta quem licitum non est sequi opinionem minus tutam, nisi sit aeque probabilis ac opposita, vel fere aeque probabilis (*d*).

(*a*) Communius DD. *absolutam* appellant, quam A. dicit *solitariam;* alteram vero *relativam* solent vocare.

(*b*) Sequendam nimirum tutiorem hi statuunt, nisi certo constet, nihil legi contra libertatem favere; unde iuxta istos non licet agere iuxta *probabilissimam* faventem libertati. Haec doctrina damnata est in III ex XXXI Propositionibus ab Alex. VIII proscriptis.

(*c*) Cum iuxta S. Alphonsum propositio *notabiliter* probabilior contra se habeat dumtaxat *tenuiter* vel *dubie probabilem,* heic potius describitur *tutiorismus mitigatus.*

(*d*) Auctorem huius systematis quidam dixerunt S. Alphonsum de Ligorio. At non ita intelligi id debet nec potest, quasi a communi systemate probabilismi, quod et ipse acerrime defendit, aliquando vir sanctus recesserit. Vide *Dissert. De moral. system. S. Alphonsi quae habita est in Coll. Rom. in solemni studiorum instauratione* an. 1863, et prostat Romae apud Io. Bencivenga.

5° *Probabilismus,* iuxta quem licet sequi opinionem minus tutam et minus quoque probabilem, modo vera et solida probabilitate gaudeat.

6° *Laxismus,* ex quo semper fas est sequi opiniones etiam tenuiter probabiles; sed hoc quoque systema fuit damnatum, ut infra patebit.

Hinc pro variis circa valorem probabilitatis opinionibus theologi varia sortiti sunt nomina, ut vel Rigoristae vocentur, vel Tutioristae mitigati, — Probabilioristae, — Aequiprobabilistae, — Probabilistae, — Laxistae.

54. **Concludes ex dictis.** — 1° Probabilitas ex natura sua necessario requirit, ut certitudinem etiam dumtaxat moralem excludat; per hoc enim solum a certitudine discrepare potest (*a*).

2° Hinc omnis probabilitas quantacumque fuerit, adveniente certitudine propositionis contradictoriae, omnino perimitur.

3° Certo probabilis habenda est opinio, quae, tolerante Ecclesia, communis est theologorum (*b*), vel docetur a S. Thoma eiusque schola, vel a plerisque theologis ut probabilis asseritur; vel etiam quam absolute tenent ut veram quinque aut sex theologi probitate, iudicio et scientia praestantes, nisi ratio certa contra istam opinionem appareat.

4° Illa opinio est viro docto et probo certe probabilis, quam ipse scit, se diligenter excussisse, et experitur se absque inordinato affectu, ob rationes graves, ut veram aut certe probabilem (*c*) deprehendere.

5° De intrinseca probabilitate iuris communiter possunt iudicare soli doctissimi, et in re morali versatissimi, cum soli possint scire, nihil certi ipsis opponi.

6° Vir mediocriter doctus iudicare potest de extrinseca opinionis probabilitate, si statum quaestionis rite intelligens, hanc inveniat assertam ab auctoribus omni exceptione maioribus, id est inter theologos omnino probatis.

7° Unicus auctor, si sit omni exceptione maior, afferatque rationem, quam alii non examinaverint vel non satis solverint, ipse autem aliorum rationes commode solvat, potest opinionem suam certo probabilem efficere, quamvis haec sit communi opinioni adversa.

8° Homo rudis audiens a viro, quem ipse existimat probum,

(*a*) Probabilitas componi simul cum certitudine non potest, tum quia a certitudine longe distat, tum quia probabilitas, quae contra se habeat certitudinem, penitus evanescit.

(*b*) Quando pro quapiam doctrina stat communis Theologorum sententia, eiusmodi habemus probabilitatem, ut (nisi plane gravis et nemini observata ratio aut auctoritas perspicua obstet) ipsi refragari temerarium sit. Vid. Canus *De loc. Theol. Lib. 8. cap. 4.*

(*c*) Necesse scilicet non est, ut maneat absque formidine de opposito.

prudentem et doctum, opinionem aliquam esse certo probabilem, potest eam ut talem habere: non enim per se rem expendere valet, nec aliud medium ipsi suppetit probabilitatem extrinsecam cognoscendi... — *Lacroix...*, etc.

ARTICULUS II.

DE EFFICACIA PROBABILITATIS AD CONSCIENTIAM EFFORMANDAM

55. — Efficacia *probabilitatis* sita est in ipsius vi ad ultimum conscientiae dictamen practice certum efformandum. Verum ex iis quae asseruimus *n. 39,* sola conscientia certa est recta morum regula. Quo igitur modo fieri potest, ut ex maiori etiam probabilitate liceat interdum agere? Id sane vi solius probabilitatis non licet. Ergo ad principium aliquod moraliter certum confugiendum est, ut certitudo habeatur. Itaque disserendum nunc venit, quid in hunc finem valeat probabilitas; utrum scilicet aliquando solidis rationibus, tum legi, tum libertati faventibus, ab ipso legis vinculo liberos nos censere possimus.

Has quaestiones ut discutiamus resolvamusque, sequentes statuimus theses.

PRIMA THESIS

Non licet sequi opinionem probabilem, *nec* probabiliorem, *relicta tutiore, quoties adest obligatio absoluta alicuius finis determinati obtinendi, quem usus medii probabiliter inepti in periculum adduceret; tunc igitur pars tutior est sequenda.*

56. — *Prob.* Quisquis finem absolute et *certius* obtinere adigitur, is ea tenetur eligere media, quibus finem certe sit assecuturus. Atqui per solam tutiorem partem *certo* obtineri potest finis: ex hypothesi enim medium, probabiliter tantum aptum, in discrimen adducit finem, quem absolute consequi teneor. Ergo non licet uti medio tantum probabiliter apto, sed aptiora media eademque tutiora eligenda sunt (*a*). Igitur pars tutior sequenda est.

52. **Hinc resolves.** — 1° In his, quae saluti necessaria sunt necessitate medii, tutius sectari teneris; gravissima enim quemque

(*a*) Negandum est, in hisce adiunctis ullam opinioni probabilitatem superesse. Ex dictis enim (*sup.* n. 54.) nulla superest pro libertate probabilitas, ubi contra lex certa militet. Atqui sic se res habet in casu. Certa siquidem lex est, me non posse alteri inferre iniuriam; atque adeo certa lex est, me teneri ad praecavendum probabile damni alterius periculum cum iniurium sit, alteri probabile periculum damni adducere. Ergo quoties ex actione mea probabile periculum alteri imminet, actio est manifeste illicita, utpote certae legi adversa.

urget obligatio aeternam animae suae salutem certo curandi; proinde media absolute tuta et certa sunt adhibenda (*a*). In rebus igitur ad Fidem seu ad veram Religionem pertinentibus, opposita probabilitate posthabita, opinio tutior necessario sequenda est (*b*). Hinc ab Innoc. XI damnata est sequens propositio sub *n. 4: Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili* (*c*). — *S. Lig. n. 43.*

2° Venator timens, ne plumbum in feram eiaculando aliquem hominem forte laedat, explodere non potest, etiamsi probabilius existimaret abesse periculum; hoc enim, si forte adsit, probabilitate contraria, etsi maiori, removeri non potest.

3° Medicus et chirurgus tenentur ad medicamenta et media tutiora, quae hic et nunc haberi possunt, adhibenda; quia tacito contractu ad finem securius obtinendum, in quantum fieri potest, se obligarunt. Idem pariter dicendum de omnibus aliis, qui erga proximum aliquam eiusmodi obligationem contraxerunt (*d*).— *S.Lig.n.44.*

4° Minister Sacramenti, ubi de eius valore agitur, nisi defectus suppleatur ab Ecclesia, vel urgeat casus necessitatis, tutiorem partem, in quantum potest, relicta minus tuta probabili, vel etiam probabiliori, sequi tenetur; ratio, quia aliter exponeret Sacramentum periculo nullitatis, et proximum periculo damni spiritualis. Hinc merito damnata est propositio ab Innoc. XI sub *n. 1: Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.* — *S. Lig. n. 48.*

Dixi, 1° *nisi defectus suppleatur ab Ecclesia;* aliquando enim Ecclesia potest et censetur id supplere, quod desideratur ad valorem Sacramenti: quod quidem in duobus sacramentis potest contingere,

(*a*) Exinde si incertus sis, an baptizatus fueris, aut si prudenter dubites, an gravia peccata tua rite per confessionem expiata fuerint; teneris ad iustificationis gratiam opportunis mediis quaerendam.

(*b*) Gravissimam hanc iuris naturae obligationem violant, quotquot ad aliud examen forte se ineptos putantes, tamen fatentur in Ecclesia catholica salutem obtineri posse; sed eam interim amplecti negligunt, quod et in propria secta salvari se posse opinentur. Grave enim eis dubium iniicere id saltem potest et debet, quod contra propriae salutis opinionem habeant catholicorum omnium sententiam; atque adeo non potest eos latere obligatio aut diligentius de re inquirendi, aut certe tutiorem partem eligendi.

(*c*) Cave tamen, ne hinc concludas, quempiam, cum de fide agitur, obligari ad adhaerendum opinioni, licet probabiliori. Nam ab eodem Innocentio XI proscripta est sententia (Prop. 21.) quod *assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stet cum notitia solum probabili revelationis, et cum formidine, qua quis formidet, ne non locutus sit Deus.* Id unum ergo ex quarta illa prop. damnata concludes, infidelem illum *non excusari,* si ductus opinione probabili tranquille maneat in sua secta; gravi enim deesset obligationi adhibendi sollicite ea media, quibus ad veritatem pertingat.

(*d*) Ita iudex tenetur sententiam ferre iuxta rationes probabiliores. Qua de re habes Prop. 2. damnatam ab Innoc. XI : *Probabiliter existimo, iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem.*

scilicet in sacramento Poenitentiae, si ex gravi ratione cum iurisdictione *dubia* conferatur, aut cum iurisdictione *probabili*, et in sacramento Matrimonii, quando celebretur cum dubio impedimento iuris ecclesiastici, aut etiam sit dubia delegatio Sacerdotis assistentis, ut loco suo dicetur. — *S. Lig. n. 50.*

Dixi, 2° *nisi urgeat casus necessitatis:* quia cum Sacramenta sint *propter homines,* homini in gravi periculo vitae constituto ministranda ea sunt meliori, quo fieri potest, modo etiam cum mera probabilitate, imo cum probabilitate tenui et tenuissima de eorum valore. — *S. Lig. n. 49. et alii communiter.*

SECUNDA THESIS

Non licet sequi opinionem tenuiter probabilem, relicta tutiore (*a*).

58. — *Prob.* Nam opinio tenuiter probabilis, ut dictum est, levibus innititur motivis, quae assensum viri prudentis attrahere nequeunt; unde ex iis suaderi non potest, legis existentiam esse incertam. Atqui illicitum est sequi opinionem aliquam, relicta tutiore, nisi lex dici possit invincibiliter ignorata; ignorata autem censeri non potest lex, nisi eam incertam esse solidis rationibus probetur. Ergo....

Constat etiam ex prop. 3ª ab Innoc. XI damnata : *Generatim dum probabilitate intrinseca, seu extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus* (*b*).

** (*a*) Utcumque P. Gury suam mentem in hac thesi manifestissime aperiat; utcumque P. Ballerini in subiecta adnotatione dixerit *damnabilem* oppositam doctrinam; quin etiam utcumque idem P. Ballerini in Dissertatiuncula iam pluries recusa *De morali System. S. Alphonsi* clare professus sit, huic damnabili doctrinae *neminem sanae mentis* potuisse adhaerere, hisce scilicet verbis *(prop. fin.)* : *Nemo profecto sanae mentis, ut cum Dominico Viva loquar, docuit aut docere potuit, homines prudenter ac licite operari, si opinione nullatenus probabili nitantur, cuiusmodi adversarios S. Alphonsi thesis impugnat....:* nihilo minus et VV. (Pag. 38.), et eorum gallicus Confrater (Vid. Univers 8. Maii 1873) incusare non dubitant tum Gury, tum Ballerini, quasi damnabilem et stultam hanc doctrinam profiteantur, quos propterea *(ibid.)* insuper ceu *laxismi,* et *liberalismi,* et *rationalismi* fautores traducunt. Miraberis forte, amice lector, haec portenta; sed stupebis magis, quod, cum in praemissis verbis P. Ballerini proclamet, damnabilem illam doctrinam, quam S. Alphonsus impugnat, defendi non potuisse nisi ab iis, quibus sana mens deesset, VV. Ballerinium non semel, sed iterum et iterum accusant (Vid. Summar. Addit. col. 499. et 507; et V. Pag. 112.), quod blasphemum scomma in S. Alphonsum iecerit, eumque in allegatis verbis ceu *hominem non sanae mentis* traduxerit. Et in his paucis specimen aliquod habes, lector candide, cuiusmodi sit methodus, qua VV. et Compendium Gury et additas adnotationes impugnare aggressi sunt.

(*b*) Aliud vitium praemissae propositioni inest, propter quod damnar potuit, quia nempe dum *semper,* atque adeo in omni casu affirmat licitum

TERTIA THESIS

Licet sequi opinionem probabilissimam, et etiam probabiliorem, relicta tutiore, ubi de sola actionis honestate agitur.

59. — *Prob.* 1° *Quoad probabilissimam.* Constat 1° ex damnatione propositionis *Sinnichii,* quae est tertia ex XXXI ab Alexandro VIII proscriptis et est eiusmodi: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Ergo licet sequi opinionem saltem *probabilissimam.* Aliunde autem in hac propositione damnata agitur de probabilissima *minus tuta,* cum nemo unquam negaverit, licere sequi probabilissimam *tutiorem.* Ergo. — Constat 2° ex eo, quod iuxta S. Ligor. et alios, ubi datur opinio *probabilissima,* opposita propositio evadit *tenuiter probabilis,* ut dictum est supra (n. 52) in definitione opinionis probabilissimae. Non concipitur enim, quo modo stare possit solida ratio ex una parte, si ex altera gravissimum appareat fundamentum aliter sentiendi. Stante igitur opinione *probabilissima,* errandi formido levissima superest, et proinde sin minus certitudo absoluta, habetur saltem aliqua lata certitudo moralis de legis non existentia. Ergo, etc...

Prob. 2° *Quoad probabiliorem.* Illud ut verum admittendum est, in quo omnes theologi conveniunt; non potest enim supponi theologos omnes unanimi consensu in errorem incidisse. Porro si rigoristas paucissimos excipias, omnes turmatim in hanc doctrinam admittendam conveniunt, saltem si agatur de opinione vere probabiliori.

Caeterum si intrinsecam huius sententiae rationem exquirere velis, alia solida non videtur afferri posse praeter eam, qua probari consuevit sequens propositio de liceitate usus *moderati probabilismi,* scilicet legem, si forte adsit, esse prorsus ignoratam, et proinde eam obligare non posse.

usum probabilitatis, eos etiam casus comprehendit, in quibus lex certa id vetat, ut dictum est ad praec. thesim n. 56. 57. Verumtamen si cum plerisque recentioribus nomine *tenuis probabilitatis* eam intelligas, quae par non est ad prudentem assensum eliciendum, ideoque nec prudens dubium iniicere potest de legis existentia; damnabilis erit propositio etiam propter rationem in textu allatam. Falsam hanc opinionem Dominicus Viva *(In Prop. III. damn. ab Innoc. XI, n. 1.)* affinxit Tamburinio, Bressero et Amico; sed ex mera indiligentia. Nam 1° Tamburinius *(In Dec. Lib. 1. Cap. 3. §. III. n. 11.)* expresse cavet, ne probabilitas alterius propositionis tanta sit, ut oppositam a probabilitate deiiciat, et sic intellectus prudenter assentiri queat. 2° Bresserus *(De Consc. Lib. 3. cap. 6. n. 77.)* de opinione disserit, pro qua ratio *magni* momenti militet. 3° Denique Amicus *(Theol. sch. Tom. 3. Disp. 15. Sect. 3. n. 49.)* non de *tenui probabilitate* loquitur, sed de *tenui assensu,* quem adscribit opinioni probabili probabiliorem contra se habenti.

QUARTA THESIS

Licet sequi opinionem vere et solide probabilem, relicta tutiore aeque probabili, vel etiam vere probabiliori, ubi de solo licito, vel illicito agitur (*a*).

Haec propositio triplici argumentorum genere demonstrari potest, scilicet 1° ex ratione; 2° ex auctoritate; 3° ex consectariis, quae ex opposita sententia profluunt.

I. Argumentum ex ratione.

60. — Ex ratione argui sic potest: Nulla est obligatio, nisi de ea certo constet; atqui non constat de obligatione servandae legis, contra quam militat *vera* et *solida probabilitas.* Ergo nulla est obligatio sequendi partem *tutiorem*, relicta opinione *vere probabili;* ergo licet sequi opinionem *vere probabilem, relicta tutiore, etiam probabiliore.*

I. Maior probatur ex necessitate cognitionis ad obligationem. Etenim ille non est obligatus, qui invincibiliter ignorat se esse obligatum. Atqui in hypothesi invincibiliter ignoro, me esse obligatum. Ergo non possum vere et proprie iudicare me obligatione adstrictum; ergo revera non sum obligatus.

61. — Propositio confirmatur ex doctrina S. Thomae. Sic enim ipse *in Quaest. Disp. de Veritate, quaest. 17. art. 3: Nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti... Eadem virtus est, qua praeceptum ligat, et qua conscientia, cum praeceptum non liget nisi per virtutem scientiae.* Unde sic: Nemo ligatur, nisi virtute *scientiae;* atqui, ex *S. Thoma,* ligari virtute *scientiae* perinde est ac certam habere obligationem. Ergo nemo ligatur, nisi ipsi certa sit sua obligatio. — Et hoc quidem argumento maxime utitur *S. Lig. Mor. system.* §. II.

**(*a*) Ita et S. Alphonsus, qui (Dissert. iuxta Edit. Neap. an. 1755.) postquam *ad ambiguitates,* ut inquit *(n. 1.), et aequivocationes* vitandas praemisit hanc *probabilioris* opinionis definitionem : *Probabilior est ea, quae nititur fundamento graviori, sed etiam cum prudenti formidine oppositi, ita ut contraria sit etiam vere probabilis, seu graviter verisimilis, licet minus;* dein *(ibid. n. 3.)* scribit: *Ultimam benigniorem et communissimam (sententiam) probandam aggredimur, nempe licitum esse uti opinione probabili etiam in concursu probabilioris pro lege, semper ac illa certum et grave habeat fundamentum.* De qua thesi deinde *(ibid. n. 52.)* hoc profert iudicium: *Nostra sententia, nempe quod liceat sequi opinionem probabilem pro libertate, relicta probabiliori, est longe probabilior, sive probabilissima, imo moraliter seu lato modo certa. Id patet ex argumentis supra expositis..... Haec argumenta singula quidem valent moralem certitudinem nostrae sententiae ostendere; tanto magis simul coniuncta.* Concedunt porro vel ipsi Vindiciarum Alphonsianarum Auctores, quinimo contendunt, S. Doctorem nunquam mutasse sententiam.

62. — II. Minor probatur, nempe *non constat de obligatione servandae legis probabiliter non existentis.* Etenim ex hypothesi, lex est incerta, cum supponatur contra eam vera et solida probabilitas; ergo etiam obligatio ex ea subsequens est incerta. Non enim potest dari maior gradus certitudinis in obligatione, quam in lege ex qua procedit; secus certum oriretur ex incerto. Ergo.

Confirmatur. Obligatio certa, utpote effectus legis, supponit causam seu legem certam. Si enim effectus posset esse certus, quin causa esset certa, effectus existere posset sine causa; quod repugnat. Ergo non est *certa* obligatio, ubi lex est *incerta,* seu probabiliter non existens. Ergo.

63. — Nec dicas, quod, deficiente lege *directe certa,* existat alia lex *indirecte certa,* pariens obligationem *certam.* Nam si talis lex fingi posset, vel esset lex vitandi periculum peccandi, vel lex tutius sequendi; porro neutrum fingi potest.

1° Non lex *vitandi periculum peccandi.* Etenim 1° retorqueri potest obiectio in probabilioristas ipsos; siquidem, supposita huiusmodi lege, iam ne solide probabiliorem quidem sequi reiecta tutiore liceret, quia etiam tunc adesset tale periculum. — 2° Illa lex non posset *certo* existere, et proinde me *certo* obligare, nisi in quantum esset revera periculum peccandi formaliter in violatione legis directae, quae probabiliter non existit; porro nullum est periculum peccandi formaliter, siquidem illa lex *directa,* utpote *incerta,* nullam parit obligationem *certam,* ut ex dictis patet. Ergo si forte existit lex illa prorsus *incerta,* dabitur tantum violatio materialis legis: ergo nullum aderit peccatum.

2° Neque lex *tutius sequendi.* Etenim 1° si fingeretur talis lex, valeret etiam contra adversarios, et nos deduceret in tutiorismum proscriptum in damnatione propositionis *Sinnichii: Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* 2° Illa lex tutius sequendi supponeret, non esse *simpliciter tutum* posthabere legem probabiliter non existentem: porro hoc falsum est, ubi agitur de solo licito vel illicito. Nam satis *tutum* est vitare peccatum et peccati periculum. Porro vitatur peccatum et periculum peccati non adimplendo legem *directam probabiliter non existentem,* ut supra dictum est. Ergo.

II. Argumentum ex auctoritate.

64. — Ex variis capitibus constat, scilicet

1° Ex communiori auctorum per plura saecula consensu. Ex quo enim orta est disputatio de probabilismo, nempe a medio saeculo decimo sexto, innumeri confestim ex omni natione, statu, conditione, et ex omnibus Religiosis Ordinibus auctores patrocinium eius susceperunt, e quibus non pauci doctrinae fama insignes elucent, uti *Suarez, Cardinalis de Lugo, Lessius, Eusebius Amort,*

Bonacina, etc. et recentioribus temporibus *S. Alphonsus de Ligorio.* Quod si nonnulli in tanta Doctorum multitudine probabilismi limites nimis extendisse forte videantur (*a*), huiuscemodi sane periculum praecaveamus, limites tamen veri probabilismi retinentes, scilicet non admittendo opinionem ut probabilem, nisi solido fundamento innitatur, seu nisi solidae rationes pro ea militent, prout plerique omnes etiam ante *S. Ligorium* probabilismum intellexerunt (*b*).

(*a*) Cave tamen, ne putes, laxas, quae reiici debuerunt, opiniones *probabilismo* (prout quidam aut imprudenter aut etiam fraudulenter subintulerunt) ceu propriae earum scatebrae generatim deberi. Et levi sane negotio ex iis Auctoribus, qui ceu probabilioristae venditari solent, prolixus afferri posset catalogus earum laxitatum, quarum exemplum e probabilistarum libris nemo proferre adhuc potuit.

(*b*) Atque ita de opinione, quae gravi fundamento, sive intrinseco sive extrinseco, innitatur, intelligenda sunt quaedam veterum DD. effata, quae refert S. Antoninus *(Sum. Part. I. Tit. 3. Cap. 10. §. 10.).* Postquam enim praemisit, *esse contrarias opiniones inter Doctores sanctitate et scientia maximos in materia morali aliquando etiam ad salutem necessaria,* idque probavit exemplo S. Thomae, *qui tenet, quod post lapsum in mortale non oportet aliquem statim confiteri sub praecepto habita copia confessoris,* cum tamen *Hugo de S. Victore et S. Bonaventura sint in hoc contrariae opinionis: neutram autem opinionem illorum reprobari, etsi B. Thomae opinio communius teneatur, quae tamen minus tuta videtur;* dein ad id confirmandum, quod statuerat, scilicet *quod cum bona conscientia potest quis tenere unam partem alicuius opinionis, et secundum eam operari,... praecipue quando quis adhibet diligentiam inquirendo, nec invenit aliquid, quod eum sufficienter moveat ad hoc quod sit illicitum,* ista subiungit: *Item Ulricus in Summa dicit, quod si quis de aliquo agendo dubio magis peritos consulat, de quo nullam habet expressam auctoritatem, utrum ita sit, an non: dummodo formet sibi bonam conscientiam, etiamsi res aliter se habeat, quam id quod sentit, et quod sibi consultum fuerit, excusatur, quia fecit, quod potuit, et Deus plus non requirit. Item ex responsis, quae videntur data ab Alberto Magno, habetur, quod frater simplex vel quilibet homo cum salute potest sequi in consiliis quamcumque opinionem voluerit, dummodo alicuius Doctoris Magni opinionem sequatur. Hostiensis etiam dicit...: Ubi sunt diversae opiniones et diversa iudicia, semper humanior praeferenda et aequior.... Guillelmus etiam in glossa Raymundi dicit, quod in apicibus iuris, ubi dubitant etiam sapientes, excusabilis est ignorantia. Tamen si aliquis bona fide partem illam, vel illam elegerit, non debet super hoc habere conscientiam nimis scrupulosam. Item Petrus de Palude... dicit: Quod si confessor dubitaret, utrum illud, de quo confitens non poenitet, nec confitetur, esset mortale, et ipse confitens dicit, quod consilio peritorum illud fecit, de quibus ex vita et scientia probabile est, quod non consulerent nisi bene, illi iudicio se potest conformare. Idem videtur sentire Goffridus de Fontibus, in his scilicet opinionibus contrariis, quae tolerantur ab Ecclesia.* Ita S. Antoninus; ex quibus satis patet, quantopere ii hallucinentur, qui initia huius doctrinae ac praxis Bartholomaeo Medinae, egregio alioquin theologo ex Ordine Praedicatorum, adscribunt, quasi primus eam invexerit. Ex superius enim allatis elucet manifesto, eam quoad substantiam vel scholasticae theologiae aevo antecessisse. Et digna sane, quae legatur, est Dissertatio, quam de hoc argumento edidit Christianus Lupus *(Opp. Tom. XI. Diss. I.),* in qua praeclare ostenditur, methodum solvendi quaestiones

65. — 2° Ex doctrina huiusce temporis communiter tradita. Etenim si inspiciantur scholae per totum orbem diffusae, in plerisque invenietur tradita et propugnata *Probabilismi moderati* doctrina, praesertim Romae, quae merito haberi debet ut centrum scientiarum theologicarum, et ubi falsa doctrina et quidem publice, tacente Ecclesia, doceri profecto nequit. Sic pariter in tota Italia, Hispania, Germania, etc. — In ipsa quoque Gallia iam unanimi fere plausu in dies nunc excipitur *S. Ligorii* doctrina, quae sane a probabiliorismo prorsus abhorret.

3° Ex approbatione Ecclesiae saltem implicita in approbatione operum *S. Ligorii*. Etenim solemniter declaravit sacra Rituum Congregatio, *Nihil esse censura dignum in operibus S. Doctoris*. Iterum in decreto *S. Poenitentiariae* (5. Iul. 1831.) a *S. P. Greg. XVI* approbato, professor quivis theologiae sequi et docere potest omnes opiniones, quas in sua Theologia morali profitetur *S. Ligorius*, nec inquietandus est Confessarius qui easdem in praxi sacri tribunalis Poenitentiae sequitur (*a*).

III. Argumentum ex consectariis.

66. — I. Sequeretur in systemate probabilioristarum difficultas nimis gravis pro Confessariis. Etenim Confessarius se exponeret periculo peccandi ob defectum sufficientis diligentiae in perpendendis variis gradibus probabilitatis, praesertim in materia restitutionis, quando ex duabus opinionibus aeque probabilibus unam sequeretur. Si enim sententiam benigniorem assumeret, peccaret illud permittendo, in quo deformitatem probabiliter existentem apprehenderet. Si iuxta sententiam rigidiorem ageret, peccaret iugum incertum poenitenti imponendo (*b*). Insuper licet sententia rigidior ipsi appareat probabilior, quandonam certus erit, eam revera talem esse, atque alteri Confessario oppositam probabiliorem non videri? Nec quisquam munus Confessarii subire posset, nisi forte ita versatus foret in theologia morali, ut distinguere inter opiniones probabiliores et minus proba-

morales, quae ex principiis probabilismi petitur, etiam antiquissimis Ecclesiae Patribus, et quidem in gravissimi momenti rebus, maxime familiarem extitisse.

(*a*) Huc faciunt verba SS. D. N. Pii PP. IX in litteris ad Petrum Scavini datis 7 Aprilis 1847 : *Tibi vehementer gratulamur, quod in hisce theologicis Institutionibus conficiendis nihil antiquius habueris, quam salutares sanctissimi ac doctissimi viri Alphonsi Mariae de Ligorio doctrinas magis magisque propagare, iisque ecclesiasticae praesertim iuventutis animos imbuere.*

(*b*) Exinde repetendum, quod Confessarii probabiliorismi principiis imbuti, et alioquin timoratae conscientiae, sacrum audiendi confessiones ministerium plerumque refugiant, diris nimirum angustiis vexati, vel certe universam operam excolendis in spiritu nonnullis devotulis impendant.

biles certo posset: onus enim faciendi includit onus sciendi; paucissimi autem hoc praestare valent (*a*).

**(*a*) De hac re ita S. Alphonsus (*Dissert. edit. an. 1755. n. 17.*): *Talis apparentia* (maioris scilicet probabilitatis) *nequit regulam certam operandi constituere, dum multipliciter fallere potest. Non enim raro aliqua opinio, quae alicui probabilior apparet, alicui minus probabilis apparebit: imo sibimetipsi opinio, quae heri minus probabilis erat, hodie probabilior apparebit.*

Et rursus (ibid. n. 42) reddens rationem, cur probabilior opinio obligare nequeat, eandem rationem affert: *Nam aliqua opinio, quae mihi est probabilior, minus probabilis saepe aliis erit; et ideo lex esset particularis pro iis tantum, quibus illa opinio probabilior appareret. Sed hoc utique esset contra naturam legis, quae ad commune bonum debet esse necessario universalis, et universim proposita, ne populus, qui ad illam observandam tenetur, saepius divisus sit et perplexus circa veritatem amplectendam; dum quisque concionator aut confessarius ex opinionum diversitate iuxta suum sensum saepe fideles instrueret.*

Solvit deinde S. Doctor obiectionem, ostendens hisce incommodis eos tantum premi, qui obligationem quampiam ex opinione probabiliore volunt oriri. Ita ille (ibid. n. 43): *Nec valet dicere, quod sequendo benignam sententiam* (quae sit benigna sententia, vid. sup. Not. ad thesim IV.) *etiam difformitas intercedere potest, cum eadem opinio alicui probabilis videri possit, alteri improbabilis. Non negatur, hoc accidere posse; sed semper verum erit, quod cum aliqua opinio pollet solida probabilitate, et certo gravi nititur fundamento, ipsa apud maximam partem sapientum probabilis existimabitur: idque iam satis erit, ad conservandam universalem uniformitatem observantiae legis, non obstante quod apud aliquem particularem illa non sit probabilis; id enim, quod raro accidit, universalem conformitatem non aufert. Hoc tamen certe non evenit circa aestimationem opinionum probabiliorum; quia cum maior vel minor probabilitas pendeat a moralibus motivis, nempe a iudicio et ponderatione rationum, quas alii deducunt ex uno principio, alii ex alio, non raro, sed communiter accidit, quod quae uni est validior, alteri debilior appareat.*

Innuit insuper S. Doctor difficultates atque incommoda, quae consequerentur necessitatem, si qua foret, certo determinandi, quaenam opinio prae opposita vere sit probabilior. Ita ille (ibid. n. 48): QUOD AUTEM FIAMUS CERTI, QUOD ALIQUA OPINIO... SIT VERE PROBABILIOR, VEL HABEAT REQUISITAM PRAEPONDERANTIAM, HOC EST MORALITER IMPOSSIBILE. *Vel enim praeponderantia illa est parva; et quis securus erit, opinionem esse vere probabiliorem? Cum enim excessus sit modicus, difficile potest certo percipi. Aut praeponderantia est magna; et quis iudicare poterit, eam pertingere ad sufficientem mensuram, ita ut opinio tutior* (in re praesenti dicamus, *opposita, seu minus tuta*) *iudicetur falsa aut saltem tenuiter probabilis? Et sic semper cum dubio practico agere deberemus.*

Exinde circa angustias, quas importaret obligatio et noscendi et sequendi probabiliora, S. Doctor haec affert (*ibid.*) ex Ven. P. Segneri: *Vel teneor sequi probabiliores in se, et tunc quando sciam, quae opinio sit vere probabilior tot in casibus, ubi graves occurrunt rationes et auctoritates hinc inde oppositae? Vel probabiliores mihi, et angustiae augerentur; nam saepe mihi oporteret iudicare, meam opinionem esse probabiliorem contra aliam plurium sapientium sententiam; et tunc quis me tutum reddet, quod mea opinio sit certo probabilior, et notabilior cum illa notabili praeponderantia, quam aliqui ex adversariis requirunt? Quomodo certus fiam, quod ipse rationes oppositas bene intellexerim et bene solverim? Quod dictamen conscientiae, quod mihi formavi, sit satis certum ac*

Hinc sequitur etiam illa contradictio Confessariorum, qui utut probabiliorismum profitentes, haud raro tamen dictitant, se non posse in administratione sacramenti Poenitentiae principia probabiliorismi *rigorose* (*a*) applicare; et ideo aliud in theoria, aliud vero omnino oppositum in praxi tenent. Nec desunt, qui in angustiis

tutum? Quod hallucinatus non fuerim a proprio sensu, ita ut, si errem, error meus sit vere invincibilis et inculpabilis?

Hisce autem incommodis carere communem sententiam, sic S. Doctor prosequitur (*ibid.* n. 50.): *Illi autem periculo....... non se exponunt, qui sequuntur opinionem certo probabilem, licet minus. Quia postquam ipsi certi sint facti de probabilitate opinionis, non tenentur maiorem adhibere diligentiam. Quando enim opinio aliqua nititur gravi ac certo fundamento, non adest amplius moralis sive prudens spes inveniendi veritatem certam; et ideo si falluntur, invincibiliter falluntur.*

(*a*) Principia probabiliorismi *rigorose* admissa, prouti nempe a vetustis auctoribus, v. gr. Gonzalez, Antoine, Gennett, Sinnichio, etc. propugnabatur, alio laborant incommodo, eoque non levi, quod etiam S. Alphonsi oculos non praeterfugit (*Conf. Ind. Auctor., quem P. Michael Haringer praefixit S. Alphonsi Theologiae V. Gonzalez, pag. LXV, Edit. Ratisbon. 1846*). Etenim non diffitentur, nec diffiteri id queunt, quod in confesso apud omnes est et esse debet (Vid. sup. num. 39. cum not.), *ut actus honestus sit, certam de honestate ipsius conscientiam prorsus requiri.* Aliunde vero ad hanc certitudinem de honestate actionis acquirendam praesidium aliquod e principiis reflexis sicut impugnant in adversariis, ita pro se invocare neque volunt neque possunt. Necessariam igitur eiusmodi certitudinem prorsus a principiis directis, seu a cuiusque materiae intimis ac propriis rationibus mutuentur, oportet. Hinc illud Antoine (*De Consc. Cap. 4. q. 1.*): *Non licet* (*sequi conscientiam probabilem*), *nisi probabilitas sit tanta, ut excludat omnem formidinem rationabilem falsitatis, et pariat certitudinem saltem relativam: quia, ut dixi cap. 2., ad non peccandum requiritur iudicium certum saltem certitudine morali, qua prudenter excludatur dubitatio et peccati formido saltem rationabilis.* Et rursus (q. 3. n. 4.) reddit rationem, quia *opinio aeque tantum probabilis stans pro libertate non potest afferre certitudinem moralem, quae saltem requiritur ad non peccandum.* Nec aliter Gonzalez in ipsa operis sui fronte sibi probandum assumit, *ut quis licite possit sequi opinionem probabilem faventem libertati..., omnino necessarium esse, quod opinio illa... ab ipso iudicetur vera iudicio absoluto, firmo et non fluctuante:* qui sane sunt certitudinis characteres. Hinc postquam contendit (*Disp. IV. §. XII. in titulo*) *necessarium ad recte operandum esse iudicium practicum certum et evidens,* addit (*Vid. Index V. Reflexio*) *oportere, ut operans opinionem faciat suam per assensum directum.* At enim ex omnium sententia (*Vid. S. Alph. Hom. Apost. Tr. 3. n. 2.*, et *Viva ad Prop. 3. Alexandri VIII, n. 2.*) in hoc differt sententia saltem *moraliter certa* ab opinione *probabilissima,* quod illa omnem de opposito prudentem formidinem excludat, non item ista. Ergo ex istorum non modo sententia et expressis verbis, sed etiam ex intrinseca ipsius systematis vi ac natura consequitur, ad recte operandum ne probabilissimam quidem opinionem sufficere. Hinc vero illud S. Alphonsi (*l. c.*): *Nescio quomodo praefati auctores, asserendo, quod non licet uti ad agendum nisi sententiis moraliter certis, cum sic revera penitus usum opinionum probabilium reprobent, quamvis in verbis videantur admittere; nescio, dico, quomodo excusari possint a propositione damnata, quae dicebat* (est III ex XXXI ab Alexandro VIII proscriptis): *Non licet sequi opinionem inter probabiles probabilissimam.*

constituti, facile id probabilius iudicent, quod alias minus probabile haberent. Nonne praestaret principia mitiora cum tot sapientissimis Doctoribus statuere et admittere, eaque *exactius* in praxim deducere?

67. — II. Sequeretur molestissima difficultas pro fidelibus. Etenim in dubiis imponeretur ipsis obligatio inquirendi, quaenam opinio sit probabilior; quippe obligatio operandi secundum probabiliorem, includit necessarium officium eam inquirendi: porro plerumque datur impossibilitas moralis distinguendi inter probabiliorem et minus probabilem; nam etiam doctis hoc valde difficile saepius est. Et sane quaero, an tenear ad probabilius *in se* seu *absolute*, vel *quoad me* seu *relative?* Si *prius*, unde noscam? Si *posterius*, iterum vel agitur de probabilitate intrinseca, vel extrinseca. Si de *posteriori*, qualis schola sequenda?... quales Doctores interrogandi?... Si de *priori*, crescit difficultas: unde sciam, an sim satis ad hocce iudicium idoneus? an in ignorantia invincibili verser, vel non? Anceps igitur, dubiisque pressus, quid agam? Recurram ad Magistros? At ex hypothesi meum est iudicare. Quot itaque, quantaeque angustiae impendeant fidelibus ex illa necessitate probabilius tutiusve sequendi, manifestum fit. — *Segneri, Opusc. de probab.*

68. — III. Sequeretur fluctuatio perpetua doctrinae. Ex probabiliorismo enim sequitur perpetua fluctuatio doctrinae inter ipsos probabilioristas, uti comprobat quotidiana experientia. Sed et ex ipsa natura probabiliorismi oritur ista discrepantia. Impossibile est siquidem, ut reipsa conveniant; nam posita obligatione sequendi opinionem, quae cuique probabilior apparet, necessario alii pro affirmativa parte, alii pro negativa resolvent. Ligabit unus, solvet alter: et quod tibi probabilius apparebit, facillime alteri aeque vel minus probabile videbitur. Hinc sequentur confusio decisionum, perplexitas fidelium, et angustiae ipsorummet Confessariorum, qui ex putatitio aliquo probabilitatis excessu gravissimas obligationes imponent. Probabilismus vero bene intellectus huiusmodi incommodis, saltem plerumque, caret. Duo enim tantum sunt probabilistis perpendenda, scilicet obligationes certae, et obligationes mere probabiles. Quamvis vero non semper constet de vera probabilitate, nemo tamen non videt, ordinarie loquendo multo facilius esse discernere, an solida ratio vel auctoritas contra legem habeatur, quam de excessu aliquo probabilitatis iudicium proferre. Ergo... etc...

69. **Obiectiones.**— *Obiic.* 1° Ex *Scriptura sacra,* Eccli. 3. 27: *Qui amat periculum, in illo peribit.* Atqui probabilistae *amant periculum* sequendo opinionem aeque, vel minus probabilem. Ergo... — Eccli. 37. 20: *Ante omnia opera tua verbum verax praecedat te.* Atqui in probabilismo non est verbum *verax.* Ergo...—1. Thess. 5. 22: *Ab omni specie mala abstinete vos.* Atqui probabilistae permittunt sequi *speciem* mali. Ergo...

Resp. 1° Quid ad rem? Inanis et vacua applicatio!

Resp. 2° *Retorqueo.* Haec enim obiecta Scripturae loca, sic intellecta, ne permitterent quidem usum probabiliorismi. Nam in opinione probabiliori contra legem adest *periculum* peccati (*a*), *verbum* non *verax...*, *species mali...*

Resp. 3° *Directe. Ad primum:* agitur ibi de impoenitentia finali, ut patet ex contextu : *Cor durum habebit male in novissimo; et qui amat periculum, in illo peribit.* Insuper nullum adest periculum, ubi nullum deprehenditur peccatum.

Ad secundum: verbum *verax* apud nos est ipsum principium reflexum, quod parit certitudinem practicam, et proinde actus ex eo positus veritati conformis est.

Ad tertium : abstinet a specie mala qui hoc peragit, in quo nullum videt peccatum; tunc enim nec *peccati speciem* cernit.

70. — *Obiic.* 2° *ex Iure canonico.* In Iure canonico haec regula passim traditur: *In dubiis pars tutior eligenda est.* Sic in cap. *Illud Dominus, de cler. excomm.*

Resp. 1° *Retorqueo.* Si res ita sit, iam nec tibi quidem licet sequi opinionem utut probabiliorem contra legem, quia non est *via tutior.* Consequenter tibi confugiendum erit ad tutiorismum. Sed systema illud est damnatum. Quid igitur facies? Tu videris.

Resp. 2° *Directe.* Agitur in praefata regula de dubio practico, non vero de dubio speculativo, in quo ope solidi motivi conscientia efformari potest, vel etiam agitur de casibus in quibus finis est necessario obtinendus. Ita *S. Lig. Obi. IV* (*b*).

Obiic. 3° *ex Patribus.* Proferuntur multa Patrum testimonia quae probabiliorismo patrocinari videntur, apud *Collet*, *Concina*, *Billuart,* etc.

Resp. 1° Eadem sit responsio generalis, ac in obiectione praecedenti. Plerumque enim Patres loquuntur de casibus particularibus dubii practici, vel ubi finis necessario obtinendus est.

Resp. 2° Non desunt Patrum alia testimonia probabilismo evi-

**(*a*) Quinimo S. Alphonsus (*In system. mor.*) argumento ad hominem advertit, ab eiusmodi periculo ne eos quidem esse immunes, qui alioqui opinionis usum contra legem tunc solum licere tenent, quando haec probabilissima est. Sic enim ratiocinatur: *Sicut probabilissima opinio non caret omni prudenti formidine, quod sit falsa, ita opinio probabilissimae opposita non caret omni prudenti motivo, quod sit vera.... Nunc peto.... quomodo qui censet illicitum se exponere periculo legem transgrediendi, volens probabilissimam sequi, poterit unquam in praxi cum tranquilla conscientia induci ad firmiter credendum, quod opinio stans pro lege non sit vere probabilis? Ubi stateram inveniet tam exactam, quae ipsum reddat securum, quod opinio stans pro lege careat tanto probabilitatis pondere, quod illam efficiat probabilem?*

(*b*) S. Alphonsus (*Moral. System. n. 79.*) respondet, ex DD. sensu fere communi *regulam praefatam canonum quoad dubia speculativa esse de consilio, non de praecepto.* Quod quidem non de obiecto solum effato, sed et de aliis eiusmodi, qui ex ss. Canonibus depromi solent, intelligendum S. Alphonsus tradit.

denter faventia. Satis sit pauca referre.—*S. Aug. Epist. 54.* (alias 118.), *c. 2.* ait: *Quod neque contra Fidem, neque contra mores esse convincitur, indifferenter habendum est.*— *S. Greg. Naz. orat. 39.* dicit: *Quod si dubia res est, vincat humanitas et fragilitas.*

71. — *Obiic.* 4° Opinio probabilis non remanet probabilis in concursu probabilioris; minor enim probabilitas a maiori eliditur et destruitur. Ergo...

Resp. Neg. Etenim si elideretur minor probabilitas, iam maior probabilitas evaderet certitudo, seu dubium prudens excluderet. Hoc autem esse falsum manifeste patet (*a*). Insuper rationes ex principiis disparatis et non subordinatis petitae, se invicem elidere nequeunt. Rationes enim meae, non obstante opposita probabilitate, in toto suo robore stabunt, usque dum eas esse falsas probaveris.

Obiic. 5° Probabilistae non agunt ex *morali certitudine,* ne ex principio quidem reflexo, cum opinionem suae oppositam improbabilem dicere nequeant. Ita *Billuart, art. 2.* et *Gerdil, c. 6.*

Resp. 1° *Retorqueo* ex paritate rationis. En igitur difficultas tibi prius solvenda.

Resp. 2° *Directe.* Principium nostrum reflexum istud est: *Non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet,* seu *lex incerta certam obligationem imponere nequit.* Porro principium hoc inconcussum est cum non possit negari, quin sibi contradicant negantes. Imo adversarii nullo alio principio reflexo prudenter inniti possunt (*b*).

72. — *Obiic.* 6° Imprudenter agit probabilista non sequendo opinionem verisimiliorem, et agit contra conscientiam faciendo id quod probabiliter, vel etiam probabilius est peccatum (*c*).

** (*a*) S. Alphonsus obiicientibus, quod *maior probabilitas elidat minorem; unde fit, quod cum opinio pro libertate sit minus probabilis, evadit improbabilis respectu ad opinionem probabiliorem pro lege, quae tunc unice sibi valet trahere mentis assensum, sicut maius pondus unice sibi lancem inclinat, quamvis in altera lance esset aliud pondus sed minus grave;* reponit (*Dissert. edit. an. 1755. n. 13*): *At recte respondent AA. nostri, falsum esse, maiorem probabilitatem elidere minorem, nisi quando illa minor probabilitas ex eodem principio hauriatur, vel nisi opinio probabilior habeat pro se tam convincens argumentum, ut contraria vere improbabilis vel non amplius graviter et certo probabilis videatur. Secus tamen dicendum, si excessus non sit notabilis, et probabilitas opposita ex diversis principiis, ut fere semper accidit in opinionum concursu, vim accipiat; tunc enim opinio minus probabilis gravi sua probabilitate minime destituitur..... Haec responsio utique recta est, et omnino evincit, quod maior probabilitas alicuius opinionis minime reddit oppositam improbabilem.*

** (*b*) Probabilioristae genuini, qui nempe sectentur principia illius theoriae propria, non admittunt neque admittere ullum usum reflexorum principiorum possunt; secus enim victas dare manus adversariis necessario cogerentur. *Vid. sup. Not. ad* §. *66.*

** (*c*) De huiusmodi obiectione ita S. Alphonsus (*Dissert. edit. an. 1755. n. 35*): *Obiiciunt, quod veritas cognita procul dubio sequenda est. Sicut igitur quando veritas certa apparet pro lege, tenemur eam sequi; ita et*

Resp. 1° ***Retorqueo.*** Nonne tu pariter agendo id, quod est probabiliter contra legem, imprudenter te geris?

Resp. 2° ***Directe.*** Non agit imprudenter ille, qui nullam cernit obligationem in oppositum, nec proinde agit contra conscientiam,

quando res apparet verisimilior. Et respondet: *Sed negatur paritas: quando apparet veritas pro lege, utique tenemur eam sequi, quia tunc lex manifeste apparet, unde nemo potest sibi rectam conscientiam formare* (scil. de non existentia aut dubietate legis). *Secus, si res tantum apparet verisimilior; tunc enim cum veritas verisimiliter stet etiam pro altera parte, lex est dubia; et ideo in isto casu vel non adest lex, vel non obligat.* Et rursus (*ibid. n. 54*): *Et sic respondetur ad obiectionem dicentium, quod cum sit obligatio sectandi veritatem, tenemur sequi quod verisimilius nobis videtur. Nam, ut supra diximus, duae veritates sunt omnino distinguendae, veritas opinionis, et veritas honestatis quoad usum opinionis. Utique tenemur sectari quod verisimilius apparet circa veritatem honestatis usus, non autem semper quod apparet verisimilius circa veritatem opinionis: unde bene potest haberi formido de rei veritate, et certitudo de honestate actionis; quia pluries, esto, lex probabilius videatur adesse; tamen probabilius erit, eam non obligare; et ex eo formamus iudicium practicum moraliter certum de licito: quare non est idem facere contra conscientiam, et facere contra id, quod probabilius apparet.*

Et rursus (*ibid. n. 31*): *Nec valet dicere quod cum apparet probabilior aliqua opinio pro lege, tunc maior illa probabilitas legem declarat, scientiamque legis iam exhibet. Nam scientia, uti patet, importat certam notitiam de existentia legis; opinio autem etiam probabilior cum non removeat prudentem formidinem oppositam, est* TOTO CAELO DIVERSA A SCIENTIA, *quae omni prudenti formidine exclusa praefert certitudinem. Quando igitur in aliqua quaestione non adest scientia legis, tunc lex vel non adest, vel non obligat.*

Et rursus (*ibid. n. 34*): *Si pro opinione probabiliori intelligunt* (Adversarii) *eam, quae magis verisimilis apparet, etsi contraria etiam suum retineat fundamentum; tunc dico, quod si pro libertate possumus hanc probabiliorem sequi, possumus et minus probabilem. Ratio est, quia concesso, quod liceat operari cum probabiliore, concedendum est, quod lex in dubio non possideat.*

Et rursus (*ibid. n. 17*): *Opinio probabilior non potest dici opinio vera: alias opinio probabilior esset veritas manifesta, quod repugnat, cum veritas manifesta sit proprie scientia, non opinio; sed semper dici debet probabiliter seu fallibiliter vera. Nam cum ipsa a motivo fallibili ortum habeat, et fines probabilitatis non excedat, infertur, quod opinio contraria sit etiam probabiliter vera. Ex quo evenit, quod magni Auctores, licet aliquam sententiam probabiliorem iudicent, contrariam tamen non dubitent vocare satis vel valde probabilem, prout De Lugo De Poenit. Disp. 17. n. 107.*

Et rursus (*ibid.*): *Quando adsunt duae opiniones, altera magis, altera minus probabilis, tunc non fit comparatio inter veritatem et falsitatem; atque adeo si minus probabilis eligitur, non ideo praefertur falsitas veritati; sed fit comparatio inter duas apparentias veritatis, quarum licet una videatur maior, quam altera, utraque tamen videtur magna, ita ut utraque probabiliter sit vera; qua de re eodem tempore, quo opinio probabilior apparet verisimilius vera, apparet etiam verisimiliter falsa, et opinio opposita apparet verisimiliter vera.*

Et rursus (*ibid. n. 17*) interrogat: *Ad quid igitur deservit probabilitas illa minor, quando per se loquendo non possumus eam sequi* (quia scil. *per se* non parit certum iudicium de actus honestate)? Et respondet: *De-*

cum nullam deformitatem aut ullius legis transgressionem in sua actione deprehendat.

Obiic. 7° Probabilista vult obiectum, quod novit probabilius esse materialiter malum: ergo vult etiam malum formale, quod a materiali cognito separari nequit.

Resp. 1° *Retorqueo.* Tu vero nonne simili laboras incommodo? Etenim etiam probabiliorem opinionem sequendo contra legem, nonne vis deformitatem materialem saltem probabilem, et consequenter formalem? Numquid probabilitas, quae paulo maior tibi apparet, periculum violandae materialiter legis tollere potest?

Resp. 2° *Directe. Neg. ant.* Probabilista non vult deformitatem ullam, ne materialem quidem. Etenim cum deformitas obiectiva sit dubia, actus potest esse bonus. Ergo si potest esse bonus, potest non intendi et reapse non intenditur ut malus: siquidem simpliciter ignoratur ut malus: et deformitas ignota obiectum voluntatis esse nequit.

73. — *Obiic.* 8° Adhibenda est cura maior animae, quam corporis. Porro quis aegrotans eligit remedium minus efficax, et relinquit probabilius efficax, nisi insaniat? Sic *Collet* cum aliis non paucis.

Resp. 1° *Retorqueo.* Quis aegrotans sanae mentis sumit remedium probabiliter nocivum, relicto remedio certo? Nonne tutius praeferendum est?

Resp. 2° *Directe.* Quid ad rem? Insignis cavillatio! Quis non

serviet ad ostendendum, quod veritas verisimiliter potest pro illa stare, et consequenter quod lex eo casu, cum sit dubia, non obliget. Unde tunc non quidem dicetur opinio minus probabilis esse vera; sed rationabiliter credendo, quod sit verisimilis, verum esse iudicabitur, hominem non teneri ab usu illius abstinere, non obstante quod opinio pro lege verisimilior appareat. Nam talis apparentia nequit regulam certam operandi constituere, dum multipliciter fallere potest.

Et rursus (*ibid. n. 32*): *Quando, inquiunt* (adversarii), *pro lege probabilior opinio seu ratio assistit, sat illa legem elucidat, et ad legem obstringit.* Et respondet: *Sed primo negatur omnino, quod huiusmodi legis declaratio dubia, utpote orta ex opinione fallibili, etsi probabiliori, ad legem obligare possit. Nam in rebus dubiis declaratio legis se habet ut nova lex; et ideo sicut lex ad obligandum debet esse certa, ita et declaratio.... Ratio, quia cum dubium vertitur, an lex casum aliquem comprehendat, nec ne; dubia evadit ipsa lex, an respectu ad casum illum adsit, vel non. Propterea declaratio, quod tunc locum habeat lex, debet pariter, prout lex, esse certa et infallibilis, ut possit obligare; nam alias ad legem dubiam obstringeremur. Respondetur secundo, et quaeritur: quisnam hanc legis declarationem fecit de se aptam ad obligandum? Non fecit Deus; non Pontifex; non illa quidem maior probabilitas pro lege apparens. Nam aliqua opinio, quae mihi est probabilior, minus probabilis saepe aliis erit.*

Et rursus (*ibid. n. 38*): *Patet igitur ex praefato textu D. Thomae, legem non posse dici satis intimatam per solam opinionem probabiliorem; cum enim opinio necessario formidinem in oppositum includat, ut supra ostendimus, nunquam scientia dici valet. Ergo etiamsi alicui probabilius appareat, adesse legem prohibentem, nequit tamen dici, quod ipse legem sciat, quando probabiliter adhuc putat, illam non existere et forte revera non existet.*

videt, nisi omnino caecutiat, usum probabilitatis hac in re esse prorsus illicitum? Numquid probabilitas maior vel minor in causis physicis avertere potest periculum noxii effectus qui timetur? Ergo negandum est suppositum cum paritate.

74. — *Obiic.* 9° Iudex in ferenda sententia debet sequi opinionem probabiliorem, ut patet ex sequenti propos. ab Innoc. XI damnata: *Probabiliter existimo, iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem.* Ergo non licet sequi opinionem minus probabilem.

Resp. Exemplum nihil facit ad rem, et *Neg. conseq.* Ratio damnationis huius propositionis est, quia iudex ab auctoritate constituitur, ut unicuique ius suum tribuat; porro ius maius habet ille, cui maior favet probabilitas, seu potior ratio. — *S. Lig. lib. 4. n. 210.* Ut exemplum esset ad rem, proferri deberet casus, ubi de solo licito vel illicito agitur.

ARTICULUS III.

DE USU PROBABILITATIS, ET DE REGULIS SPECIALIBUS AD CONSCIENTIAM IN DUBIIS EFFORMANDAM

75. — Praeter principia generalia, quibus theoria probabilismi statuta est in articulo praecedenti, scilicet: *Non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet,* vel *lex dubia non obligat,* recensentur etiam nonnullae regulae speciales, quibus ea principia confirmantur, vel in particularibus casibus applicantur. Sunt autem sequentes:

I. *In dubio standum est pro eo, pro quo stat praesumptio.* Ratio est, quia praesumptio plerumque efficit certitudinem moralem saltem latam. Hinc si soleas tali tempore diligenter recitare Breviarium, et dubites an aliquam partem recitaveris, praesumptio tibi favet, et te ab obligatione recitandi seu repetendi eximit. Item si dubites, utrum Superior iuste praecipiat vel dispenset, pro illo stat praesumptio; quia is rationibus tibi incognitis duci potest, vel de cognitis prudenter iudicare censetur. Insuper rectus ordo et bonum commune exigunt, ut in tali casu ipsi deferatur. — Ita *communiter theologi.*

II. *In dubio iudicandum est ex ordinarie contingentibus.* Axioma communiter receptum. — *S. Lig.* passim. Recidit haec regula ferme in praecedentem, cum in utraque praesumptio sit ratio ita iudicandi. Sed prior latius patet; siquidem praesumptio erui potest non tantum *ex ordinarie contingentibus,* sed etiam ex particularibus circumstantiis. — *S. Lig. ibid.*

III. *In dubio standum est pro valore actus.* Regula est iuris civilis, etiam rebus theologicis communiter applicata. Hoc intelligendum est, si factum principale sit certum, et dubitetur de aliqua circumstantia vel conditione necessaria, aut de modo debito: v. gr.

si dubites an cum sufficienti dolore peccatum confessus fueris, non teneris iterum confiteri. — *S. Lig. lib. 1. n. 26.* etc. Principium istud videtur etiam intelligendum 1° *in favorem libertatis*, modo non obstet contraria praesumptio, aut bonum commune Reipublicae, vel Religionis; 2° *contra libertatem* in foro externo, vel etiam in foro interno, cum agitur de bono publico, v. gr. de *contractibus*, praesertim de *matrimonio*. Ratio autem, cur illud principium non sit applicandum in omni casu contra libertatem, petitur ex alio principio superius memorato, nempe: *Non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet.* Porro non constat de obligatione, nisi urgeat aliqua evidens ratio iustitiae, Religionis, boni publici, vel alterius finis necessario obtinendi. — *S. Lig. lib. 1. n. 26., lib. 6. n. 505.* — *Voit, n. 38.*

76. — IV. *In dubio favores sunt ampliandi, et odia restringenda (Reg. Iur. can. 15. in VI.)*; idest in dubio benigniora sunt praeferenda. Unde secundum hoc principium, et communiorem interpretationem haec statuenda videntur: 1° Quoties odia et favores separari possunt, odia sunt restringenda, et favores ampliandi, quantum fieri potest, quin vis sensui verborum inferatur. 2° Si odia et favores sint indivisibilia, tunc de intentione legislatoris ex ipsius verbis, ex subiecta materia, aut ex adnexis circumstantiis iudicandum est. 3° Si intentio legislatoris determinari clare nequeat, magis attendendum est ad favorem, quam ad odium. — *S. Lig. lib. 1. n. 99.*

Odiosum autem hic intelligitur, quidquid tendit ad poenam, vel laedit ius tertii, aut iuri communi opponitur. *Favor* vero, seu *favorabile*, quidquid libertati indulget, vel gratiam concedit, sine privatorum, aut communitatis, aut iuris ipsius detrimento.

V. *In obscuris, quod minimum est, tenendum (Reg. Iur. can. 30. in VI)*. Sic intelligenda est haec regula: Ubi non constat de vero sensu legis vel statuti, et inquisitione praemissa determinari neque ex natura rei, neque ex contextu verborum, aut loci consuetudine, aliave circumstantia potest, interpretatio minus onerosa seu libertati benignior admittenda est. Ratio est, quia legislator non censetur velle ultra id obligare, quod clare in lege exprimitur. Hinc in dubio de quantitate poenae infligendae, minima eligenda est. Item si non certo constet de delicto, reus absolvendus est.

VI. In dubio facti valent sequentia axiomata, seu regulae iuris civilis apud omnes receptae, scilicet 1° *In dubio, factum non praesumitur, sed demonstrari debet.* Hoc autem intelligendum est de dubio circa actum principalem, v. gr. si dubium sit, an quispiam alium percusserit, hoc factum praesumi non debet, sed qui affirmat, debet illud positive probare. — 2° *In dubio, praesumitur factum, seu recte factum, quod de iure faciendum erat.* Hoc intelligendum de dubio circa actum accessorium, supposita certitudine actus principalis; si quid enim de iure faciendum erat, aut si ordinarie fieri soleat, aut sit favorabile facienti, praesumitur factum esse. — 3° *In*

dubio nemo malus praesumitur, nisi probetur. Hoc valet, quoties agitur de dubio alicuius delicti. Illud namque imputari non debet, nisi de eo certe constet. Ratio, quia delicta non praesumuntur; nec malus quisquam praesumitur, sed probandus est.

VII. *In dubio pars tutior est sequenda (Regula iuris canonici).* Haec regula restringenda est ad casus *dubii practici,* vel ad eos, in quibus finis est necessario obtinendus, nempe ubi probabilitas non removeret periculum, quod lex praecipit omnino cavendum, ut v. gr. in Sacramentis conficiendis, iuxta superius dicta *n. 56,* et ex omnibus hucusque expositis compertum est (*a*).

77. **Resolves.** — 1° Non licet sequi opinionem tantum *probabiliter* probabilem contra legem, quia illa opinio non est proprie et solide probabilis (*b*), et proinde nequit haberi ut ratio sufficiens ad legem incertam reddendam.

2° Non tibi licet sequi sententiam aliis probabilem, at tibi actu prorsus falsam (*c*). Ratio est, quia si iudices actu aliquid esse illicitum, et illud facias, in praesenti actu habes conscientiam peccati, ideoque agis contra conscientiam tuam. Ut ergo licite sequaris sententiam alienam, debes eam prius facere tuam, id est, iudicare eam

(*a*) Superius (*in not. ad n. 70.*) cum S. Alphonso animadversum fuit, ex communi DD. sententia hanc regulam, aliasve eiusmodi, quoad dubia speculativa esse de consilio, non autem de praecepto.

(*b*) Si verba, *probabiliter probabile,* adhibeas ad definitionem mere *nominalem* et *arbitrariam,* adeo ut significare velis opinionem, pro cuius probabilitate ratio quaepiam gravis ac solida, quae ad prudentem assensum movere possit, nulla militet, esto quod Auctor habet. Verum si verba, uti par est, iuxta proprium sensum usurpes, aliter se res habet. *Probabiliter* enim aliquid affirmare, idem ex consensu omnium valet, ac aliquid ob *gravem, solidamque,* ac *prudentem* rationem asserere. Ergo si *probabiliter* quidpiam dicis probabile, spectato proprio verborum sensu oportet, ut ad id affirmandum *prudenti, gravi* ac *solida* ratione ducaris. Abs re ergo quod *probabiliter,* idest *gravi, prudenti, ac solida* ratione motus dicis probabile, hoc idem negares, *proprie et solide* esse probabile. Qua de re ad removendas ambages prodest sane in memoriam illud revocare, quod post S. Thomam et plerosque omnes DD. Scholasticos monet Suarez (*De Poenit. Disp. 22. Sect. IX. n. 5.*), in moralibus solidam ac prudentem probabilitatem morali cuipiam certitudini aequipollere; quippe quia in eiusmodi maior certitudo haberi nequeat. Et hoc quidem etiam praxis communis suadet. Nonne enim ex communi consensu sat prudenter agere quis creditur, si probabile id habeat, quod tamquam probabile tradi reperit v. gr. a S. Antonino post S. Thomam, aut a S. Alphonso post Suarezium, etc.? Attamen ecquam demum certitudinem in hoc habemus praeter prudentem illam probabilitatem, quae, uti diximus, sapienti cuique sufficiens in eiusmodi videri debet?

(*c*) Ita si agatur v. gr. de sententia, ceu *probabili* a S. Alphonso tradita, quod non adsit obligatio denuntiandi Confessarium, qui *mere sollicitationi consenserit.* Tibi enim prorsus falsa erit, si noveris, eam a Congregatione S. Officii, ut suo loco videbimus, fuisse damnatam, et quidem decretum illud S. Inquisitionis a Benedicto XIV fuisse (in Constit. *Sacramentum Poenitentiae*) Apostolica auctoritate confirmatum.

esse probabiliter veram (*a*), vel obiectum eius esse probabiliter licitum. — *Reuter, n. 105.*

3° Non semper licet sequi quamlibet opinionem speculative probabilem; quia quandoque opinio speculative probabilis non est practice probabilis; nimirum potest dari actio in se quidem licita, quae tamen in praxi ob periculum scandali, irreverentiae, iniustitiae, etc. illicita evadat (*b*).

4. Non licet sequi opinionem probabilem, quando opposita apparet probabilissima; quia non videtur posse stare motivum grave in conflictu motivi gravissimi; unde talis opinio habenda est ut dubie vel tenuiter probabilis (*c*).

78. **Quaesita.**— QUAER. 1° *An licitum sit uti probabilitate, non tantum in materia iuris positivi, sed etiam iuris divini et naturalis?*

Resp. Affirm. quia in qualibet materia contingere potest, ut non constet de legis existentia, quoties nempe contra militat vera et solida probabilitas; ac proinde de tali lege datur ignorantia vere invincibilis. Porro Deus, auctor legis et principium ordinis naturalis, non censetur velle nos obligare, quando invincibiliter legis existentiam ignoramus. — *Lacroix,* etc.

QUAER. 2° *An Confessarius possit, vel debeat absolvere poenitentem, qui vult sequi opinionem probabilem quidem, sed oppositam sententiae, quam ipse tenet?*

Resp. Affirm. si poenitens adhaereat opinioni vere probabili cum conscientia efformata. Ratio est, quia poenitens habet ius sequendi opinionem vere probabilem, nec Confessarius ius habet ipsi imponendi proprias opiniones, etiamsi probabiliores ipsi videantur. Confessarius enim non est *iudex opinionum,* quas poenitens sequi teneatur, sed est tantum *iudex dispositionis* sui poenitentis, ut patet ex *Trident. sess. 14. c. 5.* — Ita *S. Lig. lib. 6. n. 604. et alii communiter* (*d*).

(*a*) Ut tuam facias opinionem alterius, necesse non est, ut ad assensum te moveant rationes eius intrinsecae; sed sufficiet, ut alterius auctoritas te in prudens de tua sententia dubium inducat.

(*b*) Tunc potissimum DD. opinionem dixerunt *speculative* tantum probabilem, non vero *practice,* quando licitus opinionis eiusdem usus illas exigit conditiones, quae in praxi vix aut ne vix quidem sperari possunt.

(*c*) Nunquam forte continget, ut spectatis intrinsecis rationibus quispiam probabilem censeat opinionem, cuius oppositam habet ceu probabilissimam; secus vero, si tantummodo spectentur Auctorum de eadem re iudicia. Nam reperies utique, a nonnullis tradi uti probabilem, imo teneri uti probabiliorem opinionem, cuius oppositam alii defendant tamquam probabilissimam, quin et moraliter certam. *Vid. S. Alph. Lib. 6. n. 443.* Tunc vero prudentem lectorem res ipsa monet, de re diligentius esse inquirendum; et exinde facile apparebit, aut sine causa alteram dici probabilissimam, aut certe inaniter alteri aliquam tribui probabilitatem, uti in cit. loc. S. Alphonsi contingere suo loco videbimus.

(*d*) De hac re S. Alphonsus (Lib. 6. n. 604.): *Confessarius vero, quoties sua opinio non est evidenter certa, non potest obligare poenitentem ad eam sequendam; unde tunc non solum potest, sed etiam tenetur eum absolvere.*

QUAER. 3° *An probabilitas extrinseca constituat opinionem vere probabilem?*

Resp. Affirm. saltem generatim loquendo; imo in quaestionibus, quarum solutio magnopere pendet a prudentum aestimatione, maior auctoritas maiorem constituit probabilitatem. Nam difficile est aliquid esse *extrinsece* probabile, quin pro eo sit ratio vere gravis. Rationabiliter autem praesumi debet adesse talem rationem, quando multi et graves Auctores tenent aliquam opinionem esse probabilem, quippe qui rei veritatem penitus perspexisse, et solidis motivis inniti merito censentur. — Hinc S. Thom.: *Aliquis parvae scientiae magis certificatur de eo, quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo quod sibi secundum suam rationem videtur. 2. 2. q. 4. art. 8.* — Accedit etiam auctoritas S. Poenitentiariae. Etenim S. Congreg. interrogata, utrum sit inquietandus Confessarius, qui sequatur doctrinam *S. Ligorii,* quin rationes eius perpendat, sed tantum propter eius auctoritatem, respondit *negative;* et hoc responsum fuit a Summo Pontifice *Gregorio XVI* approbatum. Ergo probabilitas extrinseca intrinsecam supponit. Ergo...

79. — QUAER. 4° *Quid sentiendum sit de illo principio probabilistis non paucis familiarissimo:* QUI PROBABILITER AGIT, PRUDENTER AGIT?

Resp. Principium istud sic enuntiatum falsum est (*a*), si habeatur ut principium primarium et *per se* vim habens. Ratio est, quia actio nequit esse prudens vi solius probabilitatis, sed id habet ex sola certitudine. Est autem verum, si habeatur tantum ut consequentia alterius principii primarii, quod sit per se regula ultima agendi, quale istud esse potest: *Non est obligatio, nisi de ea certo constet.*

QUAER. 5° *Quomodo intelligendum sit axioma:* IN DUBIO MELIOR EST CONDITIO POSSIDENTIS, *et quinam eiusdem usus in conscientia efformanda?*

(*a*) Istiusmodi quaestioni forte satius erat respondisse, illud principium utique probabilioristis falsum videri potuisse. Quippe cum iuxta suum ipsorum systema contenderent, necessariam agendi honeste certitudinem solum ex directis et intimis subiectae materiae rationibus, nullatenus vero ex principiis reflexis repetendam esse, iure merito concludebant, nequaquam prudenter eum acturum, qui illud, quod sibi quoque verisimilius apparebat, minus verisimili posthaberet, quasi scilicet ceu verius id praeeligeret, quod minus verum ipse iudicabat. At enim plane desiperet, qui haec tam absurda ac putida attribueret innumeris illis et gravissimis doctoribus, quibus familiarissimum fuit principium, de quo sermo est, usurpare. Eadem scilicet ratione effatum illud usurpabant, ac nunc quoque familiarissimum plerisque scholis est veluti certo principio uti ea sententia, quae in thesi praesenti proponitur, scilicet *prudenter et honeste illum agere, qui opinionem probabilem, etiam relicta probabiliori, sectatur.* Principia autem, quae eiusdem effati rationem reddebant, modo DD. exprimebant, modo tamquam obvia ac notissima taciti praeteribant. Conf. Suarez (*In 1. 2. Tr. 3. Disp. 12. Sect. 3. n. 3. et Sect. 6. n. 8.*), Laymann (*De Consc. Cap. 5. §. 2. n. 7. et 8.*), Vasquez (*In 1. 2. q. 62. Cap. 5. n. 27. et Cap. 9. n. 44.*), Sylvestr. (*V. Opinio, n. 1.*), Barthol. Medina (*In 1. 2. q. 19. art. 6. Concl. 3.*), Sanchez (*In Decal. Lib. 1. Cap. 9. n. 14. et 16.*), etc.

Resp. 1° Haec regula, prout a DD. tradi et admitti in scholis consuevit, nunquam de statu opinionis, sed solum de statu dubii presse sumpti intellecta et recepta fuit (*a*). Inter dubium autem et opinionem hoc semper discrimen extat, ut illud omnimodam assensus suspensionem inter duo contradictoria importet, haec vero assensum in alterutram partem, licet non sine formidine oppositae. Propterea manifeste corruunt ea omnia, quae Vincentius Bolgeni (*Del Possesso,* cap. XV.), et alii nonnulli post ipsum, ex isto axiomate desumere contenderunt, ad usum opinionum probabilium, prout in scholis recipiebatur, impugnandum; quippe argumenta ab iis adhibita praeposterae huius axiomatis intelligentiae tantummodo innituntur, quasi nempe illud *in dubio* eos quoque casus complectatur, in quibus probabilis opinio suffragatur.

Resp. 2° Hoc axioma valere tantummodo in materia iustitiae, non vero generatim in materia aliarum virtutum, censuerunt nonnulli, contenderunt vero praesertim probabilioristae, ne videlicet ex hoc principio, quod ab omnibus receptum videbant, vis accederet alteri principio, quod ipsi impugnabant, nempe *legem dubiam non obligare,* aut *ex lege incerta non posse certam obligationem induci.* Ita *Billuart, De actibus human. dissert. 6. art. 2.*

Istud tamen axioma valere in aliarum quoque virtutum materia, communior (*b*) est et prorsus tenenda sententia; oppositamque opinionem merito Suarezius *(De Cens. Disp. 40. Sect. 5. n. 15.) falsam* dixit et *nulli fundamento* innixam.

Et sane, ut idem Suarez advertit *(De Voto, Lib. 4. Cap. 5. n. 7.),* iura, ex quibus illa regula sumitur, generatim et sine restrictione

(*a*) Ita Lugo (*De Iust. et Iur. Disp. 23. n. 110.*): *Bene advertunt DD., id procedere, quando est merum dubium negativum; nam si esset dubium positivum, et rationes probabiles pro utraque parte, tunc servandae essent regulae, quae communiter dantur circa conscientiam probabilem, et regulariter debitor amplecti potest iudicium probabile.*

** Quoad *dubium positivum,* manifeste vides in hoc Lugonis textu supponi *probabiles rationes pro utraque parte.* Idipsum etiam Auctor satis clare dicit, dum nominat *assensum in alterutram partem non sine formidine de opposita.* Verumtamen VV. (*Pag. 37*) scribunt, ab Auctore *significari, opinionem esse solam, cui nulla alia contradicit.* Exinde prolatis quibusdam verbis S. Alphonsi (*System. moral. Lib. 1. n. 71.*) contendunt, suspensionem assensus adesse, etiam quando hinc inde militant rationes aeque probabiles. Responderi potest: Adest suspensio assensus circa vim ac pondus rationum, quae probabilem esse suadent utramque sententiam, *Nego;* adest suspensio assensus circa dubium, an lex tunc obliget, *Nego;* adest suspensio assensus, utra opinio sit in se verior, *Transeat.* In praesenti enim hoc unice nosse interest, utrum legi insit vis obligandi, quando contra militat opinio probabilis. Eo minus autem haec VV. obiectio est ad rem, quando S. Alphonsus ex eo nimirum, quod utrinque militant opiniones aeque probabiles, concludit contra Patuzium, legem non obligare, quae itidem omnino est conclusio, quam Auctor cum DD. et Cardin. De Lugo heic deducit. Quoad mentem S. Alphonsi vid. etiam Not. ad seq. n. 80.

(*b*) Conf. Lugo, *De Iust et Iur. Disp 23 n 110.*

loquuntur, ut in Cap. *In pari 65*. De Reg. Iuris in VI. absolute dicitur, *in quacumque causa praeferri ius possidentis* (*a*).

Deinde, pergit Suarez *(ibid. n. 8.)*, nulla ratio differentiae assignatur nec assignari posse videtur. Etenim in materia iustitiae principium illud vel fundatur in hoc, quod quando est dubium circa fundamentum obligationis..., est quaedam aequalitas inter obligationem restituendi et potestatem retinendi, et alioqui possessio rei confert aliquod ius, et ideo praevalet ius possidentis (*b*); vel fundatur in hoc quod propter solum dubium non sunt immutandae res ab antiquo statu, in quo bona fide exsistebant, quia cum in dubio sit aequalitas utrorumque, non est cur potius in unam partem obliget, quam in aliam; vel fundatur in hoc quod interveniente ignorantia invincibili insurgit excusatio obligationis, intercedente autem dubio intervenit ignorantia rei, de qua dubitatur, et facta diligentia ad expellendum dubium et perseverante nihilominus dubio, fit illa ignorantia inculpabilis, quia non fuit in potestate hominis illam depellere, et ideo impedit obligationem; vel fundatur in hoc, quod obligatio est onerosa et suo modo odiosa, et ideo restringenda ut non oriatur, nisi ubi fundamentum eius moraliter certum est, praesertim ubi caetera non sunt paria. Atqui hae omnes rationes habent locum extra materiam iustitiae... Ergo.

Declarantur haec omnia et simul confirmantur ex doctrina S. Thomae, ubi agit de virtutibus iustitiae adnexis. Etenim, uti S. Doctor *(2. 2. q. 80. art. 1.)*, et DD. omnes cum ipso advertunt, eiusmodi virtutes, quae dici etiam solent *potentiales iustitiae partes,* id habent sibi proprium, ut partim cum iustitia conveniant, partim a iustitiae ratione deficiant. Porro cum ratio iustitiae in hoc consistat, *quod alteri reddat, quod ei debetur,* secundum aequalitatem ; in eo deficiunt aliae virtutes a iustitiae ratione, quod vel aequalitatem servare non possunt, uti religio erga Deum, vel quod debitum non quidem legale reddant, sed dumtaxat morale, sine quo nempe honestas servari non potest: in eo vero cum iustitia conveniunt, quod *alteri reddant, quod ei debetur,* cuiusmodi erit obedientia erga Deum vel erga leges, quae omnes virtutes necessarias complectitur. Atqui si qua vis est axiomati, de quo agimus, in materia iustitiae, haec sane tota exeritur in eo, quod iustitiae commune est cum aliis virtutibus, quodque generali *debiti ratione* continetur, nempe definiendo, num in casu *debiti dubii* reddi quidpiam oporteat. Ma-

(*a*) Ita Reg. Iuris 65. in VI: *In pari... causa potior est conditio possidentis*. Ita et L. *In pari 128*. ff. De div. Reg. Iuris: *In pari causa possessor potior haberi debet.*

(*b*) Huc faciunt quae habentur §. *Retinendae 4*. Instit. De Interdictis: *Commodum autem possidendi in eo est, quod etiamsi eius res non sit, qui possidet, si modo actor non potuerit suam esse probare, remanet in suo loco possessio: propter quam causam cum obscura sunt utriusque iura, contra petitorem iudicari solet*

nifestum est ergo, hanc regulam in materia iustitiae aeque valere, ac in materia aliarum virtutum, quatenus sub obedientia Deo aut legibus debita comprehensae ad virtutem iustitiae ceu partes ipsius potentiales reducuntur (*a*).

80. — QUAER. 6° *Si dubites utrum alicui obligationi iam satisfeceris, tenerisne adhuc satisfacere?*

Resp. 1° *Affirm.* prorsus, quoties agitur de dubio proprie dicto, seu de *dubio negativo,* aut de dubio *practico;* ratio est, quia in tali dubio nunquam contra legem agere licet, ut sequitur ex principiis supra positis, *n. 39. 41. et 70.* (*b*).

Resp. 2° Si autem agatur de *dubio positivo,* seu de vera et solida probabilitate, controversum fuit.

Affirmant cum quibusdam aliis Concina, Collet et Antoine; et rationem desumunt ex hoc principio: *Non satisfit obligationi certae per impletionem dubiam.* Etenim (inquiunt) lex semel existens et imperans ius habet exigendi rigorosam obedientiam, seu indubiam obligationis impletionem. Porro quando tantum probabiliter, aut etiam probabilius existimas te legem adimplevisse, ipsi rigorose minime satisfecisti. Ergo adhuc te urget et premit, usquedum certo satisfeceris.

Communissima tamen (*c*), et prorsus rationi consona sententia est, eum, qui probabiliter alicui obligationi satisfecit, ad nihil ulterius teneri.

(*a*) Usum huius principii habes penes Suarez (*In 1. 2. Tr. 3. Disp. 12. Sect. 5. n. 7.*): *Si simpliciter dubitatur de tota lege... idest an sit lata, nec ne;... generalis regula est, non obligare. Ratio peti potest ex illo principio, quod in dubio melior est conditio possidentis; homo autem continet (scil. possidet) libertatem suam... Si vero constet de lege et sensu eius, dubitari potest, an in hoc casu obliget; et tunc generalis regula est, si nulla sit sufficiens ratio probabilisque ad excusandum, tunc obediendum esse legi, quia ipsa vel superior continet ius suum.*

(*b*) Hoc sequitur etiam ex principio: *In dubiis melior est conditio possidentis.* Unde Lugo (*De Poenit. Disp. 16. n. 59.*): *Conveniunt omnes in hoc, quod is qui scit, se peccasse mortaliter, dubitat autem, an illud peccatum sit confessus, debeat illud confiteri: nam tunc possessio est contra poenitentem; constat enim de peccato et de obligatione confitendi, non autem constat de confessione.* Adverte autem hic sermonem esse de dubio *negativo;* nam ibidem Lugo negat adesse obligationem confitendi, quando etiam *solum probabiliter existimatur (illud peccatum) fuisse dictum in confessione.*

(*c*) Lugo (*De Poenit. Disp. 16. n. 58.*): *Communiter docent omnes, non teneri (quempiam) ad confitendum illud (peccatum), quod probabiliter iudicat, se... confessum iam fuisse; quia iam sequitur iudicium probabile, quod sicut in aliis materiis, ita etiam in hac sufficit ad implendum praeceptum.* Et infra n. 59.: *Nihil frequentius apud Theologos, quam excusare a reiteranda confessione eum, qui confessus est... iuxta probabilem aliquam sententiam de eius valore.* Vid. Suarez (*De Poenit. Disp. 22. Sect. 9. n. 6.*), Bonacina (*De Poenit. Disp. 5. Q. 5. Sect. 2. §. 3. Diff. 4. n. 3. 4.*), Salmantic. (*De Voto Cap. 1. n. 45.*), Roncaglia (*Tr. 8. De II. Praec. Cap. 2. q. 4. Resp. 2.*), etc.

Prob. 1° Cum probabilitas gravi et prudenti iudicio fulciatur; quisquis ergo probabiliter satisfacit obligationi, illud agit, quod prudenti iudicio sufficit ad praeceptum implendum. Atqui neque aequitas patitur, ut plus exigatur, quam quod prudenter creditur sufficiens ad implendum praeceptum, neque plus aliquid velle merito censetur prudens et aequus legislator. Ergo.

Prob. 2° Quaelibet exactio ultra id, quod probabiliter sufficit ad implendum praeceptum, contra se habet prudentis huius iudicii probabilitatem. Atqui exactio, contra se habens iudicium probabile, evadit quoad hoc obligatio seu lex incerta, quae (ut ex dictis superius constat) vim obligandi habere non potest. Ergo.

Prob. 3° Ab absurdo. Si enim obligationi certae itidem certam satisfactionem postules, nedum per probabilem aut probabiliorem, sed ne per probabilissimam quidem satisfactionem praeceptum dici poterit impletum; nam semper locus superest reponendi, certam esse obligationem, satisfactionem vero incertam seu minus certam. Atqui hoc recta via ad damnatum tutiorismum adducit. Hinc etiam Billuart *(De Sacr. Poenit. dissert. 7. art. 2. §. 4.)* et alii, licet probabiliorismum tenerent, censuere tamen sufficere, si legi probabilius satisfacias. Ergo (*a*).

Quoad axioma, quod obiicitur: *Non satisfit obligationi certae per impletionem dubiam* (*b*), respondetur, verum esse, quoties sermo est

(*a*) Quidam putant, S. Alphonsum in oppositam opinionem cum Antoine et Concina demum devenisse, quia *Lib. 1. n. 28.* cum iisdem censet, *eum qui probabiliter iudicat, se iam voto satisfecisse, teneri adhuc ad votum implendum,* licet ipse prius probabilem dixisset sententiam negantem.

Sed reipsa falsum est, S. Alphonsum recessisse a communi doctrina. Hoc patet evidenter ex hisce, quae habet eodem *Lib. 1. n. 99.* in fine: *Quid in dubio, an legem impleveris? In dubio negativo teneris implere; secus in positivo.* Et rursus *Lib. 3. n. 290: In dubio de consuetudine* (scil. derogante legibus) *possidet praeceptum, unde petenda est dispensatio; secus si probabile sit, adesse consuetudinem.* Et rursus *Lib. 3. n. 112. q. III. §. Secunda sententia,* scribit: *Hic non versamur in dubio, sed in opinione probabili... Quando autem probabile est, quod... lex abolita sit, tunc cessat praesumptio pro lege, et possidet libertas.*

Ergo S. Alphonsus suam opinionem utique mutavit quoad quaestionem specialem, *De voto,* non vero quoad generale principium. Et quidem illa quoad votum resolutio videtur accipienda de eo, qui incertus sit, an aliquid ad votum implendum praestiterit, nec ne; non autem de eo, qui aliquid fecerit, et incertus tantummodo sit, an illud ad implendam promissionem sufficiat. Nam alioqui centies imo et millies S. Alphonsus inculcat, tutissimum in conscientia eum esse, qui quoad obligationes probabile iudicium sequatur, cum totum eius opus morale huic innitatur principio.

(*b*) Alii aliis verbis obiiciunt: *Debito certo non satisfit per solutionem incertam; et si debes ex contractu centum, non liberaris ab obligatione totali, nisi per solutionem certam.* Respondet autem Card. Lugo: *In primis si illa centum debeantur ex promissione liberali, videtur satisfieri solutione probabili; sicut qui ex voto debet ieiunium, si ieiunet observando ieiunium iuxta probabilem opinionem... Si autem debeantur ex contractu oneroso, ut ex emptione, permutatione, etc., tunc fortasse non satisfa-

de dubio practico vel negativo, non vero si libertati faveat vera et solida probabilitas.

QUAER. 7° *An inter plures opiniones probabiles liceat modo hanc, modo oppositam sequi?*

Resp. Affirmative (*a*). Ratio est, quia inter probabiles opiniones nulla datur *formaliter* tutior et securior altera. Omnes enim sunt aeque securae (*b*). Insuper si tenearis opinionem sequi, quae tibi probabilior apparet, nec possis ex probabili aliorum sententia operari, mille scrupulis agitari debes, et singulis horis opus variare, cum iam uni opinioni ceu probabiliori adhaereas, iam contrariae, etc. — *Pal. De Cons. Disp. 2. Punct. 2. n. 2. 3.* Sed vid. *Casus, t. 1. n. 75.*

cit; quia non servatur aequalitas dando pro re certa aliam incertam, quae eo ipso minus valet; et quia intentio contrahentium ea videtur esse, ut detur sibi pecunia certa pro mercibus certis: quae rationes... non procedunt in aliis omnibus praeceptis, in quibus obligatio est certa audiendi sacrum, v. gr. ieiunandi, recitandi officium, etc., et tamen satisfacit homo, si iuxta probabilem sententiam ieiunet, audiat sacrum, vel recitet officium, etc. Ita Lugo (*De Poenit. Disp. 16. n. 59. 60.*), qui scite etiam de *contractu oneroso* dubitanter dicit: *fortasse non satisfacit;* nam si res sit de contractibus, quos *bonae fidei* appellant, in quibus nempe iudici fit facultas multa ex aequo et bono inter litigatores arbitrandi, iam et ipsa *aequalitas,* quae in contractu oneroso servanda est, *prudenti* idest *probabili* iudicio determinari solet.

(*a*) Non licet tamen Confessario uti probabili opinione ad imponendam obligationem, quando opposita quoque est probabilis, cum ex dictis *sup. n. 78. q. 2.* poenitens ius habeat hanc sequendi, et Confessarius teneatur eum absolvere. Nec refert, utrum id poenitens sciat. Iniquissimum enim foret, poenitentis ignorantia ita abuti, ut ipsi imponatur obligatio, quae a Deo legislatore non imponitur, et quae insuper poenitenti in perditionis laqueum cedere posset.

(*b*) Cave tamen, ne ad absurdam contradictionem ita rem deducas, ut dum ex opinione quapiam commodum aliquod aucuparis, incommoda huic adnexa praetextu oppositae opinionis recuses. Sic absurde ageres, si probabili usus opinione hereditatem adires provenientem ex testamento, quod formis careat legalibus; et deinde praetexta sententia, quae hoc testamentum negat valere, legata solvere abnueres. Quippe qui assumit hereditatem, et onera necessario adiuncta assumit.

FINIS TRACTATUS DE CONSCIENTIA

TRACTATUS

DE LEGIBUS

Lex est regula externa et remota actuum humanorum, sicut conscientia, seu dictamem practicum rationis, est eorumdem regula interna et proxima.

Agendum 1° de legibus in genere; — 2° de praecipuis legum speciebus.

PARS PRIMA

DE LEGIBUS IN GENERE

Dicemus, de legis natura, — auctore, — obiecto et subiecto, — promulgatione et acceptatione, — obligatione, — interpretatione, — dispensatione et cessatione.

CAPUT I.

DE NATURA ET PROPRIETATIBUS LEGIS

81. — Definitio. Lex est ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata *(S. Thom. 1. 2. q. 90. n. 4.)*. Hinc differt a praecepto. Lex enim essentialiter fertur communitati a persona publica et pro bono communi, dum praeceptum proprie dictum etiam a persona privata emanare potest, et subditos privatos respicere in privatum eorum bonum. Tale est imperium patris in filium, aut Principis in aliquem subditum. Saepe tamen etiam leges praecepta dicuntur. Sic leges divinae Moysi in monte traditae praecepta Decalogi nuncupantur.

Multiplex discrimen est inter legem et praeceptum, scilicet 1° *Ratione iubentis,* quia legislator est persona publica, praecipiens vero potest esse persona privata. 2° *Ratione subiecti,* quia lex fertur in communitatem, praeceptum etiam in personam privatam. 3° *Ratione finis,* quia finis legis est bonum commune, finis autem praecepti bonum privatum (*a*). 4° *Ratione loci,* quia lex afficit territorium, praeceptum vero personam, atque, ut aiunt, *ossibus haeret.* 5° *Ra-*

(*a*) Intellige finem directum et immediatum; namque mediate et indirecte lex ad privatum cuiusque bonum, praeceptum vero ad bonum commune tendit: quatenus scilicet et commune omnium bonum in bonum redundat singulorum, et viceversa.

tione durationis, quia praeceptum cessat morte praecipientis, lex vero non extinguitur simul cum legislatore.

Divisio. Lex multiplici modo distinguitur:

1° *Divina,* vel *humana,* prout Deum, aut hominem auctorem immediatum habet.

2° *Naturalis,* vel *positiva,* prout natura ipsa rationali, vel actu positivo legislatoris intimatur.

3° *Ecclesiastica,* vel *civilis,* prout a potestate ecclesiastica vel civili fertur.

4° *Moralis,* aut *poenalis,* vel *mixta,* prout sub sola culpa, vel sub sola poena, vel sub utraque simul obligat.

5° *Affirmativa,* vel *negativa,* prout praecipit actus positionem, vel illam prohibet. Hinc dicitur etiam *praeceptiva,* vel *prohibitiva.*

6° *Prohibens* simpliciter, vel *irritans*, aut *permittens*, prout actum illicitum tantum, aut invalidum reddit, vel agentem prohibet inquietari.

7° *Favorabilis,* vel *odiosa,* prout restringit vel ampliat libertatem (*a*).

8° *Scripta,* vel *usu servata,* prout mandato scripto fertur, vel sola consuetudine introducitur et servatur.

82. — Quaer. *Quales sint proprietates seu conditiones legis humanae?*

Resp. Sunt sequentes, quae in ipsa legis definitione includuntur, scilicet, debet esse *possibilis, honesta, utilis, iusta, permanens* seu *stabilis,* et *promulgata.* — Ita *ex prima parte Decreti, D. 4. can. 2.*

1° *Possibilis,* idest accommodata moribus et circumstantiis personarum, etc.

2° *Honesta,* idest nihil statuens, quod inhonestum sit, ac bonis moribus seu rectae rationi aut divinae legi positivae repugnans; neque enim ad actus malos et ultimo hominis fini adversos obstringere lex potest.

3° *Utilis* bono communi, 1° quia bonum communitatis est finis essentialis et primarius legis; 2° quia lex est actus publicae potestatis, quae in solum bonum commune instituta est.

4° *Iusta,* idest secundum normam iustitiae distributivae, adeo ut alii non magis quam caeteri graventur, sed subditis cum aequalitate proportionis, spectatis eorum viribus et facultatibus, imponatur: secus in conscientia non obligat.

5° *Permanens*, seu *stabilis,* idest statuta sine tempore definito, ita ut semel lata, nisi abrogetur, vel noxia evadat aut inutilis, tamdiu duret quamdiu stat communitas cui imponitur, vel quamdiu perseverant circumstantiae, pro quibus lata est.

(*a*) Lex *per se* semper censetur quid *odiosum.* Sunt tamen leges, quae spectant ad favorem ampliandum, seu potius ad vincula minuenda. Eiusmodi lex est, quae declarat valida matrimonia a filiisfamilias absque consensu parentum seu etiam contra horum voluntatem contracta.

6° *Promulgata,* quia lex est regula generalis et publica actionum, dirigens et obligans communitatem. Regula autem dirigere et obligare nequit communitatem, quam regit, nisi sit ei per promulgationem applicata.

CAPUT II.

DE AUCTORE LEGIS SEU DE LEGISLATORE

83. — Legislator dicitur Superior, cui sive independens ac suprema, sive subordinata potestas inest leges ferendi pro communitate, in quam habet iurisdictionem.

Principia. — I. Deus solus est legislator supremus et universalis, a quo necessario caeteri legislatores, quicumque sint, omnem suam potestatem accipiunt, sive *immediate,* sive *mediate.* Deus enim est regula summa et essentialis cuiuslibet ordinis, et ipse solus gaudet supremo dominio in creaturas rationales, quarum est principium et finis ultimus. — Constat etiam ex Scriptura: *Per me reges regnant, et legum conditores iusta decernunt; per me principes imperant, et potentes decernunt iustitiam. Prov. 8. 15. 16. — Non est potestas nisi a Deo. Rom. 13. 1.*

II. Ecclesia potestatem habet condendi leges, quae ad finem ipsi propositum assequendum conducunt (*a*).

Constat 1° ex Scriptura sacra. Sic enim Christus Petro, *Matth. 16. 19.: Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis,* etc. — Et *Luc. 10. 16.: Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* — Item *Act. 15. 28.: Visum est Spiritui Sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine et suffocato.* Porro verba: *Quodcumque ligaveris... qui vos audit, me audit... imponere vobis...* significant collatam Ecclesiae potestatem ligandi seu leges statuendi.

Constat 2° ex ratione. Ecclesia enim est societas perfecta in suo genere. Ergo gaudere debet potestate expedita ad proprium regimen necessaria. Atqui Ecclesia suo regimini providere non posset, nisi facultatem condendi leges haberet; multi enim sunt abusus reprimendi inter fideles, multaque ad Dei cultum promovendum aut servandum, et ad animarum salutem procurandam constituenda sunt. Ergo...

Constat 3° ex traditione et constanti Ecclesiae praxi, seu ex variis Constitutionibus apostolicis et Conciliis, quibus statuta disciplinaria condita sunt.

(*a*) Utilissimum continget de hoc argumento legisse egregium opusculum, cui titulus: *Iuris Ecclesiastici Institutiones auctore Camillo Tarquini e Soc. Iesu in Coll. Rom. Iuris Canonici professore, Romae 1862, et rursus 1868.*

84. — III. Principes saeculares leges, quae ad finem temporalis felicitatis conducant, condere possunt.

Constat 1° ex Scriptura sacra, *Prov. 8. 15: Per me reges regnant, et legum conditores iusta decernunt...* ut supra *in I princ.* Et *1. Petr. 2. 13: Subditi estote, sive regi quasi praecellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis.*

Constat 2° ex ratione: etenim Principes a Deo habent potestatem regendi subditos, ut supra dictum est; atqui hanc potestatem exercere non valerent, nisi facultate leges statuendi gauderent. Ergo, etc.

IV. Semper obtemperandum est legitimis Superioribus aliquid iusta lege praecipientibus, sive immediate a Deo sive mediante populo eos auctoritatem recepisse existimes. — Ratio est, quia in utraque sententia sunt aeque a Deo societati gubernandae praepositi, ac propterea ab eo accepta pollent auctoritate. Hinc nullius momenti est in praxi controversia, utrum Principes saeculares *mediate* an *immediate* potestatem a Deo habeant.

Censenda autem est iusta lex, quoties de eius iniustitia apud viros doctos et probos communiter non constat; quia rectus ordo requirit, ut in dubio praesumptio Superiori faveat.

85. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Quinam in Ecclesia leges condendi facultate polleant?*

Resp. Papa, Concilium generale, Episcopi et Concilia particularia.

1° *Papa,* seu *Pontifex Romanus pro tota Ecclesia.* Ipsi enim dictum est in persona Petri: *Pasce agnos meos, pasce oves meas. Ioann. 21. 15. et 16.* Vox autem *pascere* idem significat ac gubernare et regere. — Adde verba *Matth. 16. 19.* supra relata: *Quodcumque ligaveris,* etc. Papa enim est verus successor Petri in cathedra Romana; est proinde *Summus Pontifex, Summus Claviger, Pastor Pastorum,* Christi *Vicarius* in terris.

2° *Concilium generale* itidem *pro tota Ecclesia.* Concilium enim generale iuridice repraesentat (*a*) totam Ecclesiam docentem ac regentem; ergo leges condere potest pro tota Ecclesia. Verumtamen nihil potest Concilium generale, nisi Summus Pontifex sive per se, sive per Legatos ipsi praesit, et eius decreta confirmet. Ecclesia enim, absente capite seu Papa, repraesentari non potest.

3° *Episcopi pro dioecesi.* Hoc enim necessarium est ad rectam dioecesis administrationem. Constat etiam ex illo *Act. 20. 28: Vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Hoc autem ius accipit Episcopus in sua canonica institutione. Nihil porro potest Episcopus circa legem Summi Pontificis, cum inferior in superiorem iurisdictionem non habeat. Nec proinde quidquam statuere

(*a*) *Repraesentare* heic est *sistere praesentem,* non vero vices quodammodo gerere ex munere commisso; qui sensus haereticus fuit iansenianorum proprius.

potest, quod legi communi opponatur vel illam infirmet. — Statuta Episcopi etiam extra Synodum (audito tamen consilio Capituli) facta et promulgata, iuxta veriorem sententiam eamdem perpetuitatem habent ac Constitutiones synodales. — *Ita Bened. XIV de Synod. dioeces. l.* XIII. *c. 5. n. 1.* (*a*). — Archiepiscopi vero et Patriarchae leges ferre nequeunt pro dioecesibus suffraganeorum, quia non sunt Superiores proprie dicti, quamvis eorum lites ad se delatas dirimere possint.

4° *Concilia particularia pro provincia.* Etenim si Episcopi seorsim sumpti leges pro dioecesibus statuere valent, similiter et in Concilio, sive nationali sive provinciali, leges pro natione vel provincia constituere possunt. Attamen horum Conciliorum decreta ad S. Congr. Conc. Trid. mitti debent ut recognoscantur. Sic ex antiquo iure a Sixto V confirmato in Bulla *Immensa aeterni,* ubi de S. Congr. Concilii dicitur: *Provincialium vero* (Conciliorum), *ubivis terrarum illa celebrentur, decreta ad se mitti praecipiet, eaque singula expendet et recognoscet.* Constat etiam ex Benedicto XIV *de Syn. dioec. l.* XIII. *c. 3.* ubi haec habet: *Ea* (decreta), *antequam promulgentur, transmitti iussit Sixtus V ad sacram Congregationem Concilii, non quidem ut postea confirmationem reportent a Sede Apostolica, sed ut corrigantur, si quid fortasse in iisdem aut nimis rigidum, aut minus rationi congruum deprehendatur. Non semel tamen accidit, provincialia Concilia non solum a sacra Congregatione Concilii recognosci, et, si opus fuerit, emendari, verum etiam a Summo Pontifice, ita petentibus Metropolitanis, a quibus sunt celebrata, per apostolicas literas confirmari.* Confirmatio vero Synodorum per Apostolicam Sedem duobus modis sedulo distinguendis fieri potest: in forma communi, vel in forma specifica. — *V. Bened. XIV de Synod. dioec. l.* XIII. *c. 5. n. 11.* (*b*); *et l.* XII. *c. 5. n. 13.* Nec tamen transmissio

(*a*) De hac re forte melius ita Scavini (*Th. Mor. Tr. 2. Cap. 1. q. 2. in not.*): *Communi usu inductum est, ut Episcoporum ordinationes datae extra Synodum, nisi ipsi Episcopi aliud expresse declarent, tunc tantum ut verae leges habeantur, cum omnes dioecesanos et clericos et laicos adstringunt: secus nonnisi ut praecepta reputentur. Dixi* extra Synodum; *nam quae in Synodo conditae sint ordinationes, ut verae leges habentur per se perpetuo duraturae, etsi unum tantummodo subditorum coetum respiciant, cum in codice legislativo contineantur. Dixi* nisi aliud Episcopi expresse declarent; *nam semper ipsis liberum est etiam extra Synodum leges pro unoquoque dumtaxat coetu condere. Verum si de hoc clare non constet, illae non ut leges, sed ceu praecepta habentur ex communi consuetudine.* Adversus haec autem non multum roboris ea habent, quae Lambertinius loco citato ab A. disserit.

(*b*) *In forma* communi *confirmari dicuntur statuta, quae non singulatim examinantur, neque approbantur a Pontifice* motu proprio et ex certa scientia... *et talis confirmatio nihil novi iuris aut efficacitatis illis tribuit.*

In forma specifica *fieri (confirmatio) dicitur, cui praemittitur causae cognitio, et singula statuta diligenter expenduntur, ac deinde, nulla adiecta conditione, auctoritate Apostolica cum clausula,* motu proprio atque

ad S. Congreg. Conc. et multo minus confirmatio per Sedem Apostolicam necessariae sunt pro statutis Synodi dioecesanae. — *Bened. XIV ib. l.* XII. *c. 3. n. 6.*

86. — QUAER. 2° *An leges condere possint Capitulum Cathedralis, Sede vacante, Praelati Regularium, et Abbatissae, seu Monialium Superiorissae?*

Resp. 1° *Capitulum,* Sede vacante, nihil innovare aut abrogare potest; sed dioecesim iuxta leges existentes gubernare debet. Attamen statuta, quae pro circumstantiis necessaria essent, ferre posset. — *S. Lig. n. 104. — Gousset, n. 129.*

Resp. 2° *Praelati Regularium* veras leges condere valent, sive in congregatione generali Ordinis, sive alio modo intra limites suae iurisdictionis iuxta proprias Ordinis constitutiones (*a*). Habent enim statuta a Summo Pontifice approbata, quae illis hanc facultatem tribuunt.

Resp. 3° *Abbatissae* vel *Superiorissae Monialium* non possunt leges proprie dictas ferre, cum iurisdictionis ecclesiasticae non sint capaces. Possunt tamen exigere in conscientia obedientiam circa res praeceptas, vel circa ea quae ad profectum Monialium iuxta regulas conducunt. Habent enim ius praecipiendi tum ex voto obedientiae a subditis emisso, tum ex necessitate disciplinae, quae in communitate servari debet.

87. — QUAER. 3° *Quinam Principes saeculares potestatem condendi leges habeant?*

Resp. Omnes ii, qui suprema gaudent auctoritate, nec sunt alterius delegati, ut huius nomine agant; eiusmodi sunt Imperatores, Reges, Magistratus Reipublicae legitime constitutae, etc.; non vero Duces militum, nec Praefecti provinciarum, qui proprio nomine agere nequeunt. — *V. Cas. n. 79. et seq.*

Si qui autem sunt, qui licet agant nomine proprio, nihilominus Superiori subdantur; horum leges a Superiore irritari aut reformari possunt, v. gr. leges Principis feudatarii in ordine civili a primario Principe, sicut et in ordine ecclesiastico leges Episcopi aut Concilii provincialis, aut Praelati Regularis corrigi vel aboleri a Romano Pontifice possunt (*b*).

ex certa scientia, *confirmantur... Statuto confirmato in forma* specifica, *cum naturam induerit legis pontificiae, nulli inferiorum fas est derogare; immo ab hac confirmatione tantas accipit vires, ut praevaleat iuri communi, cui caeteroquin sit contrarium.* Ita Bened. XIV, *De Syn. ll. cc. ab A.*

(*a*) Inspiciendum est scilicet, cuinam haec potestas in propriis singulorum Ordinum Constitutionibus facta sit. Sane in Capitulo seu Congregatione non Praelatus sed Congregatio leges condit. Quod si haec potestas inest Generali Superiori, tunc Congregationis ope non indigebit.

(*b*) Hoc valet etiam quoad Concilii oecumenici decreta; quae cum vim obligandi non habeant nisi accedente Romani Pontificis confirmatione, hic reformare ipsa vel reiicere potest. Ita S. Leo I canones quosdam disciplinares in Synodo Chalcedonensi latos non admisit.

CAPUT III.

DE OBIECTO ET SUBIECTO LEGIS

ARTICULUS I.

DE OBIECTO LEGIS

88. — Obiectum legis generatim est quidquid lex praecipere vel prohibere potest.

Principia. — I. Obiectum legis sunt omnes et soli actus, quorum positio vel omissio ad bonum commune conferre potest. Ex dictis sequitur:

II. Omnes actus indifferentes *distributive* sumpti obiectum legis esse possunt; nam cum actus eiusmodi conferre ad bonum commune possint, eo ipso possunt praecipi aut vetari (*a*).

89. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An actus heroici sub legem cadant?*

Resp. Generatim sub legem cadere non videntur (*b*), quia vires humanas excedere moraliter censentur, atque adeo eiusmodi lex careret ea dote, qua posset dici *possibilis.* Attamen aliquando, exigente bono communi, praecipi possunt. Sic milites vigiles non possunt stationem deserere, etiam imminente periculo vitae, si detrimentum inde Respublica captura sit.

Quaer. 2° *An lex humana possit praecipere actus mere internos?*

Resp. 1° Lex civilis certo non potest, quia sine his actibus legislator finem suum obtinet. — Praeterea de internis iudicare nequit.

2° Neque lex ecclesiastica iuxta plures id potest; quia (aiunt) legifera Ecclesiae potestas ad externam tantum fidelium gubernationem pertinet. — *S. Lig. l. 1. n. 100., S. Thom., Suarez, Bened. XIV,* etc., contra alios qui probabiliter etiam affirmant, quia Ecclesia illimitatam potestatem a Christo accepit (*c*).

(*a*) Notissima est distinctio inter ea, quae prohibentur, quia mala sunt, et ea, quae mala sunt, quia prohibentur. Porro postrema haec ambitu actuum per se indifferentium continentur.

(*b*) Haec quaestio, uti patet, fit de legibus humanis. Nam lex divina tum naturalis tum positiva obligare potest etiam cum vitae discrimine. Ita SS. Martyres mortem, eamque acerbissimam, non ex *supererogatione quadam,* sed ex obligatione subierunt.

(*c*) Prior opinio, quae Ecclesiae negat potestatem praecipiendi actus mere internos, magis quadam extrinsecae auctoritatis specie quam ratione inniti videtur. Potior enim, quae affertur ratio, quod Ecclesiae potestas ad meram externam gubernationem spectet, vix aut ne vix quidem videtur toleranda; numquid enim ad meram externam gubernationem pertinet, quod directe attentionem in orando praecipiat, aut quod Regularibus certum sanctis meditationibus tempus praescribat?

Quod addunt, Ecclesiam nunquam eiusmodi actus praecepisse, et fal-

90. — Quaer. 3° *An lex humana possit praecipere actus mixtos, seu partim internos et partim externos?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia actus mixti constituunt simul unum *morale indivisum.* Sic Ecclesia praecipit devotam attentionem in Missae celebratione. — *Ita omnes.*

Quaer. 4° *An lex humana praecipere possit actus externos occultos?*

Resp. Affirm. Quia potestatem habet dirigendi quidquid externum est. Actus enim occulti natura sua ab aliis non differunt; quod autem puniri nequeant, id per accidens contingit. — *S. Lig. ibid.*

Quaer. 5° *An Confessarius actus mere internos iniungere possit?*

Resp. Affirm. Quia munus dirigendi poenitentes in via salutis hanc facultatem exigit. Hinc pias meditationes poenitentibus iniungere potest. — *Voit, n. 163.*

ARTICULUS II.

DE SUBIECTO LEGIS

91. **Principia.** — I. Omnis homo nascitur et remanet subiectus legi naturali. Cum enim lex naturalis sit ipsamet divina voluntas praescribens rectae rationi consentanea, in mente cuiusvis hominis indelebili charactere imprimitur. Igitur per accidens fit (*a*), ut, obvoluta ratione, non statim agnoscatur, vel aliquando cognosci desinat.

II. Omnes et *soli subditi* rationis habitualiter compotes sunt legi

sum allatis non paucis exemplis ostendi potest, et nihil per se concluderet; perperam enim a negatione actus arguitur ad potentiae negationem.

Denique subdunt, Ecclesiam de his actibus iudicare non posse. Verum 1° negari potest illatio: numquid enim magis potest iudicare de interiori meditandi exercitio, quod tamen Regularibus praecipit? 2° Sed negari potest et antecedens. Licet enim id verum sit de iudicio, quod ab homine profertur per sententiam, at falsum est de iudicio, quod (ut ait Suarez *De Leg. Lib. 4. Cap. 12. n. 4.*) a legislatore fertur per legem, quando nempe lex per se ipsam punit delictum, v. gr. per censuram ipso facto incurrendam.

**VV. (Pag. 909.) obiiciunt 1° *rationes heic allatas nihil evincere contra sententiam S. Doctoris, qui opinionem negantem dixit probabiliorem.* Resp. Evincunt id, quod erat probandum, scilicet rationes, quae pro negante opinione afferri solent, idoneas non esse.

Obiic. 2° ex S. Alphonso posse Ecclesiam *indirecte* praecipere *attentionem in orando,* et *meditationem* Regularibus. Resp. 1° Illa duo exempla mere hic afferuntur ad ostendendam infirmitatem rationis, quae ceu principalis solet contra afferri, non vero ut exempla actus mere interni. 2° S. Alphonsus disserit de potestate praecipiendi *indirecte;* in hac nota autem scriptum erat DIRECTE. 3° Caeterum animadversio VV. valere potuisset quoad exemplum primum, neutiquam vero quoad alterum.

(*a*) Haec ita dicenda sunt, quia homo nunquam censetur a lege naturali exemptus, sed tantum a reatu excusatur, ubi in ea violanda desit actus perfectio. Exinde etiam consequitur, quod ad actus legi naturali opposito impelli ille non possit, qui impeditum habet rationis usum; quod contra accidit, si de legibus mere humanis sermo sit.

humanae subiecti. — Ratio *primi* est, quia lex ferri nequit nisi in subditos. Ratio *secundi* est, quia homines, habitualiter usu rationis carentes, legibus dirigi non possunt.

III. Soli homines actualiter ratione utentes possunt legem moraliter violare; quia, deficiente cognitione, nemo peccare potest, iuxta dicta in *Tract. de Act. hum. n. 4.* — Hinc qui ad breve tempus ratione carent, dicuntur *excusati* ab impletione legis, licet eidem sint subditi.

92. **Resolves.** — 1° Non licet provocare infantes et amentes ad rem intrinsece malam, v. gr. ad blasphemias, turpitudines, etc.; quia illi utpote naturam rationalem habentes lege naturali *in actu primo,* seu radicaliter obligantur; ideoque formaliter peccant, qui eos ad actus intrinsece malos provocant. — *Reuter, n. 167.*

2° Infantes et perpetuo amentes non sunt legi humanae subditi, ut patet ex *principio II.* Licet igitur eis dare carnes edendas diebus quibus illae ab Ecclesia probibentur, etc. (*a*).

3° Amentes tamen ad breve tempus, vel qui multa lucida habent intervalla, ebrii et dormientes, sunt legi subiecti, quia sunt in statu habituali usus rationis; per accidens tamen sunt ab ea excusati, si non sint actualiter rationis compotes. Hinc non licet eis dare carnes diebus prohibitis. — *S. Lig. l. 1. n. 155.*, etc.

4° Infideles, nimirum quicumque Baptismo non sunt expiati, legibus ecclesiasticis non obligantur; quia Ecclesiae iurisdictioni nondum subiiciuntur, quamvis teneantur Ecclesiam ingredi (*b*).

5° Haeretici, schismatici, et quicumque alii baptizati, etsi non catholici, legibus ecclesiasticis *per se* tenentur; quia quamvis sint rebelles, non cessant esse Ecclesiae subditi: attamen *per accidens* in praxi non videntur peccare; quia fere nesciunt, se ex conditione sua ad servandas has leges teneri, etiamsi forte necessitatem et obligationem ingrediendi catholicam Ecclesiam iam cognoscant.

6° Eadem de causa Ecclesiae legibus adstringuntur excommunicati, quamvis de Ecclesia eiecti fuerint; secus enim ex malitia sua commodum reportarent (*c*).

93. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An Clerici teneantur legibus civilibus?*

Resp. 1° Certo non obligantur legibus quae repugnant immunitati ecclesiasticae adhuc vigenti, vel eorum statui, aut sacris Canonibus. *Ita communiter.* — 2° Certo obligantur ad omnes leges, quae bonum commune immediate spectant.— 3° Quoad alias leges, videntur

(*a*) Non tamen id expedit cum puerulis, qui ante septennium aliqualem, licet valde imperfectum, usum rationis habere incipiunt. Interest enim quam maxime, ut ab unguiculis iugum Domini portare assuescant.

(*b*) Proinde valida sunt inter eos matrimonia, licet cum quopiam impedimento iuris mere ecclesiastici contrahantur.

(*c*) Excipe, nisi ipsa excommunicatio interdicat exercitium illorum actuum, qui alioqui praecipiuntur, v. gr. Sacro interesse.

teneri sicut et caeteri, quia sunt pars communitatis, et Ecclesia id exigit et praecipit. — *Ita communius.* — *Suarez.* — *Reuter, n. 168.*

QUAER. 2° *An pueri teneantur ad leges ecclesiasticas statim ac usum rationis adepti sunt, licet septennium nondum expleverint?*

Resp. Affirm. probabilius. Quia omnis homo ratione utens est eo ipso legi subditus, ut constat ex *princ. II.* — *S. Lig. n. 155. (ut probabilius).* — Attamen probabiliter negant non pauci, quia, ut aiunt, Ecclesia censetur attendere ad ea quae communiter contingunt. — *Sic Lacroix, n. 676. (ut probabile).* — *Reuter, n. 167.* — *S. Lig. (ut probabile), lib. 3. n. 270.* — *Elbel, n. 369.*

94. — QUAER. 3° *An peregrini teneantur legibus sui territorii?*

Resp. 1° *Neg.* generatim, quia lex, quae respicit communitatem, est *territorialis,* nec afficit personas, nisi per territorium. — *Ita omnes.*

Resp. 2° Si abeant animo se obligationi legis subducendi, *controvertitur.*

Affirmant Concina, Collet, Antoine et quidam alii; quia, ut inquiunt, nemini fraus sua patrocinari debet.

Sed communius et probabilius DD. negant; quia exiens e territorio non in fraudem legis agit, sed utitur iure suo. — *S. Alph. lib. 1. n. 156.* — *Elbel, n. 370.* — *Lacroix, n. 683.,* etc. (*a*).

QUAER. 4° *An peregrini teneantur legibus loci, in quo versantur?*

Resp. 1° *Affirm.,* si habeant ibi *quasi domicilium* (*b*), quod acquiritur habitatione et intentione habitandi alicubi per maiorem anni partem. Ratio est, quia per *quasi domicilium* fiunt vere subditi loci illius. — *Ita fere omnes.* — *S. Lig. l. 1. n. 156.*

Resp. 2° Omnes peregrini et vagi tenentur ad leges speciales loci in quo versantur, 1° quoad contractus, 2° quoad necessaria ad bonum commune. — *Ita omnes.*

Resp. 3° Quoad alias leges, triplex est sententia probabilis.

I^a^ SENTENTIA *probabilior* illos excusat, secluso scandalo, quia lex non obligat nisi subditos. — *Ita S. Lig. l. 1. n. 156.,* etc.

II^a^ SENTENTIA eos obligat ad omnes leges, quia *qui sentit commodum* (*c*), *et onus sentire debet.* — *Collet.* — *Antoine.*

III^a^ SENTENTIA *sic distinguit:* Tenentur ad omnes leges, si pervenerint ad terminum itineris; si vero non pervenerint, tantum

(*a*) Quod dicitur de legibus proprii territorii, valet etiam de lege iuris communis, quando peregrinus ibi versetur, ubi haec non viget. *S. Ligor. Lib. 1. n. 156.* Quod tamen additur, nihil obesse, si ea intentione e territorio suo quis exeat, locum non habet, si e territorio exit, ut a reservatis absolvatur, vel ut matrimonium clandestine celebret in loco, ubi decretum Trident. de necessaria parochi et duorum testium praesentia ad matrimonii validitatem non viget.

(*b*) At enim *si habeant ibi quasi domicilium,* non sunt amplius peregrini. Nam *peregrinus* dicitur quisquis alicubi versatur neque *domicilium* habens, neque *quasi domicilium.*

(*c*) Commodum peregrinus sentit, quatenus et a servandis propriis territorii sui legibus eximitur, et privilegiis loci, in quo peregrinatur, fruitur.

ad leges negativas tenentur. — Ita cum quibusdam Suarez (*a*), qui tamen concedit primam quoque sententiam esse probabilem.

95. **Ex dictis circa peregrinos resolves.** — 1° Si in tuo territorio vel paroecia sit ieiunium, et eodem die pergas ad locum ubi non est ieiunium, potes vespere coenare. — *Ita communiter.*

2° Probabiliter potes etiam ientare, si mane exiturus sis, ut contra *alios* docent *Busemb., Less., Sanch., etc.*, et probabile putant *Salmant.* cum *Suar.*, apud *S. Lig. n. 157.* (*b*). Ratio est, quia ieiunium est quid individuum.

3° Mane existens in loco, ubi non est ieiunium, vesci potes carnibus, etsi circa meridiem reversurus sis domum, ubi est ieiunium. Domi tamen certo teneris abstinere a carnibus. — *S. Lig. n. 158.*

4° Si in tuo territorio vel paroecia sit speciale festum, et in alium locum, ubi non sit festum, profecturus sis, non teneris audire Sacrum ante discessum, modo perventurus sis extra locum, ubi viget praeceptum, antequam tempus obligationis cesset. Ratio est, quia praeceptum non obligat, ut expectes. — *S. Lig. l. 1. n. 157. — Salmant. n. 66.* contra *Antoine,* etc.

5° Tenentur peregrini omnibus legibus communibus eo loco vigentibus, etsi in suo territorio essent abrogatae, vel per dispensationem hic et nunc non obligarent. Ratio, quia subsunt legislatori communi, et absentes non gaudent proprii territorii privilegio. Sic Gallus extra patriam tenetur ad Missam die Epiphaniae, etc., Hispanus ad abstinentiam die sabbati, etc. — *S. Lig. Hom. apost. n. 39.*

6° Probabiliter non tenentur peregrini ad legem particularem alicuius loci servandam, etiamsi eadem lex particularis in suo territorio vigeat: ratio, quia nec tenentur legibus patriae, quia absunt; nec legibus loci, in quo versantur, quia utpote peregrini illis non

(*a*) Suarez (*De Rel. Tr. 2. Lib. 2. C. 14. n. 18. et 23.*) reipsa contendit, peregrinos etiam transeuntes pro eo tempore, quo in quopiam loco quiescunt, huius legibus teneri, et quidem non modo *negativis*, sed etiam *positivis*, nisi damnum aliquod seu incommodum afferant; ac proinde peregrinum, qui toto diei inibi festi matutino tempore consistat, ad audiendam Missam obligatum censet. Verumtamen ex generali canone mera probabilitas huius sententiae ad inducendam obligationem non sufficit. Quocirca cassa et nullius valoris est illa quoque conclusio, quam ex hac sua sententia Suarez deducit, peregrinum peccatorum reservationibus propriis territorii, in quo peregrinatur, subiacere.

** (*b*) S. Alphonsus mere scribit: *Probabile putant Salmanticenses De Leg. C. 3. n. 70. cum Suarez.* Reipsa tamen gratis Salmanticenses (De Leg. cap. 3. n. 68), et post eos S. Alphonsus allegant hic Suarezium, qui loco a Salmanticensibus allegato (*De Leg. Lib. 3. Cap. 32. n. 3.*) nihil de hac quaestione habet. Caeterum Salmanticenses (*ibid. n. 70.*) alia via incedere maluerunt, statuentes nimirum rationem habendam, in quo territorio per maiorem diei partem quispiam moretur. Et haec quidem opinio placuit etiam Laymanno, qui tamen (*Lib. 1. Tr. 4. c. 11. n. 7.*), non secus ac Salmanticenses, probabilem censet A. sententiam.

subiiciuntur.— *Reuter, n. 179. — Lacroix, n. 586.* contra *S. Lig. l. 1. n. 156.*

7° Si quis legi communi iam in sua patria vel suo territorio satisfecerit, probabilius non tenetur iterum satisfacere adveniens in locum, ubi serius urget. Sic Italus vel Hispanus, qui in patria ieiunavit in pervigilio S. Petri, non tenetur iterum ieiunare in Gallia, ubi hoc ieiunium in sabbatum sequens transfertur. Ratio, quia non datur obligatio iterum idem praeceptum adimplendi, cum iam suo tempore adimpletum est: ubi enim iam est solutum debitum determinatum, non est iterum solvendum. — *V. Cas. n. 79. et seq.*

CAPUT IV.

DE PROMULGATIONE ET ACCEPTATIONE LEGIS

ARTICULUS I.

DE PROMULGATIONE LEGIS

Promulgatio est publicatio legis, facta a legitima auctoritate ad obligationem in subditos inducendam.

96. **Principia.** — I. Promulgatio publica legis necessaria est ut ipsa obliget, nec sufficit eius privata notitia, quia sic praeceptum non est sufficienter communitati propositum et manifestatum.— *S. Lig. n. 95.*

II. Promulgatio sufficit sine notitia legis ad obligandum in foro externo, quia legis rite promulgatae notitia generatim praesumitur. In foro autem interno, notitia legis insuper requiritur, quia nemo peccare potest sine obligationis cognitione, iuxta dicta in *Tract. de Act. hum. n. 4. et seq.*

III. Ex natura rei sufficit, ut lex promulgetur in aliqua praecipua civitate, seu in tali loco, unde ad notitiam communitatis pervenire possit, et statim obligat ac promulgata fuerit. Attende tamen ad consuetudinem receptam, vel ad statuta particularia variorum locorum.

97. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An obliget lex dubie promulgata?*

Resp. Neg., quia non est sufficienter manifestata et intimata, et proinde dubia est; lex autem dubia non obligat. — *S. Lig. n. 97.*

QUAER. 2° *An leges pontificiae obligent statim ac promulgatae sunt?*

Resp. Affirm. Lex enim promulgata eo ipso statim vim habet, et obligat etiam in actu, ut aiunt, secundo eos omnes, qui eam agnoscunt.

QUAER. 3° *An sufficiat, ut leges episcopales promulgentur in civitate episcopali? — et papales Romae?*

Resp. Affirm. quia hoc sufficit, ut populo Christiano manifestari

possint. Praeterea modus promulgationis est in potestate legislatoris. — Porro in praxi Episcopi obligare volunt per promulgationem in urbe episcopali factam, et Pontifices per eam quae Romae fit (*a*).

Quoad Conc. Trid. certum est, decreta eiusdem ad fidem et mores spectantia obligare etiam in iis locis, ubi specialiter non sunt promulgata; itemque decretum circa matrimonia clandestina non obligare nisi in paroeciis, ubi promulgatio praecessit. Quoad alia decreta, quae reformationem respiciunt, praeferenda est sententia asserens, ipsa ubique obligare, cum Romae debito modo promulgata sint. — *Scav.* et *Anal. Iuris pont. ser. II. col. 2308.* — *Et Cas. n. 89. et seq.*

ARTICULUS II.

DE ACCEPTATIONE LEGIS

98. — Acceptatio legis est submissio, qua subditi, saltem quoad maiorem et saniorem partem, formaliter vel virtualiter legem acceptant.

Principia. — I. Per se lex quoad vim obligandi nullo modo pendet ab acceptatione populi; secus enim simul cum Superioris potestate corrueret omnis legum auctoritas, atque adeo totius ordinis socialis subversio sequeretur. Constat etiam ex propositione 28.

(*a*) Opinio, quae pro legibus pontificiis promulgationem in singulis provinciis, ac lapsum duorum mensium requirit, antequam vim habeant obligandi, innititur dumtaxat incomposito quodam falsarum allegationum cumulo, quas congestas videre est apud Reiffenstuel (*Lib. 1. tit. 2. §. 5. n. 125.*) et Suarez (*De Leg. Lib. 4. Cap. 15. n. 1.*), et quas deinde alii mutuati aliquam huic opinioni extrinsecam probabilitatem tribuerunt. Et sane plerique omnes, qui allegari solent, tum veteres Canonistae tum Theologi posteriores, ita vim obligandi pontificiis Constitutionibus tribuerunt, ut statim a promulgatione facta in romana curia omnes, qui eam nossent, ad eam servandam tenerentur: de promulgatione vero, seu melius de evulgatione in provinciis, tum etiam de certi temporis lapsu disputatio eo tantum spectabat, ut definiretur, quandonam legis violatores ad poenam evadendam possent in iudiciis probabilem ignorantiam legis allegare.

** Contra postremam huius notae particulam, quae refertur ad praec. Quaest. 2., VV. obiiciunt textum a S. Alphonso allatum ex C. 1. *De Conces. Praebend.* in VI: *Lex seu Constitutio et mandatum nullos adstringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorundem, aut nisi post tempus, intra quod ignorare minime debuissent.* Et hinc concludere volunt, leges nisi post duos menses a promulgatione non obligare etiam in conscientia.

Atqui allatus textus sicut refutat VV. conclusionem, ita doctrinam A. confirmat. Duplex enim in eo limitatio seu exceptio cernitur. Prima est eorum generatim, ad quorum notitiam lex pervenerit. Atqui male hoc affirmaretur, si lex solum post duos menses obligaret, cum ad multorum notitiam ante elapsos duos menses pervenire facile possit. Altera exceptio est eorum, qui legem violent post illos duos menses, et idcirco non excusantur. Porro etiam id falso affirmaretur generatim de reatu in conscientia; quippe etiam post duos menses quidam inculpabiliter ignorare legem possunt.

ab Alexandro VII damnata, quae sic iacet: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam* (*a*). — *Ita omnes.*

II. *Per accidens* quandoque lex non acceptata non obligat, ratione taciti vel expressi consensus Superioris, aut ratione privilegii vel consuetudinis toleratae. Constat ex praxi in variis casibus, atque ex consensu communi theologorum. — *S. Lig. n. 138.*

99. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An obliget lex, si maior et sanior pars populi eam non acceptaverit?*

Resp. Neg., si Princeps non urgeat; quamvis enim peccaverint priores legem non acceptantes (*b*), alii tamen culpa vacant ob praesumptum Superioris consensum. — *S. Lig. n. 137-139.*

Quaer. 2° *An obliget lex in dubio an sit acceptata?*

Resp. Affirm., quia praesumi debet acceptata, nisi de contrario constet: *Praesumitur enim factum, quod de iure faciendum erat,* iuxta regulam supra relatam *n. 76.* — *S. Lig. n. 97.*

Quaer. 3° *An obliget Ecclesiae lex, quae, aliquo gubernio civili prohibente, acceptata non fuit?*

Resp. Affirm. per se, quia Ecclesia accepit potestatem suam a Christo, non vero a potestate civili; et proinde est ab ea omnino independens. Ipsi enim a Christo dictum est: *Quodcumque ligaveris..., erit ligatum,* etc. *Matth. 16. 19.* — *S. Lig. n. 137.*

Quaer. 4° *An Episcopi possint leges pontificias non admittere?*

Resp. Negandum est. Etenim Episcopi, licet Principes sint in suis Ecclesiis, Romano tamen Pontifici, immediato Christi in terris Vicario, totiusque Ecclesiae capiti et gubernatori, subiiciuntur. Ei

(*a*) Damnatio tamen eos tantum reipsa ferit, qui dicant non peccari, etiam quando *sine ulla causa* lex non recipitur.

Et Salmanticenses quidem (*De Leg. Cap. 1. n. 98. et 101.*) minus considerate quamplures theologos et canonistas incusant, quasi docuerint, leges non civiles modo, sed et ecclesiasticas et quidem etiam Pontificias vim obligandi a populi acceptatione mutuari. At enim Doctores ibi allegati reipsa nil aliud fere sibi volunt, quam quod A. in secundo principio heic proponit.

(*b*) Cum Doctores unanimiter consentiant, generatim loquendo, eos peccare, qui primi legem a Principe promulgatam non recipiunt; aliud tamen statuunt quando *maior et sanior pars populi* (quae est Auctoris hypothesis) *legem non acceptaverit.* Ratio autem patet, quia *pars sanior populi* ex viris doctis, probis, ac prudentibus constat. Hi porro, et plerique omnes, qui his adhaerent, legi non repugnarent, nisi ex illa grave aliquod incommodum, seu scandalum, seu perturbatio merito timeretur: quae sane efficiunt, ut ope epicheiae benigne coniici possit de Principis voluntate, atque adeo obligatio legis suspensa censeri queat, quousque aut per appellationem, si ab inferiori magistratu lex prodierit, aut per supplicationem Principi oblatam opportune res componantur. Atque ita quidem DD. communiter. Non bene ergo Salmanticenses (*De Leg. Cap. 1. n. 107.*), a quibus S. Alphonsus (*Lib. 1. n. 139*), et a S. Alphonso A. haec mutuatus est, responsum, quod diversissimae hypothesi congruit, praesenti hypothesi copularunt.

igitur parere debent, et sic exemplum obedientiae propriis subditis praebere, legem pontificiam promulgando et eius observantiam in dioecesi sua procurando. Excipe tamen si graves obstent rationes; tunc enim non tantum possunt, sed debent Episcopi has rationes S. Sedi exponere, deinde vero eius definitioni acquiescere tenebuntur. — *Vide Bened. XIV, de Synod. l. 9. c. 8.*

CAPUT V.

DE OBLIGATIONE LEGIS

Agendum 1° de vi obligationis; 2° de modo obligationi satisfaciendi; 3° de causis ab ea excusantibus.

ARTICULUS I.

DE VI OBLIGATIONIS

100. **Principia.** I. Lex quaelibet veram inducit obligationem, saltem ad poenam; in hoc enim a consilio lex differt, quod hanc impune pro lubito suo posthabere subditus non possit. — *Ita omnes.*

II. Lex humana quaelibet in conscientia coram Deo *per se* obligare potest (*a*). Ratio est, quia Superiores a Deo constituti sunt cum potestate praecipiendi. Hinc *Ap. Rom. 13. 12: Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* — *Ita omnes.*

III. Lex obligat *sub gravi* aut *sub levi* pro gravitate materiae aut circumstantiarum, vel finis a Superiore specialiter intenti. Lex autem affirmativa obligat *semper*, sed non *pro semper*: lex negativa vero obligat tum *semper* tum *pro semper*, id est pro singulis momentis. — *Consentiunt omnes.*

(*a*) Dicitur, *obligare potest,* non vero, *obligat;* ratio, quia lex non obligat ultra mentem legislatoris; ergo si is intendat sub sola poena obligare, lex per se ad culpam non obligabit. Et hoc quidem tum de legibus civilibus tum de canonicis valere, tradunt DD. communiter. Vid. Reiffenstuel, *Ius can. Lib. I. Tit. 2. n. 199. et seqq.*, Laymann, *Lib. I. Tr. 4. Cap. 15. n. 1.*, etc.

** Num vero lex quaepiam mere poenalis censenda sit, an vero violatio eius etiam conscientiae reatum inferat, id communiter DD. definiendum statuunt ex mente legislatoris, quae tum ex legis materia ac verbis, tum ex aliis adiunctis arguatur. Quod autem habent Salmanticenses (*De Legib. Cap. 2. n. 45*), et post eos S. Alphonsus (*Lib. 1. n. 147.*), normae instar habendum, num ultra *poenam praeceptum adiungatur*, accipi id debet (ut cum aliis addit Suarez *De Leg. Lib. 3. Cap. 3. n. 6.*), *nisi aliunde constet de mente legislatoris,* quae (ut idem Suarez addit *ibid. Cap. 4. n. 8.*) colligi potest etiam ex consuetudine, quae est optima legum interpres. Multo minus autem admitti ceu regula certa potest, mere poenales esse leges, si nulla verba *praecipientia* praeferant; de quo vid. Suarez *cit. Cap. 4. n. 10.*

IV. Lex divina positiva, et humana, non obligant *generatim* cum incommodo *valde gravi,* seu cum gravi nocumento, quod *per accidens* observationi legis coniunctum sit. Constat ex Iure naturali et canonico, ex praxi Ecclesiae et consensu omnium.

101. **Quaesita.** QUAER. 1° *An legislator possit praecipere sub levi in materia gravi, et vice versa?*

Resp. ad 1[um] *Affirm.*, saltem probabilius, quia obligatio pendet ab eius voluntate, sicut lex ipsa. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 143.*

Resp. ad 2[um] *Neg.*, quia deest proportio inter obligationem gravem et materiam levem. Excipe si materia non sit undequaque levis, sed gravis ex fine, etc. — *S. Lig. ibid. et alii communiter* (*a*).

QUAER. 2° *Quaenam materia legis censenda sit gravis vel levis?*

Resp. Colligendum id est 1° ex verbis ipsis legis; 2° ex eius obiecto, fine et circumstantiis; 3° ex gravitate poenae inflictae; 4° ex interpretatione consuetudinis. — Sed in genere materia gravis est, quando finis legis sit prorsus magni momenti, et ad hunc finem lex multum conducat, aut si valde obsit, etsi *de se* sit quid leve; secus, materia censebitur levis. Sic grave est pro celebrante Missam, si omittat infundere in Calicem aliquot guttulas aquae. Non autem erit grave, si die ieiunii unciam panis manduces extra refectionem. — *S. Lig. n. 144. — Lacroix, n. 663, et alii communiter.*

QUAER. 3° *An lex humana possit aliquando impedire, ne obligatio, alioquin valida, contrahatur?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia aliquando bonum commune id exigit; nec prohibet lex naturalis, ut bono communi exigente apponantur conditiones, quibus invalidentur actus alioquin validi (*b*).

QUAER. 4° *An gravis sit violatio legis in re levi ex contemptu?*

Resp. 1° *Affirm.*, si contemptus afficiat *directe* legislatorem *formaliter* talem, quia contemnitur ipsa auctoritas, ex qua leges vim obtinent.

Resp. 2° *Neg.*, si contemptus respiciat tantum materiam ut levem *in se,* aut si peccans legem transgrediatur ex incuria, ira, aut alia eiusmodi causa. Ratio est, quia tunc non ipsa auctoritas contemni videtur. — *S. Lig. n. 142.*

**(*a*) S. Alphonsus (*Lib. 1. n. 141.*) postquam retulit communissimam doctrinam, nempe: *cum res est levis, non peccat mortaliter transgrediens, etsi superior sub mortali praeceperit,* addit tamquam exceptionem ex Salmanticensibus (*Tract. 15. cap. 6. a n. 86.*), *posse praelatum regularem praecipere sub gravi, quod a regula praeceptum est tantum sub levi, si timetur, quod regula aliter non observetur.* Sed ut rite haec intelligantur, advertendum est, Salmanticenses et Auctores ab his allegatos disputare de regulis, quae utique vi Constitutionum Ordinis illius obligant solum sub levi, aut solum sub poena, sed simul habent eam materiam, quae capax est gravis obligationis, v. gr. abstinentia a carnibus.

(*b*) Ita Synodus Tridentina irritat matrimonia clandestina, ex mero iure naturae alioqui valida: ita et leges civiles irritant testamenta praescriptis solemnitatibus destituta.

102.— QUAER. 5° *An obliget in conscientia applicatio legis seu sententia, quae fundatur in falsa facti praesumptione?*

Resp. 1° *Neg.*, si applicatio legis fundetur tantum in praesumptione facti particularis, culpae, fraudis, vel damnificationis; ratio est, quia si deficit factum, eo ipso deficit totum obligationis fundamentum. Hinc si condemneris ad pecuniam solvendam pro damnis, quae ab asino tuo illata falso existimentur, non obligaris ad solvendum, nisi *per accidens,* v. gr. ratione scandali; sed tunc potes te compensare etiam post latam sententiam.— *S. Lig. n. 100, 150.*— *Suarez, Roncaglia et alii communiter.*

Resp. 2° Si lex fundetur in praesumptione periculi universalis, culpae, fraudum etc..., eius applicatio semper obligat in conscientia, etiam seclusa omni culpa; quia bonum commune requirit, ut omnes stabiliter obligentur; secus mala non impedirentur efficaciter; et lex alioquin intendit praecavere periculum hallucinationis, necnon reddere homines cautiores. Hinc teneris ad solvendam mulctam, ad quam condemnaris pro damno vere illato ab animali tuo, etsi damnum illud absque tua theologica culpa evenerit.— *S. Lig. n. 100.* — *V. dicenda in Tract. de Restit., ubi de iniusto damnificatore.*

ARTICULUS II.

DE MODO SATISFACIENDI OBLIGATIONI LEGIS

103. **Principia.** — I. Ad satisfaciendum obligationi cuilibet requiritur intentio faciendi id, quod praeceptum est, si lex sit *affirmativa,* v. gr. lex auditionem Missae die festo praecipiens. Ratio est, quia secus actus non ponitur modo humano. — Minime vero, si *negativa* sit, ut lex prohibens diebus festis opera servilia. Ratio est, quia lex negativa non plus intendit, quam operis omissionem. — *Ita omnes.*

II. Non tamen requiritur intentio implendi praeceptum, seu agendi ex motivo formalis obedientiae; quia legislator praecipit tantum operis positionem, vel omissionem.— *S. Lig. n. 165.* — *Sanchez, et alii communiter.*

III. Non requiritur, ut lex impleatur ex motivo charitatis, nec in statu gratiae, nisi praecipiatur ipse charitatis actus, vel status gratiae, ut in sumptione Eucharistiae. Ratio est, quia opus praecipitur, non vero motivum, nisi forte et hoc exprimatur. Constat etiam ex propositione 16. *Baii* a Pio V damnata, quae sic se habet: *Non est vera legis obedientia, quae fit sine charitate.*

IV. Non requiritur intentio implendi finem praecepti, nisi finis ille praecise *per se* praecipiatur; quia ordinarie legislator finem non praecipit, nec praecipere intendit, sed solam actus positionem. Hinc axioma: *Finis praecepti non cadit sub praecepto.*— *S. Thomas, 1. 2. qu. 100. art. 9.,* etc., *et alii.*

104. **Resolves.** — 1° Satisfacit, qui audit Missam, ignorans illam hac die esse praeceptam, vel qui cognoscit quidem obligationem, sed intendit tantum hic et nunc devotioni satisfacere, cum proposito aliam Missam audiendi. — *S. Lig. n. 163.*

2° Non vero satisfacit, qui opus voti vel iuramenti ponit intendendo *expresse* non satisfacere; ratio est, quia a promittentis voluntate pendet, ut talis obligatio maneat. — *S. Lig. ibid.*

3° Non satisfacit, qui omnino coactus Sacro interest; talis enim actus ob defectum voluntatis non est humanus (*a*). Secus, si metu tantum quis inducatur, ut v. gr. famulus metu domini, puer metu magistri, etc.

105. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An satisfaciat obligationi legis, qui in ea implenda peccat?*

Resp. Affirm., modo actus sit honestus *in se,* et tantum malus ex circumstantia extrinseca, ita ut substantia rei praeceptae ponatur. Ratio est, quia praeceptum imperat solam actus substantiam, non autem modum. Hinc satisfacit, qui inter Missam audiendam cogitationibus vanae gloriae vel luxuriae occupatur, vel qui audiens Missam intentionem habet furandi. Non satisfit tamen praecepto confessionis vel communionis per confessionem vel communionem sacrilegam, quia tunc ipsa substantia actus peccato inficitur. Constat etiam *ex prop. 14. damnata ab Alexandro VII. — S. Lig. n. 162. et alii communiter contra paucos.*

Quaer. 2° *An diversa praecepta unico actu adimpleri possint?*

Resp. Affirm., si praecepta haec diversa cadant in eamdem materiam ob idemque motivum, ut ieiunium vigiliae incidens in quatuor Tempora; secus autem, si cadant in diversam materiam, vel in eamdem quidem, sed ob motivum diversum, ut ieiunium ex poenitentia, et ex lege ecclesiastica debitum. — *S. Lig. n. 166.*

106. — Quaer. 3° *An diversa praecepta diversis actibus simul adimpleri possint?*

Resp. Affirm., si actus isti sint sociabiles, id est si alter alterum non impedit; quia tunc totum ponitur, quod exigitur. Sic potes inter audiendum Sacrum recitare Horas canonicas, vel exsolvere iniunctam poenitentiam, etc. — *S. Lig. n. 166. et alii communiter.*

Quaer. 4° *Quid agendum in concursu duorum praeceptorum insociabilium?*

Resp. Servandum est maius prae minori, quod tunc obligare desinit. Praeceptum autem naturale praecepto mere positivo praevalet, divinum praeceptum praevalet humano, ecclesiasticum civili, etc.

(*a*) Dic potius, hunc (nisi forte, quod A. videtur supponere, desit attentio caeteroquin requisita) praecepto quoad operis substantiam satisfacere, sed peccare ob malam contrariam voluntatem. Quod idem dici posset etiam de eo, qui Missae assistat metu, quando ex animo ita comparatus esset, ut, nisi metu compelleretur, interesse nollet.

Quaer. 5° *An cesset obligatio, cui tempore determinato non fuerit satisfactum?*

Resp. 1° *Affirm.,* si determinatio temporis facta fuerit ad finiendam obligationem. Sic v. gr. si non ieiunasti die vigiliae, peccasti, sed a lege liberaris; quia onus est diei ipsi affixum.

Resp. 2° *Neg.,* si tempus non fuerit determinatum nisi ad sollicitandam, seu urgendam obligationem. Sic non liberatur a communicandi obligatione, qui tempore paschali legi non satisfecit. — *S. Lig. l. 3. n. 220.*

107. **Resolves.** — 1° Si debeas 100 nummos Titio, tuque voveas restituere, uno actu satisfacis duabus obligationibus, scilicet iustitiae et voti. Item Sacerdos beneficiatus vovens fideliter recitare Horas, triplici obligationi unica recitatione satisfacit.

2° Contra si Caio debeas 100 francos ex mutuo, 100 ex censu, non satisfacis solvendo semel 100, quia obligationes in diversam materiam cadunt. Similiter si ex voto et ex poenitentia a Confessario imposita tenearis audire Sacrum, non satisfacis utrique obligationi, si unico Sacro die Dominica intersis (*a*). — *Voit, n. 202.* — *S. Lig. n. 166.*

3° Nec potes plures Missas tibi a Confessario impositas audire simul, dum simul in pluribus altaribus celebrantur; quia talis non praesumenda est intentio Confessarii, nisi Confessarius ad fructum Sacrificii respexerit. — *S. Lig. Hom. apost. de Poenitentia n. 57.*

4° Qui tenetur audire Missam singulis diebus ex poenitentia per unum mensem, satisfacit unicam audiendo die Dominica (*b*); quia rationabiliter praesumitur, Confessarium noluisse poenitentem obligare ad duas Missas eodem die audiendas, nisi id expresserit. — *Ita communiter.* — *S. Lig. Hom. apost. n. 31.* — *V. Cas. n. 99. et seq.*

(*a*) Excipe, nisi Confessarius opus alias praeceptum iniungat; quod quidem duplici de causa fieri potest: vel 1° scilicet quia vix alius modus suppetit, quo poenitens satisfactionem aliquam congruam praebere possit; unde Confessarius, quo suppleat utcumque, etiam Missam die festo ex praecepto audiendam, ipsamque Communionem paschalem ceu satisfactionis sacramentalis partem imponit; vel 2° quia poenitens exoptat, ut hoc quoque medium sibi suppetat uberius satisfaciendi.

(*b*) Idem dicito de illo, qui voto se obstrinxerit ad Missam quotidie audiendam, aut ad ieiunium statis quibusdam diebus servandum, nisi expresse aut ad duas Missas diebus festis audiendas, aut ad ieiunium in aliam diem transferendum, si forte in praestitutam diem aliud incidat ieunii praeceptum, semet obligaverit.

ARTICULUS III.

DE CAUSIS A LEGE EXCUSANTIBUS

1° De natura eorum quae deobligant. — 2° De appositione voluntaria causarum deobligantium.

§. I. *De natura eorum quae deobligant.*

108. — Causae deobligantes sunt vel *eximentes*, vel *impedientes*. Priores eae sunt, quae totaliter subtrahunt dominio legis, puta, si quis extra locum, quem lex afficit, se recipiat. Posteriores eae sunt, quae subditum sub lege remanentem ab eius impletione impediunt, seu excusant. Hae autem causae impedientes ad ignorantiam et impotentiam reducuntur.

Principia. — I. Causae *eximentes* totaliter liberant a legis obligatione ; nemo enim praeceptum imponere potest homini non sibi subiecto. Porro ubi adest causa aliqua eximens, ille, qui legi subiiciebatur, cessat esse eidem legi subditus aut ratione territorii, a quo abest, vel ratione privilegii. — Recole dicta supra *de peregrinis, n. 94.*

II. Ignorantia invincibilis ab observanda lege excusat, quia nemo obligari potest ad aliquid sibi prorsus incognitum.—Ignorantia autem vincibilis non excusat a culpa , cum potuerit aut possit seria diligentia deponi.— *S. Lig. Hom. ap. n. 43.*— Recole dicta *de Act. hum. n. 13. et de Consc. n. 36.*

III. Impotentia physica semper ab observanda lege excusat, ut habet pervulgatum axioma : *Nemo ad impossibile tenetur.* Excusat itidem impotentia moralis ; quia non censetur legislator obligationem urgere cum incommodo, quod iuxta communem doctorum interpretationem pro gravi haberi possit. — Vid. sup. dicta *de obligatione legis, n. 100.*

Hinc metus gravis, secluso damno societatis aut Religionis, a lege humana excusat ; quia lex humana non obligat cum gravi nocumento, ut dictum est supra, *n. 100.* Excusat etiam quandoque, etsi difficilius, a praecepto divino positivo, v. gr. ab integritate confessionis ; imo et a praecepto naturali affirmativo, v. gr. servandi depositum cum vitae periculo. Nunquam tamen excusat a praecepto naturali negativo, quia huius obiectum est intrinsece malum. Nec dicas, licere furari in extrema necessitate ; tunc enim furtum esse desinit. — *S. Lig. n. 175. Hom. apost. n. 44.*

109. — Quaer. *An teneatur ad partem qui ad totum est impotens?*

Resp. Affirm., quando materia legis est divisibilis, et in singulis partibus remanet ratio praecepti. Constat insuper ex prop.

sequenti ab Innoc. XI damnata : *Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad se minorem.* Excipe , si pars possibilis sit adeo tenuis, ut nullo modo ad finem praecepti conducat. — *Ita communiter.*

Hinc 1° Qui non potest ieiunare in Quadragesima, debet abstinere a carnibus, si possit. Item qui non potest omnibus diebus ieiunare, tenetur diebus quibus potest sine gravi incommodo.

2° Si quis carens Breviario pauca ex Horis memoriter sciat, non tenetur ea recitare; secus si partem notabilem, v. gr. Vesperas, vel Completorium, memoria teneat. — Recte *S. Lig. l. 4. n. 134.* dicit, Sacerdotem infirmum, qui non valet totum Officium legere, et dubitat, an possit legere partem, neque ad partem teneri, ne periculum anxietatis, aut detrimentum notabile sanitatis subeat.

3° Qui vovit piam peregrinationem, nec valet totum iter complere, illud inchoare non tenetur, quia nec finis, nec ratio voti obtineri potest. — *S. Lig. Hom. apost. n. 45.*

§. II. *De appositione voluntaria causarum deobligantium.*

110. — Causae deobligantes a servanda lege apponi possunt vel *directe* vel *indirecte,* prout scilicet agentem movet aut finis sese legis obligationi subtrahendi, aut alia causa, praeviso tamen legis servandae impedimento.

Insuper eiusmodi causae possunt esse vel *proximae* vel *remotae,* prouti lex urget aut brevi, aut solum post notabile temporis intervallum.

Principia. — I. Licet semper apponere causas eximentes, et *probabilius etiam directe* et *proxime.* Ratio est, quia cuique licet se subtrahere dominio legis, v. gr. petendo locum, ubi lex non viget (*a*). — *S. Lig. n. 156.*

II. Non licet autem *directe* apponere *impedientes* causas sive proximas, sive etiam remotas: ratio, quia quousque legi quis subiacet, non potest velle eam infringere, quin talis voluntas sit ipsiusmet legis violatio (*b*). — *Reuter, n. 198.*

III. Imo ne indirecte quidem causas proxime impedientes apponere licebit, nisi proportionata adsit aliunde necessitas. Ratio

** (*a*) Lex nempe te obligat, ut eam serves, quousque manes subditus: non vero te obligat, ut maneas subditus. Id ipsum dicendum, si quis privilegio se communiat, ne quapiam lege teneatur, v. gr. abstinentiae a carnibus, ad quam evadendam servitio alicuius nosocomii se addicit, aut accipit Bullam Cruciatae.

** (*b*) Generatim hoc non videtur verum. Et sane quis damnabit eum, qui, ne ieiunet, infirmorum peste laborantium servitio per Quadragesimam se dedicat?

est, quia lex *proxime* urgens ligat *proxime* voluntatem, et eam adstringit ad adhibenda media necessaria, ne ipsa violetur, atque adeo ad impedimenta non iniicienda.

IV. *Probabilius* autem licet, etiam sine ratione, causas apponere *remotas* et *indirecte impedientes*. Ratio est, quia non censetur legislator velle libertatem adeo coarctare (*a*). Esset enim onus nimis grave, si quisque, multo ante obligationem legis, ad omnia opera cum illa obligatione insociabilia derelinquenda, tempusque obligationis expectandum adstringeretur. — *Lacroix*.

Quando autem causa censenda sit impediens *proxime*, quando tantum *remote*, norma quapiam generali statui vix, aut ne vix quidem potest. Et *remote* quidem impediens fere haberi solet, quae tempus praecepti implendi aliquot dierum spatio praecedit; at prae oculis semper habenda erunt tum mens legislatoris ac rei praeceptae gravitas, tum etiam prudentum iudicium ac proborum praxis. — *V. Sanchez, In Decal. Lib. 1. Cap. 15. n. 4.*

111. **Resolves.** — 1° Peccat qui die ieiunii sine iusta causa laborem aliquem assumit, quo impotens ad ieiunandum fiat; ratio, quia lex *proxime urgens* exposcit, ne sine iusta causa obex illi implendae apponatur. — *S. Lig. Hom. ap. n. 20.*

2° Certum est autem, excommunicatos teneri ad absolutionem a censura quaerendam, ut praecepto divino Communionis paschalis satisfacere possint. Ratio est, quia praecepta divina strictius urgent quam humana, minusque humanam patiuntur interpretationem. — *S. Lig. Hom. ap. n. 21.* Eadem ratione non potes, incepto iam tempore paschali, abire in locum, ubi communicare non poteris, quin prius ipsi praecepto satisfeceris. — *Lacroix, n. 791.*

3° Non peccat contra praeceptum audiendi Sacrum, qui iter ingreditur praevidens fore, ut sequenti die Dominica Sacrum audire non possit. Non excusatur tamen, qui id faciat praecepto saltem moraliter iam urgente, nempe aut eodem die festo aut una alterave ante hora. Excipe nisi aliqua necessitas seu iusta causa intercedat.

4° Peccant sartores et sutores, qui pridie diei festi non parant vestes et calceamenta necessaria, si id possint sine gravi incommodo. — *Reuter, n. 199.* — *V. Casus, n. 103. et seq.*

(*a*) De obligatione cavendi causas, quae, v. gr. a ieiunio, ab audienda Missa, et huiusmodi impediant, haec egregie Suarez (*De Peccatis, Disp. 3. Sect. 4. n. 10.*): *Ut istae omissiones sint voluntariae indirecte* (et ideo imputabiles ad culpam), *oportet non solum esse praevisas, sed esse tales, ut praeceptum obliget ad vitandum, v. gr. aegritudinem, ne illae sequantur: praecepta autem positiva ad hoc non obligant, nisi quando omissiones* proxime et veluti eodem tempore, *moraliter loquendo, sequantur. Ex quo etiam efficitur, ut quando istae omissiones non sunt directe volitae... raro imputentur ad culpam; quia praecepta ista positiva non cum tanto rigore obligant, ut propterea teneatur quis cum tanto rigore praecavere ea omnia, quae possunt impedire eorum executionem.*

CAPUT VI.

DE INTERPRETATIONE LEGIS ET EPIKEIA

§. I. *De interpretatione legis.*

112. — Definitio. Interpretatio legis est genuina eius explicatio iuxta mentem legislatoris.

Divisio. Est 1° *authentica, doctrinalis* et *usualis,* prout fit ab ipso Superiore, vel a viris doctis, vel ex consuetudine.

2° *Stricta,* vel *lata,* prout fit stricte iuxta naturalem verborum proprietatem, aut large iuxta sensum benigniorem.

3° *Simplex,* vel *extensiva,* cum verba vel ut sonant, vel ultra eorum sensum naturalem accipiuntur (*a*).

Regulae interpretationis :

I. Verba legis accipienda sunt iuxta propriam et usu receptam significationem, nisi quid absurdum aut iniustum inde sequatur.

II. In dubio de vero sensu, attendendum est ad mentem legislatoris, ad finem legis, et ad circumstantias vel antecedentes vel consequentes.

III. Lex poenalis et odiosa in dubio est stricte interpretanda; lex vero favorabilis amplam interpretationem poscit. Hinc axioma: *Favores sunt ampliandi, et odia restringenda. — S. Lig. n. 200. et alii omnes.*

Quaer. *An lex extendi debeat a casu ad casum ob identitatem rationis ?*

Resp. Affirm. quoties alias accusari posset legislator iniustitiae, vel imprudentiae. Hoc autem habetur in sequentibus : 1° in correlativis, v. gr. inter sponsum et sponsam; hinc si sponsa liberatur a sponsalium obligatione ob longam sponsi absentiam, sponsus pariter ob sponsae absentiam liberatur; 2° in aequiparatis, ut sunt electio et praesentatio ad beneficium ; item ova et lacticinia quoad legem abstinentiae; 3° in connexis, ut sunt Diaconus et Subdiaconus. Item in contentis : quocirca qui potest testari, etiam legata facere potest. — *S. Lig. n. 200.*

(*a*) Declarationes, quas A. *simplices* dicit, DD. appellare solent *comprehensivas,* quando scilicet sensus declaratus a verborum propria et usu recepta significatione non recedat; *extensivas* contra, quando ultra id, quod verba proprie et secundum sensum communem accepta denotant, aliquid concedant, prohibeant, dispensent, etc.

Inter eas autem hoc etiam discrimen intercedit, quod si *authenticae* sint, *comprehensivae* quidem promulgatione non indigeant; *extensivae* vero nullam vim habeant, nisi legitime promulgentur; quippe eo ipso, quod verbis legis non contineantur, iam sunt novae quaedam leges, atque adeo more legum promulgari debent.

§. II. *De Epikeia* (Ἐπιείκεια).

113. — *Epikeia* est benigna, sed aequa legis interpretatio, qua lex ad quempiam casum, quamvis in verbis legis non exceptum, sese extendere non censetur, quippe illum legislator aut non praevidisse aut comprehendere non voluisse prudenter creditur. Ita v. gr. si lex prohibeat gestare arma noctu, gestare possum, si exire debeam et inimicum meum ad mortem me quaerentem sim offensurus.

Quaer. *An Epikeia locum habeat, si Superior facile interrogari possit?*

Resp. Affirm., si observantia legis detrimentum afferat; secus in aliis casibus. — *S. Thom. 2. 2. qu. 120. art. 1.*

CAPUT VII.

DE DISPENSATIONE LEGIS

114. — Definitio. Dispensatio est relaxatio legis in casu particulari.

Divisio. Dispensatio esse potest

1° *Licita,* vel *illicita,* prout fit iusta de causa, vel non.

2° *Valida,* vel *invalida,* prout vel eximit a legis observatione, vel non eximit.

3° *Absoluta,* vel *conditionata,* prout simpliciter, vel adiecta aliqua conditione conceditur.

4° *Subreptitia,* vel *obreptitia,* prout tacetur in petitione aliquid manifestandum, vel e contrario aliquid falsum asseritur (*a*).

Agendum 1° de potestate dispensandi ; 2° de càusis ad dispensandum requisitis; 3° de cessatione dispensationis.

ARTICULUS I.

DE POTESTATE DISPENSANDI

Principia. — I. Legislator dispensare potest 1° in legibus suis, quia tantam habet potestatem ad solvendum, quantam habet ad ligandum; 2° in legibus praedecessorum suorum, quia pari cum iis gaudet potestate; 3° in legibus suorum inferiorum, quia hi ab ipso potestatem aut certe ipsi subordinatam illam habent.

II. Inferior non potest dispensare in legibus Superioris sui, nisi ex potestate delegata, et in quantum ipsi delegatum est vel ab ipso

(*a*) Ita quidem plures *subreptionem* atque *obreptionem* definiunt. Ast alii utroque sensu promiscue utrumque vocabulum usurpant, aut etiam opposito viceversa sensu utrumque adhibent. Vid. Reiffenstuel (*In Lib. 1. Tit. 3. n. 154.*).

Superiore, vel a iure, vel a consuetudine. Ratio, quia inferior in legem sui Superioris iurisdictionem non habet. — *Ita omnes.*

115. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An Papa dispensare possit in lege divina?*

Resp. Potest dispensare ex iusta causa in iis, in quibus ius divinum oritur a voluntate humana, ut in votis et in iuramentis. In caeteris num ex gravissima causa vere dispensare possit, an tantum declarare ius divinum tunc cessare, *controvertitur* (*a*). In praxi parum refert. — *S. Lig. Hom. apost. n. 56.*

Quaer. 2° *In quibusnam legibus dispensare possit Episcopus?*

Resp. 1° *De iure ordinario,* in omnibus statutis episcopalibus et synodalibus, et in legibus communibus cum singulis quoad casus, qui saepe accidunt, ut in plerisque votis, ieiuniis, abstinentia, observantia festorum, Officio divino in casibus particularibus, etc. — *S. Lig. n. 190.* (*b*).

Resp. 2° *De iure extraordinario*, in caeteris legibus pontificiis ratione necessitatis, privilegii, aut consuetudinis legitimae, si qua alicubi vigeat.

Quaer. 3° *An Episcopus dispensare possit cum peregrinis in votis, iuramentis, et communibus Ecclesiae praeceptis?*

Resp. 1° *Affirm.*, si isti intentionem habeant commorandi in dioecesi per maiorem anni partem; quia cum contrahant quasi domicilium, eo ipso subditi fiunt. *Ita communissime,* ait *S. Lig. n. 158., et Lacroix, n. 799.*

Resp. 2° Si vero tantum transeant, *controvertitur.— Probabiliter* affirmandum videtur, quia prudenter Ordinarii ipsorum consensus praesumitur. S. Lig. *(ibid.)* dicit hanc sententiam merito probabilem haberi. — Contradicunt tamen non pauci, quia non sunt vere subditi (*c*). — Alii tandem distinguunt; *affirmant* quidem pro legibus Ecclesiae; *negant* vero pro votis et iuramentis.

(*a*) Controversia ista ac DD. dissensio mere speculativa est, et potius ad modum loquendi pertinet, an scilicet adhibenda, nec ne, in casu sit vox *dispensationis.* Nam quod interveniente pontificia auctoritate tolli vinculum possit, quod iuris divini dicitur, utraque dissidentium pars aeque consentit.

Et sane qui contendunt, Pontificem dispensare posse in lege divina, his maxime utuntur argumentis, quod 1° Dispensat in solemni Religiosorum professione, quae licet ex communiori sententia sit iuris mere ecclesiastici, a quibusdam tamen putatur iuris esse divini; 2° Aliquando dispensat, ut simplex sacerdos sit minister sacramenti Confirmationis; 3° Aliquando dispensavit (ut quidam volunt), ut in sacrificio Missae una dumtaxat species panis consecraretur; 4° Dispensat in votis et iuramentis; 5° Dispensat in matrimonio rato; 6° Dispensat in residentia Episcoporum, etc. Porro qui Pontifici negant facultatem dispensandi in lege divina, non infitiantur, praedicta omnia ex Pontificis auctoritate fieri posse; sed negant, in his veram ac proprie dictam legis divinae dispensationem intervenire.

(*b*) Dispiciendum est sedulo, num Episcopus uti legislator in suis, an vero uti delegatus in communibus legibus, dispenset. In priori enim hypothesi etiam sine causa valide dispensat; in altera autem cum meras agat partes oeconomi, causa deficiente dispensaret invalide.

(*c*) Haec ratio, ut patet, nihil concludit contra eos, qui potestatem dis-

116. — QUAER. 4° *An Parochi in aliquibus dispensare valeant?*

Resp. De iure ordinario, ratione consuetudinis possunt dispensare cum subditis pro casibus particularibus in ieiuniis, in abstinentia, in operibus die festo prohibitis, et aliis huiusmodi, quae frequenter occurrunt, et indigent prompta dispensatione.— *Ita communiter.— S. Lig. Hom. apost. n. 59.*

QUAER. 5° *An Superior dispensare possit cum semetipso?*

Resp. Affirm., si sit primarius; imo et secundarius, si habeat facultatem generalem dispensandi cum aliis. — *S. Lig. Hom. apost. n. 64.*

QUAER. 6° *An delegatus subdelegare possit?*

Resp. Neg. generatim loquendo, quia haec facultas *per se* non includitur in concessione Superioris, nisi expressa fuerit. Excipe tamen, si quis delegatus fuerit ad dispensandum in universitate causarum per modum officii; quia tunc ex interpretatione communi adest tacita Superioris facultas ad subdelegandum.—*Ita S. Lig. n. 193. lib. 6. n. 366.*

ARTICULUS II.

DE CAUSIS AD DISPENSANDUM REQUISITIS

117. **Principia.**— I. *Ad liceitatem* dispensationis semper aliqua causa requiritur. Ratio est, quia secus Superior non erit fidelis dispensator, aut erit imprudens. — *S. Thom. 1. 2. q. 97. a. 4.*

Idcirco peccat et qui in tali casu dispensationem petit; inducit enim dispensatorem ad rem illicitam, atque adeo peccat eodem peccati genere in petendo, ac legislator in concedendo.

II. *Ad validitatem* vero nulla causa requiritur *ex parte concedentis,* si dispenset in sua aut in inferioris lege. Ratio est, quia ille, qui potest ligare, etiam solvere potest; secus autem, si in lege sui Superioris dispenset, quia non praesumitur accepisse potestatem temere dispensandi. —*Ita communiter.*

III. *Ad validitatem ex parte petentis* requiritur, ut nulla sit in petitione obreptio aut subreptio essentialis, seu quae cadat in causam motivam, quia Superior non dispensat nisi sub tacita conditione, scilicet, *Si preces veritate nitantur.* — *S. Lig. n. 185.*

118. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An peccet graviter Superior dispensans sine causa in re gravi?*

Resp. 1° *Neg.* probabiliter *per se,* quoad legislatorem; quia praeciso scandalo vel aliorum damno non apparet in hoc tanta deordinatio. —*Ita communiter* cum *S. Lig. n. 178.* contra *alios.*

Resp. 2° *Affirm.* quoad inferiorem, quia non censetur delegatus

pensandi repetunt ex Ordinarii peregrinorum consensu, seu ex tacita illius ratihabitione de praesenti.

ad dispensandum nisi iusta de causa: atque adeo si aliter faciat, graviter concessa sibi potestate abutitur (*a*).— *S. Lig. n. 180.*

Quaer. 2° *An liceat uti dispensatione tacita vel praesumpta?*

Resp. ad 1um *Affirm.*, modo ex aliquo signo prudenter colligi possit. — *Ita communiter.*

Resp. ad 2um *Neg.*, quia scire debet Superior id, de quo agitur; attamen licentia facile praesumi potest, cum agitur de rebus minoris momenti, et est iuxta, non vero contra legem. —*S. Lig. n. 187.*

Quaer. 3° *An liceat petere, vel concedere dispensationem in dubio, an causa sufficiat?*

Resp. ad 1um *Affirm.*, quia non pertinet ad subditos de sufficientia causae iudicare, sed tantum rem sincere Superiori exponere. —*S. Lig. n. 178.*

Ad 2um *Affirm.* pariter. Ratio est, quia secus onus Superioribus impositum intolerabile evaderet, et innumeris scrupulis tum quoad dispensantem, tum quoad petentes esset obnoxium.— *S. Lig. ibid.* (*b*).

(*a*) Intellige abusum et exinde culpam gravem *ex genere suo;* eiusmodi enim abusus, si contingat in re levis momenti, seu in lege, quae non obligat sub gravi, venialem culpam non excedet. Non solum autem peccat inferior temere dispensans in lege Superioris, sed etiam ille, qui tali dispensatione utitur. Ratio, quia talis dispensatio est invalida, et ideo legis obligationem non tollit.

** (*b*) Hoc loco S. Alphonsus (*Lib. 1. n. 178.*) affirmat, *Superiorem posse dispensare, si dubitet, an causa sit iusta... Secus esset* (subdit), *si dubitaret, an adsit causa.* Quae quidem, si ratio totius contextus habeatur, dicta viderentur de legislatore, aut parem habente potestatem.

Alibi autem (*Lib. 1. n. 192.*) de praelato inferiori agens, docet, *eum posse dispensare in dubio, an adsit causa sufficiens ad dispensandum.* Quae verba non satis explicant utrum referantur ad dubium *an causa adsit,* an vero ad dubium *an causa, quae adest, sit sufficiens.* Et posteriori quidem sensu accipienda viderentur, ne haec sententia discordet ab iis, quae ex n. 178. allata sunt, eo vel magis quod secus maiorem potestatem videretur tribuere praelato inferiori, quam legislatori. Verum obstare videntur, quae habet *Lib. 3. n. 251;* ubi dispensationem valere dicit, *si dubium sit, an adfuerit causa, vel an sufficiens:* quae cum dicantur de voti dispensatione, intelligi de legislatore non possunt. Superest itaque, ut quaeratur ratio omnia haec apte inter se componendi.

Interim (*Lib. 1. n. 180.*) perpendit S. Alphonsus doctrinam, quam tribuit Soto, Laym., Sanch, Azor., et Salmant., nempe *validam esse dispensationem, si Superior per errorem iustam causam arbitretur:* quae verba obvio sensu referuntur ad errorem, quo iusta putetur causa, quae iusta non sit. S. Doctor tamen videtur (*ibid. n. 181.*) ea intellexisse de Superiore, qui *sine causa* dispenset, et negat contra praedictos Auctores, dispensationem esse validam, sicut prius contra eosdem (*n. 180.*) dixerat, oppositum esse tenendum. Verum displicet, quod post Salmanticenses (*De Leg. c. 5. n. 71.*) praefatos Auctores exhibeat, quasi docuerint, validam esse dispensationem etiam absque ulla causa, utut bona fide, concessam. Nam isti, et quidem iis in locis, quae a Salmanticensibus indicantur, non de absentia cuiusvis causae loquuntur, sed de causa, quae per errorem iusta iudicata fuerit, cum talis non esset. Caeterum S. Doctor in loco, ad quem lectores utrobique remittit, nimirum *Lib. 3. n. 251.* utramque hypothesim complectitur; et invalidam pronunciat esse dispensationem, *si postea certum comperiatur*

Quaer. 4° *Quid in dubio, an casus indigeat dispensatione?*

Resp. 1° Non requiritur dispensatio in dubio *positivo,* seu cum probabile est, casum lege non comprehendi, ut patet ex dictis de probabilismo; extensio enim legis ad illum casum incerta manet.

2° In dubio vero, an causa sit sufficiens ad excusandum a lege sine dispensatione, *controvertitur*. Quidam enim contendunt, requiri dispensationem. Alii tamen melius negant.—*Ita S. Lig. n. 192.* (*a*).

Quaer. 5° *An sit valida dispensatio metu extorta?*

Resp. Affirm., modo existat causa dispensandi, nec constet, in Superiore omnino dispensandi animum defuisse, alioquin autem quaevis alia absit nullitatis causa. — *S. Lig. n. 184.*

119. **Resolves**.—1° Invalida est dispensatio, quoties in postulato irrepsit error circa causam motivam, aut circa obiectum ipsum dispensationis, sive oratoris aut alterius culpa, sive etiam ex mera inadvertentia id evenerit; si v. gr. ponas in petitione impedimentum affinitatis pro impedimento consanguinitatis, vel 3um gradum pro 2° ; secus tamen si ponas 2um pro 3°, quia minor gratia in maiori eiusdem generis continetur.

2° Valet dispensatio, si error irrepserit in rescripto Superioris, v. gr. incuria secretarii, quia concessioni iam factae supervenit, et Superior concedit ita: *Fiat, ut petitur.*

3° Valet dispensatio ex iusta causa concessa alicui improbo, quem probum reputavit Superior, etsi, cognita improbitate, non fuisset dispensaturus; ratio, quia probitas non reputatur causa mo-

non affuisse causam, vel non sufficientem. De qua sententia illud iuverit innuere, quod Palaus, quem S. Doctor (*cit. n. 251.*) se sequi profitetur, plures utique scriptores ad defensionem suae opinionis allegat; verumtamen nequaquam isti de hypothesi causae, quae dein deprehendatur minus sufficiens, sed solum de hypothesi nullius causae disserunt. Et revera si id extenditur etiam ad causam, quae deinceps comperiatur minus sufficiens, erit fortasse, cui difficile id appareat, quod S. Doctor habet (*Lib. 1. n. 192.*), scilicet quod *dispensans non obligatur ad examen super plena sufficientia causae,* cum de hac dubitat; et rursus (*Lib. 3. n. 251.*) quod *homines post obtentam dispensationem inquirere non teneantur de eius valore.* Quomodo enim abesse potest sollicitudo examinandi et inquirendi de causae sufficientia, quando nulla habenda sit dispensatio, si illa forte desit?

(*a*) Haec quaestio in praecedentem recidere videtur, nempe, *Quid in dubio, an casus indigeat dispensatione?* S. Alphonsus autem breviter respondet (*Lib. 1. n. 192.*): *Sive dubium sit positivum, sive negativum, potest subditus uti sua libertate.*

** Adversus hanc notulam opponunt VV. (*Pag. 910.*) ista eiusdem S. Alphonsi (*Lib. 1. n. 97.*) verba: *In dubio, an causa sit sufficiens ad te excusandum a lege..., verius est, te teneri ad legem.*

Resp. Cum A. quaestionem faciat de dubio *positivo,* etiam notula sic intelligenda est, nempe de causa, quae *probabiliter* sit sufficiens ad excusandum a lege. Quo posito, VV. aut ostendant, oportet, secundam quaestionem non recidere in primam; aut inquirant, quomodo duae illae S. Alphonsi sententiae sibi invicem cohaereant. Equidem Sanchez, quem pro se S. Alphonsus allegat post Salmanticenses, contrarium statuit, si dubium positivum sit (*Dec. Lib. 1. Cap. 10. n. 35.*).

tiva, sed mere impulsiva. — Valet etiam, si causa falsa tempore petitionis, vera fiat tempore concessionis; sed non vice versa. Excipe, nisi quis motus fuerit ob probitatem.

4° Valet dispensatio, licet plures causae falsae, etiam motivae *per se,* cum causis veris et sufficientibus expositae sint; quia ubi causa aliqua *motiva* vera adest, sufficiens suppetit dispensationis fundamentum.

5° Valet dispensatio concessa a Superiore, licet ab inferiore iam fuerit negata, nec huius negationis mentio fiat. — Imo probabiliter valet, etiamsi a Superiore negata, ab inferiore concedatur; quia potestas inferioris non est restricta per negationem Superioris, nisi hic expresse eam restringat. —*Suarez, De Leg. l. 6. c. 22.*— *Lacroix, n. 811.*

6° Valet dispensatio pro aliquo inscio aut etiam invito obtenta, quando necessitas hoc exigat. — *S. Lig. n. 186.*

ARTICULUS III.

DE CESSATIONE DISPENSATIONIS

Dispensatio multiplici ratione cessare potest, nimirum 1° cessatione causae; 2° revocatione; 3° renuntiatione.

120. **Hinc resolves.** — 1° Cessat dispensatio, cessante causa motiva totali ante illius exsecutionem; non enim tunc preces veritate nituntur. — Secus, si causa motiva cesset ex parte tantum, quia causa dispensationis adhuc superest. Hinc cessat dispensatio a ieiunio concessa ob infirmitatem, si in antecessum iam plene convalueris; secus, si infirmitas ex parte remaneat. — *S. Lig. n. 196. et alii communiter.*

2° Cessat dispensatio, etiamsi causa motiva cesset post illius exsecutionem, sed ante effectum seu usum gratiae inchoatum (*a*),

(*a*) Quaestio esse potest non solum de causa cessante ante inchoatum usum dispensationis, v. gr. si ante contractum matrimonium cesset causa, cur dispensatum fuerat ab impedimento, sed etiam quando usus gratiae inchoatus iam fuerit, si effectus sit divisibilis, v. gr. si post susceptos Ordines minores aut subdiaconatum cesset paupertas illius, qui hac de causa ab irregularitate dispensatus fuerat ad effectum suscipiendi Ordines sacros; aut si dispensatus absolute a recitatione Breviarii ob oculorum infirmitatem medicorum iudicio insanabilem, deinceps convalescat. Et quidem haud facilem esse harum quaestionum solutionem, palam faciunt dissentientes Auctorum de hisce opiniones (*Vid. S. Alph. Lib. 1. n. 196.*): quocirca scripsit Suarez (*De Leg. Lib. 8. c. 30. n. 11.*): *Fateor, rem esse intricatam et perplexam, ut solent esse hae res morales quando generales regulae tradendae sunt, quae vix possunt esse regulares, nedum infallibiles.*

Et S. Alphonsus quidem (*l. c.*) optime regulam suasit, quam et P. Gury hic innuit, ut inspiceretur, *absolutene* detur dispensatio, an *sub conditione, si causa duret.* Verum, ut ipse subdit, *difficultas magis urget, quandonam dispensatio censenda sit concessa absolute et quando sub tacita*

nisi Superior gratiam absolute concessisse censeatur. — *Ita communiter.* — *S. Lig. ibid.*

3° Dispensatio omnino cessat accedente revocatione expressa Superioris, quia obligatio vel deobligatio a Superioris voluntate pendet. Illicita tamen revocatio sine iusta causa foret. — Non cessat autem ob revocationem inferioris sine iusta causa, quia revocandi facultas in eius arbitraria potestate non est. — *S. Lig. n. 197.* — *Salm.* — *Roncaglia,* etc.

4° Ad validitatem renuntiationis requiritur acceptatio Superioris, quia solus Superior voluntatem ligare potest, sicut et a legis vinculo solvere. — *S. Lig. ibid. et alii communiter.*

CAPUT VIII.

DE CESSATIONE LEGIS

121. — Lex variis modis cessare potest.

1° Per *abrogationem,* vel *derogationem,* prout omnino aut tantum ex parte aboletur: quemadmodum enim Superior legem ferre, sic eamdem vel tollere vel coarctare potest.

2° Per *cessationem causae motivae adaequatae,* seu finis totalis, ob quem lata est respectu totius communitatis; cessante enim causa legis, eam urgere legislator rationabiliter nequit.

3° Per *desuetudinem,* seu per *consuetudinem contrariam* debitis vestitam conditionibus; tunc enim Superioris consensus saltem legalis accedit. — *Ita communissime.*

Quaer. 1° *An cesset lex cessante causa finali in casu particulari tantum, id est respectu aliquot personarum?*

Resp. Neg., nisi servari sine gravi incommodo non possit; ratio, quia finis legis adaequatus respicit ea, quae communiter contingunt,

illa conditione. Et sane quid definies, si quis dispensatur a voto Religionis ob infirmam valetudinem, aut a voto castitatis ad nubendum ob graves tentationes, et dein mox convalescat, aut tentationes illae ante matrimonium, imo et ante ulla sponsalia prorsus evanescant?

S. Alphonsus (*l. c.*) praesidium quaerit ex alia regula, nempe censendam *absolute* datam dispensationem, si causa iudicari poterat *perpetua,* etsi forte deinde ipsa per accidens cesset. At mox ipse reiicit quaedam consectaria, quae ex ista norma alii deducebant circa dispensatum a ieiunio vel Breviarii recitatione.

Aptius subsidium suppeditat Suarez (*De leg. Lib. 6. c. 20. n. 18.*), dum distinguit dispensationes, quae indivisibilem habent effectum, tollendo inhabilitatem, impedimentum aut votum, et dispensationes a legibus successivum tractum habentibus ratione materiae, quae divisibilis sit et successionem habeat, ut in lege ieiunii quadragesimalis. In illis enim tota simul et absolute dispensatio conceditur. In his vero dispensatio est virtute multiplex, adeo ut pro successiva obligatione singulae quodammodo diebus singulis dentur dispensationes, et idcirco unaquaeque propriam causam pro suo tempore requirat: quae causa si quando deficiat, eo ipso ratio dispensationis cessabit.

non vero casus particulares; non ergo hi obstant, quominus finis legis atque adeo lex ipsa perseveret. Hinc a bannorum proclamatione non eximuntur sponsi, etsi certo sciant nullum subesse matrimonio impedimentum. — *Suarez, Laymann, et S. Lig. n. 199.*

QUAER. 2° *An possit quis libros prohibitos legere, si nullum ex iis sibi periculum pertimescat?*

Resp. Neg. ob rationem modo allatam; insuper adde hallucinationis periculum. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 199.* — *V. Cas. n. 109. et seq.*

PARS SECUNDA

DE SPECIEBUS PRAECIPUIS LEGUM

Agendum 1° de lege naturali et divina; 2° de lege ecclesiastica et civili; 3° de lege poenali et irritante; 4° de lege non scripta, seu de consuetudine; 5° de lege favorabili.

CAPUT I.

DE LEGE NATURALI ET DIVINA

ARTICULUS I.

DE LEGE NATURALI

122. — Lex naturalis est divina voluntas, naturali lumine manifestata, praecipiens ea quae ad rectum ordinem servandum sunt necessaria.

Hinc lex naturalis nihil aliud est, quam lex aeterna naturae rationali per lumen naturale intimata, sive habitualiter per rectam rationem, sive actualiter per eius dictamen.

Obiectum legis naturalis est id omne, quod rationali naturae ita vel convenit, vel disconvenit, ut ab ipsius naturae Conditore praecipi vel interdici necesse sit: omnia ea videlicet amplectitur, quae legi aeternae sunt conformia (*a*). — Hinc versatur lex natu-

(*a*) Duplex naturalis legis obiectum distingui potest, *materiale* et *formale*. Materiale complectitur principia omnia honestatis sive primaria sive secundaria, quae a primariis deducuntur proxime vel remote; quae tamen, velut ad supremum principium, reducuntur ad illud: *Bonum est faciendum, malum est fugiendum.* Non tamen eodem modo obiectum legis naturalis sunt bonum et malum. Nam quidquid est malum per se et independenter a lege positiva, lege naturali prohibetur; at non vicissim praecipitur quidquid est bonum, sed solum illi boni actus praecipiuntur, quos necessario exigit hominis conditio secundum triplicem respectum, quem habet, ad Deum scilicet, ad se ipsum, et ad proximum.

Obiectum vero legis naturalis *formale* non quidem in convenientia cum

ralis 1° circa prima morum principia, v. gr. *bonum est faciendum; malum est vitandum; alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis;* 2° circa principia secundaria morum, sive immediatas primorum principiorum conclusiones, ut sunt pleraque praecepta Decalogi ; 3° circa conclusiones mediatas, vel magis remotas.

123. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An obiectum legis naturae interdum ignorari possit?*

Resp. 1° Primaria morum principia a nemine ignorari possunt. — 2° Item conclusiones proximae, ita ut in iis dari non possit ignorantia invincibilis, nisi vel raro, vel ad breve tempus in rudibus et pueris. *Ita communiter.* — 3° Ignorari autem possunt et saepe ignorantur conclusiones remotae. Hinc circa eas tot controversiae inter Doctores etiamnum agitantur. — *S. Lig. n. 170. et seq.; de Consc. n. 8.*

QUAER. 2° *An dari possit ignorantia invincibilis circa malitiam pravorum desideriorum in eo qui cognoscit malitiam actus?*

Resp. Neg. saltem quoad desideria efficacia. Ratio est, quia velle quod malum est formaliter, et quidem cognitum ut tale, est velle quod Deo displicere noscitur, et proinde est velle ipsi displicere. Difficile autem est ignorari malitiam actus, quo quis se Deo displicere noscit. — *S. Lig. de Consc. n. 9,* etc. (*a*).

natura rationali, non in perfectione eidem naturae debita, quae ideo quaerenda sit, neque in necessitate quadam aut convenientia cum felici statu naturae humanae sive in individuis, sive in societate debet reponi; *sed in ratione praecepti a Deo hominibus impositi;* adeo ut dictamen rationis haberi debeat tamquam promulgatio divinae ordinationis, seu signum divinae voluntatis aut praecipientis aut vetantis. Unde illud S. Anselmi: *Quicumque legi naturali obviat, Dei voluntatem non servat.* Quocirca concinne ac proprie definiri lex naturalis posset: *Iudicium intellectus de voluntate Dei ut supremi naturae gubernatoris, mala vetantis ac bona praecipientis.*

** (*a*) S. Alphonsus (*l. c.*) oppositam doctrinam tribuit Sanchezio, et Carden., imo etiam Granado, et Croix, ut habent Editt. 1748. et 1757. — Sed reipsa alia est quaestio, quam agitat S. Alphonsus, alia, quam tractant citati Auctores.

Quaestio a S. Doctore fit (*Lib. 1. n. 9.*), *An dari possit conscientia invincibiliter erronea in eo, qui cupit aliquod patrare malum, puta fornicationem, iudicans per errorem, solum desiderium fornicandi non esse mortale, si fornicatio de facto non sequatur.* Et subdit: *Affirmant id ut probabilius Sanchez et Cardenas,* (in aliis edit.) *Granad. et Croix.*

Verum isti AA. quaestionem ponunt tantummodo hypotheticam, *an is peccaret,* qui invincibiliter ignoraret, suum desiderium esse illicitum etc. Ita Sanchez (*In Dec. Lib. 1. Cap. 16. n. 16, 17.*) quaerit, *An invincibiliter ignorans actum internum esse peccatum, cognoscens tamen actum externum esse peccatum, excusetur a culpa, solum actum internum admittens; ut si rusticus a viro existimato docto ac pio audiisset, fornicationem et furtum externa esse peccata, at licere fornicandi aut furandi desiderium.*

Et Croix (*Lib. 1. n. 34.*): *Quaer. 6°, An peccet mortaliter, qui invincibiliter putat, actum internum non esse malum, et tamen cognoscit, obiectum talis actus esse malum?*

Ergo Sanchez et alii non quaerunt, utrum detur error *invincibilis* circa malitiam pravi illius desiderii (quae est quaestio a S. Alphonso pro-

QUAER. 3° *An lex naturalis sit mutabilis?*

Resp. Neg. Etenim cum id iubeat aut prohibeat, quod natura sua bonum vel malum est, plane consequitur, non modo a creaturis, sed ne ab Auctore quidem naturae legem naturalem immutari posse (*a*).

Nec dicas, 1° Deum pluries immutasse legem naturalem, v. gr. permittendo polygamiam Patriarchis, furtum, divortium Hebraeis, etc. Nam in praefatis exemplis mutata non lex naturalis est, sed tantum circumstantia materiae; unde factum est, ut id, quod per se recto ordini adversabatur, ob novas circumstantias iam non adversaretur.

Nec dicas, 2° quasdam esse materias, quae mutationem subeant, v. gr. copulam carnalem, quae adversatur iuri naturali inter solutos, non vero inter coniunctos legitimo matrimonio; nam ius naturale ideo prohibet copulam extra matrimonium, quod eius finis legitimus tunc deficiat.

Aliqui tamen distinguunt legem naturalem *strictam,* seu omnino immutabilem, ut v. gr. quae prohibet blasphemiam, et aliam *latam,* quae mutatis circumstantiis potest mutari, uti v. gr. quae prohibet proximi occisionem. Ita *Voit, n. 534.* Alii autem hanc distinctionem reiiciunt. Quidquid sit, certum est, distinctionem illam cadere saltem in materiam legis naturalis, quae subiicitur dominio Dei, et quae proinde pro variis circumstantiis mutari potest (*b*).

posita), sed utrum, *supposita tali ignorantia,* rusticus peccet *materialiter,* an *formaliter.* Quinimo La Croix (*ibid. n. 35.*) expresse monuerat, disputari solum hypothetice, et hypothesim vix esse de re possibili. Ita ille: *Loquor ex supposito, si daretur talis casus; nam forte est impossibilis.*

Quod vero tantisper mirum videbitur, S. Alphonsus in Editt. an.1748. et 1757. prope eodem modo ac Sanchez et Croix quaestionem sic proposuerat: *Quaeritur an peccet formaliter, qui desiderat committere aliquod malum, nempe fornicationem, putans per errorem, solum desiderium fornicandi sine effectu non esse peccatum.* Verumtamen 1° in proponenda quaestione omittit illud *invincibiliter,* quod habent Auctores, quos impugnat; 2° etiam hic omissa quaestione hypothetica, de qua illi Auctores agebant, contra eos pugnat, quasi absolute de hypothesis possibilitate disputarent.

(*a*) Cum obiectum legis naturalis neque ex toto, neque ex parte possit evadere aut noxium aut inutile; quae duae sunt causae, cur aut penitus abroganda sit lex, aut ei ex parte derogandum; hinc nulla proprie dicta mutatio in lege naturali reperiri potest, quippe quae circa ea versatur, quae intrinsecus sunt bona aut mala.

(*b*) Duplex rerum ordo distinguatur, oportet. Quorum alter ita in ipsis rerum naturis fundatur, ut eum mutare ne Deus quidem possit, nisi dicatur se ipsum negare posse. Eiusmodi v. gr. est creaturae ad Creatorem subiectio, atque adeo servitutis debitum; proinde blasphemia, periurium, etc. non possunt non esse mala, et se ipsum Deus negaret, si hunc ordinem inverteret. At alter ordo est, qui ratione dominii, quod Deo in universas creaturas competit, divinae subest potestati; atque adeo cum non sit absolute necessarius, potest illum Deus immutare. Exinde cum et vitae et iurium hominis et creaturarum omnium, quas utendas hominibus concessit, Deus sit Dominus; potest ergo Deus de vita, de iuribus, rebusque hominum auferendo, transferendò, etc. disponere, prout ipsi placet; quaevis ergo ces-

ARTICULUS II.

DE LEGE DIVINA POSITIVA

124. — Lex divina positiva duplex est, scilicet vetus et nova.

I. Lex vetus, seu veteris Testamenti, continebat praecepta triplicis generis.

1° *Moralia,* quae spectabant rectitudinem moralem, et id statuebant, quod lege naturali iam praescriptum erat. Talia sunt Decalogi praecepta.

2° *Caeremonialia,* quae referebantur ad Dei cultum, et statuebant caeremonias et sacrificia.

3° *Iudicialia,* quae ad politicam et oeconomicam administrationem, seu ad rectam gubernationem populi pertinebant.

Lex vetus a Christo abrogata fuit, utpote *posita donec veniret semen, cui promiserat,* ut ait Apost. *Galat. 3. 19.* Sola igitur pars legis veteris, quae ad mores spectabat, in lege nova servata est et confirmata.

II. Lex nova seu evangelica, quae dicitur lex gratiae, vel libertatis, vel novum Testamentum, continet documenta triplicis generis, scilicet 1° *praecepta moralia* circa virtutes, praesertim theologicas ; 2° *praecepta caeremonialia,* circa Sacramenta et Missae sacrificium ; 3° *mera consilia,* sed magno praemio digna.

Lex nova differt a lege veteri, praesertim in sequentibus: 1° Vetus fuit umbra et figura ; nova est lux et veritas. — 2. Vetus lex timoris erat; nova vero lex gratiae et amoris est.

Lex vetus dicitur imperfecta, non quidem in se, sed relative ad perfectiorem. Erat enim perfecta in se, cum Deum auctorem haberet, et Deus per illam attingeret scopum, quem sibi praestituerat.

Lex nova pro omnibus lata est, ideoque obligat omnes, quibus nota est. Sic enim Christus, *Matth. 28. 19. 20 : Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, etc..., docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.*

sabit malitia in vita aut substantiis alicuius tollendis, si Deus hoc ius alteri potestatemque fecerit. Et hoc quidem est, quod quidam aiunt, Dei voluntate fieri, ut legi naturali materia subtrahatur.

CAPUT II.

DE LEGE ECCLESIASTICA ET CIVILI

ARTICULUS I.

DE LEGE ECCLESIASTICA

125. — Lex ecclesiastica dicitur, quae pro recta Ecclesiae gubernatione et aeterna animarum salute a potestate ecclesiastica fertur.

Collectio variarum legum ecclesiasticarum Ius canonicum constituit.

Corpus Iuris canonici sex constat partibus, tria volumina constituentibus. Sunt autem : *Decretum Gratiani, Decretales, Sextus, Clementinae, Extravagantes Ioannis XXII,* et *Extravagantes communes.*

I. Volumen continet Decretum a Gratiano, monacho Benedictino, collectum, et anno 1151 publicatum sub titulo : *Concordantia discordantium Canonum.* Opus distribuitur in tres partes, quarum prima de personis ecclesiasticis tractat, secunda de actionibus seu de materia et forma iudiciorum, et tertia de rebus sacris.

Prima pars dividitur in centum et unam distinctiones, quae subdividuntur in capita seu canones. Sic indicari solet: *cap. Ieiunium 7. dist. 76;* vel etiam *dist. 76. cap. 7.*

Secunda pars dividitur in triginta et sex causas ; causae autem dividuntur in quaestiones, et quaestiones in capita. Citatur modo sequenti : *cap. Qui viderit 13. quaest. 5. causa 32;* vel *caus. 32. qu. 5. c. 13. Tract. de Poenitentia,* septem habens distinctiones , sic citatur, v. gr. *cap. Mensuram 86. dist. 1. de Poenitentia,* vel *de Poenitentia, dist. 1. c. 86.*

Tertia pars constat quinque distinctionibus , quae in varia capita dividuntur. Citantur : *cap. Est unitas 49. dist. 4. de Consecrat.* vel *de Consecrat. dist. 4. c. 49.* Haec enim pars de consecratione Ecclesiarum, altarium, etc., tractat.

II. Volumen continet Decretales a Gratiano omissas, vel post ipsum editas, a *S. Raymundo de Pennafort,* Ordinis Praedicatorum, iussu Gregorii IX collectas et anno 1230 publicatas. In quinque dividitur libros, qui habent titulos et capita ; hoc autem modo citantur : *cap. Pervenit 28. de Appellationibus,* vel *Decretal. lib. 2. tit. 28. c. 28.* Caput posteriori hoc modo indicatum multo facilius invenitur.

III. Volumen continet librum Sextum, Clementinas, et Extravagantes tum Ioannis XXII, tum communes.

Sextus, vel liber sextus Decretalium, sic appellatur, quia quin-

que libris Decretalium Gregorii IX adiicitur, et Decretales a Gregorio IX usque ad Bonifacium VIII editas habet. Prodiit anno 1298 auctoritate Bonifacii VIII: dividitur in quinque libros, qui etiam habent titulos et capita. Eodem modo citatur, sed additur, *in Sexto,* vel *apud Bonifacium.*

Clementinae, sic dictae a Clemente V, qui eas colligi iussit post Concilium Viennense, cui anno 1311 praefuit, sunt Constitutiones ab ipso Clemente vel a Concilio Viennensi editae. Eas Ioannes XXII promulgavit anno 1317 in quinque libris, qui non secus ac Decretales et Sextus, titulis et capitibus constant. Eodem modo pariter citantur, sed additur *in Clementinis.*

Extravagantes Ioannis XXII sunt Constitutiones, quas ipse prioribus annis pontificatus sui edidit. Sic vocantur, quia extra corpus iuris hucusque collectum vagantur. Sic indicari solent: *Extrav. Ioannis XXII, tit. 4. c. 1.*

Extravagantes communes, ita vocatae quia a Ioanne XXII et a pluribus aliis Pontificibus editae sunt, et ipsae in quinque dividuntur libros, qui habent capita cum titulis, sed non numeratis. Sic ordinarie citantur: *cap. Vas electionis, de Haereticis; Extravag. communib.* seu *Extrav. comm. lib. 5. de Haereticis, c. 2.*

Aliae Conciliorum Constantiensis et Tridentini, ac Pontificum Romanorum Constitutiones postea editae sunt, sed in corpus Iuris nondum fuerunt collectae.

126. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quaenam sint Romanae Congregationes, earumque officia varia?*

Resp. Enumerantur sequentes: Congregatio Concilii, Congregatio Episcoporum et Regularium, Congregatio de Propaganda Fide, Congregatio sacrorum Rituum, Congregatio Indicis, Congregatio S. Officii, Congregatio Indulgentiarum et Reliquiarum, Congregatio Immunitatis.

1° *Congregatio Concilii* (Tridentini) seu *Cardinalium.* Tota constat ex Cardinalibus, qui *Patres S. Concilii Tridentini interpretes* dicuntur, et quorum unus titulo *Praefecti Congregationis* insignitur. Pius IV pro Concilii Trid. observantia hanc primum instituerat; postea vero, rerum exigentiis motus Sixtus V decreta Concilii, in iis quae ad morum aut disciplinae reformationem pertinent, et dubia videntur, etiam interpretandi potestate donavit.

2° *Congregatio Episcoporum et Regularium.* Tota et ipsa ex Cardinalibus coalescit. Duo, ut nomen indicat, suscipit tractanda: ea nempe quae respiciunt bonam dioeceseon totius orbis catholici administrationem, et quae ad Regularium utriusque sexus controversias, litesve, secundum sacros Canones, cognoscendas et dirimendas pertinent.

3° *Congregatio de Propaganda Fide.* Ex solis Cardinalibus conflatur. Tota est in procuranda propagatione Fidei per orbem terrarum. Collegium dictum *de propaganda Fide,* pro efformandis Mis-

sionariis, ab *Urbano VIII* Romae fundatum, ad eiusdem curas pertinet.

4° *Congregatio sacrorum Rituum.* Praeter Cardinales, etiam Consultoribus Praelatis vel Regularibus constat. Liturgiam sacram, et quae ad eam pertinent, definit et ordinat. Examen quoque causarum *Beatificationis* et *Canonizationis Sanctorum* inter eius officia commemoratur.

5° *Congregatio Indicis* a S. Pio V instituta. In ea locum habent Cardinales et alii plures docti viri. Unicum munus, magni autem momenti pro bono societatis tam ecclesiasticae quam civilis, exercet: curam nempe gerit librorum, qui in lucem eduntur, ne quid per eos contra Religionem et bonos mores inter Christianos valeat propagari; quos existimat fidelibus noxios, hos accurate notat, vetat ac refert in *Indicem,* qui ideo dicitur *Index librorum prohibitorum,* ut ab eorum lectione, tamquam a venenatis pascuis, fideles abstineant. Aliquando tamen libri tum a Congr. S. Off., tum ab ipso Pontifice peculiaribus *Brevibus* ac *dogmaticis Constitutionibus* prohibentur, praesertim si haeresim sapiant.

6° *Congregatio S. Officii,* seu *sacrae universalis Inquisitionis. Suprema* dicitur, et constat tum Cardinalibus, tum Praelatis atque Theologis.

Illius est cognoscere de haeresi, necnon de haeresis suspicione, aut de aliis irreligiositatibus. A *Paulo III* instituta, et a *Sixto V* confirmata fuit.

7° *Congregatio Indulgentiarum et Reliquiarum.* Habet facultatem et munus dirimendi omnes difficultates ac dubitationes circa SS. Reliquias et Indulgentias. Constat ex numero Cardinalium a S. Pontifice determinando, et ex aliis Praelatis et Theologis.

8° *Congregatio Immunitatis,* quae Cardinalibus, paucisque aliis coalescit. Causas de Immunitate ecclesiastica sive reali, sive personali, sive locali inspicit et cognoscit.

127. — Quaer. 2° *Quid de sacris tribunalibus gratiosis et contentiosis?*

Resp. 1° Tribunalia *gratiosa* tria numerantur, scilicet: Sacra Poenitentiaria, Dataria, et Cancellaria Romana.

1° *Poenitentiaria* est tribunal institutum ad gratias quasdam in foro interno elargiendas. Illius munus est concedere facultates absolvendi a peccatis et censuris Papae reservatis, dispensationes in votis et irregularitatibus, necnon generatim in impedimentis matrimonii occultis, ut suo loco fusius dicetur. Ad ipsam pertinet etiam solvere dubia practica, seu dirimere difficultates, quae ipsi proponuntur.

Constat *S. Poenitentiaria* ex uno *Poenitentiario maiori* de Collegio Cardinalium, et *Poenitentiariis minoribus* ex diversis religionibus assumptis. Hanc S. Congregationem reformavit *Pius IV,* an. 1562, et reformationem *S. Pius V* explevit.

2° *Dataria* sic appellata est ex stilo in Cancellariis consueto, eo quod *datam*, seu epocham gratiae concessae notat. Est amplissimum tribunal ratione negotiorum quae ad illud referuntur, et gratiarum quae ab eo prodeunt. Procedunt enim exinde Ecclesiarum Cathedralium erectiones, uniones, divisiones, suppressiones, novorum canonicatuum vel dignitatum creationes, beneficiorum reservatorum collationes, et impedimentorum matrimonii publicae dispensationes.

Dataria constituitur ex *Datario*, qui *Prodatarius* nuncupatur, si Cardinalis, ut fere semper fit, *Subdatario*, et pluribus subalternis officialibus.

3° *Cancellaria* inter *gratiosa* tribunalia omnino eminet. Est Pontificis tribunal, per quod litterae Apostolicae conficiuntur, scribuntur et expediuntur. Origo illius officii non est certa. Officium illud primariae dignitatis est, et eius Cancellarius caeteros aulae Romanae ministros praecedit. Plures sub se officiales habet, quorum aliqui sunt *Praelati maiores*.

Resp. 2° Inter tribunalia *contentiosa* primum tenet locum *Rota Romana*, de qua admodum pauca referemus. De eius origine et nominis ratione non satis constat. Est autem *Rota Romana* tribunal pontificium, institutum ad cognoscendas et decidendas causas contentiosas ex toto orbe catholico ad curiam Pontificis delatas. Iudices, ex quibus constituitur hoc tribunal, sunt duodecim ex diversis Ecclesiae partibus assumpti. Hos inter, octo sunt Itali, duo Hispani, unus Gallus, et alter Germanus. Sic ex Constitutione Sixti IV. Hi omnes *auditores Rotae Romanae* dicuntur, eo quod, ut aiunt, olim fuerint meri causarum auditores et relatores, non autem proprie iudices.

128. — Quaer. 3° *Quid de Bullis, Brevibus et Rescriptis pontificiis?*

Resp. 1° *Bullae* sunt quaedam Romanorum Pontificum Constitutiones, quae graviora, ut plurimum, negotia respiciunt, et in Cancellaria apostolica membranis subfuscis et crassioribus, charactere *Longobardico*, seu *Teutonico* exaratae, expediuntur. *Bullae* dicuntur a sigillo vel plumbeo vel aureo, exhibente hinc SS. Apostolorum Petri et Pauli imagines, illinc vero nomen Pontificis, quod inhaeret funiculo serico vel cannabis.

Varia nomina ex variis obiectis sortiuntur. Aliae sunt *gratiosae*, quae *gratiae* collationem continent. — Aliae *iustitiae*, quae *iustitiae* administrationem respiciunt. — Aliae *consistoriales*, quae in *Consistorio* expediuntur. — Aliae *dimidiae*, quae a Pontifice nondum consecrato feruntur, et in sigillo non exhibent eiusdem nomen. *Bullae* citantur vocabulis quibus incipiunt. *Bullaria* dicuntur Bullarum collectiones.

2° *Brevia* dicuntur quaedam Romanorum Pontificum Constitutiones pro negotiis ut plurimum levioribus. Per *Secretarium Bre-*

vium, membranis albis atque subtilibus, latino eoque nitido charactere conscriptae, expediuntur. Sigillum habent cerae rubrae, in quo impressa est imago S. Petri piscationem agentis, et ideo dicuntur expediri sub *Annulo Piscatoris.*

3° *Rescripta* vocantur rogatorum Pontificum responsa. Duplex illorum genus. Alia instar *Epistolarum familiarium* feruntur, quae dare solent Summi Pontifices sive cum orantur ab iis quibuscum habent peculiarem amicitiae relationem, sive cum de consilio tanquam viri docti et pii rogantur ; nec iis ulla vis obligandi inest, utpote quae magis ex animi comitate quam ex vera auctoritate procedant. — Alia instar *Decretorum* a Pontificibus, tanquam S. Petri successoribus, et Ecclesiae universalis Pastoribus atque Magistris feruntur ; ac proinde illis vis inest maxima, cum per ea ius pontificium et suprema iurisdictio exerceatur.

129. — QUAER. 4° *An vim legis habeant Epistolae pontificiae, et responsa in corpore Iuris non inserta?*

Resp. Affirm., si de earum authenticitate constet, et sufficienter promulgatae sint, scilicet si eo modo publicentur quo leges publicari solent, vel si ex usu et sensu Ecclesiae universalis iam a pluribus saeculis habeantur pro authenticis, et sufficienter promulgatis. — *S. Lig. n. 106. — Hom. apost. n. 34.*

130. — QUAER. 5° *Utrum vim legis habeant SS. Congregationum Declarationes et Decreta?*

Resp. 1° Decreta et Declarationes S. Congr. Rituum ut oracula ipsius Pontificis habenda sunt : sic ex Bulla Sixti V *Immensa,* et ipsius S. Congregationis decisione 23 Maii 1846, quam Pius IX approbavit confirmavitque. Huiusmodi Declarationes et Decreta *etiam in similibus casibus* obligare tenet communissima sententia, cui S. Congregationis et Tribunalium Urbis favet iurisprudentia.

Resp. 2° Caeterarum vero Congregationum Declarationes ac Decreta, tanquam leges obligant in casibus particularibus, pro quibus fiunt. Utrum *in similibus casibus?* controvertitur. Alii cum Benedicto XIV affirmant, ea stricte obligare in omni casu, modo munita sint sigillo et subscriptione Cardinalis Praefecti, et Pontifex consultus fuerit. Et haec est sententia communior et probabilior. — Alii vero negant, et dicunt ea non obligare, nisi de mandato Pontificis fuerint edita, et pro tota Ecclesia evulgata sint ita, ut Papa declaret se velle, ut ea ab omnibus fidelibus serventur; quibus tamen tantam auctoritatem tribuunt, ut privatorum quorumlibet sententiae eadem praeferant, neque deserenda nisi ob gravissimas rationes putent. — *Bouvier* (*a*).

Advertit *S. Ligorius* huiusmodi Declarationum promulgationem

(*a*) S. Alphonsus (*Lib. 1. n. 106.*) utramque sententiam aeque probabilem habet, nec pauciores sane pro secunda, quam pro prima, doctores allegat. Sed et illud scite addit cum Laymann, quod in dubio, an ipsa ha-

fieri posse multiplici modo: nimirum sive de speciali mandato Pontificis, sive per usum plurium annorum, vel relatione Au-

beant vim obligandi, certa non potest obligatio urgeri, licet magnum illis pondus utique sit tribuendum.

Accedit et gravior pro secunda sententia ratio, quod nempe facile non sit, ideoque nec semper tutum, sententiam S. Congregationis ad casus similes transferre. Non enim clare constat, quaenam ratio ad hanc potius quam ad illam sententiam S. Congregationem permoverit, praesertim quod eadem de re sententiae plane oppositae, pro circumstantiarum nimirum diversitate, a S. Congregatione prodiverint. Cum ergo difficile sit nosse, quaenam circumstantiae ad sententiam impulerint, eo ipso sententiae ad alios casus translatio fallax esse facillime potest. Ita, v. gr. inani prorsus labore quidam S. Congr. sententias congesserunt, ut evincerent, invalida esse generatim haereticorum matrimonia, quae clandestine celebrantur in locis, ubi Tridentinum decretum ea de re promulgatum fuerat: cui quidem opinioni Pius VII, in litteris ad Archiep. Mogunt. datis 8 Oct. 1803, *vix aliquem probabilitatis gradum* concedit. Hallucinationis nempe causam prodit Benedictus XIV (*In Declarat. an. 1741 circa Holland. matrimon.* §. *2.*), quod isti non adverterint, eas decisiones seu decreta lata fuisse *in casibus quibusdam particularibus et attentis tunc expositis circumstantiis:* quae sane decreta (ut ipse monet *De Synod. Lib. 6. Cap. 6. n. 4.*), *ne inter se quidem conformia semper fuerant propter varietatem circumstantiarum, quae modo in una facti specie aderant, modo in altera desiderabantur.*

Aptius tamen alii in hac quaestione distinguunt Declarationes mere *comprehensivas* ab *extensivis*. *Comprehensivas* dicunt, quando sensus declaratus a propria et usu recepta significatione non recedit, adeo ut sit secundum tenorem proprietatemque verborum legis, eamque interpretetur tantum. *Extensivas* vero, si a propria illa verborum significatione recedant, et ultra id, quod verba proprie et secundum sensum communem accepta denotant, aliquid decernant, prohibeant, dispensent, etc.

Porro si 1° mere comprehensivae sint, prout voluerunt Pius V et Gregorius XIII, et 2° datae sint consulto prius Pontifice, huiusque nomine in litteris expresso, ac 3° in forma authentica producantur, nempe cum S. Congregationis sigillo, atque Card. Praefecti et Secretarii subscriptione, ut voluit Urbanus VIII; tunc habendae sunt authenticae, atque adeo vim legis habent non solum quoad eos, quibus responsa dantur, sed etiam quoad alios. Neque obstat, quod eiusmodi declarationes non promulgentur solemniter. Nam declaratio mere comprehensiva specialem et solemnem promulgationem non requirit, quippe quae non condit ius novum, sed iam conditum et promulgatum mere explicat. Quod si non ad omnium notitiam ipsa provenit, hoc tantum inde sequetur, ut qui contra explicatum legis sensum agit, tum a culpa tum a poena ob ignorantiam sit excusandus, donec declaratio ipsi innotescat sive ex authenticis S. Congregat. litteris, sive authentico earum exemplari, sive relatione fide digna, prouti scilicet fit de aliis legibus.

Si vero Declarationes sint *extensivae,* cuiusmodi, v. gr. sunt plura decreta de celebratione Missarum aut de Reformatione Regularium, hae vim et auctoritatem legis non habent, nisi fiant ex speciali Pontificis mandato et legitime promulgentur. Ratio perspicua est, quia hoc ipso, quod non contineantur verbis legum proprio sensu acceptis, iam sunt novae leges, quae in declarante requirunt legislativam potestatem. Atqui S. Congregatio ex sui institutione potestatem utique interpretandi, non autem leges condendi habet. Ergo. Conf. Pichler (*Prolegom. n. 46.*), Schmalzgrueber (*Dissert. Prooemial. n. 373-377.*), et Reiffenstuel (*Prooem. in Ius Canonicum n. 130-134.*).

ctorum eas communiter referentium (*a*). — *S. Lig. Elench. Retract. 2ª serie, p. 2.* — *Scavini, de Leg. c. 4.*

ARTICULUS II.

DE LEGE CIVILI

131. — Lex seu ius civile est collectio legum vel decretorum Principum temporalium, quibus ad bonum commune societas dirigitur.

Singulae nationes, seu communitates politicae, proprias habent leges, quibus reguntur. Sed ius duplex praesertim distinguimus, scilicet : *Romanum* seu commune, et *Gallicum novum,* quod etiam nonnullis aliis guberniis magna ex parte commune est.

I. *Ius Romanum.* — Ius Romanum dicitur *commune,* quia vim fere ubique habuit ad nostra usque tempora. Magno autem in honore semper habitum est, tanquam exquisitum, et *quasi ratio scripta.*

Continetur in celeberrimo Codice, seu corpore Iuris civilis, edito Iustiniani iussu. Hoc volumen in quatuor partes distribuitur.

In 1ª *parte* sunt *Institutiones Iustiniani,* quae, quasi rudimenta et elementa pro tironibus Iuris civilis, quatuor libris continentur.

In 2ª *parte* sunt *Digesta* seu *Pandectae,* quae in 50 libros distribuuntur.

In 3ª *parte* est codex, vocatus *Repetitae praelectionis,* in 12 libros divisus.

In 4ª *parte* continentur 68 *Authenticae* seu *Novellae,* quae numerico ordine designantur.

132. — II. *Ius Gallicum.* — Ius Gallicum novum a paucis annis existit; Gallia enim maxima ex parte iure communi ante Napoleonis tempora regebatur. Ius novum continetur in codice vulgo dicto *Code Napoléon.*

Quinque sunt illius partes, seu codices particulares: 1° codex *civilis;* 2° codex *processus civilis* (de procédure civile); 3° codex *commercii;* 4° codex *instructionis criminalis;* 5° codex *poenalis.* His accesserunt plures alii codices minores, minorisque momenti: nempe codex *silvarum* (code forestier), — codex *agrorum* (code rural), — codex *municipii* (code municipal), etc. Res singulae, in singulis codicibus contentae, in breves et claros articulos distribuuntur, numerisque arabicis indicantur, ideoque facillime inveniuntur. Insuper multae sunt leges, quae in tabulis vulgo dictis *Bulletin des lois,* inscribuntur et asservantur.

(*a*) Quando, iuxta dicta, Declarationes eiusmodi sint, quae *legitima promulgatione* indigeant, haec autem habita numquam fuerit; etsi ab auctoribus communiter referantur, hoc tamen non sufficiet ut ipsis vis obligandi accedat.

CAPUT III.

DE LEGE POENALI ET IRRITANTE

ARTICULUS I.

DE LEGE POENALI

133. — Lex poenalis ea est, quae non obligat ad actum, vel ad omissionem, nisi sub poena temporali, id est ad acceptandam poenam ut iustam.

Principia. — I. Nequit dari lex *pure poenalis*, ita ut nullo modo in conscientia obliget, quia omne praeceptum Superioris aliquatenus obligare debet; secus enim non esset verum praeceptum. — *Ita omnes.*

II. Potest autem dari lex *mere poenalis,* ad alterutrum in conscientia obligans, nempe vel ad legem implendam, vel ad poenam subeundam, si violata lex fuerit. Ratio est, 1° quia ad legis essentiam sufficit ut imponat aliquam obligationem in conscientia, nec necesse est ut obligatio actum vel omissionem determinate respiciat; 2° quia lex vim non habet nisi ex voluntate legislatoris: legislator autem ad solam poenam obligare potest, si communi bono procurando sufficiat. — *Ita communissime Theologi cum S. Lig. n. 143. — Suarez, — Salmant.*, etc.

Quaestio vero an dentur aliquae leges mere poenales, minime potest speculative resolvi, cum dari possint alicubi, et non alibi. Soli igitur in sua regione aut natione docti et periti de hoc iudicare valent. Generatim paucae, et in rebus minoris momenti, admitti possunt. Contendunt autem non pauci Theologi, esse mere poenales leges, quae respiciunt quaedam tributa imposita mercibus quae transvehuntur, et quae *Vectigalia* nuncupantur. *De his dicemus in Tract. de Restitutione versus finem.*

134. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quomodo dignosci possint leges mere poenales?*

Resp. Praecipue ex communi sensu Doctorum, et persuasione praxique subditorum praesertim timoratorum.

QUAER. 2° *An ignorantia excuset a poena per legem lata?*

Resp. 1° *Affirm.,* pro foro interno, si ignorantia excuset a culpa: in foro autem externo non excusat, quatenus nunquam licet publicae auctoritati resistere.

Resp. 2° *Neg.,* si ignorantia non excuset a culpa (*a*), aut circa solam poenam versetur (*b*). — *S. Lig. n. 169.*

(*a*) Intellige culpam *gravem;* nam quando ignorantia levem culpam non excedat, eam a poena excusare communiter tradunt Doctores.

(*b*) Intellige cum S. Alphonso (*Lib. 1. n. 169.*) poenam *ordinariam,*

QUAER. 3° *An sint leges aliquae Ecclesiae mere poenales?*

Resp. Neg., si excipiantur regulae multorum Ordinum religiosorum. Omnes enim poenae a Iure canonico inflictae, culpam et plerumque gravem supponunt. Ratio est, quia leges poenales debent saltem esse obligatoriae disiunctive, seu saltem ad poenam subeundam; sed cum Ecclesia careat mediis ad coercendum, quibus gaudent Principes (*a*), necesse est ut semper in conscientia obliget. Nec dicas, Ecclesiam habere censuras ad poenam Christianis infligendam; nam ex usu Ecclesiae censurae nonnisi in gravis culpae reos (*b*) et in contumaces feruntur, quia censurae sunt poenae extraordinariae, quas Ecclesia, pia mater, nonnisi necessitate compulsa infligit. — *Reuter, n. 126.* — *V. Cas. n. 125.*

ARTICULUS II.

DE LEGE IRRITANTE

135. — Lex irritans ea est, quae statuit aliquem actum a principio invalidum esse, vel iudicis sententia invalidandum. Hinc dantur leges ipso facto irritantes, aliae vero post sententiam tantum. Aliae sunt irritantes absolute, et aliae conditionate, si nimirum deficiant requisitae conditiones. Insuper aliae immediate irritant actum ipsum, ut impedimentum matrimonii ob clandestinitatem; et aliae mediate, personas ipsas inhabiles reddendo, ut impedimentum consanguinitatis.

Principia. — I. Omnis legislator leges irritantes condere potest; ratio, quia hoc ad bonum commune requiritur; secus enim fraudes et pericula societatis humanae propulsari satis nequirent. — *Suarez.*

II. Leges, quae statuunt, actus rescindi posse, eos ante iudicis

non vero *extraordinariam* et *exorbitantem*. Qua de re idem S. Alphonsus (*Lib. 7. n. 351.*): *Licet non requiratur scientia poenae, ut ipsa incurratur, quando poena est ordinaria, et talis ut ex natura ipsius criminis aliquo modo praevideri possit, cum ipsum lumen naturale dictet, malum iuxta suam naturam esse puniendum; requiritur tamen scientia poenae, quando illa est extraordinaria et exorbitans, ita ut secundum rei naturam ne in confuso quidem possit praevideri: et huiusmodi utique est poena irregularitatis.* Quam sententiam idem S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 1074.*) *probabilissimam* appellat.

(*a*) Hoc non ita accipiendum est, quasi Ecclesia aut coactiva careat potestate, aut temporalibus seu corporalibus poenis uti non possit ad subditos suos coercendos. Vid. *Iuris publici Eccl. institutiones auctore P. Camillo Tarquini S. I. Lib. I. sect. 2. art. 1.* Caeterum hoc Auctoris argumentum non admodum videtur firmum; et exinde alii e DD. censent, leges mere poenales etiam in ecclesiasticis decretis locum habere.

(*b*) Intellige praesertim de *excommunicatione*. Nam leviores quaedam censurae etiam ob venialem culpam infligi possunt et solent. Vid. S. Alphonsum, *Lib. 7. n. 30.*

sententiam non irritant, ut ex terminis patet, et proinde ante eiusdem sententiam vim non sortiuntur.

III. Sententiae autem iudicis irritantis standum est in iis omnibus, quae intrinsece ex irritatione nascuntur, quia auctoritati praecipienti obtemperandum est. — *Suarez.*

136. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An lex irritans obliget in conscientia ad actum vitandum?*

Resp. Affirm., si sit simul irritans et prohibens, ut sunt leges matrimonii impedimenta statuentes; secus, si sit irritans tantum, quia tunc finis legis sola actus irritatione sufficienter obtinetur, ut in pluribus contractibus civilibus. — *Reuter, n. 232.*

QUAER. 2° *An ignorantia invincibilis effectum irritationis impediat?*

Resp. Neg. per se, quia ignorantia non supplet defectum rei essentialiter requisitae, nec tollit gravia incommoda, quae sequerentur, si lex in omni casu non irritaret. Sic mulier violata a viro incognito, invalide nubit cum eiusdem fratre, non obstante ignorantia invincibili impedimenti affinitatis.

Excipe tamen, si lex irritet unice in poenam et odium delicti; quia tunc solam malitiam punire intendit, et proinde, cessante causa, effectus etiam cessare debet. — *Suarez,* — *Lacroix,* etc.

QUAER. 3° *An lex irritans, non obstante incommodo valde gravi, irritet?*

Resp. Affirm., nisi agatur de damno communi; ratio, quia lex irritans actum potius quam personam afficit, nec agitur de obligatione conscientiae, sed de bono communi; secus enim homines facilius sibi fingerent incommoda, et lex totum robur suum amitteret. Hinc non valeret matrimonium cum consanguinea, etiam metu mortis, sine dispensatione initum. — *Lacroix.*

CAPUT IV.

DE LEGE NON SCRIPTA, SEU DE CONSUETUDINE

137. — Consuetudo, prout causaliter consideratur, est agendi mos ex frequentibus communitatis totius, vel maioris eiusdem partis, actibus inductus; formaliter vero est ius quoddam moribus constitutum, quod pro lege accipitur, etsi lex deficiat.

Principia. — I. Consuetudo, debitis vestita conditionibus, potest novam legem inducere, veterem abrogare, vel penitus, vel ex parte, v. gr. quoad poenam, remanente obligatione, aut viceversa, itemque legem modificare, vel interpretari. Constat ex variis Iuris tum canonici tum romani locis, quibus indubie eruitur, consuetudinem pro lege habendam esse. Constat pariter ex communi sententia theologorum et legisperitorum. Hinc axioma: *Consuetudo optima legum interpres.*

II. Conditiones ad legem inducendam vel abrogandam sunt 1° Ut

consuetudo sit rationabilis. Ad hoc autem requiritur, ut nervum ecclesiasticae disciplinae non disrumpat; ut praeterea non sit fomes et occasio peccatorum, nec bono communi perniciosa. *Bouix.* — 2° Ut sit a communitate (et quidem a maiore eiusdem parte, habili ad condendam legem, *Bouix*) inducta per actus repetitos (et non interruptos usque ad completam consuetudinem, *Reiffenstuel*), voluntarios (id est, non vi aut metu inductos (*a*), *Bouix*), publicos, cum animo saltem implicito se obligandi (si agatur de consuetudine praeter legem).— 3° Ut duret tempore requisito.

Ad tribuendam consuetudini vim legis non requiritur expressus Principis consensus, sed sufficit consensus legalis, seu iuridicus, qui habetur per leges et canones consuetudinem moribus populi introductam approbantes, eique vim iuris non scripti tribuentes.

138. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Quodnam tempus requiritur ad praescribendum contra legem?*

Resp. Controvertitur; nec conveniunt inter se Theologi aut iurisperiti, propterea quod nihil clare ea de re iura statuunt.

Plerique dicunt, decennium sufficere et requiri ad legem civilem praescribendam (*b*). Idem etiam affirmant multi pro lege ecclesiastica, licet alii quidam, cum *Billuart,* 40 annos requirant. — Ita *S. Lig. n. 107; Hom. apost. n. 11.* — Verum id videtur pendere non tam a temporis diuturnitate, quam a caeteris circumstantiis morali aestimatione spectatis, habita praesertim ratione sensus communis, utrum nempe maior et sanior pars communitatis legem ut abrogatam habeat (*c*).

139. — Quaer. 2° *Quandonam consuetudo censeatur inducta cum animo se obligandi?*

Resp. 1° Si Doctores in id consentiant; 2° si consuetudo sit de re gravi et difficili, et tamen dici possit constanter et communiter servata; 3° si Superiores graviter reprehendant consuetudinum violatores. — *S. Lig. n. 107.*

Quaer. 3° *Quid in dubio an consuetudo legis vim habeat?*

Resp. In dubio, facta inquisitione, valet principium: *Lex dubia non obligat.* Haec autem inquisitio consistit in sensu hominum proborum indagando.

140. — Quaer. 4° *Quid tenendum de variis consuetudinibus ecclesiasticis Galliae propriis?*

(*a*) Adde, quod actus non debent procedere ex errore aut ignorantia. Secus enim cum nihil contrarium magis sit consensui, quam error, actus involuntarii censerentur.

(*b*) Nimirum ad hoc requiritur et sufficit *longum tempus.* Atqui iura *decennium* ut longum tempus habent. *Instit. De usucap. init.* et *L. 12. C. De Praescript. long. temp.*

(*c*) Cessare in casu lex potest ante decennium, non quidem vi consuetudinis, quae ex hypothesi nondum praescripta est; sed ex consensu Principis *conniventis,* atque ita illam tacite tollentis.

Resp. Hac de re sic propriis verbis ***Bouvier*** *(editio iuxta animadversiones a nonnullis theologis Romanis propositas emendata)*, *c. 2. art. 5:*

« Certum est, quoad Galliam Summos Pontifices consuetudines » omnes iuri communi contrarias non admittere... Licet enim Summi Pontifices contra hasce consuetudines non semper potuerint » reclamare, ob gravia incommoda, sive publica, sive personalia, » sibi aut aliis merito timenda, hoc tamen silentio easdem consuetudines ratas non habuisse credendum est. Iam Sancta Sedes mentem suam aperuit tum in specie circa obligationem Bullae S. Pii V » de liturgia Romana, tum in genere circa pontificias Constitutiones » disciplinam generalem spectantes, quas admitti iussit a Concilio » provinciae Parisiensis anni 1849, ut videre est in actis eiusdem » Concilii.

» Certum est tamen, mentem Sanctae Sedis non fuisse, omnes » consuetudines, dioecesibus Galliae proprias, penitus destruere.

» Quaenam vero iuris communis, aut Conciliorum generalium » Decreta, quaenam Apostolicae Constitutiones vim legis habeant, » et quaenam consuetudines supremi legislatoris consensu in dioecesibus ratae habendae sint, in dubio ad Sanctam Sedem recurrendum est. — *V. cas. n. 132.*

» Multa quae respiciebant beneficia, privilegia fori externi, formas iudiciorum, nunc sunt absque re in Gallia. Unde maxima » pars difficultatum Iuris ecclesiastici evanuit.

» Consuetudinibus apud nos certe et sine iniuria auctoritatis » Ecclesiae receptis omnes Sacerdotes tuta conscientia uti possunt: » imo ab illis in praxi recedere nequeunt, quia ordo perturbaretur, » v. gr. si iurisdictionem ab Episcopo acceptam insufficientem iudicarent, dispensationes concessas aestimarent nullas, etc. Episcoporum et non simplicium Sacerdotum est de regulis disciplinae iudicare.» — ***Bouvier*** (editio iuxta animadversiones a theologis Romanis propositas emendata), *c. 3. art. 1. §. 2.*

CAPUT V.

DE LEGE FAVORABILI, SEU DE PRIVILEGIO

141. — Privilegium est gratia constans et permanens certis personis, vel certis dignitatibus, *contra* vel *praeter* legem communem a Superiore concessa.

Distinguitur privilegium

1° *Personale, locale,* vel *reale,* prout conceditur certae personae, aut incolis certi loci, aut alicui rei, v. gr. certae Ecclesiae.

2° *Contra legem,* vel *praeter legem,* prout per illud alicui legi derogatur, vel secus.

3° *Favorabile,* vel *odiosum,* prout privilegiato prodest secluso aliorum gravamine; aut alios aggravat, dum uni favet.

Principia. — I. Privilegium *contra legem* tantum concedi potest ab illis, qui a lege valide dispensare queunt, et quidem solis subditis, non secus ac si de dispensatione ageretur, quia genus quoddam dispensationis est.

II. Privilegium autem *praeter legem,* seu privilegium improprie dictum, potest concedi etiam non subditis, quia non est actus iurisdictionis, sed actus merae facultatis et quasi donatio. Sic Princeps potest concedere extraneo privilegium venandi in suo territorio.

III. Privilegium *favorabile* large interpretandum est. Contra privilegium *odiosum* strictae interpretationis esse debet. Evincitur ex iure, et consonat communis Doctorum consensus. — *S. Ligor. Append. de priv. in fine Tract. de Legibus, n. 7.*

IV. Nemo tenetur *per se* uti privilegio, quia unusquisque iuri suo renuntiare potest (a); aliquando tamen *per accidens* privilegiatus obligatur ad usum privilegii, v. gr. ratione charitatis. Hinc peccaret qui habens facultatem absolvendi a reservatis, peccatorem reservata habentem et in gravi necessitate positum audire nollet..., etc. — *S. Lig. ibid. n. 3.*

142. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quomodo cesset privilegium?*

Resp. 1° Morte personae, vel interitu rei, prout est personale, vel reale; 2° lapsu temporis praescripti, vel revocatione; 3° cessatione causae finalis; 4° renuntiatione acceptata ab eo, qui illam acceptare potest. 5° [illegible]

QUAER. 2° *An peregrini possint gaudere privilegiis locorum quae peragrant, etsi sint contra legem communem?*

Resp. Affirm. Constat ex consuetudine generali. Sic Galli transeuntes per Hispaniam, carnibus die sabbati vesci possunt. Sic etiam Itali in Gallia existentes ab obligatione Missae audiendae in festo Epiphaniae Domini et nonnullis aliis, quae ibi non servantur, festis eximuntur.

De privilegiis autem in particulari dicetur suo loco et praesertim de privilegiis *Clericorum, Regularium, Episcoporum,* in Tract. *de Statibus particularibus, in princ. tom. II.*

(a) Hoc non valet quoad privilegia, quae non tam personae quam conditioni seu statui conceduntur. Ita clericus non potest renuntiare privilegio *canonis* aut *fori,* nec religiosus privilegio *exemptionis.*

FINIS TRACTATUS DE LEGIBUS

TRACTATUS
DE PECCATIS

Agendum 1° de peccatis in genere; 2° in specie.

PARS PRIMA

DE PECCATIS IN GENERE, SEU DE NATURA, GRAVITATE ET DISTINCTIONE PECCATORUM

CAPUT I.

DE NATURA PECCATI

143. — Definitio. Peccatum communiter definitur: Libera transgressio legis divinae, id est, cuiuslibet legis in conscientia obligantis. — *S. Lig. lib. 5. n. 1.* — Vel « est voluntarius recessus a lege Dei. » — *Ita S. Thom. 1. 2. qu. 72. art. 1.* — Vel « est dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei aeternam. » — *S. Aug. lib. 22. contra Faustum, c. 27.*

Divisio. Peccatum multipliciter distinguitur, scilicet

1° *Actuale*, vel *habituale*, prout est vel actus aut omissio legi difformis, vel status peccati nondum deleti.

2° *Mortale*, vel *veniale*, prout vel solvit amicitiam divinam, vel est levis tantum Dei offensa, quae veniam facile consequi potest.

3° Peccatum *commissionis*, vel *omissionis*, prout fit positione actus prohibiti, aut omissione actus praecepti.

4° Peccata contra *Deum, proximum* et *seipsum*, prout specialiter et immediate Deo repugnant, vel iustitiae et charitati proximo debitae adversantur, aut speciatim temperantiam et passionum moderationem respiciunt (*a*).

5° Peccata *malitiae*, vel *ignorantiae*, vel *infirmitatis*, prout vel ex mera malitia, vel ex ignorantia vincibili, vel ex mera fragilitate committuntur.

Peccatum dicitur *formale*, quando lex libere et scienter violatur. Dicitur autem *materiale*, quando transgressio legis est prorsus involuntaria.

**(*a*) Melius forte dixeris: *prout officia violant vel Deo, vel proximo, vel sibi debita.* Nam alioquin quaedam *in proximum* peccata sunt, quae nec iustitiae proprie, nec charitati adversantur, v. gr. inobedientia.

Nihil dicemus de peccato originali, cuius tractatio ad theologiam speculativam pertinet.

144. **Principia.** — I. Ad peccatum formale, praeter malitiam obiectivam actus, requiritur advertentia mentis et consensus voluntatis. Ac 1° quidem requiritur advertentia mentis ad malitiam, quia malitia peccati non potest esse obiectum voluntatis, nisi ope intellectus aliquo modo cognoscatur: *ignoti* enim *nulla cupido ;* 2° requiritur consensus ex parte voluntatis ; peccatum enim voluntate perficitur, iuxta illud *Matth. 18. 19.: De corde enim exeunt cogitationes malae, adulteria,* etc. — *Recole dicta de Act. human. n. 3. et seq.*

II. Ad peccatum actuale requiritur necessario advertentia actualis. Repugnat enim hominem peccare, quin aliquo modo vel hic et nunc, vel in causa, saltem *in confuso,* ad peccatum advertat. *Nihil* enim *volitum , quin fuerit praecognitum. — Ita communiter cum S. Lig. lib. 5. n. 4. — Suarez,* etc. (*a*).

Contradicunt quidem aliqui, asserendo sufficere ad peccatum advertentiam *virtualem,* seu *interpretativam*, quae in eo consistat, quod homo *debeat* et *possit* advertere, quamvis *actualiter* non advertat. — *Ita Collet, Concina,* etc. — Sed haec sententia omnino reiicienda est. Etenim nihil potest esse volitum , nisi eo modo et tempore, quo est cognitum: effectus enim causae voluntariae non sunt determinate voluntarii, nisi quando determinate cognoscuntur. Peccatum igitur absque ulla actuali cognitione commissum est mere materiale. Nec dicant illud esse forsitan voluntarium *in causa:* nam

** (*a*) Etiam in hac quaestione VV. (*Pag. 910.*) invenire voluerunt discrepantiam inter sententias S. Doctoris, et Gury; et in hunc finem afferunt verba S. Alphonsi (*Lib. 5. n. 4.*) aientis, *plura mala, quamvis actualiter et expresse non advertantur,... imputari tamen ad culpam ea patrantibus, si ipsorum ignorantia sit aliquo modo voluntaria vel ob negligentiam, vel ob passionem, aut habitum pravum, vel ob voluntariam inconsiderationem in operando.*

Resp. In afferendo textu Gury non debuissent VV. (*l. c.*) obtruncare illa verba: *Repugnat enim hominem peccare, quin aliquo modo vel hic et nunc, vel in causa, saltem in confuso, ad peccatum advertat.* Quae quidem verba continent illam aliquam advertentiam, quam etiam S. Doctor et adesse, et necessariam esse fatetur, ut imputentur plura illa peccata, quae ex voluntaria inconsideratione et ignorantia procedunt. Et eiusmodi advertentiam S. Doctor diserte memorat non solum dum quadruplicem eam originem explicat, sed satis superque asserit, dum ignorantiam illam dicit *voluntariam.* Neque enim quidpiam *voluntarium* esse absque ulla advertentia potest.

Sed (quod magis stupeas) fac videas S. Doctoris textum, quem prope ad litteram a Gury transcriptum dixeris. *Concludendum* (inquit *l. c.*), *quod opinio eorum, si forte adsunt, qui dicunt, operanti adversus legem imputandos esse omnes errores, quos committit, etiamsi nulla unquam intercesserit actualis advertentia nec directa nec indirecta, in se vel in causa, saltem in confuso, sed tantum adfuerit advertentia interpretativa, in hoc dumtaxat consistens, quod ipse debuit et potuit sola potentia physica et remota malitiam advertere: haec opinio nullo modo sustineri potest.*

si fuit vere voluntarium in causa, tunc necessario affuit aliqua cognitio, ac proinde tunc peccatum patratum fuit (*a*).

145. **Resolves.** — 1° Ignorantia vincibilis circa praeceptum aliquod est peccatum, et in re gravi potest esse grave, si negligentia notabilis fuerit: ratio, quia omnis lex obligat primo ad sui notitiam, et proinde violatur praeceptum non solum per actum ipsi oppositum, sed etiam per voluntariam eius ignorantiam.

2° Actus mali eam habent malitiam, quae apprehenditur. Unde si incidat cognitio de malitia tali, seu taliter specifica, haec vere per actum voluntatis contrahitur. — *Ita communiter.*

3° Si quod peccatum praevisum in causa fuerit, et dein cum advertentia ponatur, duplex habebitur peccatum, nempe 1° in causa voluntaria, 2° in se ipso (*b*).

3° Si ignorantia, culpabilis in principio, invincibilis evadat, actus malus non est peccatum in se, sed ratio peccati a sola causa repetenda est. Porro invincibilis evadet, si nulla amplius de negligentia praeterita, aut de actuali ignorantia cogitatio subeat, quia tunc deficit potestas proxima et expedita ad ignorantiam depellendam. Evadit etiam invincibilis ignorantia, si suboriens de ea dubium depelli non possit.

5° Obcaecati et consuetudinarii, quamvis ob defectum clarioris tunc cognitionis, forte peccent quandoque minus graviter in actu

** (*a*) Ultimam huius paragraphi periodum, itidemque postremam sextae resolutionis exhibent VV. (*Pag. 911. n. 15.*) ceu discrepantes a doctrina S. Alphonsi.

Resp. 1° A priori cordatus quisque id non credet. His quippe continentur prima ethicae principia, a quibus nemo credet, S. Alphonsum discessisse.

2° In primo textu, quem VV. afferunt, S. Alphonsus (*Lib. 5. n. 4.*) dicit, operanti *secundum suam passionem, quam deliberate sequitur, imputari omnem pravum effectum tali passioni connexum, etsi in particulari non cognoscatur*. Sed deinde VV. obtruncant verba haec sequentia: *Qui* (effectus) *etsi in particulari non praevidentur, praevidentur saltem in confuso... Unde effectus provenientes, quamvis non sint voluntarii in se, sunt tamen voluntarii in sua causa.* Ubinam est sententiarum dissensio?

3° VV. deinde afferunt tamquam S. Alphonsi textum, qui non est S. Alphonsi, sed Collet infelicissimi continuatoris Tournely (*Tom. 2. De Pecc. Cap. 4. art. 1.*). Mirum sane! Numquid enim VV. non norunt, Colletum defendere doctrinam, quam S. Alphonsus ibi impugnat, de sufficientia advertentiae interpretativae, adeo ut reos ex conscientia erronea non dubitet ille traducere etiam eos, *qui nativitatis conditione in haeresi enutriti hanc veluti cum lacte persuasionem suxerunt, unam esse, quae vera sit, religionem, quam tenent: et circa hoc nihil unquam remorsus patiuntur?* Esto itaque, retulerit S. Doctor, quasi arguens ad hominem, quaedam versicoloris huius scriptoris verba; caeterum quidquid demum iste sibi voluerit, nihil curandum est.

Quod vero VV. addunt (*Pag. 911. not. 1.*), ex S. Alphonsi doctrina non admittenda esse, quae notantur ad §. *300. Resol. 3. vol. 1. Gury*, suo loco perpendentur.

(*b*) Bis nimirum actibus, ut supponimus, formaliter distinctis, et in idem peccatum consentit. Vid. infr. *De numerica peccatorum distinctione.*

quam alii, non tamen excusantur, quia status eiusmodi, ubi nulla est emendationis cura, est illis voluntarius et culpabilis (*a*).

6° Caeterum aegre admittenda est inadvertentia perfecta in consuetudinariis, quia saltem *in confuso* peccati malitiam advertunt. Si quando tamen actus malos omnino inadvertenter ex consuetudine perpetrent, hi actus peccata quidem actualia dici nequeunt (*b*), quia hic et nunc non sunt voluntarii; verumtamen voluntarii sunt in causa, atque adeq semper ipsis imputantur, quia stricta obligatio pravae consuetudinis corrigendae semper urget. Id ipsum dicendum est de aliis peccatis, quae sunt voluntaria mere in causa; nimirum tunc reatus contrahitur, cum causa ponitur voluntarie ; et cum totus reatus in causa resideat, eodem modo hic aderit, sive actus eiusmodi consequantur, sive non, et sive pauciori, sive maiori numero iidem frequententur (*c*).

CAPUT II.

DE GRAVITATE PECCATI, PRAESERTIM DE PECCATO MORTALI ET VENIALI

146. — Definitiones. *Gravitas peccati* est quantitas seu mensura malitiae, qua peccatum est magis vel minus Dei offensivum, et proinde maiori vel minori poena dignum.

Peccatum mortale est transgressio legis graviter obligantis, seu gravis offensa Dei, privans amicitia divina et gratia sanctificante, et peccatorem reddens aeterna poena dignum.

Peccatum veniale est transgressio legis leviter obligantis (*d*), seu levis offensa Dei, quae nec privat amicitia divina, nec gratia sanctificante, nec proinde ab aeterna beatitudine excludit.

Quaedam peccata sunt mortalia *ex toto genere suo,* quando eorum obiectum seu materia, quaecumque ea demum sit, gravem semper continet deordinationem, ut in luxuria, blasphemia, periurio, haeresi, etc. contingit. — Mortalia dicuntur *ex genere suo (non toto),* quando eorum materia in eadem specie manens potest esse gravis, quamvis et levis esse possit, cuiusmodi sunt peccata contra

(*a*) Oppositum statue, si emendationi, uti par est, studeant.

(*b*) Minus exacte et contra omnium DD. sententiam dicitur, peccata eiusmodi appellari non posse *actualia*. Communis enim omnibus ea partitio est, iuxta quam *actuale* peccatum distinguitur ab *originali*, atque adeo *actuale* dici debet quidquid peccati *originale* non sit. Verum Auctor, ut patet, vocem *actuale* hic sensu minus usitato adhibet ad significandum peccatum, quod *in se* voluntarium est, et ab eo distinguitur, quod voluntarium est dumtaxat *in causa*.

(*c*) Cessabit vero reatus omnis, si causa per poenitentiam retractata, emendandi curam necessitati parem quis adhibeat.

(*d*) Heic traditur definitio peccati venialis *ex obiecto;* nam alioqui ex actus imperfectione levis esse potest culpa, licet per se lex graviter obliget.

iustitiam. — Venialia vero *ex genere suo* dicuntur peccata, quae, spectata obiecti materia seu natura, non admittunt gravem reatum, et ideo quousque maneant intra suam speciem, alia scilicet species non accedat ex genere suo mortalis, nequeunt mortalia esse. — *S. Lig. n. 41.* (*a*).

His positis, sint sequentes propositiones:

PROPOSITIO I.

Non omnia peccata sunt aequalia, sed sunt alia aliis graviora.

147. — *Prob.* 1° ex Scriptura sacra. Ieremias *c.* 7. ait de Israelitis : *Peius operati sunt, quam patres eorum.* — Sic Christus Pilato, *Ioann. 19.: Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.*

Prob. 2° ex ratione. Dicendum, data proportione, de iniuriis hominum in Deum, quod dicitur de iniuriis filiorum in parentes, vel subditorum in Principes; atqui istae sane inter se differunt *ratione gravitatis:* ergo etiam illae. — Insuper peccata sunt oppositio ad virtutes et praecepta; atqui sunt virtutes aliae aliis excellentiores, et praecepta alia aliis graviora: ergo oppositio ad haec erit gravior, vel minus gravis. Aliunde etiam intentio prava delinquentis potest varios malitiae gradus admittere, ut patet. Ergo....

Quaer. *Undenam repetenda est maior, minorve peccatorum gravitas?*

Resp. Repetenda est generatim 1° ex obiecto, fine et circumstantiis, prout magis vel minus naturae rationali, vel legi repugnant; 2° ex duratione actus mali, vel ex eius intensitate; 3° ex advertentia maiori vel minori ad malitiam actus, vel ex diverso gradu consensus actui pravo praestiti; 4° ex praestantia virtutum vel praeceptorum, quibus peccata opponuntur; 5° ex variis modis quibus virtutes aut leges violantur.

PROPOSITIO II.

Dantur peccata mortalia.

148. — *Prob.* 1° ex Scriptura sacra. *1. Cor. 6. et seq.* dicitur: *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* — Et *Rom. 1. 32: Qui talia agunt, digni sunt morte.* — Et *1. Ioann. 3. 14: Qui non diligit, manet in morte* — Adde innumera alia S. Scripturae testimonia, ex quibus luculenter

** (*a*) Vid. infr. Not. ad n. 153.

constat, multos homines propter peccata sua a Deo fore reiiciendos et poenis aeternis cruciandos.

Prob. 2° ex Ecclesiae auctoritate. Ecclesia enim docet dari peccata mortalia. Sic *Trid. sess. 6. can. 27.: Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis, aut nullo alio quantumvis gravi et enormi, praeterquam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti, anathema sit.* — Item, *sess. 14. c. 5.* ait: *Oportere a poenitentibus omnia peccata mortalia... in confessione recenseri.* Ergo dantur peccata mortalia.

PROPOSITIO III.

Dantur peccata mere venialia.

149. — *Prob.* 1° ex Scriptura sacra. *Prov. 24. 16.* dicitur: *Septies cadet iustus, et resurget.* Ergo qui cadit seu peccat dum iustus est, non peccat mortaliter, siquidem non privatur iustitia; ergo tantum venialiter. Ergo, etc. — Item, *Iacob. 3. 2.: In multis offendimus omnes;* atqui non peccamus omnes mortaliter, cum multi sint iusti ante Deum, ut constat ex multis locis veteris et novi Testamenti, v. gr. ut dicitur de Zacharia et Elisabeth, *Luc. 1. 6.,* de S. Ioseph, *Matth. 1. 19.,* etc. Ergo sunt iusti non immunes a peccato; ergo dantur peccata venialia.

Prob. 2° ex definitione Ecclesiae. *In Trid. loco supra citato* dicitur: *Venialia quibus a gratia Dei non excludimur, et in quae frequentius labimur, multis aliis remediis* (praeter sacram. Poenit.) *expiari possunt.* Constat etiam *ex propos. 20. Baii* a Pio V et aliis SS. Pontiff. damnata, quae sic sonat: *Nullum est peccatum natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam.*

Prob. 3° ex ratione. Etenim inter amicos dantur offensae leves, quae non solvunt amicitiam; ergo similiter erga Deum dari debent. Ergo....

150. **Quaesita.** — QUAER. 1° *In quo consistat differentia formalis inter peccatum mortale et peccatum veniale?*

Resp. Differentia inter peccatum mortale et veniale in hoc sita est, quod qui peccat mortaliter, a Deo fine suo ultimo recedit, ut ad creaturam se convertat, atque in ea tanquam in fine suo quiescat; contra vero qui peccat venialiter, non recedit a Deo, sed actus ponit ita deordinatos, ut nullatenus ad Deum tendere possint. — *Ita communiter cum S. Thom. 1. 2. qu. 72. art. 5.*

QUAER. 2° *Quaenam ad peccatum mortale requirantur?*

Resp. Tria necessario requiruntur, scilicet 1° materia gravis vel in obiecto vel in circumstantiis; — 2° advertentia plena ad malitiam gravem actus; — 3° consensus plenus voluntatis in praevaricationem.

Itaque 1° requiritur materia gravis; secus enim non distingueretur peccatum mortale a veniali ratione materiae, cum materia levis per se non possit hominem dissolvere ab amicitia divina (*a*).

2° Requiritur etiam plena advertentia, plenusque consensus, quia cum per peccatum mortale homo totaliter recedat a Deo, ut creaturis adhaereat, id fieri non potest, nisi peccator deliberate obiectum peccati Deo praeferat, et sic suum finem ultimum in creatura constituat. Insuper a bonitate divina prorsus alienum est, hominem aeternae damnationi addicere sive propter transgressionem levem sive propter actum non perfecte liberum et voluntarium. — ***Ita omnes.*** — *S. Lig. n. 5. 6. 53.*

Porro advertentia plena et sufficiens censetur, si cogitatio expressa, vel saltem grave dubium de malitia mortali consensum vel actum peccaminosum praecedat. Et hoc quidem etiam unico instanti fieri potest per simplex iudicium de malitia, quin mens per discursum pluries in seipsam speciali actu reflectat; attamen semper vera et plena mentis deliberatio, et obiecto pravo plena adhaesio requiritur.

QUAER. 3° *Quaenam requirantur ad peccatum veniale?*

Resp. Ad peccatum veniale requiruntur et sufficiunt advertentia aliqua, quantumvis exigua, ad actus malitiam, et aliquis voluntatis consensus quantumvis imperfectus: requiruntur ista quidem, quia hisce sublatis nulla mali cognitio et volitio, et proinde nullum peccatum esse potest; sufficiunt vero, quia illis positis mali cognitio et volitio, quae ad peccatum constituendum necessariae sunt, aliqua ratione habentur.

151. — QUAER. 4° *Quomodo peccata possint dignosci mortalia ratione materiae?*

Resp. Triplex regula assignatur.

I^a^ *Regula.* Recurrendum est *ad Scripturam sacram.* Quae enim sint gravia, vel quae levia, non humano sed divino sunt pensanda iudicio, ait *S. Aug. Ench. c.* 77. Porro ea sunt mortalia existimanda, quae in S. Scriptura declarantur digna morte, aut excludere a regno coelorum; vel quae enuntiantur cum particula *vae,* quae sane deformitatem vere gravem denotat. Sic Apost. de operibus carnis, *Galat. 5. 19.* ait: *Quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria... praedico vobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* — Recole etiam longam seriem peccatorum mortalium, quae recenset Apost. *1. Cor. 6. et seq. ut supra Prop. II.*

II^a^ *Regula.* Recurrendum est *ad Ecclesiam,* seu ad definitiones SS. Pontificum, ad Decreta Conciliorum generalium, etc., in quibus plura declarantur mortalia, vel tantum venialia. Ecclesia enim

(*a*) Levis nempe materia per se non inducit gravem obligationem; ubi autem gravis non est obligatio, neque transgressio gravis esse potest.

est columna veritatis, et proinde ab eius doctrina regula et mensura morum repetenda est.

III^a *Regula.* Recurrendum est *ad SS. Patres, ad Ecclesiae Doctores,* necnon ad communem Theologorum doctrinam. Etenim SS. Patres et Doctores fuerunt a Deo in medio Ecclesiae positi tanquam lucernae ardentes ad depellendas erroris tenebras, et ad fideles in via veritatis illuminandos. Theologi vero melius norunt, quam caeteri, Scripturae ac Patrum testimonia et Ecclesiae Decreta interpretari, atque casus non definitos cum definitis, non declaratos cum declaratis conferre, atque ex paritate vel similitudine opportunas deducere conclusiones. Quae igitur ab ipsis unanimiter tanquam mortalia habentur, ut talia aestimanda sunt; Doctorum enim consensus veritatis indicium est.

152. — Deficientibus praemissis regulis, valde difficile est determinare, quandonam peccatum sit grave vel leve. Generatim autem gravia censentur

1° Omnia peccata, quae sunt directe contra Deum, vel aliquam eius perfectionem. Item omnia peccata, quae vergunt in grave praeiudicium generis humani, ut sunt variae luxuriae species.

2° Omnia peccata, quae graviter repugnant fini magni momenti per legem intento, ut omissio ieiunii, Missae, confessionis annuae, Communionis Paschalis, etc.

3° Omnia peccata, quibus graviter laeditur proximus in bonis vitae, fortunae, famae, etc., ut homicidium, detractio proximo valde noxia, furtum notabile, etc.

Caeterum limites inter peccatum mortale et veniale saepe saepius nullo modo determinari possunt, ut constat ex innumeris Doctorum ea de re controversiis. Non est autem adstruendum mortale, nisi de eo certo constet, ut recte notat *S. Lig. Syst. mor. ad finem, et l. 6. n. 604. 605.* (*a*).

(*a*) Praestat hic ea subiicere, quae S. Alphonsus priori loco habet. *Res admiratione digna est* (inquit) *videre, aliquos nullum reputare tutiorem modum salvas faciendi animas, quam eas per semitas asperiores ducere; sed non minus isti errant, quam alii qui conscientias per laxiorem ducunt viam. Non solum enim rationem Deo reddere tenemur de nimia indulgentia, verum etiam de nimia rigiditate, qua conscientiae illaqueantur, quod proprie est iuxta S. Antoninum* aedificare ad gehennam. *Valde apposite id explicat Cabassutius ex doctrina S. Bonaventurae; postquam enim detestatur immodicam benignitatem, reprobat immoderatum rigorem,* qui, *ut ait,* dum homines ad nimis ardua compellit, viam salutis aeternae praecludit; salvandos (ut ait B. Bonaventura) damnat, et conscios propriae infirmitatis ad desperationem adigit. Accidit enim, ut miseri homines, hac audita rigidiore doctrina, credant vel dubitent inesse mortalem culpam, ubi nulla est; sed tamen rei difficultate victi ex erronea conscientia mortaliter peccant et damnantur. — Ita S. Alphonsus, qui plures dein subiicit Doctorum sententias. Hasce in rem nostram seligimus.

Doctores Theologi non debent esse faciles ad asserendum, aliqua esse peccata mortalia, ubi non sunt certissimi de re: nam per eiusmodi as-

153. — Quaer. 5° *Quomodo peccatum ex genere suo mortale fiat veniale, et vice versa?*

Resp. 1° Peccatum *ex genere suo* mortale fieri potest veniale quadruplici modo, ratione scilicet 1° parvitatis materiae; — 2° imperfectae advertentiae; — 3° imperfecti consensus; — 4° conscientiae erroneae. — *Ita S. Thom. 1. 2. qu. 88. art. 1. et 2.* — *S. Lig. n. 54.*

Resp. 2° Peccatum autem *ex genere suo* veniale fieri potest mortale 1° ratione conscientiae erroneae; — 2° ratione scandali; — 3° ratione pravi finis graviter mali; — 4° ratione contemptus *formalis* legis, seu auctoritatis praecipientis; — 5° ratione pravi affectus in rem alioqui leviter malam, adeo ut vel praeceptum graviter obligans transgredi quis sit paratus; — 6° ratione periculi seu occasionis proximae in peccatum mortale labendi. — *Ita omnes* (*a*).

154. — Quaer. 6° *An graviter peccaret qui sola mortalia vitare vellet, et de omittendis venialibus minime curaret?*

Resp. Neg. probabilius per se et speculative loquendo. Ratio est, quia animus ita comparatus non inducit *proximum* peccandi graviter periculum (*b*). — Ast in praxi difficilis res est, et valde ar-

sertiones rigidas et nimis strictas nequaquam eriguntur homines a luto peccatorum, sed in illud profundius, quia desperatius, demerguntur. Gerson.

Non sis pronus iudicare mortalia peccata, ubi tibi non constat per certam Scripturam. S. Raymundus.

Nihil debet damnari tamquam mortale peccatum, de quo non habetur evidens ratio, vel manifesta auctoritas Scripturae. Gabriel Biel.

Quaestio, in qua agitur, utrum sit peccatum mortale, nisi ad hoc habeatur auctoritas expressa Scripturae aut canonis Ecclesiae, vel evidens ratio, periculosissime determinatur. S. Antoninus.

Si vero (Confessarius) non potest clare percipere, utrum sit mortale, non videtur tunc praecipitanda sententia, ut dicit Guillelmus, ut deneget propter hoc absolutionem, vel illi faciat conscientiam de mortali. Et cum promptiora sint iura ad solvendum, quam ad ligandum..., potius videtur absolvendus. S. Antoninus.

(*a*) Non praetermittenda hic est doctrina S. Thomae, peccatum ex genere suo veniale non posse fieri mortale, nisi accedat circumstantia speciem immutans, atque adeo numquam id contingere ob circumstantiam mere aggravantem. Ita S. Doctor (*1. 2. q. 88. art. 5.*): *Manifestum est, quod circumstantia non potest de veniali peccato facere mortale, manente circumstantia; sed solum tunc, quando transfert in aliam speciem, et fit quodammodo differentia specifica moralis actus.* Conf. etiam *De malo Q. 2. art. 8.*

(*b*) Haec responsio desumpta est ex S. Alphonso (*Lib. 4. n. 12.*); verum S. Alphonsus non de mera in cavendis venialibus negligentia, sed *de proposito committendi omnia venialia* quaestionem facit, neque dumtaxat *speculative* probabiliorem eam sententiam dicit, quasi *in praxi* obligatio gravis adsit vitandi eiusmodi *remotum* periculum.

Bene Card. De Lugo (*De Poenit. Disp. 15. n. 49.*): *Nemo dicet, ex hoc capite esse obligationem sub peccato mortali ad vitanda venialia.*

Et Suarez (*De Relig. Tract. 8. Lib. 1. Cap. 4. n. 18.*): *Advertere oportet, raro aut nunquam peccari mortaliter ob eiusmodi periculum...; quia alias non est occasio proxima, sed remota.*

dua, cum facilitas peccandi venialiter causa sit, cur anima paulatim debilitetur, et facilius gravibus tentationibus demum vincatur, iuxta illud *Eccli. 19. 1: Qui spernit modica, paulatim decidet.*

QUAER. 7° *An sit peccatum grave, periculo labendi probabiliter in mortale semet sine causa exponere?*

Resp. Affirm. si agatur de occasione proxima peccati, ut res per se patet; secus vero in aliis casibus. — *Sanchez, In Decal. Lib. 1. Cap. 8. n. 1.*

155. — QUAER. 8° *An peccet graviter, qui sine causa sufficienti ponit actionem, ex qua turpes motus passurus sit?*

Resp. Non peccat graviter, si actio non sit per se graviter influens in pravos effectus, modo eos non intendat, et absit periculum proximum consentiendi in pravam delectationem. Secus, si actio *per se* graviter in motus influat, ut sunt graves culpae in genere luxuriae. — *S. Lig. l. 3. n. 482. ad 484.* (*a*).

QUAER. 9° *An peccet graviter, qui deliberat de consensu rei graviter illicitae praestando, si tandem non consentiat?*

Resp. Solutio quaestionis pendet e qualitate deliberationis. Si enim haec imperfecta sit, nempe si non sit nisi quaedam haesitatio, seu resistentiae omissio ex torpore, pigritia, aut negligentia, peccatum veniale non excedet. — *Lacroix, n. 226.* — Si vero deliberatio sit plena, erit peccatum mortale, quia voluntas paratam se ostendit ad Deum peccato postponendum. — *Lacroix, l. 5. n. 229.* — *Sanchez, Decal. l. 1. cap. 8. n. 16.*

QUAER. 10° *An peccata venialia multiplicata peccatum mortale efficere possint?*

Resp. Peccata venialia quantumvis multiplicata, per se loquendo et ratione multiplicationis, nunquam in mortale coalescere possunt, quia singula in specie inferiori manent. Quandoque tamen ratione materiae coalescentis ad mortale deveniunt, ut, v. gr. in materia iustitiae accidit.

156. **Resolves.** — 1° In praxi ad distinguendum peccatum veniale a mortali, sedulo attendendum est 1° ad naturam actus; 2° ad eius gravitatem ex parte obiecti, finis, et circumstantiarum; 3° ad gradum deliberationis, malitiae, infirmitatis et ignorantiae.

(*a*) *Sententia communior et probabilior docet, pollutionem non esse mortalem, nisi proveniat ex causa per se mortali in genere luxuriae... Ratio, cur causa debeat esse per se mortalis, est, quia cum pollutio* (ex hypothesi) *non sit volita in se, sed tantum in causa* (atque adeo praeter intentionem), *eo gradu mala erit, quo mala est ipsa causa. Ratio autem, cur debeat insuper esse mortalis in eodem genere luxuriae, est, quia, si causa leviter ad pollutionem concurrat, non est gravis obligatio causam illam vitare ob pollutionem, quae praeter intentionem accidit. Hinc infertur non esse nisi venialem pollutionem, quae oritur... ex levi aspectu aut curiosa lectione venialiter turpi.* S. Lig. (*Lib. 4. n. 484.*). Atque hinc consectarium habes, nullum ex huiusmodi effectibus reatum contrahi, ubi iusta quaepiam ratio adsit ponendi causam, v. gr. studendo, medendo, confessiones audiendo, etc.

2° Ubi clarum non est, aliquod peccatum esse mortale, non debet esse praeceps Confessarius in iudicando, illud esse reapse grave tum obiective tum subiective; quia in dubio pro minima parte standum est, vel saltem res est divino iudicio relinquenda. — *S. Lig. n. 52.* — *S. Thom.* — *S. Antoninus, etc.*

3° In dubio de perfecto consensu iudicabis in favorem poenitentis, 1° si sit timoratae conscientiae et habitualiter paratus sit mori potius, quam Deum offendere; 2° si advertens plenius ad tentationem territus fuerit, eamque statim repulerit; 3° si nesciat, an vigilans vel dormiens, an sui plane compos quidpiam mali fecerit aut voluerit. — *Elbel, n. 578.* — *S. Lig. lib. 6. n. 476.*

4° Confessarius non satisfacit muneri suo, si nullam curam adhibeat, quo poenitentem a frequentia peccatorum venialium, eorum praesertim, quae plena cum advertentia committuntur, removeat. Quippe qui nihil prorsus satagit vitare venialia, paulatim in mortale aliquod prolabi demum solet. — *V. Casus, n. 144. et seq.* — *Roncaglia, c. 1.*

CAPUT III.

DE DISTINCTIONE PECCATORUM

Agendum 1° de distinctione specifica; 2° de distinctione numerica.

ARTICULUS I.

DE DISTINCTIONE SPECIFICA

Distinctio *specifica* peccati oritur ex speciali malitia, seu ex diversa deformitate, qua unum peccatum ab alio essentialiter differt. Malitia enim peccatorum varia est pro diversitate obiectorum, ad quae se convertit peccator. Sic homicidium, furtum, luxuria specie differunt.

157. **Regulae.** — I^a *Regula.* Desumitur distinctio specifica peccatorum ex oppositione ad diversas virtutes, necnon ex deformitate moraliter diversa contra eamdem virtutem.

Ratio 1^i patet, quia singulae virtutes habent suam bonitatem specialem, et omnino distinctam; ergo etiam peccata ipsis opposita specialem turpitudinem necessario contrahunt. Sic negatio veritatis revelatae, desperatio, odium Dei inter se specie differunt. Quare? quia tribus virtutibus specie diversis opponuntur, scilicet Fidei, Spei, et Charitati.

Ratio 2^i est, quia ubi malitia est moraliter diversa contra aliquam virtutem, eidem speciali modo repugnat, et novam classem deformitatis constituit. Est autem moraliter diversa haec malitia, quando opponitur variis officiis eiusdem virtutis, vel modo omnino

disparato et opposito hanc virtutem laedit. Sic homicidium, furtum, detractio specie inter se differunt, licet eidem virtuti, iustitiae scilicet, adversentur. Quare? quia opponuntur diversis officiis eius virtutis, quae iubet ut nemo laedatur sive in bonis vitae, sive in bonis fortunae, sive in bonis famae. — *S. Lig. n. 31.*

158. — IIª *Regula.* Specifica peccatorum distinctio desumitur etiam ex violatione praeceptorum *moraliter* diversorum. Peccatum enim est legis, seu praecepti transgressio; ergo ubi praecepta specie morali inter se differunt, etiam peccata ipsis opposita specie differre debent. Sic omissio Missae die festo, omissio ieiunii praecepti, omissio confessionis annuae vel Communionis Paschalis, specie inter se differunt. Dicuntur autem praecepta moraliter diversa, quoties diversum habent obiectum, ut ieiunium, auditio Missae, abstinentia a carnibus; vel quoties motivum praecepti est diversum, licet obiectum idem sit. Sic duplex peccatum specie diversum patrat, qui in Quadragesima omittit ieiunium, ad quod aliunde ratione poenitentiae sacramentalis tenetur. Contra vero furtum est unicum peccatum, licet divina et humana lege prohibeatur, quia eadem est ratio prohibitionis. — *S. Lig. lib. 5. n. 33.*

Aliqui addunt tertiam regulam ex obiectis repetitam (*a*); hinc sequentes versiculi:

Virtus, praeceptum, diversa obiecta, modusque
Dant speciem peccatis, diversumque reatum.

159. **Resolves.** — 1° Quatuor diversa peccata committit, qui ligatus voto castitatis, peccat cum consanguinea coniugata, quia violat quatuor virtutes diversas, nempe, castitatem, religionem, pietatem et iustitiam.

2° Tripliciter peccat, qui occidit Sacerdotem vel Religiosum in Ecclesia; quia violat iustitiam occidendo, et Religionem duplici modo specifice diverso, violando scilicet personam sacram et locum sacrum.

(*a*) Graviores Theologi regulam hanc proponunt non ut tertiam quampiam ab aliis seiunctam, sed potius ut primariam, ad quam reliquae tamquam ad radicem seu fundamentum reducantur. Conf. Suarez (*In 1. 2. Tr. 3. Disp. 7. sect. 7. n. 4. et 6.*), et Laymann, qui (*Lib. 1. Tr. 3. Cap. 2. n. 2.*) scribit: *Unitas vel diversitas specifica peccatorum... proxime ac formaliter desumitur ex rectitudine seu honestate virtutis, cui opponuntur: remote autem et fundamentaliter ex obiecto.* Et Tanner (*Disp. 2. De act. hum. q. 5. dub. 2. n. 49.*): *Atque hoc* (scil. peccata distingui penes oppositas virtutes) *in re non est diversum ab eo, quod est distingui specie secundum obiecta, cum ipsae virtutes specie distinguantur secundum obiecta.* Praeiverat autem S. Thomas (*1. 2. q. 72. art. 1. ad 2.*): *Peccata magis distinguuntur specie secundum obiecta, quam secundum opposita: quamvis etiamsi distinguantur secundum oppositas virtutes, in idem rediret: virtutes enim distinguuntur specie secundum obiecta.* Et rursus (*2. Dist. 42. Q. 2. art. 2. q. 1. ad 1.*): *Divisio peccati in species suas essentiales est per opp situm virtutis, quia oportet, quod sit secundum obiectum, ex quo spe ificatur peccatum et virtus.*

3° Non committit peccata specie diversa (*a*), qui omittit Missam die Dominica, in quam aliud festum de praecepto incidit, v. gr. B. M. Assumptio, nec qui violat ieiunium vigiliae aut quatuor Temporum in Quadragesima incidentium, quia praecepta illa non sunt formaliter diversa.

4° E contrario tria peccata specie diversa patrat unico actu, qui omittit ieiunium, ad quod eadem die obligatur ex praecepto Ecclesiae, ex voto, et ex poenitentia sacramentali; idcirco in confessione triplicis huius obligationis violatio aperiri debet.

5° Specie differunt haeresis et omissio actus Fidei, qui ex praecepto fieri debeat; item desperatio et omissio actus Spei; vel odium Dei et omissio actus Amoris debiti; atque ita pleraque commissionis et omissionis peccata, quorum unum repugnat praecepto affirmativo, alterum negativo.

6° Specie differunt detractio, iudicium temerarium, et contumelia, quia modo diverso iustitiam laedunt. Furta vero specie non differunt ob diversa bona fortunae surrepta, quia haec cum referantur ad idem commercium, eumdemque usum hominum, moraliter unum quid reputantur.

7° Specie differt violatio ieiunii per esum carnis et per multiplicem refectionem, quia praeceptum virtualiter duplex violatur, quatenus scilicet cibi qualitatem et quantitatem praescribit.

ARTICULUS II.

DE DISTINCTIONE NUMERICA

160. **Regulae.** — I° *Regula.* Numerica peccatorum distinctio desumitur *ex diversitate obiectorum totalium* seu *moraliter diversorum. — Ita communiter cum S. Lig. n. 45.*

Ratio assertionis evidens est. Ubi enim sunt obiecta *formaliter* ac moraliter *totalia,* ac ab aliis distincta, ibi plures etiam sunt actus voluntatis distincti, in se terminati et completi, et proinde plures malitiae distinctae, et consequenter plura peccata.

Porro obiectum *totale* illud dicitur, quod ab aliis obiectis omnino distinguitur, et in se completur, ita ut per se solum *totum morale* efficiat, et proinde non sit pars alterius, nec ad aliud ex natura sua referatur. Sic in homicidio unicum habetur obiectum *totale,* licet homicida varios actus praevios praemiserit, v. gr. quaerendo arma, struendo insidias, aut pluries percutiendo; quia omnes isti actus praevii habendi sunt ut partes actus principalis, et ad hunc ordinantur. Si vero homicida primum intenderit tantum percussionem, et postea, mutata voluntate, occiderit, duplex erit obie-

(*a*) Imo nec duo eiusdem speciei peccata committit, sed unum dumtaxat.

ctum *totale,* quia uterque voluntatis actus obiectum suum *totale* habet.

161. — II[a] *Regula.* Numerica peccatorum distinctio desumitur etiam *ex multiplicitate actuum moraliter interruptorum.* — *S. Lig. n. 36. et alii communissime.*

Etenim quando actus voluntatis moraliter interrumpuntur, singuli evadunt in se completi, neque actus sequens potest dici continuatio praecedentis. Sic qui pluribus vicibus moraliter interruptis alium percutit, vel furatur, tot peccata committit, quot sunt percussiones, vel furta; quia tot actus diversos haec constituunt.

Actus autem voluntatis triplici modo interrumpuntur, scilicet 1° *Per retractationem,* seu revocationem expressam voluntatis, quia haec impedit quominus actus posterior cum priore coniungatur, v. gr. si quis retractet pravam voluntatem male agendi, et postea eam resumat. — 2° *Per cessationem voluntariam ab actu,* seu per mentis applicationem ad diversum obiectum, v. gr. si quis libere cesset a proposito malo, et dein ad illud redeat. — 3° *Per moram sat notabilem* ratione habita ad actus naturam, ita ut iudicio prudentium actus voluntatis cessare censeatur (*a*).

162. — Quaenam autem mora censetur sufficiens ad actuum multiplicitatem? Traduntur communiter sequentes regulae:

1° Actus *mere interni,* qui nullum ordinem inter se habent, complentur statim ac interrumpuntur, et proinde toties multiplicantur, quoties interrumpuntur. Ratio, quia reapse totidem sunt actus voluntatis completi et distincti. Et sane tales actus moraliter non continuantur, cum unus ab alio non pendeat; neque in unum coalescunt, cum nihil in se habeant, per quod sibi invicem uniantur. Hinc poenitens debet in confessione exprimere, si possit, quot vicibus internae tentationi adhaeserit; quod si nequeat, dicat *circiter;* vel saltem an valde frequenter, decurrente die, consensum dederit.

2° Actus interni *cum proposito externam actionem ponendi,* multiplicantur toties quoties pravum propositum formaliter innovatur, ita scilicet ut posterius moraliter censeri nequeat continuatio prioris. Ratio est, quia tunc novus voluntatis actus formaliter distinctus intercedit. Si vero propositum non renovetur, non fit novum peccatum, quia tunc prior actus voluntatis in ipso effectu, vel in opere

**(*a*) Innuit A. interruptionem, quae involuntarie contingat. Nam etiam tunc, cum actus resumitur, novus adest actus voluntatis consentientis, quia, ut ait S. Alph. (*Lib. 5. n. 37.*), *quoad tales actus non pendet unus ab alio.* Verum quod subdit (*ibid.*) S. Doctor: *Ita communiter... contra Lugonem,* difficulter admitti potest; quia Lugo (*De Poenit. Disp. 16. n. 565.*) concedit, utique non interrumpi, *quando posteriores voluntates dependentiam habent a prima, et ex vi primae voluntatis ponitur secunda, sicut ex vi intentionis ponitur electio ad finem. Secus vero* (inquit) *quando voluntates ita se habent, ut una voluntas non dependeat ab alia.* Quae est ipsissima S. Alphonsi doctrina.

externo, si inchoatum hoc sit, perseverare censetur. Idem autem propositum maiori vel minori tempore perdurat pro varia intensitate necnon pro variis circumstantiis personarum, aetatis, sexus, indolis, etc. — *S. Lig. n. 39.* (*a*).

**(*a*) S. Alphonsus (*Lib. 5. n. 39.*) ad quaestionem, *utrum malum propositum interrumpatur per communes interruptiones, ut per somnum, distractionem, comestionem etc.*, respondet: *Negat Lugo, et adhaeret Tamburini, etiamsi magna mora intercedat; sed haec opinio est contra communem, et merito reiicitur, ut ait Croix Lib. 5. n. 178.*

Sed reipsa Lugo ibi a Croix nullatenus memoratur. Quomodo ergo in textum S. Alphonsi nomen De Lugo irrepsit? Insuper S. Alphonsus (*ibid.*) ceu probabiliorem laudat sententiam Salmanticensium *Tr. 20. Cap. 12. n. 38.* Atqui Salmanticenses hoc loco ista habent: *Ideo furandi aut fornicandi intentio permanet virtualiter in aestimatione morali, etsi discontinuetur per somnum, comestionem... et similes interruptiones; unde, esto post eas repetas iterum hoc pravum propositum, unicum peccatum committis: quia cum prima voluntas permaneat virtualiter, unitur et continuatur cum secunda.* Porro haec transcripta dixeris ex Lugo, qui eodem, ac S. Alph. indicat, loco (*De Poenit. Disp. 16. n. 567.*) advertit, propositum *non interrumpi per somnum, aut similes interruptiones communes et ordinarias;* et alioquin ne verbum quidem habet de *magna illa mora,* de qua S. Alphonsus; quinimo ibidem probat quod Salas excipiat *nisi inter ipsos actus voluntatis multum tempus intercedat, quia tunc censetur moralis interruptio;* et (quod omiserunt Salmanticenses) addit: *Fortasse tamen facilius interrumpuntur moraliter voluntates mere internae, quando opus non coepit poni exterius; quia illa positio seu inchoatio externa, cum sit sensibilis, facilius coniungit partes in ordine ad unum humanum et morale faciendum.* Denique et illud, quod Salmanticenses (*ibid.*) addunt de morali interruptione, quando post mensem resumatur prius propositum, desumptum est ex Lugo, qui (*l. c. n. 545.*) scribit: *Dixi has interruptiones breves et communes, per somnum et similia non tollere unitatem peccati: aliud enim dicendum est de interruptione extraordinaria, quae quidem tollit unitatem moralem actionis humanae. Si enim ex intentione Petrum occidendi eum quaeras, et scias fuisse alio profectum et reversurum post mensem, et tu decernas eum occidere cum redierit: tunc certe, licet non revoces intentionem, adhuc occisio post mensem non faciet unum peccatum cum voluntate praeterita: sicut nec prandium erit unum, quantumvis non revoces intentionem, sed potius habeas intentionem redeundi post duas horas ad mensam, quia unitas harum actionum non solum petit intentionem non revocatam, sed etiam carentiam interruptionis, non cuiuslibet, sed humanae et moralis.*

Veniamus ad Tamburinium. Ac 1° adverte, Tamburinium locis a S. Alphonso citatis (*Meth. Conf. Lib. 2. C. 1. n. 35. 36.*) non agere de mero interno proposito, sed de proposito deducto ad opus. Porro de hoc casu etiam S. Alph. (*Lib. 5. n. 40.*) scribit: *Actus voluntatis, si ex prima voluntate procedant, et moraliter permaneant in aliquo effectu, qui conducat ad consummandum peccatum externum, per* QUALECUMQUE TEMPUS DURET *prava voluntas, unum solum peccatum constituunt.* Imo Tamburinius (*n. 36.*) addit id, quod in S. Alphonso ibi non legitur, nimirum diserte excipit interruptionem, de qua supra Salmanticenses cum Lugo: et idcirco remittit lectorem ad praec. *n. 34.*

2° Quando autem Tamburinius agit de interno proposito, ita habet (*ibid. n. 32.*): *Quamvis sit speculative probabilior sententia asserens per quamlibet interruptionem multiplicari numero praedictos actus, unde et debere, si memoria teneantur, aperiri; tamen contraria opinio, quae*

3° Actus *externi*, seu *externe consummati*, multiplicantur toties quoties obiectum est disparatum, vel in se terminatum; non autem multiplicantur, etiam interposito notabili temporis intervallo, quando sunt veluti partes actus principalioris, seu quando ad finem unicum tendunt. Ratio, quia tunc unum quid morale efficiunt, quod

docet minime debere, est etiam probabilis... Satis est igitur, si explicetur tempus, quando est notabile... et sic satis est, si dicatur: Ego v. gr. per unum diem odio graviter habens Petrum, illi mala gravia imprecatus sum. Sed fac probe attendas ad ista, quae immediate subiicit: *Intelligitur enim more humano, idest tales actus per varias humanas actiones fuisse interruptas.*

3° Quid quod Tamburini eandem, quam S. Alphonsus dicit probabiliorem, doctrinam proponit absolute? Nam S. Alphonsus (*Lib. 5. n. 39.*) scribit: *Sed probabilius videtur dicendum, quod si intercedat tempus breve, actus non discontinuatur; secus, si intercedat tempus diuturnum.* Tamburini vero (*l. c. n. 47.*): *Regula universalis est huiusmodi: Si intermediet multum temporis inter actus..., iudicabitur distinctus actus, distinctumque numero peccatum; at si breve tempus interiiciatur, censebitur unum facere cum priore.*

4° Quid vero, quod S. Alphonsus videri queat liberalior ipso Tamburinio? Subiicit nimirum S. Doctor (*ibid.*) quaestionem, *Quale aestimandum sit tempus diuturnum*, quod scilicet intercedat unum inter et alterum actum, ita ut duo actus habendi sint ceu inter se discontinuati. Missum porro nunc fiat, quod S. Doctoris responsum videri forte queat partim ad rem, partim abs re. Nam abs re videntur ibi afferri sententiae Vivae (*De Poenit. Q. V. art. 6. n. 6. in fin.*), et Concinae (*De Pecc. Diss. 1. Cap. 6. q. 4. n. 16.*), quippe qui non agunt de diuturnitate temporis, quod intercurrat inter unum et alterum actum, sed de tempore, quo unus actus perseverare moraliter censeri possit. Ad rem vero faciunt allatae ibi sententiae Salmanticensium (*Tr. 20. c. 12. n. 38.*), et Roncaglia (*Tr. 2. Q. 1. C. 2. q. 2. Resp. 1.*), qui utique loquuntur de distantia temporis decurrentis inter unum et alterum actum. Missum etiam illud fiat, quod et propria S. Doctoris responsio minus sit ad rem, quia non quaestioni propositae de tempore, quod inter actum et actum decurrat, sed quaestioni de unius moraliter actus duratione respondet. Quod nunc attinet, S. Doctor (*l. c.*) reponit: *Sed ego puto, impetum unius actus difficulter posse protrahi* (*ordinarie loquendo*) *plus quam ad duos, vel tres dies ad summum. Hinc qui perseverat in mala voluntate ultra duos vel tres dies, explicare debet tempus, ut sic intelligatur moraliter numerus actuum internorum circa peccata externa.* Ita S. Alphonsus. At enim multo moderatior, ac pene dixerim severior est Tamburinius. Ubi enim obligationem exprimendi tempus S. Alphonsus non imponit, nisi ubi ad duos aut tres dies actus protrahatur, Tamburinio ad id sufficiunt sex aut decem horae. Sic enim ille (*l. c. n. 49.*) ad quaestionem, *An debeas explicare, te in uno actu concupiscentiae v. gr. vel desiderii graviter laedendi inimicum, durasse tot vel tot horas*, respondet: *Dico: cum in aliquo ex his actibus uno calore concupiscentiae, unoque impetu in eadem cogitatione persistis, semel moraliter peccas; atque adeo non erit tempus explicandum. Quoniam vero quando huiusmodi actus v. gr. per sex vel decem horas perseverant, impossibile moraliter est, ut id uno eodemque impetu fiat; ideo necessarium tunc et sufficiens erit dicere:* Per sex horas, vel per decem concupivi etc. *Sic enim vel explicabuntur interruptiones, quae humano modo solent intercidere etc.*

Egregiis VV., qui accuratissimam parant Theologiae S. Alphonsi editionem, deservire haec poterunt, ut huiusmodi notae scriptoribus immerito inustae ab eximio S. Doctoris opere auferantur.

non completur, nisi consummato actu principaliter intento. Sic qui furtum patrare statuerit, unicum committit peccatum, licet per plures dies de eo cogitaverit, propositum pravum saepius renovaverit ad hoc viam susceperit, tempus opportunum quaesierit, etc.; prio, quippe voluntatis actus in illo ipso effectu vel opere externo perrseverare virtualiter censetur (*a*).

163. **Resolves ex dictis.** — 1° Unicum peccatum committit, qui intendens fornicationem, mulierem turpiter tangit, osculatur, turpibus allicit colloquiis, et tandem fornicatur; ratio, quia omnes illi actus praevii ad actum consummatum natura sua ordinantur. Si vero ab initio voluisset tantum mulierem tangere, et postea libidine inductus copulam perfecerit, duplex erit peccatum, adeoque non satis erit si copulam confiteatur. — *S. Lig. n. 43.*

2° Unicum facit peccatum Sacerdos, qui integrum Officium vult una die omittere, quia singulae Horae ordinantur ad complendum unum Officium. Duo autem peccata faceret, qui prius voluisset tantum omittere Matutinum, et postea nollet reliquas Horas recitare, quia duplex foret plane distinctus actus malae voluntatis.

3° Unicum perpetrat peccatum, qui ex eodem impetu passionis actum malum multoties repetit, v. gr. pluries se vel alium turpiter tangit, etiam cum aliqua interruptione; pluries inimicum percutit, vel ei plurima mala imprecatur, etc.; ratio, quia unicus est pravus voluntatis affectus, et actiones illae variae moraliter uniuntur. — *Ita communiter. — S. Lig. n. 50.*

**(*a*) Ita S. Alphonsus (*Lib. 5. n. 40.*): *Si quis proponat occidere hominem, et idcirco arma praeparet, viam arripiat, et inimicum occidat; unum peccatum committit, licet per plures dies illum quaesierit, et pluries voluntatem repetierit. Ita communiter S. Bonav... et S. Thomas etc.*

Illud hic iuverit advertere, S. Alphonsum pro ista thesi etiam Vasquezium post Salmanticenses (*Tr. 20. C. 12. n. 36.*) allegasse; sed longe alia est Vasquezii sententia. Nam (*In 1. 2. Disp. 75. c. 2. n. 7., et de Poenit. ad Q. 91. art. 1. dub. 5. n. 12., et alibi*) eatenus tantum admittit unum esse peccatum, quatenus usurpatio mediorum, v. gr. parare arma, unam eandemque participat malitiam, quae propria est finis. Caeterum peccatum multiplicari contendit non modo per *interruptionem somni* incidentis per iter, dum inimicum quaerit (*Disp. 75. c. 3. n. 11.*), sed etiam *per inconsiderantiam naturalem, cum homo finem, ad quem tendit, nec expresse nec confuse considerat in ipso opere, quod facit: quemadmodum cum quis iter facit, ut occidat inimicum, et interim animus ita distrahitur ut nec recordetur homicidii, nec loci quo tendit, nec ipsius itineris* (*ibid. n. 12.*). Immo eo usque provehitur, ut per interruptionem multiplicari peccatum dicat, si inter haec dum de opere cogitatur, desit consideratio malitiae. Ita ille (*ibid. n. 13.*): *Cum dicimus peccatum interrumpi per inconsiderantiam, non intelligi debet per inconsiderantiam ipsius operis aut finis, sed etiam per inconsiderantiam malitiae, quando talis est, ut licet homo advertat, se ire v. gr. Toletum, quo initio se conferre decrevit animo occidendi inimicum, sed in ipso itinere prorsus obliviscitur malitiae finis non solum speciatim, sed etiam confuse, iam non dicitur continuari peccatum.* Quae quidem, prorsus singularia, nimis a sensu ac praemissa S. Alphonsi sicut et communi aliorum doctrina aberrant.

4° Unicum peccatum facit, qui plures simul Fidei articulos negat, quia unicum est Fidei motivum, proinde aeque infidelis est qui unum articulum, ac qui omnes negat. — *Ita communiter.* — Item *probabiliter* unicum facit peccatum, qui eodem actu duodecim Apostolos blasphemat; quia omnes blasphemiae in Sanctos malitiam desumunt ex una relatione ad Deum. — *S. Lig. n. 47.*

5° Unicum facit peccatum, qui summam aliquam determinatam pecuniae furari intendens, pluribus vicibus, ne detegatur, eam subripit, quia unicus est pravus voluntatis actus, qui in ultimo furto consummatur (*a*). E contrario plura patrat peccata, qui pluribus vicibus ex eadem pecuniae massa furatur, quin totam auferre ab initio statuerit, quia singula furta obiectum in se totale efficiunt.

6° Plura peccata facit, qui cum eadem pluries successive fornicatur; quaelibet enim fornicatio in se terminatur, seu obiectum totale constituit. — *S. Lig. n. 46.*

7° Plura peccata committit, qui ieiunium praescriptum per plures dies omittere statuit; nam licet illae omissiones oriantur ex una eademque voluntate, adhuc sunt plura peccata confitenda ut distincta, quia inter se nullam habent unitatem. — *Lugo, de Poenit. D. 16. n. 539.* — *S. Lig. n. 46.*

8° Utrum vero unum vel plura peccata dicenda sint, quando obiecta materialiter et physice numero distincta ad unum actum referuntur, atque adeo utrum horum obiectorum numerum necesse sit in confessione exprimere, *controvertitur* (*b*). Alii cum *Suar., Fil-*

** (*a*) VV. huic resolutioni opponunt, quod S. Alph. (*Lib. 5. n. 44.*) censeat, *tunc centum peccata committi, quia singuli* (centum) *actus habent in se consummatam malitiam.*

Resp. S. Alphonsus disserit de eo, qui *centenis vicibus moraliter interruptis ea surripiat;* Gury autem non disserit de actibus *moraliter* interruptis.

Croix (*Lib. 5. n. 170.*), quem exscripsit deinde Mazzotta (*Tom. 1. Disp. 1. Cap. 2. prop. fin.*), contendit, actus esse *moraliter* interruptos, quia *singuli actus ex se non ordinantur ad invicem,* et quia (ut ait Mazzotta) *singuli actus non ordinantur ad consummationem unius operis.*

Resp. Nego opus esse, ut actus ex se *ad invicem* ordinentur; ut enim ait S. Alphonsus (*l. c. n. 41.*), *actus externi moraliter uniuntur, si ad eiusdem peccati consummationem diriguntur.* Et revera quaenam ordinatio *ad invicem* inter *emere arma,* et *viam carpere* ad occidendum? Quaenam *ad invicem ordinatio* (sunt exempla a S. Alphonso allata) inter sermones et oscula et tactus? Non igitur horum inter se *ad invicem* ordinatio, sed eorum ex intentione agentis ordinatio ad unius operis consummationem unum *moraliter* opus constituit, adeo ut ista ordinante intentione adempta, omnes illi actus, qui, non secus ac furtula in casu, *habent in se malitiam consummatam, tamquam distincta peccata,* ut ait S. Doctor (ibid. n. 43.), *debeant explicari.* Quod vero Mazzotta non viderit, singulas surreptiones ordinari ad integri furti consummationem, mirum videbitur; sed nihil videri mirum debet, si quando scriptor alter ab altero mere transcribat.

(*b*) Sunt qui hanc quaestionem sic proponunt: *An ex diversitate vel multiplicitate obiectorum totalium multiplicentur peccata.* Sed non satis

liucc., Lugo, unum esse peccatum dicunt; alii vero cum *S. Alph.* plura esse peccata volunt. Sua utrique sententiae probabilitas favet.

apte. Neque enim, qui negant peccata multiplicari, supponunt plura obiecta *totalia,* sed obiecta materialiter plura per modum unius obiecti adaequati concipi dicunt.

Deinde cum plura illa obiecta per modum unius concepta ad unum operantis actum habere debeant respectum, iidem auctores distinguunt, sitne efficax actus voluntatis, uti propositum, an vero inefficax, uti, v. gr. simplex affectus seu complacentia. Nam in casu posteriori cum voluntas plura illa non respiciat tamquam effectum consequendum, sed mere tamquam complacentiae obiectum, unicam malitiam atque adeo unum peccatum haberi tenent etiam plures ex illis, qui opinionem S. Alphonsi alioqui sectantur. Vid. Dicastill. *De Poenit. Disp. IX. Dub. 4. n. 256.*

Si vero sermo sit de voluntatis actu efficaci, unitatem vel multiplicitatem peccati non ex unico voluntatis interiori actu desumi volunt, sed ex natura quoque actus exterioris, num scilicet plura illa obiecta unico vel pluribus externis actibus attingantur. Vid. De Lugo, *De Poenit. disp. 16. n. 539.* Hinc unum utique peccatum reperiunt in unica detractione, quae alioqui plurium, v. gr. unius familiae seu Collegii famam laedat (Lugo, *ibid. n. 135.*), aut in actu, qui in plurium scandalum cedat; at non sic definiunt de proposito, quo quis, v. gr. ad plures mulieres, aut pluries ad eamdem accedere, aut triduo ieiunium seu horas canonicas omittere decernit (Lugo, *ibid. n. 546.*).

Caeterum si quis de ista quaestione ex pondere auctoritatis diiudicare volens, genuinas DD. sententias instituat suismet ipse oculis inquirere potiusquam aliis eos allegantibus caeca fide confidere, reperiet longe plures et quidem e gravioribus, pro ea opinione stetisse, quae poenitentem ab obligatione exprimendi obiectorum numerum eximit, et insuper plerosque veterum, qui hunc numerum exprimendum tenuerunt, ad id adductos fuisse, non quod plura pro obiectorum numero peccata agnoscerent, sed quod circumstantias aggravantes, cuiusmodi putabant obiectorum multiplicitatem, in confessione exprimendas esse opinarentur.

** Notant VV. (*Pag. 912.*), non indicatos cerni hic illos *longe plures Auctores, qui ab obligatione exprimendi numerum obiectorum eximunt.*

Resp. 1° Supervacaneum opus visum est. Nonne enim duodecim referebat S. Alphonsus (*Lib. 5. n. 45.*) et quidem non infimae notae? Nonne quinque alios addunt Salmanticenses (*Tr. 20. c. 12. n. 59.*)? Nonne tres alios Diana (*Tom. 1. Tr. 7. Res. 24. et 26.*)? Nonne his alios quindecim addit Mendo (*Stater. Opin. Disp. 2. n. 2-4.*)? Nonne alii quatuor apparent in lepido illo Dialogo Caramuelis cum Diana (*Theol. Fund. XXIX. a n. 729.*)? Nonne addi poterant Stoz (*apud Croix Lib. 5. n. 150*), et Struggl (*Tr. 2. Q. 1. art. 4. n. 42. 43*), et allegatus Mendo (*l. c.*), et Catalani (*De Pecc. Q. 12. Cap. 10. n. 12.*), et Roncaglia (*Tr. 2. Q. 1. Cap. 2. q. 2. Resp. 2.*), et Wagemann (*Synops. Theol. mor. Part. I. n. 45*), et apud ipsum Antonius Mayr, et (*apud Lugo De Poen. Disp. 16. n. 135.*) Emmanuel Rodriguez, et Illsung (*apud Reuter Tom. 1. Tr. 5. n. 352.*) etc.?

2° Ad reddendam rationem reliquae partis istius notae ostendendum deinde fuisset, plerosque veterum alia de causa affirmasse, obiectorum numerum esse confitendum. Insuper indicandum fuisset, quinam hinc et inde non pleno iure allegantur. Ut enim optime advertit Croix (*Lib. 5. n. 156.*), Auctores saepissime proponunt resolutiones, quae cum praestitutis principiis non videntur cohaerere, unde fit, ut pro utraque diversa theoria allegentur. Porro istiusmodi opera non congruit Compendii brevitati.

3° Neque solum opera non congruit brevitati Compendii, sed vix ullam praefert utilitatem praeter aliquam notitiam levis pro Auctoris scopo mo-

Hinc probabiliter unicum facit peccatum, qui unico actu plures feminas desiderat, plures homines occidere intendit, vel rapit crumenam ad plures socios pertinentem (*a*).

164. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An explicanda sint in confessione media ad peccandum adhibita, si peccatum postea non fuerit consummatum?*

Resp. Alii affirmant, etiamsi media illa non fuerint mala in se, uti viam suscipere, scalam deferre ad furtum, etc. Ratio est, quia peccatum tunc non manet tantummodo internum, sed mediis istis externum evadit. Actiones enim illae, licet indifferentes sint *in se,* malae tamen ex fine malo evadunt. *Alii* vero *negant probabiliter* (*b*), nisi media ista in se mala sint, et tunc indicari debent, et quidem omnia, si sint specie diversa, ut tactus, aut verba obscena ad sollicitandum adhibita.

165. — Quaer. 2° *An plura peccata faciat, qui unico actu pluribus detrahit, vel coram pluribus?*

menti. Nam nunquid negari potest sua utrique sententiae probabilitas, quam et adversarii concedunt? Atqui id iam sufficit ad quaestionem definiendam. In controversia enim, utrum adsit obligatio exprimendi in confessione obiectorum numerum, hinc probabilitas non sufficit ad imponendam obligationem, inde vero sufficit ad eam negandam. Quorsum ergo inanis ulterior labor cum inutili temporis iactura?

4° Quid in allegandis AA. subinde fiat, videsis apud VV. exemplum. Citant (*l. c.*) etiam *Zachariam Lib. 5. n. 149.* At enim num putant Theologiam Claudii La Croix scriptam a Zacharia, quia frons libri in quibusdam editionibus, v. gr. Veneta an. 1755, nobiliori loco praefert nomen Zachariae, inferiori autem nomen Croix? Quod si, ut verisimilius est, putarunt, Zachariam probasse omnes opiniones Claudii La Croix; ergone probavit etiam opinionem oppositam Laymanni, cuius opus itidem suis notis illustratum Zacharias edidit?

(*a*) Primum ex hisce casibus fac accipias de inefficaci complacentia; secundum autem de pluribus unico ictu occidendis. Quoad tertium exemplum rem sic conficit De Lugo argumento a pari (*De Poenit. Disp. 16. n. 139.*): *Probari potest doctrina nostrae illationis ex alio exemplo, quod admittit ipse Vasquez..., quod scilicet peccatum aliquod contra duo praecepta duorum superiorum non habet duas malitias, nec ea circumstantia debet in confessione explicari, si sint praecepta eiusdem rationis; utraque enim est malitia inobedientiae, atque adeo peccatum contra praeceptum divinum et humanum non habet duplicem malitiam inobedientiae... Ex quo argui potest ad casum nostrum. Nam peccatum illud fit etiam contra ius utriusque superioris, et laedit ius, quod uterque habet, ut ei obediatur, quae iura sunt diversa, atque adeo damnum illatum videtur esse diversum, sicut quando laeditur duplex ius duorum ad famam vel ad vitam; et tamen illa duplex laesio iurisdictionis non debet explicari in confessione; ergo nec in nostro casu.*

** (*b*) Monent hic VV. (*Pag. 912.*), Vivam apud S. Alphonsum (*Lib. 5. n. 42.*) *valde probabiliter* dixisse, explicanda esse haec media, *licet sint indifferentia.*

Resp. Probabilitas *negativae* sententiae sufficit, ut negetur obligatio eiusmodi media explicandi. Probabilitas vero affirmativae adeo non sufficit ad obligationem asserendam, ut nefas sit Confessario eam imponere. Vid. AA. apud Diana (*Tom. 1. Tr. 7. Res. 59.*).

Resp. ad 1um *Controvertitur,* et duplex datur sententia probabilis, ut dictum est supra *resol. 8.*

Resp. ad 2um *Controvertitur. Probabiliter* unicum tantum facit peccatum; quia detrahere coram pluribus est tantum circumstantia aggravans: ius enim ad famam est unicum apud omnes, non vero multiplex. Proinde probabiliter nulla est obligatio explicandi in confessione numerum personarum, coram quibus aliquis detraxerit, sed sufficit dicere: *Detraxi coram pluribus. — S. Lig. (ut probabile) n. 49.* (*a*). — *Lug. — Azor,* etc. contra *Lacroix et alios.*

QUAER. 3° *An plura peccata committat, qui plura mala diversa optat inimico?*

Resp. 1° *Affirm. per se,* si imprecantis intentio determinate feratur ad mala speciei diversae, v. gr. infamiam et mortem; quia desiderium speciem sumit ab obiecto desiderato, ut infra dicetur *n. 167. — S. Lig. n. 50, et clarius, Hom. apost. n. 65. et alii communiter contra aliquos.*

Resp. 2° *Neg. per accidens,* quia scilicet haec mala diversa fere apprehenduntur sub generali mali ratione, ut media ad perniciem; quod fieri solet quando imprecationes ex impetu irae procedunt. — *S. Lig. ibid.*

166. — QUAER. 4° *An plura faciat peccata, qui diu differt restitutionem?*

Resp. Neg., si perseveret habitualiter in voluntate rem alienam retinendi, quia mala voluntas *per modum continui* cum re iniuste retenta perseverat. Attamen si iniustus possessor per notabile tempus restitutionis faciendae fuerit oblitus, et postea pravum propositum renovaverit, novum peccatum committet, quia mala eius voluntas moraliter interrupta censetur. — *S. Lig. n. 40. et alii communiter* contra *alios,* qui dicunt, iniustum rei alienae possessorem toties peccare, quoties ad obligationem restituendi attendit (*b*). — *V. Casus, n. 150. et seq.*

** (*a*) Ita S. Alph. (*Lib. 5. n. 49.*): ***Probabile est, non esse obligationem explicandi numerum personarum, coram quibus facta est detractio.***

Attamen VV. obiiciunt (Pag. 913. n. 19.), iuxta S. Alphonsum (*Prax. Conf. n. 43.*) Confessarii munus esse, ut de hoc poenitentem interroget.

Resp. N. consequentiam. Nam plura interrogare potest Confessarius etiam ut mere consiliis adiuvet poenitentem, v. gr. in casu quomodo locus esse possit restituendae famae. Quod vero addunt VV. de obligatione numerum explicandi, ostendant, ubinam S. Alphonsus docuerit, detractionem nexum cum scandalo necessarium habere.

(*b*) Cum teneri tuto possit S. Alphonsi doctrina (*Lib. 5. n. 40.*) nempe, quod ***si quis statuit non restituere rem alienam, et in eadem voluntate semper, adhuc per annum, maneat, unum peccatum committit;*** quam doctrinam ipse (*Lib. 3. n. 683.*) probabiliorem censet; consequitur, nihil opus esse in confessione exprimere, brevine, an diuturno tempore retenta res aliena fuerit. Et sane id non opus est ratione diuturni temporis, quia diuturnitas est circumstantia mere aggravans; quam in rem apposite Diana (*Tom. 1. Tr. 7. Res. 157.*): ***Circumstantiae aggravantes non sunt necessario***

PARS SECUNDA

DE PECCATIS IN SPECIE

Agendum 1 de peccatis internis; 2° de peccatis capitalibus.

CAPUT I.

DE PECCATIS INTERNIS

167. — Triplex eorum classis distinguitur, scilicet

1° *Delectatio morosa,* seu libera complacentia in re mala per imaginationem exhibita ut praesente, sine desiderio.

2° *Gaudium,* seu deliberata complacentia rei malae praeteritae, seu operis mali peracti sive a se, sive ab alio (*a*).

3° *Desiderium,* seu actus voluntatis rem malam exoptantis. Dicitur efficax, si adsit intentio seu absolutum propositum id exequendi; secus inefficax vocatur (*b*). — *S. Lig. n. 15.*

Quaenam autem sit horum malitia, et quaenam species, his paucis teneto:

I. *Desiderium etiam inefficax* est vere peccatum, et induit species tum obiecti tum circumstantiarum.

confitendae; sed dicta diuturnitas est tantum circumstantia aggravans. Ergo. Sed neque ratione multiplicis peccati. Unde Diana (*l. c. n. 4.*): *Notet hoc Confessarius, et a multis scrupulis immunis erit: nam poenitens in confessione satisfacit tantum se accusando, non restituisse rem alienam: nec interrogandus est de tempore et de diuturnitate retentionis, vel de numero peccatorum, quae aliqui in tali diuturnitate committi putant; dummodo non proposuerit restituere, et postea mutato animo determinaverit, amplius restitutionem non facere.*

(*a*) Complacentia hic non dicit voluptatem aut delectationem haustam ex obiecti mali consideratione, sed potius quandam approbationem, qua voluntas perpetratum malum gratum et acceptum habet: quae quidem approbatio dici potest gaudium eo sensu, quod quis de malefacto non modo non dolet, uti oporteret, quinimo potius gaudet.

Caeterum gaudium proprie dicitur etiam de bono praesenti; imo definiri solet *boni possessi et amati fruitio* (*Suarez, In 1. 2. Tr. 2. Disp. 7. Sect. 1. n. 3-5.*). Qua de re ita S. Thomas (*1. 2. q. 31. art. 3.* o): *Gaudium est quaedam species delectationis... Delectamur enim et in his, quae concupiscimus, ea adipiscentes..... Sed nomen gaudii non habet locum nisi in delectatione, quae consequitur rationem; unde gaudium non tribuimus brutis animalibus, sed solum nomen delectationis.*

(*b*) Efficacia aliqua etiam in desideriis inefficacibus adsit oportet; secus ne nomen quidem desiderii haec mererentur. Adest scilicet voluntas conditionate efficax, quae ad opus transiret, nisi quid aliud obsisteret. Hinc bene S. Alphonsus (*Lib. 5. n. 15.*): *Inefficax dicitur desiderium, si non proponit* (absolute) *exequi, sed consentit, quod exequeretur, si posset, cum, v. gr. dicit: Si possem furari thesaurum Ecclesiae, furarer.*

Ac 1° est *vere peccatum*. Constat enim ex praecepto, *Non concupisces*, quod generatim et indefinite intelligi debet de prohibitione cuiuslibet pravi affectus. Insuper omne rei prohibitae desiderium rectae rationi repugnat: turpe enim et inhonestum est desiderare, nempe sibi id exequendum aut absolute aut conditionate proponere, quod exequi non licet.

2° *Induit speciem obiecti sui*. Quodlibet enim desiderium, etiam inefficax, in obiectum suum tendit, et proinde est volitio *malitiae specialis* istius obiecti, adeoque eius specificam malitiam contrahit (*a*). Constat etiam ex verbis Christi, *Matth. 5. 28.: Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo*. Moechari autem in Scriptura ubique pro adulterio intelligitur. Ergo...

3° *Induit etiam species circumstantiarum obiecti*. Nam desiderium, cum tendat in obiectum, illud attingit uti est in se cum suis circumstantiis. Ergo totam malitiam etiam circumstantiarum contrahit. Hinc in confessione, v. gr. desiderii fornicandi, declarandae sunt circumstantiae consanguinitatis, affinitatis, vinculi matrimonialis, aut voti castitatis, quae personam desideratam afficiant. — *S. Lig. n. 12*.

168. — II. *Gaudium* itidem est peccatum et quidem eiusdem speciei ac actio mala, circa quam versatur, induitque pariter species circumstantiarum ipsi adnexarum, non secus ac ipsum desiderium. Ratio, quia *gaudium*, ut supra diximus, est mali praeteriti approbatio; haec igitur actum peccaminosum amplectitur, qualis in se extitit, suis nempe circumstantiis vestitum. Ergo etiam harum totam malitiam induit.

Hinc qui in peccatorum praeteritorum recordatione sibi complacet, eaque approbat, in confessione explicare debet obiectum huius complacentiae, atque circumstantias speciem mutantes, perinde ac si denuo opere peccasset.

Ad gaudium revocanda est iactantia de peccato commisso, displicentia de malo non patrato, necnon tristitia de bono peracto (*b*).

169. — III. *Delectatio morosa* 1° est certum peccatum; 2° certo etiam variat gravitatem et speciem pro varietate obiectorum menti exhibitorum.

(*a*) Actus internus, de quo heic agitur, respicit actum externum, uti executioni (vel absolute vel saltem hypothetice) mandandum; necessario igitur fertur in illum secundum omnes conditiones et circumstantias, quae illum afficiunt, sive ad ipsum necessario praerequirantur, sive illum inseparabiliter comitentur, sive ex illo sponte sua consequantur.

(*b*) Hoc intellige de opere praesertim, quod stricta obligatione praestandum fuerat; et sic tristitia tale peccatum erit, quale fuisset nolle obligationem implere. Si vero sermo sit de bono actu, ad quem quis non tenebatur, eiusmodi boni sine iusta causa poenitere non carebit sane culpa aliqua veniali; quippe contra rationem id est, cum proprium poenitentiae obiectum sit res mala; nulla autem culpa erit, si causa adsit poenitentiam cohonestans. Confer quae habet Sanchez de eo, quem voti emissi poeniteat (*In Decal. Lib. 4. Cap. 12. n. 2.*).

Ratio primi est, quia naturae rationali et legi divinae repugnat voluntatem gratum habere id, quod rectae rationi dissentaneum est, et Deo displicet. Insuper delectatio deliberata de obiecto malo affectum in illud arguit: atqui affectus in obiectum malum est affectus malus, ut patet (*a*). Ergo... Hinc *Osee 9. 10: Facti sunt abominabiles sicut ea quae dilexerunt.* Et *Prov. 15. 26: Abominatio Domini cogitationes malae.* Ergo...

Ratio secundi est, quia quisquis delectatur de obiecto in se malo, illud approbat, eique affectu suo adhaeret. Ergo quo gradu ac specie obiectum sit malum, eodem plane erit mala eiusdem delectatio. Ergo... — *S. Thom. 1. 2. qu. 74. art. 8.* — *S. Lig. n. 15.*

170. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An delectatio morosa induat etiam malitiam specificam circumstantiarum, ut desiderium et gaudium?*

Resp. Controvertitur. *Neg. probabiliter.* Ratio est, quia simplex delectatio non tendit in obiectum ut ponendum, sed in eo quiescit ut repraesentato per intellectum. Porro intellectus abstrahit ab aliis obiecti proprietatibus praeter illam quae delectationem movet (*b*). *Lugo, Laymann, Reuter, Bonacina,* etc. contra alios, qui

(*a*) Reatus morosae delectationis facile apparet, cum reipsa nihil aliud sit, quam *consensus in delectationem mali operis.* Ita S. Thomas, ubi egregie distinguit delectationem de cogitatione mali operis, quae huc non spectat, et delectationem de malo opere cogitato (*1. 2. q. 74. art. 8.*): *Aliquis de fornicatione cogitans, de duobus potest delectari. Uno modo de ipsa cogitatione: alio modo de ipsa fornicatione cogitata... Cogitatio autem ipsa secundum se non est peccatum mortale, imo quandoque est veniale tantum, puta cum aliquis inutiliter cogitat de ea; quandoque autem sine peccato omnino, puta cum aliquis utiliter de ea cogitat, sicut cum vult de ea praedicare vel disputare. Et ideo per consequens affectio et delectatio, quae sic est de cogitatione fornicationis, non est de genere peccati mortalis, sed quandoque est peccatum veniale, quandoque nullum. Unde nec consensus in talem delectationem est peccatum mortale... Quod autem aliquis cogitans de fornicatione delectetur* DE ACTU IPSO *cogitato, hoc contingit ex hoc quod affectio eius inclinata est in hunc actum. Unde quod aliquis consentiat in talem delectationem, hoc nihil aliud est, quam quod ipse consentiat in hoc, quod affectus suus sit inclinatus in fornicationem: nullus enim delectatur nisi de eo, quod est conforme appetitui eius. Quod autem aliquis eligat, quod affectus suus conformetur his, quae secundum se sunt peccata mortalia, est peccatum mortale. Unde talis consensus in delectationem peccati mortalis est peccatum mortale.*

Brevius Laymann (*Lib. 1. Tr. 3. Cap. 6. n. 2.*): *Aliud est delectari de re cogitata, v. gr. fornicatione, ita ut formalis ratio delectandi ex ipsa re sit, cogitatio vero sit tantum conditio proponens et applicans rem cogitatam: aliud vero est delectari de cogitatione, v. gr. fornicationis, ita ut formalis ratio delectandi sit ex ipsa cogitatione... Nos hic loquimur de delectatione,* QUAE CAPITUR EX RE IPSA. *Cum enim cogitatio rei malae per se mala non sit, sed interdum bona, velut si de rebus turpibus cogites docendi vel monendi causa, interdum autem venialiter mala, ut si ex curiositate de eisdem cogites; sequitur, delectationem quoque de eiusmodi cogitatione tamquam obiecto, per se malam non esse, sed interdum bonam, interdum venialiter malam.*

(*b*) Non inficiatur ista opinio, specificam malitiam etiam ex circumstan-

contendunt simplicem delectationem omnes obiecti species induere, sicut ipsum desiderium. Utramque sententiam probabilem dicit *S. Lig. lib. 5. n. 15.* (*a*).

171. — Quaer. 2° *An liceat desiderare malum sub conditione, si licitum sit?*

Resp. Dist. *Affirm. per se,* si conditio apposita totam rei malitiam tollat; ratio, quia talis affectus nullam involvit deordinationem neque in se neque in obiecto, a quo per conditionem malitia omnino excluditur. *Neg.* vero in alia hypothesi; ratio, quia talis affectus tendit in obiectum malum, et quidem absolute, cum conditio non tollat malitiam ab obiecto etiam ut repraesentato, et proinde tota malitia obiecti in actum voluntatis refundatur. Et quidem sunt quaedam obiecta, circa quae conditio utcumque apposita malitiam tollere nequit. Etenim quae intrinsece mala sunt, mutari nequeunt, et proinde inutiliter conditio apponeretur, siquidem talia optare, per se foret desiderare ut lex et ordo naturae immutetur. — *S. Lig. n. 27.; Hom. apost. n. 50.*

Attamen *probabiliter* a peccato gravi excusandus ille est, qui tali desiderio nollet certe, ut id quod malum esset intrinsece, fieret licitum, sed tantum propensionem suam in illud obiectum osten-

tiis desumi, si istae quoque sint delectationis obiectum; verum *si delectatio* (ut ait Sanchez in *Decal. Lib. 1. cap. 2. n. 11.*, quem proinde non secus ac plures alios ibi a Sanchezio relatos, perperam Salmanticenses pro opposita sententia allegant *Tract. 20. Cap. 13. n. 31.*) *non feratur in obiectum secundum totam suam malitiam apprehensum, sed secundum partem, uti in feminam apprehensam quidem ut non suam, non tamen ut est alii nupta, vel monialis; non habebit integram operis externi malitiam, sed solum apprehensam, et ea sola fatenda erit, et reducetur ad simplicis fornicationis speciem.*

Quae sane hypothesis in rei natura fundatur. Contingit enim, ut voluntas in id feratur, quod utique est delectabile, cuius tamen circumstantiae, nedum alliciant, appetitum potius retundant, v. gr. quod mulier sit iam alteri nupta, quod monialis sit, vel consanguinea, etc., quod innuunt et Salmanticenses (*Tract. 20. Cap. 13. n. 30.*), ubi bene advertunt, superius dicta valere quidem de circumstantiis *obiecti,* non autem de circumstantiis *personae peccantis*, v. gr. si coniugatus sit aut voto castitatis obstrictus, licet ad delectationem hae circumstantiae nihil conferant.

**(*a*) S. Alphonsus licet A. sententiam dicat *valde probabilem*, subdit tamen (*ibid.*), sibi *valde placere,* quod ait Holzmann (*de Praec. Decal. Tr. 2. n. 698.*), explicandam esse v. gr. circumstantiam adulterii *ratione proximi periculi concupiscendi saltem inefficaciter* etc. Et VV. (*Pag. 913. n. 20.*) huc revocant quae S. Doctor alibi habet (*Hom. Ap. Tr. 3. n. 48.*), ubi post allegatas nonnullas ex indicatis falsis allegationibus Salmanticensium, subdit, *in praxi... sine dubio esse explicandas in delectatione omnes obiecti circumstantias.*

Resp. Opinio Holzmanni locum habere poterit, quando qui morose de malo obiecto delectatur, simul cognoverit, obligationem se tunc violare praecavendi grave ac proximum periculum labendi in pravum eiusdem obiecti desiderium. Secus vero in alia hypothesi. Ratio patet ex primis ethicae principiis; neque enim ullum unquam peccatum committitur, si notio aliqua obligationis non praeluceat.

deret. — *S. Lig. Hom. apost. ibid.,* cum aliis. Caeterum nemo non videt, quam periculosa sint huiusmodi desideria, etiamsi apposita conditio totam malitiam auferret, praesertim in prohibitis iure naturali, licitis tamen in aliquo casu vel statu, v. gr. occiderem inimicum, si Deus mandaret; uxorem acciperem, si non essem sacerdos aut voto ligatus; libens nuberem Caiae, nisi haberem uxorem; quae desideria Caietanus (V. *Cogitationis peccata*) merito appellat tentationes fatuas et diabolicas; quippe quamvis licitum sit eiusmodi desiderium, illicita tamen est praesens de illo obiecto delectatio, quae in re venerea facile cum desiderio coniuncta reperietur. Imo dissuadenda sunt etiam alia desideria conditionata circa res solo iure positivo prohibitas, quia ut plurimum otiosa sunt, et aliquando affectu aliquo inordinato laborare possunt (*a*).

172. — Quaer. 3° *An liceat delectari de omissione inculpabili alicuius praecepti ex oblivione relicti?*

Resp. Neg., si gaudium referatur ad omissionem prout est obiective mala. *Affirm.* vero, si tantum ad voluptatem vel commodum secundum se honestum referatur. — *Suarez, de Pecc. D. 5. sect. 7. n. 15.* — *Lugo, de Poenit. D. 16. n. 389.,* etc. contra *alios,* qui absque distinctione negant (*b*).

(*a*) Aliquando nec otiosa nec inordinata eiusmodi desideria esse possunt, si nimirum sint de obiecto bono, v. gr. si idonea apposita conditione coniugatus desideria foveret de sacris ministeriis obeundis, et communione calicis fruenda, vel Religiosus, paupertatis voto obstrictus, de elargiendis eleemosynis, extruendis nosocomiis, ornandis templis, etc., aut clericus de inimicis Ecclesiae iusto praelio perdendis, etc.

(*b*) Suarez et Lugo, ab A. hic allegati, tum etiam alii communiter hoc tradunt non solum de *omissione operis praecepti,* sed generatim de quovis actu secundum se malo, quem tamen quis sine culpa, ex inadvertentia scilicet, vel ignorantia, aut in amentia, somno, ebrietate praestiterit, nempe *licitum non esse gaudere de actu praeterito secundum se et propter eius voluptatem; licitum tamen esse gaudere de bono effectu inde sequuto, atque adeo de illo actu tantum ut causa fuit talis effectus*, ut ait Suarez.

Ubi sedulo adverte illa verba: *Secundum se et propter eius voluptatem:* his enim ratio excluditur, ob quam S. Alphonsus (*Lib. 5. n. 20.*) cum Sanchez et aliis nonnullis ab hac doctrina discedere videtur. Scite enim advertit Sanchez (*in Decal. Lib. 1. Cap. 2. n. 16.*), praedictas causas (quae ad defectum liberi consensus reducuntur) excusare quidem opus exterius a culpa, non item licitam efficere *delectationem operi malo insitam*, quae dein libere capiatur. Atque hinc solutio quaestionis, an liceat gaudere de pollutione in somnis, vel etiam eam desiderare. Ut enim docet S. Thomas (*in 4. Dist. 9. Q. 1. art. 4. q. 1. ad 5.*) peccatum erit, *si pollutio propter delectationem placeat;* secus vero, *si placeat ut naturae exoneratio vel alleviatio.* Qua de re vide eundem S. Thomam (*2. 2. q. 154. art. 5.*), ubi (contra ac habeat S. Alph. *l. c.*) ad naturalem pollutionis causam revocat turpe somnium, ad quod reduci possunt et tactus seu motus idem somnium consequentes. *Cum enim* (inquit) *humor seminalis abundat in corpore, vel cum facta est humoris resolutio..., somniat dormiens ea, quae pertinent ad expulsionem huiusmodi humoris abundantis aut resoluti; sicut etiam contingit, quando natura gravatur ex aliqua alia superfluitate; ita quod*

173. **Resolves.** — 1° Si poenitens se accuset de aliqua prava cogitatione, interrogandus est, an cognoverit esse peccatum; et si re-

quandoque formantur in imaginatione phantasmata pertinentia ad emissionem talium superfluitatum.

** Duplicem VV. (*Pag. 140.*) movent querelam: 1° quod verba sup. allata frustra quaeres in textu Sanchezii; 2° quod Sanchezium in sensum suum A. detorqueat.

Resp. ad 1. Ibi sententia Sanchezii refertur, non autem verba. Si verbis Sanchezii expressam eam sententiam VV. cupiunt, ecce eam (*l. c.*): *Quoties causa excusans a culpa mortali factum exterius, nempe defectus consensus, non concurrit in ipsa delectatione; licet factum a culpa liberum sit, non tamen erit libera* (a peccato) *delectatio.... Ratio est, quia id factum erat* DE SE *mortale, solaque ignorantia aut rationis defectu liberum a culpa. Cum ergo delectatio illa simili excusante causa vacet, ac prorsus voluntaria sit, et circa obiectum* DE SE *mortale, mortalis erit.* Numquid non haec sententia in praemissis, utcumque aliis verbis, exprimebatur?

Resp. ad 2. Nulla ibi detorsio est nec detorsionis necessitas ulla adesse potuit. A. innuebat ibi, aliam esse hypothesim seu quaestionem, de qua Suarez, Lugo etc., qui licere gaudium affirmant, aliam vero hypothesim, de qua Sanchezius, qui id negat. Dignum auctoribus suis facinus fuit, ut Salmanticenses (*Tr. 20. C. 13. n. 48.*) quaestionem utcumque instituerent iuxta hypothesim Suarezii, Lessii etc., et dein more ipsis saepe consueto opponerent (*ibid. n. 49.*) illis Sanchezium, Azorium etc., qui quaestionem iuxta aliam hypothesim agitant. Magna S. Alphonsi erga Salmanticenses fiducia effecit, ut heic (sicut et alibi saepius) ista ab illis transcriberet, et insuper adderet Collet, Roncaglia, atque etiam Croix, qui postremus alioquin cum utramque instituat hypothesim, proinde, prouti res postulabat, in altera quidem (*Lib. 5. n. 89.*) consentit Sanchezio etc., in altera vero (*ibid. n. 91.*) Suarezio. Eo autem minus excusatione Salmanticenses dignos dixeris, quod cum apud Suaresium, Vasquezium, Lessium etc. utramque hypothesim clarissime propositam, et pro diversis causae meritis apte solutam cernere possent, illis auctores opposuerunt, qui de altera hypothesi ne verbum quidem iniiciebant. Quod vero VV. nemine praecedente aggressi sint (*l. c.*) refellere Suaresii etc. resolutionem pro diversa hypothesi, satis fuerit advertere, quaestionem eo adduci, utrum idem factum pro diverso aspectu seu consideratione possit, nec ne, diversum eumque rectum affectum ciere; quam quaestionem quisquis intelligat, de merito refutationis decernere per se poterit.

Addunt VV. (*pag. 142.*), ab A. interpellari S. Thomae auctoritatem. Sed ex relatis in Nota id falsum apparet. Ab A. enim tantum duo innuuntur. 1. Pro diversa consideratione licere aut non licere delectationem de nocturna illusione. 2. Doctrinae S. Alphonsi (*Lib. 5. n. 20.*), quod *obiective mala sit pollutio in somno, si ex tactu et turpi somnio eveniat,* obstare S. Thomam, qui etiam ex turpi somnio provenientem ad causam naturalem revocat. Et haec sufficiunt ad septemdecim columnas, quibus VV. lectorem detinent. Nam de Propp. damn. suo loco dicetur.

Circa quaestionem generalem in textu propositam iuverit indicasse, plures DD. distinguere inter prohibita iure naturae, ac prohibita iure tantum humano; et delectationem affirmare illicitam circa primum genus, non item quoad alterum, modo non fiat sub ratione prohibitionis. Ita Sanchez (*Lib. 1. Cap. 2. n. 10.*), Azor (*P. 1. Lib. 4. Cap. 6. Q. 1.*), aliique, quos sequitur S. Alphonsus (*Lib. 5. n. 27.*) inquiens, *ita tenendum..... quidquid dicat Croix* (*Lib. 1. n. 81.*). Mox tamen S. Doctor (*l. c.*) subdit: *Non licet tamen delectari de Missa ob oblivionem relicta, et simili; quia omissio est obiective mala, ut Roncaglia* (*Tr. 2. C. 3. q. 5.*) *cum Azor et Sanchez.*

Et reipsa sic scripsit Roncaglia, distinguens cum Salmanticensibus (quos

spondeat se eam detestatum fuisse statim ac cognovit turpem esse, iudicandus est omnino a peccato immunis. — Si respondeat, se habuisse per aliquod tempus aliquam confusam cognitionem malitiae, eique adhaesisse, sed non plene advertendo ad ipsius gravitatem, tunc facile quidem a gravi peccato excusandus est, sed non a veniali. Quod si nesciat se expedire ab his interrogationibus, ordinarie praesumendum est, eum non consensisse, vel saltem defuisse in eo plenum consensum, vel perfectam advertentiam, maxime si timoratae sit conscientiae. — *Saettler*.

2° Quamvis aliud sit delectari de re mala, aliud vero delectari de modo v. gr. industri, quo res mala peracta fuerit (quod sane carere culpa per se potest); attamen Confessarius facile suspicari debet de morosa delectatione in iis, qui libenter audiunt turpia, licet haec narrari non videantur nisi ad modum ingeniosum, quo peracta sunt, manifestandum; et profecto si sermo de actionibus honestis, utut ingeniosius peractis, haberetur, plerumque multo minorem delectationem perciperent. Idem dicito de iis, qui avide libros minus honestos lectitant (*a*).

tacito eorum nomine transcribit) utrum impedimentum implendi praeceptum extrahat ab obligatione praecepti, an tantum excuset. Hinc deducit, licere iuveni delectari de omissione ieiunii, ad quod nondum tenetur, et infirmis delectari de omissione Sacri; secus vero si id contingat ex oblivione, quia omissio tunc remanet obiective mala; tum Azorium et Sanchez allegat. Atqui Sanchez ipso loco a Roncaglia citato (*Lib. 1. C. 2. n. 16.*) oppositum docet et a regula generali istam addit exceptionem: *Intellige, nisi circa res solo iure humano prohibitas... sit delectatio de actu materiali, et quoad eius substantiam, praecisa prohibitione; quo casu diximus n. 10. non esse mortale delectari, etiam quando fractio praecepti est mortalis, nedum quando ob ignorantiam peccato liberatur.* — Azor vero (*Q. 1. Lib. 4. C. 6 Q. 1.*): *Si is, qui delectatur cogitans de esu carnium absolute et per se, non autem ut est certis temporibus interdictùs, non peccat, ideo est, quia delectationem non capit ex re mala, quatenus mala; nam esus carnium per se malus non est*. Quam doctrinam Tamburini (*Dec. l. 3. C. 5. §. 1. n. 2.*) applicat omissioni Breviarii, cum delectationis obiectum possit esse carentia laboris et vigiliae; et idem dicito de omissione Sacri, quando quis mere de vitata molestia itineris, pluviae etc. delectari potest. Cohaerentiae defectus in hac quaestione Salmanticensibus, quos et Roncaglia exscripsit, debetur; quippe qui (*Tract. 20. C. 13. n. 37.*) dicunt, *in prohibitis iure positivo posse praescindi substantiam operis ab eius prohibitione;* et deinde hoc ipsum obliviscuntur.

(*a*) In his potissime attendendum, an alias poenitens in pravam delectationem consentire consuescat. Alioquin enim quod quis propensius et avidius versetur in lectione vel auditione turpis argumenti, id non deliberatae ex turpibus delectationis indicium est, sed humanae infirmitatis; et licet reiiciatur delectatio, qua appetitus inferior sollicitatur, hoc non impedit, quominus infirma natura ad eiusmodi magis, quam ad alias materias versandas inclinetur; praesertim quod subinde accedit et quaedam curiositas, quae ad nova et insolita acui eo magis solet, quo minus homo sine iusta causa id operis suscipere auderet. Hinc sedanda anxietas, qua quidam interdum vexantur, quod in his potius quam aliis materiis pertractandis, aut in mulierum potius quam virorum audiendis confessionibus libenter versari sibi videantur.

3° Mortale non est tristari de obligatione non essentialiter praecepta, quatenus est molesta tantum, seu *in sensu diviso* legis, v. gr. de molestia ieiunii. — *S. Lig.*

4° Non licet delectari de re ipsa mala in se spectata, quia obiectum delectationis est semper malum. Licet tamen delectari de bono effectu, qui inde provenit, dummodo ordo charitatis non violetur (*a*). Hinc damnata est sequens propositio sub *n. 15.* ab In-

(*a*) Salmanticenses (*Tract. 20. Cap. 13. n. 47.*), quos sequutus est S. Alphonsus (*Lib. 5. n. 20.*), dissensionem hic inter doctores confingunt, et Vasquesium, Lessium, Palaum, etc. incusant, quasi licere doceant, ob effectum bonum *de peccato formaliter tali* delectari, ac proinde licite *affectum ob bonum finem in rem intrinsece malam terminari.* Sed perperam haec confinguntur, cum nulla in iis dissensio nisi forte verbo tenus, habeatur. Lessius, cui et alii consonant, audiatur *De Iust. et Iur. Lib. 4. Cap. 3. n. 105.*): *Cum quis dicitur gaudere de opere malo, quatenus illud est causa boni, dupliciter potest intelligi. Primo quod ob bonum effectum gaudeat, illud opus esse vel fuisse, vel a se factum esse; et hoc omnino est illicitum, si illud opus erat intrinsece peccatum: quia hoc est approbare peccatum, et illius habere complacentiam propter bonum finem..... Sicut enim effectus ille vel respectus ad illum effectum non potest efficere, ut illud opus, quod est intrinsece peccatum, sit licitum aut bonum, ita neque ut sit dignum gaudio et complacentia.... Secundo potest intelligi, quod gaudeat, illud opus pravum talem effectum bonum habuisse, vel habere; et sic licet gaudere de opere malo. Non enim gaudemus, illud opus malum esse; sed supposito quod factum sit, gaudemus quod boni effectus causam dederit. Vere enim gaudio dignum est, quod divina bonitate etiam ex pessimis operibus maxima bona proveniant. Sed hoc est potius gaudere de effectu, quam de opere, etsi etiam gaudeamus de causatione boni, quae operi competit.*

** VV. (*Pag. 143.*) expositis sententiis, prouti eas intellexerunt, Vasquezii, Bonacinae, Lessii, ac Palao, concludunt (*Pag. 144.*): *Recte igitur S. Alphonsus Palao et Lessio sententiam tribuit, licere delectari de opere malo non ut peccato, sed ut causa effectus sequuti.* Addunt, Vasquesium et Bonacinam (quem falso dicunt additum a S. Alphonso) ulterius fuisse progressos; et ideo dissensionem doctorum circa hanc quaestionem existere.

Resp. 1. Falsae incusationis nota Salmanticensibus tributa fuit, non quia Auctores accusati non habeant illam thesim, sed quia haec a Salmanticensibus ita explicatur, quasi *affectus,* ut dicitur in Nota, *terminetur ad rem intrinsece malam.* Hoc autem est falsum; quia ratio causalitatis in casu non est mala.

2. Dictum fuit, dissensionem inter DD. nullam esse, nisi verbo tenus. Id patet ex allatis verbis Lessii, et etiam ex eo, quod nemo Doctorum, quos contra opponunt Salmanticenses et S. Alphonsus, quidpiam habeat contra thesim sic propositam.

3. Demum quod VV. addunt, *Vasquesium et Bonacinam ulterius esse progressos,* indicio est, eos Vasquesii atque adeo Bonacinae sententiam ne minimum quidem assecutos fuisse; unde factum putamus, ut scriberent: *Vasquez S. I. docet, peccatum mortale non esse, desiderare opus formaliter malum voluntate efficaci;* quae sane ratione habita non quidem animi VV., sed verborum, apertam calumniam praeferunt. *Vasquez et Sayrus* (inquit Sanchez *Lib. 1. Cap. 2. n. 9.*) *dicunt, quamvis in universum voluntas efficax (quam desiderium vocant) cuiuscumque rei mortalis sit mortalis, at non omnem delectationem de quovis opere, iure etiam naturali sub mortali prohibito, esse mortalem, dummodo non sit de opere qua ratione pecca-*

noc. IX: *Licitum est filio gaudere de parricidio patris a se in ebrietate patrato, propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas.*

5° Caute Confessarius agere cum iis debet, qui gaudent de emolumento sibi proveniente ex peccato suo vel alieno, vel ex damno aut morte alterius; subinde enim huiusmodi delectationes non ex emolumento solo, sed ex gaudio de ipso peccato aut malo proximi oriuntur (*a*). Idem timendum est de eo qui dicit, se gaudere de bono spirituali proximi, sed quod provenit ex eius infortunio, v. gr. ex gravi infirmitate, iactura rerum temporalium, etc. Potest enim interdum subrepere gaudium de proximi potius malo, quam de bono effectu inde proveniente, praesertim si inimicitiam cum eo antea gerebat. Confessarius igitur, si res postulare videtur, mentem poenitentis prudenter introspicere non negligat. — *S. Lig. n. 20.* — *V. Casus, n. 150. et seq.*

CAPUT II.

DE PECCATIS CAPITALIBUS

Peccata capitalia sic vocantur, quia sunt veluti capita, seu fontes aliorum peccatorum. Unde vitia potius, quam proprie peccata nuncupanda sunt, si in genere considerentur.

Septem numerantur, nimirum 1° Superbia; — 2° Avaritia; —

tum est, aut contra praeceptum. Indicat deinde singularem eorum doctrinam, quam a Vasquezio *latissime et eruditissime probari* dicit, et concludit: *Atque ita quamvis fateatur* (Vasquez) *delectationem morosam rei mortalis esse mortalem, recedit tamen a fundamentis, quibus communissima sententia id probat.* Quae probant, Vasquezium quoad substantiam a communi doctrina non recessisse. Idipsum testatur et Lugo (*De Poenit. Disp. 16. n. 363.*) inquiens: *Hanc* (Vasquezii) *sententiam amplectuntur alii non pauci, Reginaldus, Sayrus, et alii, quos refert et sequitur Diana...,* *et probabilem dicunt Azor, Salas, Filliuccius, Bonacina, et Lessius apud eundem Diana, et eandem sequitur Castrus Palao.* Et subdit quidem (*n. 364.*): *Haec sententia difficilis est fortasse magis in modo explicandi, quam in re ipsa:* quod ipse prosequitur usque ad *n. 370.* Attamen quod Vasquez declinaverit ad has absurditates, quas VV. viderunt, nec Lugo, nec quispiam alius pervidit, aut suspicatus est.

(*a*) Confessarii vigilantia opportuna est propter duo, nimirum 1° ne boni effectus desiderium vel gaudium (nam quae de gaudio hic dicuntur, ex communi DD. sententia fere de desiderio valent, aut etiam de delectatione) transeat in gaudium aut desiderium aut approbationem *peccati in se spectati,* e quo causatur ille effectus; praesertim si quis e peccato suo lucrum magni momenti retulerit; in quo casu gaudium et delectatio de acquisita ingenti felicitate aegre sane abstrahetur a delectatione in mala causa. 2° Ne unquam (nempe etiamsi quaevis culpa cuiusvis absit, aut saltem absit delectatio de culpa) ordo violetur charitatis, quae sane postulat, ut bonum, quod intendimus, rationabiliter sit praeferendum bono, quo alium privari aut optamus, aut gaudemus. Hinc damnatio propositionis, n. praec. memoratae; neque enim ordo charitatis permittit, ut spem hereditatis filius morti patris praeferat. Sed de his melius, ubi de charitate.

3° Luxuria; — 4° Invidia; — 5° Ira; — 6° Acedia; — 7° Gula. — Pauca de singulis (*a*).

I. *De Superbia.*

174. — *Superbia* est amor inordinatus propriae excellentiae. Distinguitur superbia *perfecta,* seu in suo genere completa et consummata, et superbia *imperfecta.* — Perfecta quidem dicitur, quando homo adeo in se sistit et sibi complacet, ut versetur in dispositione legem potius graviter transgrediendi, quam mandatis Superioris obtemperandi. Haec autem eo ipso peccatum mortale semper in se includit. — In caeteris vero casibus imperfecta nuncupatur, et tunc *per se* peccatum veniale tantum inducere solet, nisi accedat iniuria gravis proximi, v. gr. si graviter contemnatur etc. — *S. Lig. n. 66.*

Filiae superbiae sunt ambitio, vana gloria, praesumptio, iactantia, ostentatio, et hypocrisis.

Remedia sunt consideratio propriae infirmitatis, vanitatis gloriae humanae, et humilitatis Christi.

II. *De Avaritia.*

175. — *Avaritia* est inordinatus appetitus bonorum temporalium. Opponitur iustitiae vel liberalitati. Si prius, in peccatum mortale facile prodibit, nempe quoties ad iniustitiam gravem erga proximum impellet. — Si posterius, *per se* venialia tantum pariet. Caeterum nimius erga res terrenas affectus in alia peccata etiam gravia propellere potest, imo et solet.

Filiae avaritiae sunt: durities cordis erga miseros, inquietudo animi, seu sollicitudo inordinata de terrenis, perfidia, dolus, etc...

Remedia: consideratio vanitatis terrenarum rerum, turpitudinis, infelicitatis et periculorum huius vitii. — *S. Lig. n. 69.*

III. *De Luxuria.*

176. — *Luxuria* est inordinatus appetitus rei venereae. Luxuria gravis est ex toto genere suo; sed hoc intelligendum est, si delectatio venerea sit in se *deliberata* et *directe quaesita;* si vero *indirecte* (*b*), potest ex aliqua circumstantia evadere levis, ut in nonnullis tactibus, lectionibus et similibus minus periculosis.

(*a*) Accurata huius materiae notio a theologis potius et praesertim a S. Thoma petenda est, quam a libellis asceticis, qui non raro eiusmodi res minus exacte pertractant.

(*b*) Venerea delectatio sive directe quaeratur sive indirecte, quando intenta sit, aut voluntarie admissa, gravis culpae reatum semper infert. Sed alia de re loquitur hic Auctor: agit nimirum de actibus, quibus causari motus carnales possunt, et connexa cum his venerea delectatio. Porro quan-

Filiae: caecitas mentis, inconsideratio, inconstantia, odium Dei, fidei languor, imo et amissio, etc.

Remedia: oratio frequens et humilis, sensuum custodia, occasionum et otii fuga, carnis mortificatio, temperantia, Sacramentorum frequentatio. — *Vid. S. Lig. n. 71.*

IV. *De Invidia.*

177. — *Invidia* est tristitia de bono alterius, quatenus aestimatur ut malum proprium, aut saltem minus bonum. Ad eam revocatur gaudium de alterius malo, quod boni proprii augmentum censeatur. Est autem directe contra charitatem, et ex genere suo gravis.

Filiae: detractio, calumnia, susurratio, contumelia, etc.

Remedia: consideratio malorum ex invidia provenientium, officia charitatis erga proximum, oratio frequens, humilitatis exercitium. — *Vid. S. Lig. n. 72.*

V. *De Ira.*

178. — *Ira* est excandescentia animi, motusque inordinatus in aliquem vel aliquid; vel est inordinatus appetitus vindictae. Iracundia est habitus irae. Ira mortalis est ex genere suo, si sit appetitus vindictae; venialis autem, si sit tantum motus animi inordinatus (*a*).

Filiae: indignatio, rancor, clamor, convicia, blasphemiae, etc.

Remedia: consideratio malorum irae, et mansuetudinis Christi. — *Vid. S. Lig. n. 80. et seq.*

do eiusmodi effectus non intendantur, et oborta forte delectatio non admittatur, et insuper absit proximum consentiendi in eam periculum, generale principium est, quod ex communi DD. sententia etiam S. Alphonsus propugnat (*Lib. 3. n. 484.*), hisce effectibus, utpote voluntariis solum in causa, tantum reatus inesse, quantum inest ipsi causae. Proinde leviter tantum culpabiles isti effectus censentur, si causa, v. gr. curiosa lectio aut aspectus, venialiter mala sit; atque omnis etiam culpa aberit, si actus illos ponendi iusta adsit causa.

(*a*) Legendus omnino de hac re S. Thomas (*2. 2. q. 158. per tot.*), qui accurate irae vitium distinguit a passione irae, quae, si ratione regatur ac temperetur, non laudabilis modo sed et praecepta esse potest. Nec negligenda, quae idem S. Doctor (*l. c. q. 157.*) scribit *de mansuetudine,* quae egregie componi potest cum virtute illius *severitatis*, cuius proprium est, ut inflexibilis sit circa inflictionem poenarum, quando recta id ratio postulat. Et quidem accurata horum omnium cognitio Confessario apprime necessaria est, ut vitii virtutisque difficiles in hac materia limites edocere poenitentes norit; et, ut semel dicam, Pars illa Summae Angelici Doctoris, quae *Secunda Secundae* appellatur, ubi virtutum omnium, oppositorumque vitiorum rationes, omnesque, prope dixerim, fibrae exquiruntur, is liber est, qui e Confessarii manibus nunquam excidere deberet.

VI. *De Acedia.*

179. — *Acedia* in genere idem sonat ac pigritia; strictius vero est torpor mentis, ac debilitas voluntatis, ex quibus spiritualium rerum fastidium ob laborem et molestiam ipsis adiunctam profluit. Si tanta sit, ut ex ea obligationes graves omittantur, gravis habenda est; si secus, levis est aestimanda. — *Ita communiter.*

Filiae: torpor, evagatio mentis, nausea in oratione, etc.

Remedia: consideratio laborum Christi, mercedis aeternae, et periculorum acediae; pia lectio, frequens confessio, etc.

VII. *De Gula.*

180. — *Gula* est inordinatus appetitus cibi vel potus.

Quinque praecipue modis vitium committitur: 1° Si edas ante tempus; 2° si nimis exquisita; 3° si plus aequo; 4° si voraciter; 5° si maiori industria praeparata. Haec in sequenti versu continentur:

Praepropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

Est peccatum veniale ex genere suo. Fit autem grave, si graviter noceat sanitati, aut si quem ad officia ineptum reddat. Peccat qui manducat aut bibit usque ad satietatem ob solam voluptatem (*a*), ut constat ex prop. 8ª ab *Innoc. XI* damnata; attamen per se veniale non excedit. — *Ita communiter.*

Filiae gulae sunt ebrietas, de qua mox fusius, hebetudo mentis, scurrilitas, multiloquium, et immunditia cuiuslibet generis.

Remedia: considerare pessimos gulae effectus quoad corpus et animam; — mortificare carnem, praesertim in refectione corporis; — recordari frequenter de morte, seu de corruptione corporis mox futura. — *Vid. S. Lig. n. 74.*

APPENDIX

DE EBRIETATE

181. — Ebrietas est voluntarius excessus in potu usque ad rationis privationem. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 75.*

Ebrietas perfecta, nempe usque ad rationis privationem pertin-

(*a*) Ob voluptatem *solam* comedit aut bibit, qui ulteriores operationis fines *positive* excludit. Nam alioqui ex S. Thoma (*Cont. Gent. lib. 3. c. 26. n. 6. 7.*) bona est et licite appetitur delectatio, quae bonam consequitur operationem; ex generali autem principio bona est operatio, si ipsius fines intrinseci seu immediati seu mediati positive non excludantur, licet nequaquam opus sit eos inter agendum expresse intendere seu de iis cogitare.

gens, peccatum grave est *per se*. Constat 1° ex ratione; voluntarie enim se usu rationis privare, illam modo violento et innaturali perturbando, saltem sine gravi causa et ad voluptatem (*a*), graviter naturae rationali repugnat. Homo enim sic ad brutorum statum se deiicit, Deique imaginem in se deturpat. — *S. Lig. n. 75. et alii communissime.*

Constat 2° ex Scriptura sacra, *1. Cor. 6. 10: Neque ebriosi... regnum Dei possidebunt.* — Et *Isaiae 5. 11: Vae qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam...* Porro particula *vae* in Scriptura sacra gravissimum denotat malum.

Probabilius autem est per se peccatum veniale tantum, si ebrietas sit imperfecta. — *Ita communiter.* — *S. Lig. ibid.* (*b*).

182. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Quaenam sint signa ebrietatis perfectae?*

Resp. Perhibentur sequentia, scilicet 1° nescire distinguere bonum a malo; 2° non recordari de dictis aut factis in ebrietate; 3° agere omnino insolita, quae scilicet nunquam alias sana mente agi solent..., etc. — Non autem sunt signa certa, haesitatio linguae, titubatio pedum, visus obiectorum duplicium, aut in gyrum se vertentium. — *S. Lig. n. 78.*

Quaer. 2° *An liceat se inebriare ad morbum depellendum?*

Resp. Affirm. probabilius, si ebrietas non sequatur nisi velut effectus medii per se liciti, v. gr., si copia notabilis vini generosi requiratur ad morbum arcendum. Constat ex dictis *de Act. hum. n. 9.* — *S. Lig. n. 76. et alii communiter* (*c*).

Quaer. 3° *An licita sit ebrietas ad operationem chirurgicam subeundam?*

Resp. Controvertitur. Negat *S. Lig. cum aliis,* quia ebrietas directe intenderetur, et bonus effectus ex malo sequeretur. Affirmat vero *Busemb. cum aliis,* quia privatio usus rationis ad breve tempus ex gravi causa non videtur quid intrinsece malum. Concinit *S. Th. 2. 2. qu. 150. art. 2.* (*d*). Et reapse sicut adhibetur in tali

(*a*) Imo S. Thomas expresse scribit: *ex sola vini voluptate.* Ita S. Doctor (*1. 2. q. 88. art. 5. ad 1.*): *De ebrietate vero dicendum est,...... quod sit peccatum mortale. Quod enim homo absque necessitate reddat se impotentem ad utendum ratione, per quam homo in Deum ordinatur et multa peccata occurrentia vitat, ex sola voluptate vini, expresse contrariatur virtuti.*

(*b*) Ita S. Alphonsus: *Certum est apud omnes, quod ad hoc ut ebrietas sit peccatum mortale, requiritur ut sit perfecta, nempe quae omnino privet usu rationis.*

(*c*) S. Thomas (*2. 2. q. 150. art. 2. ad 3.*): *Cum aliquis multum... bibit secundum consilium medicinae....., non est reputandus superfluus potus.*

(*d*) S. Thomas ebrietatis vitium in potu superfluo *sine necessitate,* et *ex sola vini voluptate* reponit. Vid. text. sup. relat. ex *1. 2. q. 88. art. 1. ad 1.*

** VV. (*Pag. 913. n. 22.*) oggerunt haec S. Alphonsi (*Lib. 5. n. 76.*): *Prima sententia satis probabilis, imo probabilior mihi videtur casu quo potatio*

casu opium et aether, ita etiam vinum adhiberi posset. Caeterum vix quaestio eiusmodi ad praxim nunc facit, cum alia media faciliora in eum finem suppetant.

183. — QUAER. 4° *An liceat aliquem ad ebrietatem inducere, ut a malo maiori avertatur?*

Resp. 1° *Affirm.*, si ebrietas sit ipsi materialis tantum; quia malum materiale permitti potest gravi de causa. — *Ita communiter* contra *Collet, Concina,* etc.

Resp. 2° *Negant communius*, si ebrietas sit formalis; quia *non sunt facienda mala, ut eveniant bona.* — Attamen *S. Lig. n.* 77. oppositam sententiam ut probabilem admittit cum pluribus aliis (*a*). Eiusmodi sententia hoc sensu admitti potest, quatenus ebrietas formalis tantum permittitur, v. gr., vini subministratione..., etc.

QUAER. 5° *An sint imputabilia omnia mala in ebrietate facta?*

Resp. 1° *Neg.* si praevisa non fuerint, ne *in confuso* quidem, quia quaecumque praevisa non fuerint, prorsus involuntaria sunt habenda.

Resp. 2° *Affirm.* ob rationem oppositam, si praevisa fuerint, saltem quoad mala operis, sive commissionis, sive omissionis.

Dixi, *saltem quoad mala operis;* nam quoad mala oris seu verba aut etiam facta mere contumeliosa, *probabiliter* non sunt imputabilia, si contra homines proferantur; quippe nullam contumeliam ex communi aestimatione inferre censentur. Secus tamen si in Deum proferantur, ut blasphemiae, etc..., quia haec intrinsece mala sunt, et proinde in contumeliam honoris divini vergunt; alioquin

vini praebeatur ad expellendos sive corrigendos pravos humores; tunc enim privatio rationis per accidens et indirecte evenit, et ideo licite permitti potest.... Secus dicendum, si potatio daretur directe ad ebrietatem, sive ad privationem rationis causandam; hoc enim esset semper intrinsece malum. Hinc, ut bene advertit Croix (*Lib. 5. n. 331.*)*... nunquam licitum est se inebriare ad sensus sopiendos.*

Resp. 1. Croix disserit *de damnato ad mortem, et rite disposito,* et *graviter* peccari dicit 1° *quia hic non est finis potus*, 2° *neque est ratio sufficiens tollendi rationem tunc maxime necessariam.* Omittatur prima ratio vere futilis; nam nec finis v. gr. pedum est occidere muscas; nec tamen graviter peccat, qui muscam calcando perimat. Altera vero ratio de necessitate tunc urgente militat pro casu illo speciali, non vero pro aliis. Ergo minus ad rem videtur ista allegatio.

Resp. 2. Ad rationem S. Alphonsi erit qui reponat, etiam in casu nostro non directe potationem dari ad privationem rationis causandam, sed ad sensuum soporem; atque adeo ebrietatem indirecte sequi et per accidens: neque enim sensuum sopor provenit ex privatione rationis, sed ex nervorum laxitate et hebetudine.

(*a*) S. Alphonsus (*Lib. 5. n. 77.*): *Prima sententia satis probabilis videtur mihi et aliis viris doctis a me consultis, sive ebrietas sit materialis, sive formalis, ob rationem iam allatam, quia licitum est inducere alium ad minus malum, ut impediatur a maiori, iuxta ea quae diximus de scandalo.* Ex S. Alphonso igitur haec sententia deduci in praxim, ea urgente necessitate, potest.

autem, utpote praevisa, in ipsa causa voluntaria sunt.—*S. Lig. n. 78.*, qui tamen contrariam sententiam improbabilem dicere non audet (*a*).

184. **Resolves.** — 1° Peccant graviter, qui diu noctuque potantes, scienter ebrietatis periculo se exponunt. Item qui alios iussu consiliove inducunt ad ebrietatem; vel qui ad aequales haustus provocant cum praeviso ebrietatis periculo.

2° Peccant graviter, qui per experientiam scientes se inebriari in his vel illis consortiis, nihilominus in iisdem versantur. Item qui inter bibendum ad periculum ebrietatis advertentes, adhuc bibere pergunt.

3° Peccant etiam graviter, qui adeo bibunt, ut sequi debeat ebrietas, quamvis somno se committant antequam sensibus et ratione destituantur, quia in somno non habent potentiam proximam ad usum rationis.

4° Nec excusantur a peccato gravi, qui praetextu patrii moris, aut boni affectus, vel urbanitatis, convivas urgent et quasi necessitant ad bibendum usque ad ebrietatis periculum; secus autem, si tantum liberalior potus offeratur et saepius propinetur, in moderata tamen quantitate.

5° Non peccant graviter *per se,* qui adeo validi, vinoque assueti sunt, ut nunquam inebrientur, etsi largius aliis bibant, nisi adeo temperantiam excedant, ut sanitatis grave detrimentum timeri merito possit. — *V. Casus, n. 176. et seq.*

(*a*) Salmanticensium scilicet opinio fuit (*Tract. 25. Cap. 2. n. 30. 31.*), ebrio non imputari blasphemias, seu periuria, utcumque praevisa, quia, ut aiunt, verbis non respondet mentis conceptus: quam opinionem insuper tum Sanchezio tum Dominico Soto perperam adscribunt. Verum Salmanticenses confudisse duo videntur, quae plane sunt disparata, nempe nullum habere mentis conceptum, et dominio sui seu suarum facultatum carere. Postremum hoc de ebriis facile conceditur; at quod nullum mentis conceptum habeant, dum, v. gr. vinum iam ebrii petunt, dum irascuntur vinum negantibus, dum maledicunt, imprecantur, et minantur, nescio an quispiam consensurus sit. Corruit ergo illius opinionis fundamentum.

FINIS TRACTATUS DE PECCATIS

TRACTATUS

DE VIRTUTIBUS

185. — Virtus est habitus agendi honeste seu iuxta rectum ordinem.

Virtutes variae speciei distinguuntur, scilicet

1° *Naturales* vel *supernaturales,* prout viribus naturalibus, vel supernaturalis gratiae auxilio acquiruntur et conservantur.

2° *Infusae* vel *acquisitae,* prout a Deo ipso in cor infunduntur, vel actibus repetitis agentis acquiruntur.

3° *Theologicae* vel *morales,* prout Deum immediate respiciunt, vel pro obiecto immediato naturalem honestatem actionis habent. Inde facile deducitur, virtutes theologicas moralibus esse perfectiores.

Quatuor sunt virtutes morales cardinales, ad quas caeterae reducuntur, scilicet *prudentia, iustitia, fortitudo,* et *temperantia.* Cum de virtutibus moralibus in tota fere theologia morali sermo sit, hic speciatim agemus de virtutibus theologicis, nempe de *Fide, Spe* et *Charitate.*

CAPUT I.

DE FIDE

186. — Fides in genere est assensus propter auctoritatem loquentis. Pressius ad rem nostram, Fides, in quantum est virtus, definitur: Habitus supernaturalis, infusus, inclinans intellectum ad firmiter assentiendum veritatibus a Deo revelatis, et ab Ecclesia propositis, propter auctoritatem Dei revelantis. In quantum vero est actus, dicitur assensus firmissimus rebus a Deo revelatis propter Dei revelantis auctoritatem praestitus. — *S. Lig. n. 2.*

Fides est 1° *habitualis* vel *actualis,* prout est habitus vel actus.

2° *Explicita* vel *implicita* ratione obiecti, prout hoc in se est expressum et evolutum, aut tantum in alio contentum. Sic v. gr. si dicas: Credo in SS. Trinitatem, elicis actum Fidei explicitum in illud mysterium. Si vero dicas: Credo omnia quae docet Ecclesia esse credenda, elicis actum Fidei implicitum in singula dogmata revelata.

3° *Formalis* vel *virtualis,* prout fides vel est actualiter elicita, vel in mente perseverans inadvertenter vi sua in actiones influit.

4° *Formata* seu *viva,* vel *informis* seu *mortua,* prout coniungitur, vel non, cum operibus Charitatis.

Peccata Fidei opposita sunt 1° infidelitas, seu carentia Fidei in hominibus non baptizatis, 2° haeresis, seu error pertinax in baptizato contra veritatem Fidei ab Ecclesia propositam.

Infidelitas, sive haeresis, dicitur *negativa* seu *materialis* in eo, qui ignorantia invincibili laborat, seu cui vera Fides non fuit sufficienter proposita.

Agendum praecipue 1° de necessitate, 2° de obiecto Fidei.

ARTICULUS I.

DE NECESSITATE FIDEI

I. *Quoad actum internum.*

187. — I. Actus internus Fidei omnibus adultis ad iustificationem necessarius est *necessitate medii*. Constat *ex Epist. ad Hebr. 11. 6.*, ubi Apostolus dicit: *Sine Fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* — Et *ex Conc. Trid. sess. 6. c. 6.*

II. Necessarius est etiam *necessitate praecepti* quandoque in vita. Constat ex Scriptura sacra. Dicitur enim in *Epist. 1. Ioann. 3. 23: Hoc est mandatum eius, ut credamus in nomine Filii eius Iesu Christi.* Item ex variis propositionibus damnatis ab *Alexand. VIII* et *Innoc. XI.*

188. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Quandonam urgeat praeceptum Fidei eliciendae?*

Resp. 1° Urget *per se* 1° post usum rationis completum ad incipiendam vitam christianam; 2° item quando infideli adulto Fidei nostrae veritas sufficienter proposita est; 3° in articulo mortis, iuxta quosdam, ad proximius tendendum ad Deum; 4° saepius in vita, iuxta plures saltem semel in anno, et iuxta nonnullos singulis mensibus. Caeterum sufficienter hoc praeceptum adimpletur exercendo alios actus Religionis. — *S. Lig. n. 7., Hom. apost. n. 13.*

Resp. 2° Urget *per accidens* 1° urgente gravi tentatione, quae aliter vinci nequeat; 2° quando adimplendum est praeceptum, quod Fidem requirit, v. gr. confessionis (*a*); 3° post lapsum in haeresim, aut Fidem negatam. — *Ita omnes.*

Quaer. 2° *An actus expliciti requirantur ad praeceptum Fidei adimplendum?*

Resp. In illis, qui veritates fide tenendas iam didicerunt et cre-

(*a*) Intelligitur fides circa articulum, qui dirigit praecepti implementum, v. gr. circa praesentiam Christi in Eucharistia, si accedas ad Communionem, etc., et quidem non formalis actus exigitur, sed sufficit implicitus. Hinc prorsus abs re quidam ab accedentibus ad sacramentum Poenitentiae exigunt actus virtutum theologalium, et quidem consuetam fidei formulam, in qua alioqui nihil est, quod ad istud sacramentum spectet.

d derunt, generatim sufficiunt actus impliciti. Hinc praecepto satisfacit, qui devote audit Missam, adorat Crucifixum, orat, crucis signum format, Sacramenta recipit, etc. — *Ita communiter.* — *S. Lig. ibid.*

II. *Quoad actum externum.*

189. — I. Datur praeceptum negativum prohibens veram Fidem negare, falsamve profiteri. Negare enim Fidem est Deum ipsum negare. Hinc Christus *Matth. 10. 33.* ait: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est.*

II. Datur etiam praeceptum affirmativum, obligans aliquando ad Fidem etiam cum vitae periculo confitendam. Christi enim honor aliquando exigit, ut fideles ad ipsum confitendum etiam vitam spernant. Constat ex verbis Christi ipsius, *Matth. 10. 32: Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in caelis est.* Et *Luc. 9. 26: Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua.* Item Apost. *Rom. 10. 10: Corde creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem.*

III. Praeceptum autem exterius Fidei confitendae iure naturali tunc obligat, quando secus honor Deo debitus, vel utilitas spiritualis proximi modo notabili subtraheretur: puta, si Deus afficeretur magna iniuria, et proximus magno malo spirituali; vel si ex omissione confessionis sequeretur contemptus Religionis, scandalum, aliorum perversio; vel etiam si cessaret magnus honor in Deum, vel magna utilitas in proximum. Ratio est, quia id exigit charitas, quam Deo vel proximo debemus. — *S. Thom. 2. 2. qu. 3. art. 1.* — *S. Lig. n. 11.*

190. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An liceat quandoque dissimulare Fidem?*

Resp. 1° Nunquam licet simulare falsam, quia perinde id esset, ac veram exterius negare, quod intrinsece malum est. — Aperte autem hoc constat ex verbis Christi modo relatis.

Resp. 2° Licet ex gravi causa dissimulare seu occultare Fidem veram, secluso scandali periculo. Ratio est, quia non semper urget praeceptum Fidei confitendae. — *S. Lig. n. 10. 12.* — *Alii communiter.*

Quaer. 2° *An interrogatus de Fide possit uti verbis ambiguis?*

Resp. 1° *Neg.,* quando tergiversatio vel silentium aequivalet negationi, aut erubescentiae seu formidini, quae in iis adiunctis necessario honori Dei, vel utilitati proximi detrahunt. Tunc enim locum habent conditiones in *Princip. III* expositae. Confirmatur id ex constanti Ecclesiae praxi, et communi Patrum doctrina. — Insuper quoad publicam potestatem interrogantem constat ex propositione damnata ab Innoc. XI, sub *n. 18.,* quae eiusmodi est: *Si a potestate publica quis interrogetur, Fidem ingenue confiteri, ut Deo*

et Fidei gloriosum, consulo; tacere ut peccaminosum per se non damno. — *S. Lig. n. 13.*

Resp. 2° *Affirm.*, quando nullum praesentibus creatur scandalum, ac nulla apparet Fidei negatio aut formido, aut erubescentia; quia tunc nulla adest obligatio Fidem confitendi. — *S. Lig. ibid.*

191. — Quaer. 3° *An liceat uti signis aut vestibus infidelium?*

Resp. 1° *Affirm.*, si sint vestes aut signa propria alicuius *regionis*, licet regio haec tota sit infidelis; quia haec ad Religionem *per se* non referuntur.

Resp. 2° Si vero sint vestes et signa *Religionis*, subdistinguendum est: *probabilius* adhuc *affirmo*, si fiat gravi de causa, et vestes non sint tantum distinctivae sectae a secta, quia tunc usus primarius earum est ad corpus tegendum, et secundarius tantum ad sectam distinguendam. — Secus autem, si vestes aut signa sint unice aut primario instituta ad sectam profitendam, ut sunt vestes et ornamenta, quibus Sacerdotes in exercitio functionum suarum utuntur. — *Salm., Tract. 21. c. 2. n. 1. 10.*

192. **Resolves.** — 1° Graviter quis peccat contra Fidem, etsi externe tantum genua flectat coram idolo, aliave signa Religionis falsae exhibeat, v. gr. frequentando Coenam haereticam, etc.

2° Non peccat contra Fidem, qui templa haereticorum vel infidelium ex mera curiositate visitat, seclusis tamen scandalo, perversionis periculo, aut lege haec interdicente. — Item qui interest convivio nuptiali aut sepulturae haereticorum; quia haec proprie ad Fidem non spectant, et ut conventus mere civiles habentur. — *S. Lig. n. 16.*

Secus autem dicendum, si adsistas Baptismo et Coenae acatholicorum; quia haec ad caeremoniam religiosam pertinent. Constat id etiam Litteris Pii VI, in quibus declaratur, baptismo ab intrusis collato adsistere illicitum propter cooperationem esse.

3° Non peccat contra Fidem, qui per loca haereticorum transiens, timore periculi gravis, carnes comedit die abstinentiae, ne catholicus agnoscatur; quia hoc per se non est signum haereseos; secus autem, si carnes manducaret, etiam metu mortis ad id in odium Fidei impulsus.

4° Nec peccat contra Fidem, qui fugit tempore persecutionis; imo generatim fuga est aliquo modo praecepta, ut patet ex verbis Christi, *Matth. 10. 23: Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* Hoc vero praesertim valet, si cuiuspiam salus ad utilitatem fidelium sit necessaria, aut quispiam iapsum timeat. — *V. Casus, n. 192. et seq.*

ARTICULUS II.

DE OBIECTO FIDEI

193. — Obiectum *formale* Fidei, seu ratio propter quam creditur, est auctoritas Dei loquentis, utpote infinita tum sapientia tum veracitate praediti. — *Ita communius.*

Obiectum vero *materiale,* de quo hic tantum agitur, constat ex rebus cognoscendis et credendis. Hinc agendum de sciendis et credendis tum necessitate medii, tum necessitate praecepti.

§. I. *De necessario sciendis et credendis necessitate medii.*

194. — Certum est, duo scienda et credenda esse necessitate medii: 1° quod Deus sit: *Oportet accedentem ad Deum credere quia est. Hebr. 11.* — 2° Quod sit remunerator: *Oportet... credere quia est, et inquirentibus se remunerator sit. Ibid.* — An vero alia sint credenda explicite de necessitate medii ad salutem, controvertitur: hinc de iis

195. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An requiratur Fides explicita mysterii SS. Trinitatis et Incarnationis de necessitate medii?*

Resp. Duplex datur sententia probabilis.

I° Sententia omnino affirmat. Ratio est

1° *Quoad Incarnationem,* quia non datur salus nisi per Christum; medium ergo illud necessario *explicite* cognoscendum et credendum est.

2° *Quoad SS. Trinitatem,* quia Fides huius mysterii est fundamentum salutis nostrae; nam Baptismus, qui est Sacramentum Fidei, conferri debet *in nomine Patris,* etc... Porro quod est salutis fundamentum, debet esse obiectum primarium Fidei, et proinde *secundum se et explicite* credendum. — Ita *Collet, Decal. c. 1. art. 1.* — *Antoine, c. 1.* — Hanc sententiam probabiliorem dicit *S. Lig. n. 2.* (*a*).

II° Sententia, quae videtur probabilior, negat. Ratio est, quia ante Christum sufficiebat Fides implicita horum mysteriorum; ergo etiam post eius adventum sufficere debet. Christus enim media non mutavit. — Ita *Suarez, disp. 12. sect. 4.* — *Lugo, De Fid. disp. 12. n. 91.* (*b*). Neque obstat propositio damnata ab Innoc. XI, sub *n. 64.,*

** (*a*) S. Alphonsus non absolute probabiliorem appellat hanc sententiam, sed dicit, *videri probabiliorem.*

(*b*) Card. De Lugo (*l. c.*) hanc sententiam vocat *probabiliorem, communem doctorum recentiorum, et, ut videtur, etiam S. Thomae P. 3. q. 69. art. 4. ad 2.*

** VV. (*Pag. 914. n. 23.*) promunt responsum Congr. S. Officii 28. Febr. 1703., in quo dicitur, *Missionarium teneri, adulto etiam moribundo, qui incapax omnino non sit, explicare mysteria fidei, quae sunt necessaria necessitate medii, ut sunt* PRAECIPUE *mysteria Trinitatis et Incarnationis.*

Resp. Notetur illud *Praecipue:* subinfertur enim, alia ergo esse my-

quae sic se habet: *Absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantia mysteriorum SS. Trinitatis, et Incarnationis D. N. I. C.;* non obstat, inquam; merito enim damnari potuit ratione primae partis, in qua asseritur absolutionis capax homo, quantumvis generatim laboret ignorantia mysteriorum Fidei.

Quaer. 2° *An possit absolvi, qui ea ignorat, quae sunt certo de necessitate medii?*

Resp. Neg. Nec licite, nec valide. Ita omnes. Ratio est, quia ille ob defectum medii simpliciter necessarii incapax est iustificationis; ergo etiam incapax est absolutionis. Aliunde nemo potest habere spem salutis, quin Deum *remuneratorem* credat.

196. — Quaer. 3° *An possit absolvi ignorans mysteria Trinitatis et Incarnationis?*

Resp. 1° Non potest *licite* extra *casum necessitatis*, v. gr. periculum mortis; ratio, quia Confessarius hunc absolvens Sacramentum periculo nullitatis exponit, ut patet ex Quaest. 1ª praec. — Hinc Confessarius debet poenitentem vel prius instruere (*a*), vel dimittere, donec sufficienter sit instructus. — *S. Lig. n. 3.*

Resp. 2° *Probabilius* potest absolvi *valide*, si versatur in ignorantia invincibili. Ratio deducitur ex dictis in IIª Sententia *Quaesiti primi* (*b*).

steria fidei *necessaria necessitate medii*, quae tamen necesse non est illi moribundo proponere. Ergo latiori quodam sensu *necessaria necessitate medii* hic dicuntur mysteria fidei.

(*a*) Ab absolvendum poenitentem satis esset, ut hic, Confessario ea mysteria proponente, eliciat actum fidei, licet illa addiscere hic et nunc non possit. S. Alphonsus (*In Prax. Confess.*) refert haec verba B. Leonardi: *Bonum non est consilium dimittere similes ignaros, ut ab aliis haec doceantur, quia nullus alius sperabitur fructus, nisi ut sic ignari remaneant; ideoque expediens est, breviter eos docere praedicta mysteria principalia, efficiendo pariter, ut secum eliciant actus fidei, spei, charitatis et contritionis, obligando tamen eos, ut in posterum perfecte instrui se faciant circa caetera mysteria scitu necessaria de necessitate praecepti.*

(*b*) Advertit S. Alphonsus (*Lib. 2. n. 2.*) post Tannerum, quod etiamsi teneas, explicitam horum mysteriorum fidem nunc necessariam esse necessitate medii, tamen si qui sint adeo rudi intellectu, ut ea mysteria sub propria aliqua notione concipere nullo modo possint, hi quoad hoc comparandi sint cum infantibus et fatuis. Et sane si fuerint iam baptizati, et non instruantur, num dicemus, gratiam sanctificantem ab ipsis avolare ideo quia non faciunt id, quod facere non possunt?

Caeterum si probabilius est, ignorantes haec mysteria valide absolvi, non sunt igitur necessario repetendae confessiones praecedentes, in eo ignorantiae statu peractae. *Sedulo advertendum* (inquit S. Alphonsus *Lib. 6. n. 505.*) *non esse cogendos poenitentes ad repetendas confessiones, nisi moraliter certo constet, eas fuisse invalidas.* Porro non possunt dici *moraliter certo invalidae* confessiones, quae probabilius sunt validae.

§. II. *De necessario sciendis et credendis necessitate praecepti.*

Haec sunt Symbolum Apostolorum, Decalogus, Praecepta Ecclesiae, Sacramenta, Oratio Dominica. — Symbolum requiritur ad recte credendum; caetera ad recte agendum.

PUNCTUM I.

De sciendis ad recte credendum, seu de Symbolo Apostolorum.

197. — Dogma triplex, in Symbolo contentum, credendum est, nempe... 1° de Deo; 2° de Christo; 3° de Ecclesia.

I. De Deo quatuor tibi scienda et credenda sunt, scilicet quod sit 1° Unus seu unicus in essentia. — 2° Trinus in personis aequalibus et realiter inter se distinctis. — 3° Prima omnium causa seu Conditor omnium creaturarum. — 4° Remunerator et vindex actionum nostrarum saltem in alia vita.

II. De Christo sex explicite scito et credito, nempe quod sit 1° Filius Dei naturalis, et ideo verus Deus. — 2° De Spiritu Sancto ex Maria Virgine conceptus et natus. — 3° Pro nobis passus et mortuus. — 4° A mortuis propria virtute redivivus. — 5° In caelum ascendens, et rex gloriae in aeternum futurus. — 6° Rediturus ad homines in fine saeculorum iudicandos.

III. De Ecclesia tria haec scire et credere debes, scil. quod sit 1° Unica in terris sub uno capite visibili. — 2° Gubernata et conservata Spiritus Sancti assistentia. — 3° Infallibilis in rebus Fidei et morum, et ab omnibus audienda. Hoc tamen ultimum, licet certum et de Fide, in Symbolo explicite non continetur.

Explicatio brevis singulorum Symboli articulorum.

198. — I. Art. — « Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem caeli et terrae. » 1° *Credo in Deum*, id est, credo Deum existentem unum in essentia et trinum in personis... Deum finem ultimum... Credo Deo loquenti. — 2° *Patrem;* primam personam SS. Trinitatis et omnium rerum principium — 3° *Omnipotentem;* principale eius attributum, in sequentibus verbis etiam inclusum. — 4 *Creatorem caeli et terrae,* id est, omnium rerum quae extra Deum existunt.

II. Art. — « Et in Iesum Christum Filium eius unicum, Dominum nostrum. » — 1° *In Iesum Christum;* eodem modo et eodem sensu ac credo in Patrem. — 2° *Filium eius unicum;* creditur explicite, Christum esse Filium Dei naturalem... secundam personam SS. Trinitatis... et proinde Deum. — 3° *Dominum nostrum;* credendum, Christum esse omnium Dominum.

III. Art. — « Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine. — » 1° *Conceptus est de Spiritu Sancto;* explicite credendum Christum, ut hominem, conceptum praeter ordinem naturae esse Spiritus Sancti operatione. — 2° *Natus ex Maria Virgine;* explicite credenda nativitas ex Maria, Virgine *ante partum* et *in partu.*

199. — IV. Art. — « Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus. » — 1° *Passus;* passio Christi explicite credenda est *sub gravi.* — 2° *Sub Pontio Pilato;* circumstantia haec ad Fidem explicite tenendam non pertinet. — *Ita omnes.* — 3° *Crucifixus;* probabilius crucifixio, genus mortis exprimens, explicite est credenda; sic enim Apost. *1. Cor. 1. 23: Praedicamus Christum crucifixum.* — 4° *Mortuus;* mors Christi explicite credenda est. *1. Cor. 15. 3: Tradidi vobis imprimis... quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris.* — 5° *Sepultus;* sepultura Christi explicite credenda est; sed probabilius sub levi tantum, quia est circumstantia levis. — *Ita circa haec omnia Lugo, disp. 12. n. 21.*

V. Art. — « Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis. » — 1° *Descendit ad inferos;* probabilius hoc non est explicite credendum sub gravi, imo nec sub levi, iuxta *Suarez;* quia a fidelibus non facile intelligitur. Sed contradicit *Lugo, ibid.* — 2° *Resurrexit a mortuis;* sub gravi explicite credendum, quia est Religionis fundamentum. — 3° *Tertia die;* illa temporis circumstantia non est explicite credenda. — *Ita communiter.*

VI. Art. — « Ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris omnipotentis. » — 1° *Ascendit in caelum;* secundum humanitatem explicite et sub gravi credendum. — 2° *Sedet ad dexteram Patris;* probabiliter iuxta plures hoc non est credendum explicite, quia a fidelibus difficile intelligitur; alii autem affirmant esse credendum explicite quoad honorem, potestatem, dominiumque supremum.— *Ita Suarez.* — 3° *Omnipotentis;* idem ac in *art. I.*— Significatur etiam indirecte potestas Christi, qui ad dexteram Dei omnipotentis sedet.

200. — VII. Art. — « Inde venturus est iudicare vivos et mortuos. » — 1° *Inde venturus est iudicare;* explicite credendum, iterum Christum venturum ad homines iudicandos. — 2° *Vivos et mortuos,* id est, omnes homines mortuos ab origine mundi, et vivos qui in ultima conflagratione morientur. — *Ita communius.* Sed haec verba *vivos et mortuos*, iuxta *Lugo,* non sunt explicite credenda, ob varietatem explicationum.

VIII. Art. — « Credo in Spiritum Sanctum. » — 1° *Credo,* eodem modo ac in Patrem et Filium, ut supra. — 2° *In Spiritum Sanctum;* credendum explicite, quod sit tertia persona SS̃mae Trinitatis, aequalis Patri et Filio, et proinde Deus. — 3° Processio a Patre Filioque non est credenda explicite necessitate praecepti a singulis fidelibus, etsi de Fide sit. Multa enim de Fide non ab omnibus sciri debent. — *Lugo, Suarez, et alii communiter.*

IX. Art. — « Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem. » — 1° *Ecclesiam;* credendum explicite quod sit una vera Ecclesia, etc. ut supra. — 2° *Sanctam;* sufficit scire et credere, esse sanctam ob caput, doctrinam, Sacramenta sua, et Sanctos canonizatos, quia de caeteris diversi diverse sentiunt. — 3° *Catholicam;* sufficit obedientiam ipsi in persona capitis sui visibilis profiteri.— 4° *Communionem Sanctorum;* an credenda explicite, et quoad aliquam communicationem orationum tantum?... An tantum implicite in unitatem Ecclesiae?... An sub gravi vel sub levi?... Non conveniunt Doctores. Quidquid sit, in praxi omnes videntur sufficienter illam cognoscere, cum saepe dicant *Ora pro me,* Sanctosque frequenter invocent.

X. Art. — « Remissionem peccatorum. » — 1° Credendum explicite quod Deus remittat peccata omnibus rite dispositis. — 2° Item potestatem peccata remittendi in Ecclesia esse. — 3° Credendum pariter explicite, nullam extra Ecclesiam esse peccatorum remissionem (*a*).

XI. Art. — « Carnis resurrectionem. » — 1° *Resurrectionem;* explicite credenda omnium mortuorum resurrectio. — 2° *Carnis;* non vero hominis, ut ostendatur solum corpus corrumpi, dum anima remanet incorruptibilis et immortalis.

XII. Art. — « Vitam aeternam. » — 1° Explicite credenda de necessitate medii beatitudo aeterna iustorum. — 2° Poena aeterna damnatorum, quam indirecte profitemur credendo vitam aeternam iustis concedendam.

PUNCTUM II.

De sciendis ad recte agendum.

I. *De praeceptis Decalogi et Ecclesiae.*

201. — I. Praecepta Decalogi:

1° *Certo* notitia Decalogi explicita ex praecepto omnibus fidelibus necessaria est. — *Ita omnes.*

2° *Etiam* Decalogus credendus est explicite, quia praecepta Decalogi sunt revelata, ut ab omnibus serventur; porro quod revelatum est, *Fide divina* est credendum; et quod revelatum est ad dirigendos actus singulorum, est ab omnibus explicite sciendum. Ergo. Contradicunt tamen plures, quia alio modo, ac per revelationem, eiusmodi praecepta nosci possunt.

(*a*) Nempe nulla est peccatorum remissio pro iis, qui scienter extra veram Christi Ecclesiam esse volunt. Nam alioquin homini rite disposito, et bona fide accedenti, peccatorum remissionem sive per baptismum sive etiam per sacramentalem absolutionem etiam per ministrum haereticum vel schismaticum conferri posse, suo loco videbimus.

3° Non necessario memoriter et ordine solito scienda sunt praecepta, quamvis ad hoc fideles hortandi sint.

202. — II. Praecepta Ecclesiae:

1° Non sunt credenda Fide divina, quia a Deo non sunt revelata, saltem quatenus praecepta sunt Ecclesiae. Illud tantum credendum est, quod Ecclesia leges ac praecepta ferendi ius ex auctoritate divina habeat.

2° Debent sciri ab omnibus praecipua Ecclesiae praecepta, quorum observatio ad omnes fideles pertinet; nempe praeceptum Festa colendi, Missamque in iis audiendi, praeceptum confessionis annuae, Communionis Paschalis, ieiunii et abstinentiae, quae suo loco explicabuntur.

Ad obligationem praecepta noscendi revocatur etiam, quod singuli officia proprii status seu conditionis nosse necessario debent.

II. *De sacramentis.*

203. — Omnes scire et credere debent explicite

1° *Baptismum,* eius efficaciam et necessitatem absolutam ad salutem consequendam.

2° *Poenitentiam,* et eius efficaciam ad peccatorum remissionem obtinendam.

3° *Eucharistiam,* et in ea realem Christi, veri Dei et hominis praesentiam. Item iuxta communem sententiam explicite credendum est, quod Christus sit totus in singulis speciebus; et probabilius etiam, quod in sacrificium offeratur, cum omnes debeant Missae sacrificio assistere. Probabilius vero non est explicite credenda Transsubstantiatio. — ***Ita communiter, Lugo De Fide, disp. 13. sect. 5. n. 121.***

4° *Caetera Sacramenta,* quando proxime recipienda sunt. Necessarium vero iuxta communem sententiam non est illa nosse et intelligere, quae non sunt recipienda.

III. *De Oratione Dominica.*

204. — 1° *Sub gravi* tenentur omnes illam scire quoad substantiam, id est, scire Deum esse orandum cum spe et fiducia, et ab eo petenda esse omnia bona tum animae tum corporis, tum etiam gratias ad animae mala effugienda. — Creditur in ea Deus providens, auxiliator, condonans, remunerans.

2° Omnes tenentur, saltem *sub levi,* ad illam aliquando recitandam, ut habet communis sententia cum ***Lugo, disp. 13. sect. 5. n. 133. — Suarez, disp. 13. sect. 4. n. 12.***

3° Probabiliter obligatio memoriter eam tenendi non urget ***sub gravi.*** Ita ***Lugo, ibid. — Suarez, ibid. — Busemb. apud S. Lig. n. 3,*** contra nonnullos, qui gravem obligationem eruunt ex verbis Chri-

sti: *Sic orabitis.* Sed verba illa intelligi possunt de eiusdem orationis substantia.

Orationi Dominicae ex usu Ecclesiae praxique fidelium fere adiungitur Salutatio Angelica, quae etsi non ex obligatione, ex decentia tamen scienda et recitanda est ob patrocinium B. V. et cultum ipsi debitum.

ARTICULUS III.

DE VITIIS FIDEI OPPOSITIS

Duplex distinguitur fidei adversum vitium, scilicet 1° infidelitas, 2° haeresis, cui adiungitur apostasia.

§. I. *De infidelitate.*

205. — Definitio. Infidelitas, generatim sumpta, est carentia Fidei in homine non baptizato. Infideles enim dicuntur illi, qui per Baptismum habitum Fidei non susceperunt.

Divisio. Triplex distinguitur infidelitas, scilicet positiva, negativa et privativa.

1° Infidelitas *positiva,* seu *formalis,* est carentia Fidei in eo, cui sufficienter ipsa proposita est, et qui eam positive respuit.

2° Infidelitas *negativa,* seu *materialis,* est carentia Fidei in eo, qui nunquam de vera Religione quidquam audivit (*a*).

3° Infidelitas *privativa* est carentia Fidei in eo, qui sibi notitiam Fidei, data occasione, comparare negligit.

Praecipuae infidelitatis species sunt: *Paganismus, Iudaismus, Mahumetismus,* et aliae sectae, quibus adiungi possunt *Deismus, Atheismus, Pantheismus* et *Rationalismus,* qui nostris temporibus tam late grassatur.

206. **Principia.** — I. *Infidelitas* tum *positiva,* seu *formalis,* tum *privativa,* est gravissimum peccatum. Ratio est, quia illa explicite, haec virtualiter continet gravem iniuriam et contemptum primae veritatis, seu auctoritatis Dei revelantis (*b*).

II. *Infidelitas* autem *negativa,* seu pure *materialis,* in se non est peccatum, sed tantum poena peccati. Ratio est, quia non potest

(*a*) Adde, *etiam in eo,* cui revelatio aliquatenus proposita fuerit, nondum tamen sufficienter, adeo ut ad credendum iam teneatur, licet fortassis teneri possit ad inquirendum. Recole propositionem 21[am] ex damnatis ab Innoc. XI, quae sic se habet: *Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.*

(*b*) Privative reatus dimetiendus est a minori aut maiori negligentia in inquirendo; obligatio autem inquirendi supponit prudentes rationes aut saltem suspiciones de huius inquisitionis necessitate; nam si eiusmodi ratio aut suspicio tenuis sit, ne in gravissimis quidem negotiis gravem negligentiae culpam reperiemus.

esse peccatum, ubi est ignorantia invincibilis.—Insuper constat ex damnatione propositionis 68[ae] *Baii,* a Pio V et Gregorio XIII proscriptae, quae sic iacet: *Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.* — Miserrimi tamen sunt infideles etiam negativi, cum a via salutis longe aberrent (*a*).

III. Ritus infidelium a Principibus christianis nunquam approbari aut foveri possunt: eos tamen aliquando tolerare licet, quando per eorum prohibitionem maiora mala inducerentur, aut maiora bona impedirentur (*b*).— Facilius autem tolerantur Iudaei, quia ex ipsorum conservatione magnum bonum Ecclesiae provenit, nempe Fidei nostrae testimonium.

207. — Quaer. *An infideles opera bona facere possint in statu infidelitatis?*

Resp. 1° *Affirm.* quoad opera naturaliter honesta. Constat 1° ex Scriptura sacra, *Rom. 2. 14: Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt.* — 2° Ex variis propositionibus damnatis, scil. ex prop. 25ª *Baii* a Pio V damnata: *Omnia opera infidelium sunt peccata...* — Ex prop. 8ª damnata ab Alex. VIII: *Necesse est infidelem in omni opere peccare.* Ratio damnationis est, quia non est peccatum, ubi non est violatio legis, nec finis vitiosus; porro multa infidelium opera eiusmodi esse possunt: ergo, etc.

Resp. 2° *Affirm.* etiam quoad supernaturalis ordinis opera, Fidei formali praevia, quae infideles divina adiuti gratia peragunt.

§. II. *De haeresi.*

208. — Definitio. Haeresis, *proprie sumpta,* est error voluntarius ac pertinax contra aliquam Fidei veritatem ab Ecclesia propositam, in eo qui Fidem recepit. *Lato sensu* est error etiam involuntarius contra aliquam Fidei veritatem.

Divisio. Distinguitur haeresis

1° *Formalis,* quae est haeresis proprie dicta, seu in stricto sensu, vel *materialis,* qua quis adhaeret errori sine pertinacia.

2° *Interna,* vel *externa* seu *manifestata,* aut pure *externa,* prout *interne,* aut *externe* tantum, aut utroque modo habetur.

3° *Occulta,* vel *notoria,* prout nemini aut paucis tantum, vel multis nota est.

Ad haeresim refertur apostasia, quae est totalis defectio a Fide christiana. De ea igitur, sicut de haeresi formali, statuendum.

(*a*) Non tamen praeclusam iis viam esse, quae per *flaminis baptismum* patet, egregie innuit S. Thomas *1. 2. q. 89. art. 6.*

(*b*) Aliud est tolerare ob gravissimas hasce causas, aliud vero sectas omnes et cultus seu religiones omnes eodem loco habere. Postremum hoc, in quo recens impietas *libertatem* (ut inquiunt) *conscientiae sive cultus* reponit, est vera Gubernii apostasia, ad quam referendum quis forte putabit propheticum illud Pauli (*2. Thess. 2. 3.*): *Nisi venerit discessio* (in text. graec. ἀποστασία) *primum;* antichristi scilicet πρόδρομον in ea intervidens.

209. **Principia.** — I. Haeresis *formalis* est semper gravissimum peccatum, sicut ipsa infidelitas. Ratio est, 1° Quia virtus Fidei, utpote theologica, est una ex praecipuis virtutibus, et proinde peccatum ipsi directe oppositum unum est ex gravissimis. 2° Fides est fundamentum iustitiae, sine qua *impossibile est placere Deo;* ergo haeresis, expellendo Fidem, privat hominem omni iustitia. 3° Quia haeresis est contemptus auctoritatis Dei revelantis; et sic est directe et immediate contra Deum.

II. Haeresis *pure materialis* vacat omni culpa. Ratio patet ex eius definitione: supponitur enim quispiam hic et nunc errare ex ignorantia invincibili veritatis; peccatum autem cum tali ignorantia est impossibile. Ergo, etc.

210. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Quaenam sint signa haeresis materialis et formalis?*

Resp. ad primum. Censendus haereticus materialis tantum, 1° Qui paratus est se submittere iudicio Ecclesiae, quando errorem agnoverit. — 2° Qui de vera Fide nihil cognovit et de sua Religione nunquam dubitavit. — 3° Qui dubitans, cognoscere studuit veritatem, quantum potuit.

Resp. ad secundum. Haereticus formalis reputandus est 1° Qui dubitat, nec vult ulterius inquirere. — 2° Qui avertit malitiose intellectum a motivis auctoritatis, ut suae sectae adhaereat (*a*). — 3° Qui, agnita veritate, adhuc contradicit Ecclesiae.

Quaer. 2° *An sit haereticus formalis qui dubitat de aliquo Fidei articulo?*

(*a*) Ad formalem haeresim, ut infr. *q. 3.* dicitur, assensus pertinax requiritur contra fidem, idest contra veritatem, quae uti revelata cognoscitur. Porro qui mere dubitat, sitne quidpiam revelatum, non habet pertinacem illum assensum, utcumque inquirere negligat, imo et intellectum ab iis, quae possent ad veritatem agnoscendam adducere, culpabiliter avertat. Praemissa ergo A. verba accipienda sunt latiori quodam sensu; aut certe intelligenda sunt de homine ita comparato, ut etiamsi veritas menti eius affulgeat, obfirmatum tamen animum gerat in falsa secta sua perseverandi.

Conf. De Lugo (*De Fid. Disp. 20. n. 197. seqq.*), qui egregie ostendit, eum quoque, qui vel affectet ignorantiam sive circa Ecclesiae definitiones dogmaticas, sive etiam circa infallibilem Ecclesiae in definiendis controversiis auctoritatem, utique haereticum esse, si eo animo est, ut etiamsi constet de Ecclesiae tum auctoritate tum definitionibus, nolit a sua opinione dimoveri, et interim velit haec ignorare sive ut remorsum vitet, sive ut habeat excusationem; secus vero, si ignorantiam ideo affectet, quia non auderet alioqui se auctoritati Ecclesiae opponere, et interim vult ignorare, ut sine obstaculo opinioni suae adhaereat. Ratio discriminis est, quia in casu hoc postremo peccat sane homo et quidem gravissime contra praeceptum fidei, quod tamen peccatum consociari potest cum voluntate credendi, si doctrina revelata sufficienter ipsi proponatur; secus vero in casu praecedenti, cum voluntas supponitur non credendi revelationi utcumque sufficienter propositae. Atqui pertinacia contra fidem tunc adest solum, quando voluntas parata est assensum negare revelationi sufficienter propositae. Ergo formalem haereticum habemus utique in priori casu, non item in posteriori.

Resp. Affirm. Ratio est, quia ille qui dubitat, deliberate suspendit assensum intellectus circa veritatem, quam scit esse a Deo revelatam (*a*), seu iudicat esse incertum, quod Deus iubet credere ut certum; ergo deficit a Fide, negando summam Dei veritatem et Ecclesiae infallibilitatem.

QUAER. 3° *An sit haereticus formalis qui Fidem externe tantum negat?*

Resp. Neg. Nullo enim modo est haereticus, quia in eo non est assensus pertinax contra Fidem, et proinde in foro conscientiae haereticorum poenas non incurrit, quamvis graviter peccet contra praeceptum Fidei.

Vide plura de haeresi in Tract. de Censuris, ubi etiam dicetur de prohibitione librorum, necnon de Indice.

CAPUT II.

DE SPE

211. — Spes est virtus supernaturalis, per quam certa cum fiducia ex Dei promissione expectamus futuram beatitudinem, et media ad illam consequendam.

Obiectum *materiale* Spei primarium est Deus possidendus, iuxta illud *Gen. 15. 1: Ego ero merces tua magna nimis*. Obiectum vero secundarium sunt omnia media ad beatitudinem consequendam necessaria, ut remissio peccatorum, gratia Dei per merita Christi, etc... (*b*).

Obiectum autem *formale* Spei est bonitas et fidelitas Dei cum eiusdem omnipotentia coniuncta (*c*).

(*a*) Aliter vero dicendum de eo, qui dubitet, an quidpiam sit revelatum; quippe qui ne posset quidem circa id fidei actum elicere, ut constat etiam ex Prop. 21ª damnata ab Innocentio XI: *Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, immo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.* Peccabit hic igitur contra praeceptum fidei, si advertens necessitatem inquirendi, de veritate non inquirat; nam fidei praeceptum sicut ad credendum obligat, ita ad discendum, atque adeo ad inquirendum: non tamen est haereticus, cum nulla sit pertinacia contra perspectam revelationem. Unde inferri potest, eorum plerosque, qui sunt extra Ecclesiam, reos utique esse posse neglectae circa fidem inquisitionis; at non ita facile formales haereticos esse censendos.

Atque hinc ratio quoque patet damnationis Prop. 4ªe ab eodem Innoc. XI: *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.* Etsi enim infidelis ad credendum non teneatur, quamdiu revelatio ipsi non apparet evidenter credibilis; attamen nequaquam eximi a culpa potest, quod prudentem in re tam gravi suspicionem, atque adeo gravem inquirendi obligationem contempserit.

**(*b*) Non excludenda hinc alia beneficia etiam temporalia, quae a Dei bonitate expectamus; quippe et ista promissa a Domino fuerunt (*Luc. 12. 31.*): *Et haec omnia adiicientur vobis.*

(*c*) *Spes.... innititur.... divinae omnipotentiae et misericordiae, per*

Actus autem in Spe inclusi, sunt desiderium beatitudinis aeternae, firma fiducia ad illam perveniendi, et erectus animus contra occurrentes difficultates (*a*).

Peccata vero Spei opposita sunt desperatio et praesumptio. Prio est diffidentia voluntaria obtinendi beatitudinem, et media ad eam assequendam necessaria. — Posterior vero est inordinata fiducia beatitudinis obtinendae sine mediis a Deo ordinatis.

212. **Principia.** — I. Spes in adultis requiritur de *necessitate medii* ad iustificationem. Homo enim ad Deum finem suum ultimum consequendum pervenire nequit, nisi propriis actibus in ipsum tendat: hoc autem sine spe fieri non potest. Constat etiam ex *Conc. Trid. sess. 6. c. 6.*

II. Spes necessaria est etiam *necessitate praecepti;* siquidem datur verum praeceptum eliciendi actus Spei aliquoties in vita. Constat ex propositione 1ª ab Alexandro VII damnata, quae sic sonat: *Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei et Charitatis, ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium* (*b*).

quam etiam qui gratiam non habet, eam consequi potest, ut sic ad vitam aeternam perveniat. De omnipotentia autem Dei et misericordia eius certus est quicumque fidem habet. S. Thom. (*2. 2. q. 18. art. 4. ad 2.*). Et rursus idem S. Doctor (*De Virt. q. 4. art. 1.*): *Formale obiectum spei est auxilium divinae potestatis et pietatis, propter quod tendit motus spei in bona sperata, quae sunt materiale obiectum spei.*

(*a*) *Spes,* ut ait S. Thomas (*2. 2. q. 17. art. 5. ad 4.*), *secundum quod est virtus theologica, respicit arduum, alterius auxilio assequendum.* Sed (*3. Dist. 26. q. 2. art. 1. ad 2.*) *hoc arduum, quod est vita aeterna, excedit facultatem naturae. Ideo* (*ibid. art. 2.* o) *oportet, quod ex aliquo dono naturae superaddito fiat inclinatio in illud arduum; et illud donum est habitus spei. In quantum ergo* (*2. 2. q. 17. art. 1.* o) *speramus aliquid ut possibile nobis per divinum auxilium, spes nostra attingit ad ipsum Deum, cuius auxilio innititur.*

(*b*) *Cum ipsum praeceptum expresse non determinet tempus, recurrendum videtur ad articulum necessitatis, qui vix in proposito potest designari. Sed advertendum, hanc necessitatem posse esse vel per se, vel ex ratione extrinseca: hoc secundo modo obligabit hoc praeceptum, quando fuerit necessarium sperare vel ad debite orandum, vel ad vincendam tentationem, vel ad aliquid simile: in quibus tamen occasionibus saepe non erit necessarium formalem actum spei elicere, sed satis erit in ipso effectu debite id facere, in quo virtualiter includitur spes, ut efficaciter petere, vel dolere de peccato, vel aliquid simile.... De necessitate per se..... dico, ut de charitate et poenitentiā, hoc tempus non posse designari positive et omnino determinate, sed quasi negative et confuse: tenetur enim homo aliquando in vita spem exercere; quod vero illud sit nunc, vel postea, relinquitur hominis arbitrio.* Suarez, *De Spe Disp. 2. Sect. 1. n. 2. 3.*

Caeterum monent communiter DD., quoad huius praecepti sufficientem exsecutionem nullum anxietatibus locum esse dandum. Quippe cum ad illud implendum, sicut et de fide dictum est, sufficiat spes virtualis, et haec passim exerceatur; hinc vix suspicio esse potest, fideles huic obligationi deesse. Si qui vero illi desunt, cum fere sine advertentia id faciant, res eodem recidit.

213. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Quot modis committatur peccatum praesumptionis?*

Resp. Praecipue 1° si praesumas, vitam aeternam propriis viribus obtinere; 2° si eam exspectes sine labore, ex sola Dei misericordia. — *S. Lig. n. 21.*

Quaer. 2° *An possit dari materiae parvitas in peccatis contra Spem?*

Resp. 1 *Affirm.,* quoad praesumptionem, etsi gravis sit ex genere suo.

Resp. 2° *Dist.,* quoad desperationem: *Neg.,* si sit perfecta et proprie dicta; *secus,* si sit imperfecta, ut saepe in tristitia et impatientia accidit.

214. — Quaer. 3° *An sit peccatum contra Spem, cupere perpetu in hoc mundo vivere, aut e contrario ex taedio mortem exoptare?*

Resp. ad primum: Affirm., quia qui illud cupit, sistit in vita temporali, tanquam in fine ultimo. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 20.*

Resp. ad secundum: 1° Non est contra Spem *per se,* quia non est recedere a fine ultimo; 2° nec generatim excedit peccatum veniale, nisi adsit rebellio expressa contra ordinem divinae Providentiae.

Quaer. 4° *An sit praesumptio committere pluries idem peccatum, quia tam facile pluries quam semel commissum accusatur?*

Resp. Neg., quia poenitens facilius peccat non ex facilitate veniae obtinendae, sed ex minori difficultate confitendi; quamvis haec sit prava dispositio, Deo maxime iniuriosa. Esset autem peccatum praesumptionis, si quis ideo facilius peccaret, quod tam facile remittantur plura peccata, quam unicum (*a*). — *S. Lig. n. 21.*

(*a*) Notandum hic, opinionem non raro fidelium menti insidere, gravius fieri peccatum, quod ob spem veniae committatur: quando doctores contra censent per eam circumstantiam subinde potius peccatum imminui. Ita Suarez, recte id distinguens a peccato praesumptionis (*de Spe Disp. 2. sect. 3. n. 2.*): *Licet interdum delinquere ex fragilitate ob spem veniae possit non esse praesumptio, immo aliquantulum minuere peccatum; inde tamen occasionem perseverandi in peccato sumere, quoddam est praesumptionis genus.* Addit tamen (*ibid. n. 3.*) in eiusmodi praesumptione levem culpam reperiri posse.

Et haec doctrina est S. Thomae (*2. 2. q. 21. art. 2. ad 3.*): *Dicendum, quod peccare cum proposito perseverandi in peccato sub spe veniae, ad praesumptionem pertinet. Et hoc non diminuit, sed auget peccatum. Peccare autem sub spe veniae quandoque percipiendae cum proposito abstinendi a peccato et poenitendi de peccato, hoc non est praesumptionis, sed hoc peccatum diminuit; quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum.* Unde bene Marcus Struggl (*Theol. Moral. Tr. IV. q. 3. n. 17.*): *Etiam dum quis vult peccare aut actu peccat, bonum est sperare veniam peccati et proponere postea poenitere.* Caeterum non adesse in praemisso casu peccatum praesumptionis, communiter docent Sanchez (*In Dec. Lib. 2. Cap. 35. n. 7.*) Bannezium et Metinam allegans, Salmantic. (*Tr. 21. Cap. 5. n. 56.*), Palaus (*De Spe Tract. V. Disp. unic. punct. 6.*), Bonacina (*De I. Praecept. q. 3. punct. I. n. 6.*), etc.

215. — QUAER. 5° *Quaenam sint remedia desperationis?*

Resp. Praecipua sunt sequentia: 1° consideratio bonitatis et misericordiae infinitae Dei; — 2° frequens recordatio eorum hominum, qui post plurima et gravissima peccata veniam consecuti sunt: 3° meditatio parabolarum sancti Evangelii, praesertim *ovis perditae;* — 4° devotio specialis erga B. Virginem, refugium peccatorum; — 5° fiducia in Christum pro nobis cruci affixum, etc.

216. **Regulae practicae.** — *Prima.* Dispiciat Confessarius, ex qua potissimum radice desperatio in poenitente oriatur, ut congrua remedia pro diversa causa applicare possit. — Plerumque autem nasci solet proxime ex apprehensione certae damnationis. Remote vero 1° ex *acedia,* qua quis media salutis nimis gravia putat, et proinde ab iis adhibendis deterretur; 2° ex *luxuria* aut aliis inveteratis peccatis, quae mentem a caelestibus avertunt, et ob difficultatem emendationis ad desperationem adducunt; 3° ex *melancholia,* quae inclinat ad tristitiam, et avertit a fiducia, quae gaudium animi generare solet; 4° ex scrupulis, quibus anima deiicitur et opprimitur.

Secunda. Poenitentes desperationi dediti a Confessario cum magna circumspectione, prudentia et patientia sunt moderandi, iuxta diversitatem ingeniorum et varium desperationis genus. Alio enim modo dirigendi sunt qui ex malitia, vel ex peccatorum pondere et flagitiosa vita in desperationem acti sunt; alio qui ex pusillanimitate, vel ex diabolica tentatione ad eam impelluntur.

Tertia. Non statim prima fronte iudicandi sunt velut desperatione abstracti poenitentes, qui se tales exhibent, praesertim si christiane vivant. Inveniuntur enim animae etiam devotae, quae tentationibus desperationis prope continuis exagitantur; nec facile credendum est, eas peccasse praesertim graviter, quamvis putent se illis consensum praebuisse; sicut nec nimius timor de periculo salutis cum desperatione proprie dicta confundendus est. — *Elbel,* etc.

CAPUT III.

DE CHARITATE

217. — *Charitas* est virtus, qua diligimus Deum tanquam summum bonum propter seipsum (*a*), et proximum propter Deum. —

(*a*) Quid sibi velit Deum diligere *gratis* et propter seipsum, pluribus in locis explicat S. Augustinus, videlicet ne Deo serviamus, neve ipsum diligamus aut quaeramus propter aliud, idest propter mercedem temporalem, propter mercedem extra ipsum, propter bona ab ipso distincta aut diversa, sed ut ipse sit bonum nostrum, beatitudo nostra, merces nostra. Vid. *De Catech. rud. Cap. 22. n. 39. et Cap. 27. n. 56. — De Gen. ad lit. Lib. 8. Cap. 11. n. 24. — Serm. 91. n. 3. Serm. 165. n. 4. et Serm. 334. n. 3. — In Psalm. 52. n. 10. in Psalm. 77. n. 21. et in Psalm. 85. n. 8.* Haec et

Charitas est omnium virtutum praestantissima, quia Deum modo perfectissimo attingit. Hinc, *1. Cor. 13. 13: Nunc manent Fides, Spes, Charitas, tria haec; maior autem horum est Charitas.*

Obiectum *formale* Charitatis est bonitas divina (*a*); *materiale* vero primarium Deus, secundarium proximus. — *S. Lig. n. 22. et seq.*

Distinguitur 1° Amor Dei *intensive* vel *appretiative* summus; 2° Amor *benevolentiae, qui proprium bonum amati respicit; amor amicitiae, qui est amor benevolentiae mutuus; et amor concupiscentiae, qui intendit primario bonum proprium amantis* (*b*).

Agendum 1° de amore Dei, 2° de amore proximi.

ARTICULUS I.

DE AMORE DEI

1° Datur praeceptum speciale diligendi Deum super omnia tum affectu interno per veram cordis dilectionem, tum etiam opere ex-

alia tum S. Augustini tum aliorum DD. reperies apud Io. Bapt. Faure in egregiis Commentar. ad Enchiridium S. Augustini *Cap. 7. et 8.*, et rursus *ad Cap. 121. 122.*

(*a*) Quaestiones hic quidam movent (Vid. *S. Lig. Lib. 6. n. 436.*), num formale charitatis obiectum sit etiam bonitas, quae in quovis divino attributo, v. gr. misericordiae, iustitiae, sapientiae, etc. elucescit, an vero solum bonitas, quatenus haec omnes Dei perfectiones complectitur: primam autem sententiam exhibent tamquam minus probabilem, et communiter a DD. reiectam. Verum haec non debentur nisi cuidam aequivocationi. Nam opinio, quae communiter reiicitur, non ea est quam diximus, sed quae contritionem non ex charitatis, sed ex obedientiae, religionis, poenitentiae, etc. motivo elicitam, habet ceu *perfectam* atque adeo aptam ad hominem ante susceptionem sacramenti iustificandum. Qua de re vid. Card. De Lugo *De Poenit. Disp. 5. Sect. 1.*, tum etiam quae dicemus in Tr. de Poenit. (*Vol. 2. ad n. 441.*).

(*b*) Cavendum sedulo, ne amor, qui nos in Deum rapit ceu bonum nostrum, tamquam alienus a charitate traducatur. Ratio est, 1° Quia homo reipsa non attrahitur nisi bonitate divina, dumque in hoc potius, quam in quovis alio bono, beatitudinis obiectum quaerit, insitus iam apparet amor ille *appretiative summus,* qui proprius est perfectae charitatis, et quo (ut inquit S. Bonaventura *3. Dist. 26. art. 2. q. 3.*) *Deum concupiscit super omnia.* 2° Quia secus ne amor quidem *amicitiae* possibilis foret. Ut enim inquit sanctus Thomas (*2. 2. q. 26. art. 13. ad 3.*): *Unicuique erit Deus tota ratio diligendi, eo quod Deus est totum hominis bonum. Dato enim per impossibile, quod Deus non esset hominis bonum, non esset ei ratio diligendi.* Hinc et S. Franciscus Salesius (*Tr. dell'Amor di Dio Part. 2. Lib. 4. Cap. 10.*) ad chimaeras et inanes phantasias revocat amorem cuiuspiam boni, quod ad nos nostraeque beatitudinis obiectum non pertineat. 3° Denique quia amor Dei, excludens affectum possidendi Deum uti beatitudinis nostrae obiectum, quod nostrum felicitatis appetitum perfecte satiet, facile adducet ad doctrinas *de pura charitate sine ulla admixtione motivi proprii interesse,* quam in pluribus propositionibus damnavit Innocentius XII, 12 Mart. 1699, et e quibus prima praesertim, quinta et sexta ad rem praesentem faciunt.

terno. — Constat ex verbis Christi, *Matth. 22. 37: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo... hoc est maximum et primum mandatum.*

2° Praeceptum hoc, prout affirmativum, obligat ad Deum amandum super omnia *appretiative,* ut patet ex lege naturali, non autem necessario *intensive,* quia essentia Charitatis in gradibus non consistit (*a*). — *Ita communiter.*

218. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An teneamur ad agendum semper ex motivo Charitatis?*

Resp. Neg., iuxta dicta *de Act. hum., n. 31.* Siquidem etiam actus aliarum virtutum sunt boni et meritorii (*b*). Constat etiam ex propositione 8ª ab Alexandro VIII damnata.

Quaer. 2° *Quandonam urgeat praeceptum Charitatis?*

Resp. Obligat tum *per se,* tum *per accidens,* sicut praeceptum Fidei. Recole dicta superius *de praecepto Fidei, n. 188.* Constat etiam ex propositionibus 5ª et 6ª ab Innoc. XI damnatis, quarum prior sic iacet: *An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.* Posterior vero: *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis, per se obligare praeceptum Charitatis erga Deum.* S. Ligorio arridet sententia eorum, qui actum Charitatis semel in mense requirunt. — *Hom. apost. n. 12.* Sed huius opinionis nullum est solidum fundamentum (*c*).

(*a*) Scilicet non cadit sub charitatis praeceptum gradus intensionis, seu fervoris in diligendo; sufficit enim ut Deus reipsa bonis omnibus praeferatur, ut habet communis DD. sententia. Nec movere quempiam et in transversum agere illud debet, quod aliter habere quidam veteres videantur; nam nomine maioris intensionis, aut ferventioris dilectionis, aut maioris extensionis Scotus, v. gr. et S. Thomas, reipsa intelligunt appretiationem (Vid. Koninck *De Virtut. Theol. disp. 25. n. 2.*).

Et hac quidem doctrina communi exploditur tum opinio eorum, qui actum amoris *summe intensum* exigebant (qui quidem ad absurdum declinant, quia nullus actus cogitari potest ita intensus, ut cum Dei auxilio intensior elici non possit), tum eorum, qui Deum affectu intensiori, quam quidlibet aliud, diligendum contendunt; unde consequeretur, affectum qui heri ad praeceptum implendum sufficiebat, hodie amplius non sufficere, si forte impensiori studio in rem aliam, etsi honestam, afficiar; itemque contritionem, quae hodie sufficit ad remissionem peccatorum, cras non fore sufficientem, si forte intensius de pessima, v. gr. morte fratris doleam (Conf. Koninck *l. c. n. 4. 5.,* et Suarez *de Charit. Disp. 6. Sect. 2. n. 2-5.*).

(*b*) Meritorii sunt pro eo, qui est in statu gratiae; secus erunt aut salutares, si ex gratia ponantur, aut saltem naturaliter honesti.

(*c*) Pro eiusmodi opinione non allegantur nisi Cardenas et Croix (Vid. S. Alph. *Lib. 2. n. 8.*). At Croix (*Lib. 2. n. 141.*) mere ista habet: *Cum in tanta sententiarum varietate nesciamus, quando et quoties diligendus sit Deus, arripiamus tutiora.* Quae sane non possunt ita intelligi, quasi Croix ex defectu rationum ad asserendam ullam obligationem absurdissime et contra prima principia inferat necessitatem obligationes strictiores sine ulla ratione imponendi.

Cardenas vero (*Cris. 2. Disp. 6. n. 18.*) ita disserit: *Valde occultum et*

QUAER. 3° *An satisfiat praecepto Charitatis per attritionem in susceptione sacramenti Poenitentiae?*

Resp. Neg., quia attritio non fit principaliter ex amore Dei, sed sui, et proinde in ea deest motivum principale Charitatis.

219. **Resolves.** — 1° Praecepto Charitatis facile satisfaciunt fideles qui pie vivunt, quia saepius actus Charitatis eliciunt gau-

incertum est determinare tempus, in quo instat hoc praeceptum; solum enim dicimus violari praeceptum, cum multo tempore differtur dilectio Dei, iudicio prudentis; et mensis integer videtur mihi multum tempus ob summam huius praecepti dignitatem. Quae plane nullius sunt roboris. Mitto enim quod nemo antea hunc terminum fixerit: at prorsus imbellis, ut patet, est ratio, quam petit a summa praecepti praestantia. Profecto si quo praestantius est praeceptum, eo maior esse debeat actuum praeceptorum frequentia, cum praestantius sit praeceptum sumendi Eucharistiam, quam abstinendi a carnibus, concludendum foret, ad sumendam Eucharistiam plus quam bis hebdomadis singulis nos teneri!

** Contra brevem hanc notam VV. (*Pag. 145-149.*) multa congerunt per decem columnas. At enim quorsum? Ut evincant scilicet, peccare mortaliter, qui actum charitatis per mensem omittat. At enim numquid Praeclariss. Viris memoria id excidit, quod S. Alphonsus refert (*Lib. 5. n. 52.*) ex S. Antonino, non definiendum esse de peccato mortali, *nisi habeatur auctoritas expressa S. Scripturae, aut Canonis, seu determinationis Ecclesiae, vel evidens ratio?* Et id, quod idem S. Alph. (*Lib. 1. n. 89. al. 73.*) docet tum cum Gersone: *Doctores theologi non debent esse faciles ad asserendum, aliqua peccata esse mortalia, ubi non sunt certissimi de re;* tum cum S. Raymundo: *Non sis pronus iudicare mortalia peccata, ubi tibi non constat per certam Scripturam;* tum cum Gabr. Biel: *Nihil debet damnari tamquam mortale peccatum, de quo non habetur evidens ratio, vel manifesta auctoritas Scripturae?* Ubinam porro hic habemus evidentes rationes, aut tantum auctoritatis robur?

1° *Suarez,* inquiunt VV., *et Reginaldus ex dignitate tanti praecepti probant, actum charitatis saepius eliciendum.*

Resp. Suarez (*De Charit. disp. 5. Sect. 3. n. 1.*) inde unice deducit, *repugnare tanti praecepti dignitati obligationem reiicere* (unice) *ad illud* (mortis) *tempus,* et (*ibid. n. 4.*) *delinquere contra hoc praeceptum, qui per multos annos non exercet hunc amorem.*— Reginaldus vero (*Tr. 17. n. 98.*), neminem *obligari ad actum dilectionis, nisi cum exercitium illius necessarium est ad Dei honorem defendendum,... vel ad divinam amicitiam retinendam.* Ubinam igitur obligatio urgens singulis mensibus?

2° VV. urgent, quosdam veteres docuisse, obligare hoc praeceptum singulis diebus festis, quibus accessit et Amort asserens obligationem hanc saltem sub levi.

Resp. Nonne et S. Alphonsus cum communissima Thh. hanc opinionem reiicit?

3° Advertunt VV., S. Alphonsum attulisse argumentum, quod secus *difficulter observare quis poterit legem divinam* (*Hom. Ap. n. 12.*).

Resp. Quando sit unicum medium vitandi grave aliquod peccatum, C., prouti et Reginaldus sup. docuit. Secus, N. Nihil aliud enim sibi vult S. Alphonsi sententia.

Caeterum res ita se habet, ut Cardenas tantum et Croix eam opinionem teneant, nec aliis rationibus praeter allatas eam confirment. Utrum aut auctoritas aut rationes illae sufficiant ad grave omissionis peccatum asserendum, ex DD. regulis sup. a S. Alphonso allatis definiatur: nam grave videri merito debet, diutius hisce discretum lectorem detineri.

dendo de perfectionibus divinis, optando ut nullus Deum offendat, ut omnes illum ament et colant, atque eius mandata observent, orando devote ut sanctificetur nomen eius, ut fiat eius voluntas, vitando peccatum, quia ipsi displicet, etc.

2° Fideles igitur non debent esse anxii de hac obligatione, si vitae christianae studeant, et voluntatem gravia peccata vitandi retineant. Suadendum tamen ipsis est, ut saepe explicitos Charitatis actus eliciant in vita, ad maiorem cum Deo coniunctionem, atque ut animus paratior sit ad similes actus in morte facile eliciendos (*a*).

(*a*) Opportunissime moribundi ad actus charitatis eliciendos, iterandosque excitantur; imo non desunt, qui gravem huius actus eliciendi obligationem tunc urgere autument. Verum videtur distinguendum. Nam si sermo sit de iis, quibus aliud medium iustificationis nullum suppetit, verissime id affirmatur; secus vero, si huiusmodi absit necessitas; neque enim ulla solida ratio apparet sive intrinseca sive extrinseca, cur opinionem de hac obligatione quidam (Vid. *S. Alph. Lib. 2. n. 23.*) *communem* aut *probabilissimam* dixerint.

** Hic quoque VV. (*Pag. 149-151.*) contendunt, nec extrinsecam nec intrinsecam deesse huius obligationis rationem. Sed meminisse id oportebat, quod VV. saepe oblivisci videntur, ad obligationem asserendam non sufficere probabilitates.

Quod itaque spectat ad rationem extrinsecam, in primis non negligendi erant Auctores, iique gravissimi, qui hanc obligationem negant sive expresse, sive aequivalenter, dum recensentes aut tempus obligationis, aut de eo opiniones, tempus mortis praetermittunt. Eiusmodi sunt *Lugo, Navarrus* (allegationes, quae facile inveniuntur, brevitatis causa omittuntur), *Sanchez, Azor, Escobar, Croix, Becanus, Fagundez, Tamburini,* et cum his *Potestas* et *Voit.* — Negantibus hanc obligationem accensendi sunt etiam illi, qui eam tunc solum admittunt, quando charitas seu contritio perfecta unicum adest iustificationis medium. Ita *Laymann, Toletus, Henriquez, Candidus, Lessius, Turrianus, Gordonus, Fabri, Ferraris* et *Elbel.* — His addendi, qui probabilem esse aut etiam sibi videri probabiliorem affirmantem dicunt. Ratio, quia qui *probabilem* dicit obligationem, aequipollenter negat, eam imponi posse. Tribus autem Auctoribus, quos VV. referunt, adiungi possunt *Palaus, Gobat, Catalani, Mazzotta.*

Inspiciamus deinde fundamenta istius obligationis. 1° *Suarez,* et cum eo *Koninck, Widgant, Cardenas* et *Catalani*, charitatem exigunt ob dubium de valore Sacramenti cum sola attritione, vel de ipsa attritione, an rite elicita sit. — Resp. Ratio haec nimis probat. Si quid enim tale dubium valeret, propter ipsum non minus praecavendum foret periculum frustrandi per sacrilegam iniuriam Sacramenta. Ergo accedenti ad Confessionem sub gravi peccato iniungenda foret obligatio charitatis seu perfectae contritionis actum praemittendi; quam doctrinam nemo facile admittet. Insuper cum de certitudine contritionis seu charitatis aeque, imo plus dubitare possis quam de certa attritione, quia difficilior ea censetur, illam non semel solum, sed iterum iterumque deberes repetere, quin tamen dubium et simul obligatio repetendi cessaret. Denique ad contritionem non ex charitatis, sed ex poenitentiae praecepto tenereris.

2° Alii, v. gr. *Bonacina, Valentia, Reginaldus, Giribaldi* etc. charitatis actum exigunt, quo se homo communiat adversus tentationes. — Resp. Idipsum dici potest de usu aquae benedictae, de signo Crucis, de invocatione B. Virginis, et quovis alio medio ad id idoneo. Num idcirco sub gravi obligamus ad haec omnia adhibenda? Illud unice itaque statui potest, actum charitatis, et quodvis aliud medium sub gravi esse adhibendum, quando

3° Satisfacit praecepto Charitatis, qui peccato gravi inquinatus, et copia Confessarii destitutus, elicit actum perfectae contritionis, etiamsi hic actus esset aliunde necessarius, v. gr. ad celebrandam Missam. Ratio est, quia praeceptum Charitatis simul cum alio praecepto bene impleri potest, et in eiusmodi adiunctis locum habet id, quod superius diximus, praeceptum Charitatis interdum obligare per accidens. — *Elbel,* etc.

ARTICULUS II.

DE AMORE PROXIMI

Agendum 1° de praecepto amoris proximi in se; 2° de operibus charitatis ex illo implendis; 3° de vitiis Charitati proximi oppositis.

§. I. *De praecepto amoris proximi in se.*

1° Erga omnes in genere; 2° erga inimicos in particulari.

PUNCTUM I.

De praecepto Charitatis erga omnes in genere.

220. **Principia.** — I. Datur praeceptum diligendi proximum vero et interno affectu. Constat 1° ex lege naturali, quia etiam in

unicum sit medium gravis culpae vitandae. Tunc autem omissio non charitatis violat praeceptum, sed unum eundemque reatum inducit, ac peccatum, in quod quis ob eam omissionem labatur.

3° Alii, uti *Cardenas, Holzmann, Reuter, Babenstuber, Antoine* (quem transcribunt *Charmes* et *Collet*), *Viva* etc. inde arguunt, quod cum homo tunc in eo sit, ut ultimo suo fini coniungi debeat, tunc maxime *conveniens, congruum, utile, commodius, opportunius* sit, se ad id disponere per exercitium praecipuarum virtutum et charitatis. Et huc quidam cum *Marchant* et *Sporer* revocant illud Evangelii: *Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris.* — Resp. Plura alia sunt *convenientia, congrua, commoda, utilia, opportuna;* verum nec *convenientiae,* nec *commodi,* nec *utilitatis,* nec *opportunitatis* ratio, sed ratio *necessitatis*, a qua se subtrahere quis non possit, obligationem gravem potest inducere. Satis vero praecinctos habet lumbos, et lampadem gerit accensam, quisquis sanctificante gratia ornatus Dei amicus, imo et filius est.

4° Nonnulli demum cum *Cardenas* ita arguunt: doctrina damnata est, sufficere semel in vita actum charitatis elicuisse: ergo elici in morte debet. — Resp. Tum istud sophisma, tum praecedentia infirmissima argumenta, ea sunt, propter quae de ista obligationis opinione scripsit Sanchez (*Dec. Lib. 2. C. 35. n. 9.*): *Iure optimo id reprobat Azor.* Et Tamburini (*Dec. Lib. 2. C. 3. n. 4.*): *Ponere hanc obligationem, quae certe fundamento solido non innititur, nihil aliud est, nisi scrupulos ingerere.* Et de eadem re Lugo (*de Poenit. Disp. 7. n. 276.*): *Non debet ergo Confessarius laqueos iniicere poenitenti in re incerta.*

proximo viget idem motivum formale dilectionis, scilicet *bonitas* Dei participata; omnes enim homines sunt Dei creaturae, ad eius imaginem conditi, atque amicitiae Dei et aeternae beatitudinis capaces: ergo sicut Deum amare, ita et proximum diligere propter Deum debemus. —2° Constat ex Scriptura sacra, *Matth. 22. 39: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* — 3° Constat etiam ex damnatione propositionis 10^{ae} *ab Innoc. XI,* quae sic iacet: *Non tenemur proximum diligere actu interno et formali.*

Qui vero christiane vivit, sufficienter satisfacit huic praecepto, quoad actum internum orando pro proximo, vel recitando Orationem Dominicam (*a*). Quoad actus vero externos satisfacit, proximi necessitatibus sive temporalibus, sive spiritualibus succurrendo, iuxta regulas infra statuendas.

II. Ordo aliquis Charitatis servandus est in proximi dilectione. Ratio est, quia et personae diligendae magis vel minus perfectae sunt, aut magis vel minus nobis coniunctae, et bona ipsis desideranda vel procuranda, magis vel minus necessaria sunt (*b*).

Item diversae sunt necessitates, in quibus proximo succurrendum est. Necessitas enim sive temporalis, sive spiritualis, triplex distinguitur, scilicet

1° *Extrema,* cum periculum aeternae damnationis aut mortis, alteriusve mali morti fere aequalis ita proximo instat, ut hic moraliter loquendo sine alterius auxilio illud evadere non possit.

2° *Gravis,* cum quis magnum patitur periculum salutis animae,

(*a*) Ad satisfaciendum praecepto sufficit amor generalis, qui neminem excludit, ac omnes complectitur, ut docet S. Thom. (*2. 2. q. 25. art. 8.*). Atque adeo ad id sufficit oratio, quae pro omnibus fit, recitando Dominicam Orationem, in qua et internum et externum actum habes.

(*b*) De ordine charitatis inter proximos clarius Laymann (*Lib. 2. Tract. 3. Cap. 3. n. 5. et 6.*) post S. Thomam triplici principio utitur: I. *Ea dilectione quam comitatur complacitum seu gaudium in bono alieno possesso, itemque quam comitatur honor, reverentia, ii magis diligendi sunt, qui meliores sunt, auctore S. Thoma* (*2. 2. q. 26. art. 7. 8. 9.*): *ob eamdemque rationem parentes magis quam filii et uxor, magisque benefactores, quam ii quibus benefecimus. Ratio, quia maiorem illi cum Deo communi omnium parente ac benefactore similitudinem habent.* — II. *Ea dilectione qua desideramus alteri bonum nondum possessum, et quam comitatur misericordia et beneficentia, ii magis diligendi sunt, qui nobis coniunctiores existunt.* — III. *Qui nobis coniunctiores sunt, aliis praeferri debent secundum ea bona, in quibus coniunctio vel amicitia fundatur: quia communicatio bonorum est fundamentum amicitiae et charitatis.* Exinde S. Thomas (*2. 2. q. 26. art. 8.*): *Diversorum dilectio est mensuranda secundum diversam rationem coniunctionis, ut scilicet unusquisque diligatur magis in eo, quod pertinet ad illam coniunctionem, secundum quam diligitur... Et ideo in his, quae pertinent ad naturam, plus debemus diligere consanguineos; in his autem, quae pertinent ad civilem conversationem, plus debemus diligere concives, et in bellicis plus commilitones.* Et (*3. Dist. 29. q. 1. art. 6. ad 3.*) ex iisdem principiis deducit, *beneficia ecclesiastica non esse danda magis consanguineis, sed eis qui magis sunt idonei ad regimen Ecclesiae.*

aut vitae corporis, alteriusve gravis mali (*a*), quod sine magna difficultate effugere nequit.

3° *Communis* seu *mediocris,* in qua quis sibi providere potest sine magna difficultate. In hac versantur in ordine spirituali vulgares peccatores, qui, si vellent conatum aliquem adhibere, e pravo statu resurgerent; in ordine vero temporali eam patiuntur generatim pauperes mendicantes, quibus vita, pro eorum conditione, non nimis molesta ac misera est. — *S. Lig. n. 27., Hom. apost. n. 18.*

Regulae speciales ordinis Charitatis.

221. — *Prima regula.* Quisque tenetur seipsum magis diligere *simpliciter* et *absolute,* quam proximum (*b*). Ratio est, quia unusquisque sibi magis proximus est, quam alius quilibet. Id clarum est insuper ex inclinatione naturali et invincibili ad seipsum magis diligendum quam proximum; unde vulgare axioma: *Charitas bene ordinata incipit a semetipso.*

Secunda regula. Debemus tamen succurrere proximo, nostris etiam commodis posthabitis (*c*), ordine sequenti:

1° In *extrema necessitate spirituali, per se* (*d*), succurrendum est proximo, etiam cum periculo vitae; quia vita aeterna proximi bonum est excellentius vita nostra temporali. — *S. Lig. n. 27.*

(*a*) Auctor reipsa iis coloribus necessitatem *gravem* exhibet, quibus alii DD. *quasi-extremam* aut saltem *gravissimam* solent indicare.

** (*b*) Ut vera sit haec assertio, intelligatur, oportet, de illis bonis, quae nobis comparare vel conservare tenemur. Nam si haec obligatio desit, proximum nobis praeferre non solum licet, sed ad virtutem pertinet.

(*c*) Nempe prima regula valet, ubi bona sint eiusdem ordinis, et in reliquis par sit nostra et proximi conditio. Secunda vero, quando vel in ordine bonorum vel in reliquis adsit disparitas, quae tripliciter contingere potest; unde triplex regula, nimirum: 1° Si bonum proximo necessarium sit altioris ordinis, possumus et quandoque tenemur nos privare bono ordinis inferioris ad bonum illud proximo procurandum. — 2° Proximum in maiori necessitate constitutum possumus et quandoque tenemur cum damno nostro adiuvare. — 3° Idipsum dicendum est, si par quidem sit necessitas, sed non par utriusque causa, v. gr. pluris intersit vitam proximi, utpote personae publicae, servari.

Ordo autem inter bona est, ut primum locum teneant bona spiritualia et supernaturalia; secundum bona naturalia et corporalia intrinseca, uti vita, sanitas, etc.; tertium vero bona naturalia extrinseca, ut fama, honor, divitiae. Fama tamen et honor respectu bonorum fortunae est altioris ordinis, quia fama est quidpiam spirituale ac morale.

(*d*) Dicitur *per se;* excipi enim debet, 1° si non sit spes moraliter certa salvandi proximum; unde non tenetur mater vitae periculum subire, ut proles baptizetur, cum incertum sit an ad baptismum sit perventura. — 2° Si alius sit, qui possit id praestare; tunc enim opera mea non est necessaria (Vid. Reginald. *Prax. For. poenit. lib. 4. c. 25. n. 357.*). — 3° Si gravius malum inde immineat, v. gr. si quopiam ea de causa moriente, plurium aliorum salus periclitetur. Caeterum videnda sunt quae S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 624.*) habet de moribundo absolvendo etiam cum vitae periculo.

2° In *extrema necessitate temporali* succurrendum est proximo *ordinarie* cum magno (*a*) quidem incommodo, non tamen cum maximo. Ratio est, quia ex una parte vita proximi bonum est excellentius aliquo nostro bono; et ex alia parte cum amor sui ordine praecedat, nemo obligatur ad tantum incommodum pro aliis subeundum. — *S. Lig. n. 31.*

3° In *gravi necessitate utriusque ordinis* nemo tenetur proximo succurrere cum gravi suo incommodo, secluso tamen iustitiae, pietatis vel officii titulo (*b*). Ex dictis enim sequitur, nos teneri ad opem aliquam praestandam, non tamen cum gravi proprii boni iactura. — *S. Lig. ibid.*

4° In *communi necessitate utriusque ordinis* succurrendum proximo est cum incommodo quidem aliquo, quia id amor proximi exigit, sed levi tantum; non enim potest esse nisi levis obligatio Charitatis, quando proximus sat facile ab illa necessitate sese eripere potest, vel non est ei nimis molesta. Non tenemur autem omnibus in communi necessitate positis opitulari. Hoc enim impossibile est, et si fieri posset, iam non leve incommodum foret (*c*). — *S. Lig. n. 32.*

Tertia regula. Inter varias personas diligendas praeferendae sunt, caeteris paribus, eae quae nobis sunt magis coniunctae sanguine, amicitia, officio, Religione, convictu, etc..., cum Deus vinculis strictioribus nobis illas devinxerit.

Hinc praeferendi sunt 1° parentes caeteris; 2° coniux filiis, filii fratribus, fratres cognatis; 3° amici, benefactores, Superiores et personae bono publico utiliores caeteris. Attamen in ordinaria necessitate, iuxta communem sententiam, coniux et filii parentibus praeferri debent (*d*). — *S. Lig. Hom. apost. n. 15.*

222. **Resolves.** — 1° In pari ordine bonorum, parique necessitate et causa magis tenemur nosmetipsos diligere, quam proximum. Ratio est, quia dilectio sui est regula dilectionis proximi iuxta il-

(*a*) Vid. infr. *n. 228. q. 3.* ubi ex S. Alphonso cum communi DD. sententia statuitur, non teneri quempiam ad magnam pecuniae summam erogandam, ut alium a periculo mortis eximat.

(*b*) Ex officio in gravi necessitate alienam salutem curare tenentur, v. gr. parochus et medicus: quibus idcirco non licet fugere tempore pestis, nisi substituto aeque idoneo.

(*c*) Quoad temporales proximi communes necessitates sublevandas, vide quae inferius dicuntur de eleemosyna; quoad spirituales vero confer quae habet S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 625.*) de obligatione sacerdotum propria, ut se idoneos ad fideles in spiritualibus iuvandos efficiant, tum etiam quae infra de fraterna correctione dicenda sunt.

(*d*) *Ad patrem proprie pertinet, ut ei a filiis honor impendatur; ad filium autem, ut ei utilitas a parentibus provideatur. Quamvis in articulo necessitatis filius obligatus sit ex beneficiis susceptis, ut parentibus maxime provideat.* S. Thom. (*2. 2. q. 26. art. 9. ad 3.*). Et de uxore (*ibid. art. 11.*): *Intensius diligitur uxor; sed maior reverentia est parentibus exhibenda.*

lud: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*. Regula autem prior est, et potior, quam regulatum (*a*).

2º Peccat contra Charitatem erga seipsum, graviter vel leviter pro rei gravitate, qui debitam animae vel corporis curam negligit (*b*). — Licet tamen se privare bonis spiritualibus non necessariis, ad bonum sive temporale, sive spirituale proximi, v. gr. omittere auditionem Missae die feriali (*c*), etc... Imo potest quis maiora bona spiritualia non necessaria optare et procurare proximo quam sibi, secluso eorum contemptu.

3º Nemo tenetur cum periculo vitae aut bonorum extrahere alios a peccatis, a quibus possunt ipsi se liberare per Sacramentum Poenitentiae aut contritionem perfectam, etiamsi in periculo vitae versentur; secus autem, *per se,* si iudicetur, difficulter eos posse actum contritionis elicere (*d*). — *S. Lig. et alii communiter.*

(*a*) Ita S. Thomas ex illo textu evangelico arguit (*2. 2. q. 26. art. 4.*): *Ex quo videtur, quod dilectio hominis ad seipsum est sicut exemplar dilectionis, quae habetur ad alterum. Sed exemplum potius est, quam exemplatum. Ergo homo ex charitate magis debet diligere seipsum quam proximum.* Quocirca verba Christi, ut communiter advertunt theologi, similitudinem denotant, non autem aequalitatem.

(*b*) Eiusmodi tamen peccata vix accusari in confessione solent. Nam vel agitur de animae damno sibi accersito per culpas; et non magis exprimi debet, quam in peccato, v. gr. furti exprimenda sit charitatis aut obedientiae erga Deum violatio. Vel agitur de omissione mediorum, quibus culpae praecaveantur; et cum haec obligatio non distinguatur ab obligatione servandi praecepta, talis negligentia per confessionem aliorum peccatorum satis exprimitur (Vid. Lugo *de Poenit. Disp. 7. n. 242. et Disp. 15. n. 56.*). Si vero agatur de damnis vitae aut corpori illatis, etsi charitatis erga se obligatio distinguenda videatur ab obligatione, quam praeceptum quintum Decalogi imponit ratione divini dominii in vitam corpusque nostrum; tamen cum morborum causae ut plurimum non sint proximae et immediatae, fere gravem reatum non inferunt.

(*c*) Ita quispiam contemplationis, ieiunii, chori, etc. bona dimittit, ut proximum erudiat, aut differt religionis ingressum, ne desit qui aut paroeciae, aut seminario, aut missioni operam impendat. Neque vero tunc reipsa habetur lucrum spirituale cessans; quippe bonum minus maiori compensatur. Immo potest quis etiam dilationem aeternae beatitudinis eligere, ut proximum adiuvet; unde illa S. Martini: *Domine, si populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* Huc spectant et verba Apostoli *Phil. 1. 23.*

(*d*) Necessitas succurrendi quibusdam morti proximis sive ex morbo sive ex gravi vulnere non profluit potissime ex difficultate eliciendi actum contritionis; nam fideles utut rudes et peccatis demersi satis norunt sese ad Deum ex toto corde convertere, nec gratiae divinae auxilium opportunum illis deest: subest potius periculum, ne in illis angustiis mente ad alia distractos sopor letalis ac mors praeripiat, antequam de animae salute quidpiam cogitent.

Potior et facile etiam extrema urgere poterit necessitas, quando periculum impendet deceptionis, quae non pendet a sola eorum voluntate qui decipiuntur, v. gr. si haeresis magister alicubi errores suos diffundat, etc. Hinc si qui sint, qui diebus hisce nostris prudenti, ut aiunt, silentii oeconomia utantur, ne malorum odium subeant, isti sane huius obligationis obliti penitus videntur.

4° Non licet tibi subire periculum proximum peccandi, ut peccatum alienum impedias, quando lapsus tuus appareat quodammodo certus; secus, si periculum istud fieri possit remotum, ita ut merito confidas non te lapsurum esse (*a*). — *S. Lig. Hom. apost. n. 14.*

5° *Probabilius* in iis, quae necessaria sunt vitae, sibi praeferre licet aequalem aut inferiorem, imo est actus heroicus charitatis, modo ob Deum fiat. Excipe, si ille, qui se exponit, necessarius sit Reipublicae aut familiae suae. — *Ita Suarez.* — *Laymann,* etc... contra *alios.*

223. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An sit contra Charitatem sibi mortem optare ob vitae infortunia?*

Resp. 1° *Neg.*, si fiat ex desiderio vitae melioris, seu aeternae felicitatis, ut perspicuum est.

Resp. 2° *Affirm.*, si fiat ex taedio vitae, vel ex animi deiectione. Non tamen peccant, qui mortem cupiunt, quando vita tam molesta fiat, ut ipsa morte durior aestimetur. — *S. Lig. n. 30.* — Secus, si fiat levi quavis de causa, etsi non graviter, nisi quis vellet divinae Providentiae ordini contraire (*b*).

QUAER. 2° *An sit contra Charitatem malum temporale proximo desiderare, vel de eo gaudere ob bonum finem?*

Resp. 1° *Neg.*, si debitus ordo Charitatis servetur, id est, si fiat ob maius bonum, vel ob minus malum (*c*). Hinc id licitum est,

(*a*) Licite proinde leguntur et tractantur materiae periculosae sive ab iis, qui animas curare, uti sacerdotes, sive qui debent corporibus mederi, uti medici. Itemque licite periculum subeunt hi quidem in feminis medicandis, illi in excipiendis confessionibus. Vid. S. Alphonsum (*Lib. 2. n. 26. et Lib. 5. n. 63.*), qui immo ex communi sententia docet (*Lib. 6. n. 453.*), interdum etiam obligari quempiam posse ad opus charitatis, cum lapsus alioqui sit valde probabilis, si proximus in extrema necessitate spirituali versetur. Dei quippe, qui proximo tunc succurri iubet, prudenter auxilium adhuc speratur.

(*b*) Agitur hic de mortis desiderio inefficaci dumtaxat, quatenus mortem sibi a Deo immitti quis optet aut etiam roget. Salmanticenses (*Tr. 20. Cap. 13. n. 46.*) culpae gravis id damnant, quia (inquiunt) vitium timiditatis et pusillanimitatis est velle vita carere ob vitanda mala minoris momenti. At enim ubinam gravis in pusillanimitate culpa, nisi quis inde ad grave frangendum praeceptum impellatur? Ubi autem grave praeceptum reperies, ne Deum rogem, ut me a mundi miseriis eripiat? Si ergo levi causa impellar, erit demum actus impatientiae, quae ex genere suo levis est. Et cum praesentem cum futura vita velle commutare per se non sit contra ordinem charitatis, impatientiae utique et pusillanimitatis, non vero violatae charitatis aliqualem heic culpam habebimus.

** (*c*) Hinc petendam esse veram et unicam causam, cur damnatae ab Innoc. XI. fuerint Propp. XIII., XIV., et XV., satis nunc fuerit allegasse auctoritatem *Vivae, Cardenas* et *Duarte*, qui de damnatis thesibus ex professo tractaverunt. Sic illae propositiones se habent: XIII. *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicuius tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum.* — XIV. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem pa-*

1° ob bonum spirituale proximi ipsius; 2° ob bonum commune, vel spirituale, vel temporale; 3° ob bonum etiam plurium, multo maioris momenti, v. gr. familiae, communitatis, etc. — *S. Lig. n. 30.* — Caeterum talia desideria in perfectiora commutari facile et utiliter possunt (*a*).

Resp. 2° *Affirmative,* quando charitatis ordo pervertitur. Hinc non potest uxor desiderare mortem mariti, ex eo quod iniuste ab eo male tractetur, nec filiae suae, quia ob deformitatem vel paupertatem nubere nequit (*b*). Constat ex damnatione propositionum 13ae et 14ae ab Innocentio XI. — *S. Lig. n. 30.*

---

tris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura est pinguis hereditas. — XV. *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas.*

De his Viva (*n. 12.*): *Ostenditur falsitas: quia ordo charitatis postulat, quod vita proximi praeferatur emolumento temporali proprio... Ergo charitatis ordo pervertitur, si mortem proximi appetamus, aut de ea gaudeamus propter nostrum temporale emolumentum; eo quod hisce affectibus nostrum emolumentum praeferatur vitae proximi, quae est in ordine longe superiori; ut proinde perversio ordinis non possit dici levis, nec possint huiusmodi affectus gravi culpa vacare.* Et n. 20: *Si filia delectaretur de parricidio inculpabiliter commisso, ne vexetur amplius a patre, qui volebat eam prostituere, et ad peccandum impellebat, excusari posset talis delectatio a fine et bono spirituali, quod longe praestat, quam vita patris. At pinguis hereditas non praestat vitae patris; et ideo citra mortale nequit filius de parricidio inculpabiliter patrato delectari ob ingentes divitias ex hereditate consecutas.*

Duarte vero (*Brev. Expos. Propp. damnn. n. 207. 208.*): *Ratio est, quia ordo charitatis postulat, ut vita proximi praeferatur emolumento temporali proprio, immo exigit, ut ad illam conservandam succurramus pauperi etiam de necessariis statui; ergo etc... Ex quibus sequitur, quod si filius mortem patri exoptet, aut de ea gaudeat, vel si gaudeat de parricidio a se in ebrietate commisso ob hereditatem captandam, non solum peccabit mortaliter contra charitatem, sed etiam contra pietatem,* etc.

Demum Cardenas (*Part. 4. Diss. 10. n. 20.*): *Non licet optare mortem proximo propter bonum levioris momenti. Sed qui optat mortem proximi... propter qualecumque emolumentum temporale, aut propter pinguem hereditatem adeundam, desiderat illi malum propter bonum levioris momenti. Ergo mortaliter illicitum est.* Quam doctrinam deinde (*ibid. n. 27.*) applicat etiam Prop. XV. quoad filium, qui gaudeat de parricidio a se in ebrietate patrato, etc.

Et haec quidem iuverit animadvertisse, ut constet, frustra VV. harum thesium damnationem obiecisse contra doctrinam Suaresii, aliorumque, de qua diximus *in Not. ad n. 172.* Quippe alia prorsus de causa, ac ipsi contendant, istae theses (uti ex dictis patet) damnatae fuerunt.

(*a*) Quod perfectius videri queat desiderium, ut impii convertantur, id non efficit, ut reprehendendi ii sint, qui ob Ecclesiae et societatis bonum potenti Dei manu eos humiliari aut etiam exterminari cupiunt et enixe rogant; quippe et in hoc verae charitatis in Ecclesiam et proximos virtus ordinatissime exercetur. Proinde Ecclesia quoque in precibus suis modo eorum conversionem, modo perditionem, modo utrumque simul disiunctive a Deo postulat.

(*b*) S. Alphonsus quoad postremum hunc casum melius mentem suam

PUNCTUM II.

De praecepto Charitatis erga inimicos (*a*) *in particulari.*

Datur praeceptum etiam inimicos diligendi (*b*). Constat ex verbis Christi, *Matth. 5. 44: Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros.* Et *ibid. 6. 15: Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.*

224. **Regulae.** — *Prima.* Debentur, *per se,* inimicis eadem signa dilectionis, quae aliis eiusdem status praestari solent (*c*); quia

explicat *Lib. 5. n. 22.*, nempe quaestionem esse de matre, quae mere ad vitandam molestiam propriam optat mortem filiae; et ideo rationem reddit, *quia malum matris non praeponderat malo filiae optato.* Non contradicit igitur aliis DD. affirmantibus, in iis adiunctis, in quibus *melior est mors, quam vita amara* (ut dicitur *Eccli. 30.*), et filiam sibi, et matrem filiae licite posse mortem optare et a Deo postulare. Caeterum etiam ad proprias graves molestias vitandas matri profecto licebit, sin minus mortem aut mariti aut filiae exoptare, saltem desiderare et a Deo petere, ut quomodocumque Ei placeat, semet ab illis angustiis eripiat.

(*a*) Inimicus intelligitur, qui immerito laeserit, vel odio prosequatur. Laesio autem modo *meram offensam* importat, quando nempe per molestiam voluntati alterius illatam, citra tamen alicuius iuris violationem, animus illius irritatur, et merito ad displicentiam, indignationem, iramque provocatur: modo importat etiam *iniuriam,* quando scilicet agitur non solum contra voluntatem, sed etiam contra ius alterius. Per *meram offensam* charitas, per *iniuriam* iustitia violatur.

* Insuper iniuria vel nullum damnum infert, uti, v. gr. si nemine alio praesente cuipiam contumeliam dicas, vel detrimentum affert in bonis aut personae aut fortunae. In primo casu debetur satisfactio saltem ex iustitia vindicativa, et in foro externo datur ipsi actio iniuriarum; in altero debetur laeso etiam restitutio, adeo ut in foro externo detur ipsi tum actio civilis ad suum recuperandum, tum actio criminalis ad vindicandum scelus.

Et haec quidem sedulo et accurate distinguenda sunt, ne Confessarius indiscrete tamquam necessarium plus aliquid a poenitente exigat, quam praeceptum charitatis erga inimicos reipsa postulet.

(*b*) Hoc praeceptum non specialem aliquam dicit obligationem erga inimicos. Quinimo *ut inimici diligantur, in quantum sunt inimici, hoc est perversum et charitati repugnans, quia hoc est diligere malum alterius,* ut ait S. Thomas (*2. 2. q. 25. art. 1.*), qui addit (*ibid. ad 2.*): *In quantum sunt inimici,... hoc debemus in eis odio habere; debet enim nobis displicere, quod nobis sunt inimici.* Praeceptum itaque hoc unice importat, *ut aliquis diligens Deum et proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos suos non excludat,* ut idem inquit S. Thomas (*ibid.* o).

(*c*) Appellari haec solent dilectionis signa communia, quae tamen diversa sunt, prouti diversa coniunctionis ratione quidam inter se devinciuntur. Hinc alia sunt signa communia, v. gr. inter fratres, aut inter eiusdem monasterii seu collegii alumnos, alia inter confamulos, aut condiscipulos, alia inter concives, aut commilitones, alia demum quae homo cuilibet homini ex charitate debet. Dixi *ex charitate;* nam reliquae dilectiones, quae ratione aliarum coniunctionum debentur, ad virtutem theologicae charitatis non pertinent, nisi quatenus earum actus non secus ac aliarum virtutum moralium, a charitate possunt imperari. Vid. S. Thom. *de Virt. q. 2. art. 9. 10.*

eorum denegatio esset actus vindictae et manifestatio odii, quod Charitati adversatur.

Dixi *per se,* quia quandoque adest rationabilis causa ad tempus ea denegandi, v. gr. ratione debitae correctionis, boni effectus in filios vel inferiores, vel ob timorem prudentem rixarum ex conspectu vel conversatione inimici, etc... item ob expressionem iusti doloris ex iniuria concepti, etc.

Secunda. Non debentur, *per se,* inimicis signa specialia dilectionis, v. gr. eos aegrotos visitare, moestos consolari, hospitio vel convivio recipere, seclusa ratione scandali, etc. (*a*).

Tertia. Non modo offensa inimico condonanda ita est, ut iniustae vindictae desiderium abiiciatur, et communia dilectionis signa non negentur; sed veniam petenti, et congruam iniuriae, si qua intercessit, satisfactionem exhibenti particularia quoque specialis dilectionis signa quaedam, si quae prius dari solebant, generatim loquendo non sunt omnino abnuenda (*b*). — *S. Thomas 3. dist. 30. q. 1. art. 2. ad 5.*, et *S. Antoninus, Part. 2. tit. 8. cap. 2.* §. *6.*

A communibus autem dilectionis signis sedulo distinguenda sunt *specialia,* quae a S. Thoma (*3. Dist. 30. q. 1. art. 2. ad 1.*) dicuntur *beneficia amicabilia,* et particulariter exhibentur aliquibus personis ratione cuiusdam coniunctionis seu amicitiae aut familiaritatis, quae non est ad omnes eiusdem alioquin conditionis (S. Thom. *l. c. in corp.*). Sic non modo inter homines, nullo alio caeteroqui vinculo constrictos, sed etiam inter consodales cuiusvis communitatis seu coetus seu collegii, fere contingit, ut quispiam uni amicior aut familiarior quam alteri existat.

Probe vero notandum est discrimen, quod inter *communia* et *specialia* dilectionis signa intercedit. Cum enim specialis amicitiae coniunctio ultronea et libera voluntate suscipiatur, exinde beneficia amicabilia non ex debito, sed ex liberalitate procedunt, ut ait S. Thomas (*l. c. ad 1.*): contra vero communia dilectionis signa ex debito procedunt, quod conditionis seu status necessarium est consectarium.

(*a*) Apposite S. Thomas (*De virt. q. 2. art. 8.* o): *Cum ad inimicum nulla alia unio nobis remaneat, nisi sola unio charitatis, ex necessitate praecepti tenemur eos diligere* IN COMMUNI. Atque hoc ita mox explicat: *Tenemur affectu et effectu charitatis, quo omnes proximos diligimus et pro omnibus oramus, non* EXCLUDERE *etiam illos qui nulla nobis speciali constrictione coniunguntur, ut puta illos qui sunt in India vel Aethiopia.*

Ex quibus patet, inimico deberi solum dilectionem in communi; hoc autem exigere, ut a communibus dilectionis effectibus non excludatur. Porro ratione status seu conditionis et officii contingere potest, ut quispiam indiscriminatim infirmos visitare, eisque inservire, aut peregrinos excipere mensa et hospitio, etc. debeat. In hac ergo hypothesi haec iam essent signa dilectionis communia, a quibus inimicum excludere non liceret. Secus dicendum, quando haec charitatis officia ultro erga aliquos suscipiuntur. Tunc enim inimico haec praestare (nisi forte in necessitate versetur) non ad praeceptum, sed ad perfectionem charitatis pertinet. *Cum enim* (inquit S. Thom. *2. 2. q. 25. art. 8.*) *ex charitate diligatur proximus propter Deum, quanto aliquis magis diligit Deum, tanto etiam magis ad proximum dilectionem ostendit nulla inimicitia impediente: sicut si aliquis multum diligeret aliquem hominem, amore ipsius filios eius amaret, etiam inimicos sibi.*

(*b*) *Negare homini signa familiaritatis, quando necessitas expeteret.*

225. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An liceat poenam publicam optare inimico, imo et eam expetere?*

Resp. Affirm. per se, si absit omnis vindictae affectus (*a*); sed in praxi hoc periculosum est, et hallucinationi facile obnoxium, ut advertit *S. Lig. n. 29.*

Quaer. 2° *Qualis ordo servari debeat in reconciliatione facienda?*

Resp. 1° Qui alium offendit, debet prior, *per se*, media ad reconciliationem adhibere, ut dictat naturalis aequitas.

2° Si offensio sit mutua et aequalis, qui prior offendit, prior reconciliationem promoveat; si vero sit inaequalis, praeeat qui gravius offendit. Caeterum absolutae regulae assignari nequeunt, sed circumstantiae spectandae sunt. — *Ita communiter.*

Quaer. 3° *An detur obligatio inimicum obvium salutandi?*

Resp. Neg. per se, quia salutatio et colloquium non sunt signa communia proximo debita (*b*). Secus tamen dicendum est, si ad-

esset vindicta; vel etiam quando veniam peteret, vel quando se ille, qui hostis habetur, ad familiaritatem ingerat...; quia tunc diligit, et inter amicos deputandus est. S. Thomas (*3. Dist. 30. q. 1. art. 2. ad 5.*). Verumtamen cum agatur de speciali amicitia seu familiaritate, quae sicut libere admittitur, ita et retinetur libere; ad rem Petrus de Lorca (*In 2. 2. q. 25. n. 27.*): *Si titulus* (praestandi nempe dilectionis signa) *sit solum specialis amicitia et familiaritas, quam aliqui voluntarie intra se contrahunt, non debetur inimico; haec enim est specialis dilectio, et potest dissolvi, non solum si amicus fiat inimicus, sed etiam si non fiat: quare nemo tenetur eam amicitiam conservare.* Non ergo semper necessario exigenda est pristinae huiusmodi amicitiae ac familiaritatis redintegratio, neque dure agendum cum eo, qui aut imminuere aut etiam nullam retinere velit specialem familiaritatem cum eo, quem defuisse amicitiae officio expertus est. ** Et sic intelligendus videtur S. Alphonsus, qui (*Lib.2.n.28.*) dicit, specialia amoris signa praebenda, *si prius consueveras inimico peculiaria signa exhibere; ut Tournely cum Suar. Bonac. etc.* Et reipsa Collet hanc doctrinam tribuit Suarezio, Bonacin. et Koninck: sed minus ad rem, quia isti DD. nihil tale habent.

(*a*) Ita S. Thomas (*2. 2. q. 108. art. 1.*): *Si eius intentio feratur principaliter in malum illius, de quo vindictam sumit, et ibi quiescat, est omnino illicitum.... Si vero intentio.... feratur principaliter in aliquod bonum, ad quod pervenitur per poenam peccantis, puta ad emendationem peccantis, vel saltem ad cohibitionem eius et quietem aliorum, et ad iustitiae conservationem et Dei honorem, potest vindicatio esse licita, etc.* De hoc argumento S. Alphonsus (*Lib. 2. n. 29.*) scribit: *Hinc adhaereo Antoine, quod practice loquendo nunquam liceat expetere punitionem inimici etsi iustam et legitima auctoritate faciendam.* At non ita rigide reipsa loquitur Antoine, utut alioquin rigidissimus. Verba Antoine sunt ista (*De Char. C. 2. q. 3.*): *Nunquam licet expetere punitionem inimici etsi iustam et legitima auctoritate factam, quatenus eius malum est: nam hoc est actus odii nunquam liciti.* Contra vero haec praemiserat (*ibid. q. 2.*): *Adversus illum* (inimicum) *licet instituere actionem tum civilem, tum criminalem, modo id non fiat ex odio, vindicta, aut alio pravo fine: civilem quidem, ut damnum illatum compenset, vel pro iniuria satisfaciat; criminalem vero ex amore publicae iustitiae ne aliis noceat, vel ne impunita maneant crimina cum reipublicae damno.*

(*b*) S. Alphonsus (*lib. 2. n. 28.*) fatetur iuxta communem sententiam, te

iuncta status, conditionis, aliave similia postulent, ut omnes indiscriminatim sese salutent, vel agatur de subdito erga superiorem suum. — *S. Lig. n. 28.* — *Sporer,* etc.

Quaer. 4° *An offensor a laeso veniam petere debeat?*

Resp. Affirm., per se, nisi aliud medium vel modus reconciliationis magis conveniens suppetat, v. gr. varia officia aut beneficia praestando, aut nisi ad placandum offensum nihil prodesse veniae petitio videatur. Excipiunt etiam, si offensor offenso longe superior sit, aut si offensus prudenter censeatur id condonare. Sed alia non desunt media offensum placandi. — *Ita communiter.* — *Lacroix, lib. 2. n. 189.* — *Tambur.*, etc.

Quaer. 5° *An debeas aliqua signa dilectionis offensori veniam non petenti?*

Resp. Quidam affirmant cum *S. Lig.;* alii vero negant cum *S. Antonino, Summa, part. 2. tit. 8. c. 2. §. 6.* (*a*).

226. **Resolves.** — 1° Non licet inimicos ab orationibus excludere, v. gr. ab Oratione Dominica, imo speciatim pro ipsis orandum esset, si unicum hoc medium offenso suppeteret ad odium restinguendum (*b*).

2° Non licet inimicos excludere a communibus eleemosynis, resalutatione (*c*), responsione, expositarum mercium venditione, quia

non teneri ad salutandum inimicum. Aliquam tamen obligationem tum salutandi, tum quaedam alia specialia dilectionis signa inimico exhibendi, etiam praeter casum necessitatis sive spiritualis sive corporalis, admittit cum aliis, quando id necessarium videatur 1° ad cavendum scandalum, ne scilicet inimicus ad iram atque odium magis concitetur; 2° ad fratrem lucrandum, animum nempe illius tibi et Deo reconciliandum. Addit tamen, hanc obligationem gravem non esse, quae proinde urgeat cum gravi incommodo. Et cum eiusmodi actus in offenso haud modicam difficultatem fere praeferant, haec obligatio non videtur valde urgenda. Addit (*l. c.*) S. Alphonsus aliam exceptionem, nempe si inimicus *sit Superior.* Sed huc forte id non pertinet; quia salutatio, cum de Superiore agitur, non est signum speciale.

(*a*) Ita S. Antoninus (*Part. 2. Tit. 8. Cap. 2. §. 6.*): *Aut iniuriator exhibet condignam satisfactionem, aut non. Si exhibet secundum quantitatem culpae et possibilitatem suam, sic tenetur eum ad amicitiam recipere et ei loqui.... Si autem non exhibet, non tenetur ei loqui, quando scilicet satisfacere aut omnino non vult, aut semiplene.* Et S. Thomas (*3. Dist. 30. q. 1. art. 2. ad 5.*): *Quod aliquis ultro se ad familiaritatem inimico ingerat, hoc perfectionis est.*

(*b*) Cum vix contingere possit, ut ad odium compescendum non aliud medium suppetat praeter specialem pro inimico orationem, proinde vix unquam necesse erit, ut Confessarius id praecipiat. Ad implendum praeceptum orandi pro inimicis satis est, ut hi positive non excludantur, sicut non excludimus Indos aut Aethiopes, ut ait S. Thomas, qui et ista habet (*3. Dist. 30. q. 1. art. 2.*): *Tenetur homo (cooperari) etiam inimico, saltem orando in communi, ut eum a suis orationibus non excludat, quamvis forte mentionem specialem de eo non faciat; sicut nec oportet, quod de omnibus, ad quos charitatem habet, specialem orationem faciat, sed communem.*

(*c*) De salutatione adverte sequentia ex Petro de Lorca (*2. 2. Disp. 25.*

haec sunt signa communia dilectionis. — *Ita communiter*. Id intellige, re per se spectata, iuxta dicta superius, *n. 224*.

3° Peccant, qui inimicum reconciliari volentem declinant, eo praesertim advertente et graviter sentiente, aut invitati ire cum eo recusant, nisi tamen metu rixarum, aut novi rancoris, vel alia iusta causa excusentur. Item qui veniam recusant, vel satisfactionem convenientem non acceptant, aut maiorem aequo exigunt, vel qui rem in iudicium deferunt ex odio et vindicta; item qui inimico in necessitate non subveniunt (*a*), aut grave eiusdem damnum non impediunt, cum facile possint, et a fortiori, qui de illius malo laetantur.

4° Non sunt absolvendi, saltem ordinarie (*b*), qui quamvis di-

n. 28.): 1° *Salutatio et allocutio eodem modo debentur inimicis, quo aliis..., nec sunt de generalibus signis dilectionis, quae omnibus hominibus debemus, sed de specialibus: sunt tamen de generalibus inter valde coniunctos, et ideo non debentur nisi coniunctis.* 2° *Salutatio anticipata nemini debetur, nisi quibusdam personis dignitate praecellentibus, honoris causa.* 3° *Resalutatio et responsio omnibus hominibus debita est virtute affabilitatis, praesertim concivibus.* 3° *Omissio allocutionis et salutationis, etiam quando debita est, non est regulariter peccatum mortale: nam opponitur affabilitati, quae non est tantae obligationis, nisi forte ex circumstantia personae et aliis cederet in magnam iniuriam, vel propter scandalum, quod raro fit, et prudentis arbitrio decerni debet.*

(*a*) *In necessitate subveniendem est etiam inimicis. Sed hic est magis effectus iustitiae, quam amicitiae.* S. Thom. *3. Dist. 30. q. 1. art. 2. ad 1.*

(*b*) Absolvi certe non potest qui peccato mortali adhaereat. Ergo etiam A., dum sententiam suam sic temperat, supponit, gravem culpam in casu abesse aliquando posse. Et sane 1° Praeter horrorem ex recentis iniuriae memoria, aliasque sup. §. 224. recensitas causas, quae vel a signis communibus praebendis ad aliquod tempus excusant, iam advertimus, neminem teneri ad servandam familiaritatem seu amicitiam, quae admitti vel non admitti pro lubito poterat; contingit imo quotidie, ut eiusmodi amicitiae modo paulatim, modo abrupte, et saepe citra reprehensionem, cessent. 2° Etsi penitus non desit inordinatus animus et aliqualis iniustae vindictae appetitus, non ideo statim gravis culpae damnandus hic est. Nam sicut mali illatio, ita et mali alieni desiderium admittit materiae parvitatem; et si hoc valet cum iis, qui in nihilo nos laeserunt, a fortiori valere cum inimico debet, qui inique laedendo ad iustam indignationem provocavit. Quaestio igitur eo redit, an offensus (sive dicat se condonare sive non) dum quaedam offensori officia recusat, grave aliquod huic malum inferat aut exoptet. Nam si hoc absit, et nulla alia gravia incommoda ex officiis illis offensori negatis timeri queant, utique pro viribus hortandi officio, sed nulla absolutionem negandi necessitate Confessarius adstringitur.

** Et cum hoc temperamento intelligenda videntur ista S. Alphonsi (*Lib. 2. n. 28.*): *Religiosus autem, qui renuerat per notabile tempus, puta post hebdomadam, colloqui cum inimico, merito dicit Sporer n. 34. non esse absolvendum.* Nam ita Sporer (*l. c.*): *In monasterio monialium duae ex illis post rixam profitebantur..., per multos annos non velle invicem colloqui, et de facto longo tempore non colloquebantur. Dubitavit Confessarius, an eae in statu mortalis peccati versarentur, et idcirco obstinate sic perseverantibus absolutio sacramentalis... deneganda sit, nec ne? Resp. Omnino quod sic: saltem quando causa rixae, vel ipsa rixa gravis fuit. Quia eo casu cessatio loquendi per tantum tempus vel tot annos merito*

cant se condonare, recusant tamen inimicum alloqui, nisi id recordationi et horrori iniuriae ignosci possit. A fortiori qui asserunt, ne verbum quidem se illi unquam dicturos esse; isti enim animi prave dispositi suspicionem merito iniiciunt.

5° Non statim arguendi sunt de peccato, praesertim gravi, poenitentes, qui de odio se accusant; saepe enim confundunt odium *proprie dictum* seu *inimicitiae* cum odio *abominationis* seu *qualitatis,* aut *defectus,* vel etiam aliqua tantum animi aversione naturali et invincibili laborant. Cavendum tamen est, ne abominatio *qualitatis, indolis,* etc., ad personae odium paulatim sese extendat.— *S. Lig. n. 30. — Voit, n. 703.*

§. II. *De operibus misericordiae.*

Opera misericordiae alia sunt corporalia, uti cibum pauperi praestare, nudos operire, etc.; et alia spiritualia, ut peccantes corrigere, ignorantes docere, moestos consolari, etc. Speciatim de duobus tantum dicemus: 1° de eleemosyna; 2° de correctione fraterna, prout ad praeceptum Charitatis referuntur.

PUNCTUM I.

De eleemosyna.

227. — *Dico:* Datur vere praeceptum eleemosynam indigentibus erogandi. Constat 1° ex lege naturali, scilicet ex lege generali Charitatis, qua obligamur ad proximum diligendum, et consequenter ad opem illi in necessitate ferendam. Recole supra *de Charitate, n. 221.* — Constat 2° ex Scriptura sacra. Sic enim *Eccli. 4. 1: Eleemosynam pauperis ne defraudes;* et *Matth. 25. 42: Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum... esurivi enim et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi potum.*

Regulae (*a*). — *In extrema necessitate,* proximo succurren-

praesumitur ab odio gravi proficisci. Quod si tamen causa rixae, eaque levis fuit, quantum est ex hoc capite significationis odii ac scandali, poterit omissio loquendi a mortali excusari, et veniale reputari. Quia tunc, maxime in feminis, iisque alioquin timoratis, non praesumitur oriri ex odio gravi, sed ex naturali passione muliebri. Quamvis iterum ex alio capite, scilicet veri odii interni... posset esse mortale. Ideoque ego talem post unam et alteram septimanam adhuc recusantem colloqui, non absolverem.

(*a*) Generalem regulam tradit S. Thomas (*2. 2. q. 32. art. 5.*), ut aliquid consideretur ex parte dantis, et aliquid ex parte recipientis eleemosynas. *Ex parte quidem dantis* (inquit) *considerandum est, ut id quod est in eleemosynas erogandum, sit ei superfluum.... Ex parte autem recipientis requiritur, quod necessitatem habeat; alioqui non esset ratio, quare eleemosyna ei daretur.*

dum est etiam ex bonis *statui necessariis* (*a*); sic enim exigit rectus Charitatis ordo, cum vita proximi praevalere debeat bono nostro longe inferiori.

II. *In gravi necessitate,* iuxta aliquos propter eandem rationem succurrendum est proximo ex *bonis aliquo modo statui necessariis,* seu cum modico sui status detrimento. Sed iuxta alios probabiliter ei succurrendum est tantum ex bonis, quae statui seu decentiae superflua sunt (*b*).

III. *In communi necessitate,* licet nulla sit obligatio dandi eleemosynam huic aut alteri in particulari, attamen ex communi DD.

(*a*) Necessaria *statui* seu *decentiae* distinguenda sunt ab iis, quae sunt necessaria *vitae*. Ita S. Thomas (*4. Dist. 15. q. 2. art. 4. q. 1.*): *Dicitur nobis necessarium aliquid dupliciter. Uno modo, sine quo non potest aliquis esse vel vivere. Alio modo dicitur nobis necessarium, quo indigemus ad honeste vivendum vel decenter secundum statum nostrum,* v. gr. more nobilium.

Et haec distinctio locum habet tum *quoad se,* tum quoad illos, quorum cura cuipiam incumbat. Ita S. Thom. (*l. c.*): *Utroque autem dictorum modorum potest aliquid esse alicui necessarium dupliciter, vel ratione sui ipsius...., vel ratione eorum, quorum curam gerere debet.* Abs re ergo quidam ad necessitatem merae decentiae referunt ea, quae ad alendos et educandos liberos sint necessaria; quin et sustentatio ancillae, quae aut infantes custodiat aut infirmis advigilet, perperam ad meram decentiam revocaretur.

Porro cum superfluum dicatur, quod non est necessarium, proinde etiam superfluum dupliciter dicitur: uno modo quod sit superfluum statui, nempe quo etiam subtracto decentiae status nihil deperit; alio modo quod non sit necessarium vitae, licet necessarium videatur decentiae status. Et ex hoc *superfluo* urget obligatio succurrendi proximo in extrema necessitate, non autem ex vitae necessariis. Ut enim habet S. Thomas (*l. c.*): *Illud, sine quo non potest esse vel vivere aliquis vel ipse vel illi, quorum curam habet, non debet in eleemosynam expendi.*

(*b*) Reipsa vix ulla dissensio de hoc fuit inter doctores. Quaestionem enim proponebant, *an in gravi necessitate eleemosyna esset eroganda cum detrimento proprii status.* Porro 1° quidam, uti v. gr. Valentia (*Tom. 3. Disp. 9. punct. 4.*) et Bannez (*In 2. 2. q. 32. art. 6. dub. 4.*) ideo affirmabant, quia de eiusmodi necessitate disserebant, cui subveniri citra proprii status amissionem reipsa posset. Ut enim ratiocinabantur, cum proprii status decentia iuxta S. Thomam (*4. Dist. 15. q. 2. art. 4. q. 1.*) admittat latitudinem, adeo ut *multis additis homo non excedat status sui conditionem, multis etiam subtractis conditio sui status decenter conservetur;* propterea eleemosyna aut nullum aut *vix aestimabile* (ut ait Laymann *lib. 2. Tr. 3. Cap. 6. n. 4.*) *proprii status detrimentum* affert. Alii contra ideo negabant, quia de illa loquebantur necessitate, ad quam abigendam proprium statum amittere aut certe minuere opus fuisset; merito autem contendebant, ad proprii status iacturam neminem teneri. 2° Qui affirmabant, de necessitate tam gravi disserebant, quae ad extremam accederet, aut huic aequiparanda esset; negantes vero, intelligebant gravem necessitatem, prout late ab extrema distinguitur. Quocirca iure optimo Viva (*ad Prop. XII ex damnatis ab Innoc. XI, n. VIII.*) pro diversa hac *gravis necessitatis* acceptione utramque sententiam et *communiorem* et *sequendam* appellat. Quae tamen Vivae doctrina quoad aliquam partem rite intelligatur, oportet.

Namque aliud controversiae caput heic occurrit, circa quod maxime

sententia a peccato excusari non posset, qui bona etiam statui superflua habens, nullam unquam eleemosynam largiri vellet (*a*).

discrepantes reipsa habes DD. opiniones: an scilicet ratio *gravis necessitatis,* quae alioquin ad extremam non vergat, obligationem, et quidem gravem, e superfluis succurrendi certo cuipiam indigenti inducat.

Affirmantem sententiam amplectitur S. Alphonsus (*Lib. 2. n. 31.*), additque, clare eam inferri ex Prop. XII inter damnatas ab Innoc. XI: *Vix in saecularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui. Et it vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.* Verum eiusmodi propositio nimis vaga est, ut ex ea inferri conc usio illa queat; et undecumque spectetur, plane permittit etiam oppositam sententiam, quae habentem superflua statui seu decentiae obligat utique ad eleemosynas elargiendas etiam extra occasionem extremae vel quasi e tremae necessitatis, nec tamen huic vel illi necessitatem etiam gravem patienti succurrendi onus imponit. Unde recte Duarte (*Brev. Exposit. Pr pp. damnatt. V.* Eleemosyna *n. 222.*) negat, posteriorem hanc opinioner vi damnationis illius ullatenus vulnerari.

Caeterum si de pondere auctoritatis inquiras, communiter quidem primam opinionem a DD. tradi plures inquiunt. At vero si DD. illos ipse c nsulas, ea passim reperies necessitatis exempla proponi, quae *quasi-extremam* necessitatem exhibent.

Si autem vim rationum inspicias, non diffitendum est, utramque opinionem sat validis premi difficultatibus, adeo ut concludere demum fas sit, hanc quaestionem obscuram valde atque implexissimam esse. Qua de re fac adeas Vasquesium (*Opusc. De Eleemosyna Cap. 1. Dub. III.*), qui certe suspectus videri eo minus debet, quod in severiorem doctrinam inclinans gravem eleemosynae obligationem in gravi proximi necessitate etiam ex *necessariis statui* defendere non dubitat, utut ianseniana Montaltii seu Paschalis perfidia ipsum ceu praemissae damnatae thesis auctorem traducere nihil cunctata fuerit.

Ex hisce itaque inferes, in hac quaestione accersendum tandem illum canonem esse, obligationem certam in re tam obscura et controversa (*Vid. Sanchez, Consil. Lib. 1. Cap. 5. Dub. 5. n. 39. 40.*) urgeri nequaquam posse, eo vel magis, quod pro opposita sententia stet etiam S. Thomas, prouti et ex Nota seq. patet, et ipse quoque Vasquez (*l. c. Dub. IV.*), licet contra se, tandem fateri cogitur.

(*a*) Hoc statuitur contra opinionem, quae in communi necessitate nullam admittit obligationem dandi etiam ex superfluis statui seu decentiae; quam quidem opinionem Bannez (*In 2. 2. q. 32. art. 6. dub. 2.*) tribuit *Alensi, Gabrieli, S. Antonino, Turrecrematae, et aliis Summistis,* et ob eorum auctoritatem (*ibid. Concl. 3.*) *haud improbabilem* illam dicit: absolute autem probabilem ipsam appellat Petrus Ledesma (*Summ. Part. 2. Tr. 4. Cap. 3. Concl. 13.*).

Quod autem de *communi* necessitate A. hic habet, idipsum de *gravi* concludi potest cum S. Thoma (*Quodlib. 8. art. 12.*): *Supposito* (inquit), *quod aliquis habeat de superfluo..., quod tenetur pauperibus erogare, aut videt in paupere petente evidentia signa extremae necessitatis, aut non. Si videt, certum est, quod tenetur dare, et peccat non dando: in hoc enim casu loquitur Ambrosius:* Pasce fame morientem: si non paveris, occidisti. *Si vero non appareant, tunc non tenetur dare pauperi petenti: quia quamvis teneatur dare superfluum pauperibus, non tamen tenetur omnibus dare, nec huic dare, sed tenetur distribuere secundum quod sibi visum fuerit opportunum.* In quibus patet, eleemosynae dandae obligationem ex parte pauperis tunc solum asseri, si huius necessitas *extrema* appareat. Superfluum vero, ex quo hic desumitur obligatio aliquam generatim elee-

228. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An sub gravi obliget praeceptum eleemosynae?*

Resp. 1° *Affirm.,* in extrema necessitate. — *Ita omnes.*

Resp. 2° Etiam *affirm.,* in necessitate gravi, quae mox in extremam verti possit. Secus de peccato gravi non constat, cum res apud DD. controversiae subiiciatur. Praeceptum autem eleemosynae est in se grave, et imo etiam respicit necessitatem communem, cum casus necessitatis gravis raro eveniant. — *Ita communiter cum S. Lig. n. 32.* (*a*), contra *Busemb. et plures alios.*

mosynam erogandi, intelligendum esse de superfluo etiam decentiae status, cum saepe alibi, tum hoc loco S. Thomas clare tradit (*In 4. Dist. 15. q. 2. art. 1. q. 2. ad 4.*): *Tempus, ad quod obligat praeceptum de eleemosynis faciendis, accipitur ex parte accipientis et ex parte dantis. Ex parte autem accipientis, quod apparent signa probabilia extremae necessitatis futurae, nisi ei subveniatur... Ex parte autem dantis, quando habet homo multa, quibus non indiget neque ad sustentationem vitae sui et suorum, neque ad decentem status sui conservationem, etsi pauperes extremae necessitatis non compareant.*

(*a*) S. Alphonsus (*Lib. 2. n. 32.*), ut patet, opinioni, quae stat pro *gravi* obligatione, adhaeret quasi communiori. At enim dum tredecim auctores pro ea allegat, contra pro opposita, quae vel *nullam* vel *levem* dumtaxat in hoc obligationem admittit, ipse enumerat septemdecim, quibus et alii addi facile possent. Insuper autem cum ex tredecim illis, quos pro se citat, decem habeas, Palaum nempe (*Tr. 6. Disp. 2. Punct. 2. n. 15.*), Salmanticenses (*Tract. 21. Cap. 7. n. 17.*), atque octo alios ab his adductos, qui pro aliqua obligatione utique pugnant, sed hanc *gravem* esse dicendam nusquam tradunt; exinde concludere est, hanc opinionem non communem esse, sed quorumdam paucorum contra communem.

Exinde idem S. Alphonsus (*l. c.*) non reiicit sententiam Laymanni, scilicet quod Confessarius diviti, qui nullam eleemosynam dare velit in communibus necessitatibus, *non facile absolutionem negare debet, cum de hac obligatione, qualis sit, doctores non consentiant.* Et Sanchez, qui alioqui (*Consil. Lib. 1. Cap. 5. Dub. 5. n. 37.*) pro gravi stat obligatione, demum (*ibid. n. 41.*) concludit, non facile quempiam damnandum, haec ex Medina referens: *Quia est nimis difficile iudicare, cui, et quantum sub mortali teneamur dare; quia incertum est, per quid necessaria a superfluis distingui possint; et quae et quanta necessitas in paupere requiratur; quantum etiam unicuique ad naturam et statum sit necessarium; et an vera sit, an simulata pauperis necessitas; et an sint alii divites, qui velint illis succurrere; multaque alia incerta sunt, ob quorum ignorantiam non sunt facile damnandi.* Conf. Diana (*Tom. 4. Tr. 7. Res. 8.*) ubi in gratiam Confessarii, qui in excipiendis confessionibus divitum magnis premebatur angustiis, plura egregie adnotat.

** Contra hanc Notam VV. non unam aut alteram, sed omnino viginti columnas opposuerunt (*Pag. 152-161.*). Quorsum vero, vix divinare est. Quod enim ad cardinem quaestionis attinet, VV. negare ea non potuerunt, quae in Nota habentur, nempe 1° apud ipsum S. Alphonsum numerari septemdecim (imo reipsa ibi numerantur viginti), qui contrarium docent, et 2° ex tredecim pro se allatis a S. Alphonso, decem nullum verbum habere de gravitate huius obligationis. Porro vel id unum nonne satis superque est, quo statuatur, de *gravitate obligationis* non constare, atque adeo ex communi certoque canone non fas esse Confessario eam imponere aut intimare? Et quamvis ob S. Alphonsi auctoritatem velimus eiusdem opinio-

Quaer. 2° *Quaenam bona censeantur statui necessaria?*

Resp. Ea sunt, quae requiruntur ad famulos sustentandos, hospites recipiendos, ad honestas donationes, ad convivia de more instauranda, ad moderatam pro conditione pompam, etc. — *Ita communiter.* — *S. Lig. ibid.*

ni probabilitatem tribuere; at nonne centies S. Alphonsus inculcat, ad graves obligationes imponendas probabilem opinionem non sufficere?

Sed VV. movet, quod in Nota dicatur, S. Alphonsi opinionem potius dicendam paucorum esse contra communem. Nonnulla, quod satis sit, et de hoc addemus. Et in primis non omittatur, quid iudicandum de tribus illis, qui ex tredecim a S. Alphonso pro se allegatis supersunt, et sunt *Holzmann, Collet,* et *Viva.* Porro 1° Holzmann (*De Virt. Th. Tr. 1. §. 4. n. 177.*) scribit, *conclusionem non posse dici simpliciter certam.* Ergo hinc habemus meram obligationis probabilitatem. 2° Collet tam enormia tradit, quae et S. Alph. reiicit. Spectato quippe contextu, poenam aeternam indicit neganti eleemosynam communi pauperi, nisi *plus aliis dando compenses, quod aliis negasti* (*De Charit. art. 3.*). 3° demum Viva (*Ad prop. XII. Innoc. XI. n. 10.*) thesim suam roborat quatuor allegationibus, quarum tres sunt certe falsae, et forte etiam quarta. Adduntne thesi pondus eiusmodi auctoritates?

Veniamus ad ea, quae VV. opponunt. Ac 1° contendunt, intelligendos esse de *gravi* obligatione etiam eos, qui obligationem utcumque statuunt, licet *gravem* eam non dicant. Ratio, quia charitas est praeceptum ex genere suo *grave;* et ideo a gravitate culpae excusat solum levitas materiae. — Resp. Valere forte haec possent, si circa eandem materiam nullum gravis obligationis casum auctores assignassent. At quando factis variis hypothesibus Auctor quispiam iam statuit diserte, ubinam *gravis* urgeat obligatio, ac dein ad aliam hypothesim quaestionem movet non contra eos, qui levem, sed qui nullam obligationem (ut in casu nostro) admittunt, et obligationem quidem asserit, sed, secus ac prius diligenter consueverat, de gravitate nihil addit, falsum est, eum de *gravi* esse intelligendum; nam et hoc advertere non omisisset.

2° Notant, in recensendis iis, qui S. Alphonsi sententiam docent, omissum fuisse S. Thomam, cui subnectunt Caietanum. — Resp. Promant, quaeso, aliqua S. Thomae aut Caietani verba, ubi gravem obligationem asserant in *communi pauperum necessitate.* Hoc sane praestabunt nunquam.

3° Allegant deinde *Suarez, Mastrium, Sporer,* Scriptores Soc. Iesu teste *Croix, Reuter, Voit, Elbel, Charmes, Concina, Palaum, Salmanticenses, Caietanum* apud Gonet, *Bannez, Petrum de Ledesma, Tapia, Martinez,* ac demum *Sanchez.* — Resp. Ex his omnibus *quinque dumtaxat* gravem aliquam obligationem memorant, scilicet *Suarez, Sporer, Reuter, Voit,* et *Elbel:* reliqui autem obligationem aliquam adesse dicunt, gravem minime dicunt. Insuper *Suarez* limitat, nisi quis malit gravi cuipiam necessitati subvenire. *Sporer* (*n. 66.*) addit: *Recte monent DD. cum Laymann, Confessarium non facile aut vix unquam absolutionem negare debere divitibus, qui in communi tantum necessitate eleemosynas facere recusant.* *Voit* transcribit a *Babenstuber,* quem allegat: sed omittit, quod Babenstuber, non secus ac Sporer, mox memoratum Laymanni monitum adoptat. Supersunt igitur omnino duo, *Elbel* et *Reuter,* quorum postremus magnifico (!) hoc argumento in rem suam utitur, quod nisi sub gravi obligemur in communi pauperum necessitate, facile aliquis e *communi* necessitate delabi potest in *gravem!*

4° Atqui (inquiunt VV.) Sanchez allegat viginti Auctores; Concina vero triginta sex; ac demum Croix (*n. 202.*) fatetur, sententiam S. Alphonsi com-

Quaer. 3° *Quaenam quantitas bonorum sit pauperibus danda?*

Resp. 1° In necessitate extrema, vel ita gravi, ut extrema facile evadere possit, dandum est quantum sufficit hic et nunc ad levandam hanc necessitatem, nisi sint alii, qui ipsi subvenire velint. Nemo tamen tenetur magnam pecuniae summam erogare ad pauperem a periculo mortis liberandum, vel ad remedia extraordinaria et magni pretii ei procuranda (*a*). — *S. Lig. n. 31.*

Resp. 2° In necessitate communi, quantitas determinata assignari nequit. *Probabilius* tamen sufficere videtur erogare quinquagesimam partem eorum, quae statui supersunt. — *Ita communius.* — *S. Lig. n. 32.* et in *Hom. apost. n. 19.* (*b*). Quidam tamen vigesimam aut etiam decimam partem esse pauperibus erogandam contendunt. Sic *Concina,* etc.

Quaer. 4° *Quinam debeant, aut possint eleemosynam facere?*

Resp. 1° Illi soli generatim, qui sunt veri domini, et bonorum suorum administratores (*c*).

muniter docuisse Scriptores Soc. Iesu. — Resp. Sanchez (*Cons. Lib. 1. c. 5. dub. 5. n. 36.*) diserte dicit, oppositam sententiam esse *satis probabilem;* thesis autem, pro qua (*ibid. n. 37.*) allegat viginti AA., est ista: *Secunda sententia probabilior docet, teneri in necessitatibus communibus:* ubi nihil de obligatione *gravi.* Item thesis, pro qua Concina (*In Dec. diss. 6. c. 13. n. 6.*) affert triginta sex AA., est huiusmodi: *Tenentur divites sub praecepto superflua tam naturae, quam personae seu statui, in pauperes distribuere:* et hic pariter de *gravitate* obligationis ne verbum quidem habes. Denique de Auctoribus Soc. Iesu haec habet Croix (*Lib. 2. n. 202.*): *Quamvis Societatis Auctores communiter doceant, divites teneri in communi necessitate dare eleemosynas* etc., et rursus licet hic sciscitari: ubinam in his vestigium obligationis gravis? Concludamus ergo, ex toto illo apparatu viginti columnarum, quas magno studio VV. elaborarunt, vix binos ternosve esse auctores, qui testimoniis per se minus firmis a S. Alphonso adductis possint utcumque adiungi.

5° Denique placuit VV. afferre, quae Concina de hoc argumento scripsit contra Antoninum Diana. — Resp. Nihil nostra interest his immorari. Nuper enim vidimus, thesim Concinae non ad obligationis gravitatem spectare, sed ad quampiam aliquam obligationem. Ergo illa disputatio ad quaestionem praesentem nihil pertinet.

(*a*) Exinde recte post alios Palaus (*Tr. 6. Disp. 2. Punct. 2. n. 6.*), quod licet in extrema proximi necessitate tenearis ad succurrendum etiam ex bonis statui necessariis, non tamen eo usque teneris, ut a statu decidere debeas.

(*b*) Quidam, uti Roncaglia, Mazzotta, etc. apud S. Alphonsum (*Lib. 2. n. 32.*) hanc mensuram sic exprimunt, quasi pauperibus eroganda sit *pars quinquagesima annuorum redituum;* quae regula dum non distinguit superflua a non superfluis, plane sonat quid absurdum. Clarius S. Alphonsus (*Hom. Apost. Tr. 4. n. 19.*) sic habet: *Non tamen adest obligatio praestandi totum superfluum, sed sufficit, si detur quinquagesima pars annuorum proventuum,* QUI SUPERSUNT..., *et si reditus sunt pinguiores... minus quinquagesima parte.* Et mens DD. patet perspicue ex comparatione laicorum cum clericis, dum hos obligant ad erogandum totum superfluum ex fructibus beneficialibus, laicos vero ad aliquam tantum portionem.

** (*c*) *Potest tamen eleemosyna fieri ex alienis, quando proximus est in extrema vel quasi extrema necessitate, et aliunde succurri non potest.* Ita

Resp. 2° Uxor tamen eleemosynas ordinarias et valde communes facere potest, iuxta morem conditionis suae; non autem extraordinarias, sine mariti consensu, nisi ex bonis omnino propriis, quorum scilicet dominium simul administrationemque habet et fructus percipit. — *S. Lig. n. 33.*

Resp. 3° Filii nihil dare possunt, nisi in rebus valde tenuibus. Excipe nisi bona habeant propria, aut ex patris consensu aut alio titulo libertati ipsorum permissa. Famuli vero nihil sine consensu expresso, vel tacito, aut prudenter praesumpto dominorum suorum. — *S. Lig. ibid.*

229. **Resolves.** — 1° Peccant divites qui pauperes semper dure a se repellunt, et reservant omnia superflua ad statum altiorem acquirendum. Nam alioqui tam modica eleemosyna, quae superius recensita est, honestum ascensum ad statum superiorem impedire non potest.

2° Ab eleemosynis excludendi non sunt alienigenae aut infideles, qui in necessitate versentur, servato tamen recto Charitatis ordine, et nisi iusta de causa obtinuerit alicubi mos vel statutum pauperes peregrinos a civitatibus arcendi, ut scilicet a suis civibus alantur.

3° Nulla tamen est obligatio eleemosynam faciendi pauperibus laborare nolentibus, quia non sunt vere pauperes; imo illicitum id foret, utpote illis nocivum.

4° Tenentur medici, advocati, etc. operam pauperibus gratis impendere, quia sunt in vera necessitate , nec ab aliis adiuvari possunt. — *S. Thom. 2. 2. quaest. 71. art. 1.*

5° Non eximuntur a praecepto eleemosynae qui degunt in civitatibus, ubi prohibetur eleemosynae petitio, quia non desunt alia media praecepto satisfaciendi, v. gr. erogando pecuniam collectoribus in Ecclesiis , etc. , vel Parochis aut aliis curae indigentium praepositis (*a*). Ubi autem urget praeceptum succurrendi proximo in extrema necessitate, non est exspectanda pauperis petitio.

cum Busembaum S. Alphonsus (*Lib. 2. n. 33.*), qui addit: *Si vero potuisses rem tuam largiri, et dedisti alienam, videtur quod tenearis ad restitutionem. Ita Croix* (*Lib. 3. p. 2. n. 434.*) *cum Sporer*. Sed revera Sporer de hac re paulo aliter ita scribit (*In 4. Dec. Praec. Cap. 6. n. 50.*): *Cum plures sciunt extremam necessitatem proximi, omnes tenentur succurrere per aequas partes: si nolint alii, omnes tenebuntur in solidum, omnesque scientes et omittentes peccabunt mortaliter. Si unus velit totum praestare per se, alii liberabuntur. Quod si vero aliis de contribuendo admonitis et recusantibus, unus totum praestitit, poterit partes ratas ab aliis iure exigere, vel compensare.* Caeterum si quando eleemosyna fiat ex alienis in extrema necessitate, cavendum est 1° ut haec sint superflua vitae alterius; 2° ne sit ea quantitas, ad quam nemo etiam in extrema alterius necessitate largiendam tenetur.

(*a*) Ubi interdicitur eleemosynae petitio, pauperes ali publicis stipendiis solent; atque adeo quisquis solvit tributa, iam aliquid in eum finem tribuit, quod ad implendum eleemosynae praeceptum conferre plus minusve potest.

PUNCTUM II.

De correctione fraterna.

Correctio fraterna est admonitio, qua quis ex Charitate alium a peccato revocare conatur (*a*).

230. **Principia.** — I. Datur verum praeceptum fraternae correctionis. Constat 1° ex lege naturali Charitatis, qua ad proximi mala submovenda obligamur. — 2° Ex Scriptura sacra, *Eccli. 19. 14: Corripe proximum... ne forte iteret;* et *Matth. 18. 15: Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.*

II. Ad obligationem strictam huius praecepti requiritur 1° Ut certo constet de peccato proximi, aut de proximo peccandi periculo (*b*). — 2° Ut affulgeat spes aliqua, imo maior probabilitas

(*a*) Fraterna correctio, seu *correptio* (ut mavult S. Thomas, *4. Dist. 19. q. 2. art. 1.*) proprie spectat emendationem lapsus praeteriti. Eam autem sic definit (*ibid.*) S. Doctor: *Correptio fraterna est admonitio fratris de emendatione delictorum fraterna charitate procedens..., et notificatur per tria, quae ibi ponuntur, scilicet actus ipse, cum dicit* admonitio fratris; *finis, cum dicit* de emendatione delictorum; *principium, cum dicit* fraterna charitate procedens.

Cur vocetur *fraterna*, etiam cum fit a praelato, sic egregie S. Doctor (*ibid.*): *Aliquis, a via rectitudinis discedens, dupliciter potest ad viam reduci... Uno modo per timorem turpis aut odium ipsius, ut cum quis turpitudinem peccati abominatur et confusionem inde consequentem. Alio modo per timorem et odium tristis, sicut cum quis propter poenas illatas pro peccatis, vel quas timet inferri, resilit a peccato.* Et postquam advertit primum modum magis proprie *correptionem*, alterum vero *correctionem* dici, pergit: *Secundus modus solis praelatis competit, quorum verba vim coactivam habent per inflictionem poenarum; sed primus modus ordinem praelationis non requirit: quamvis etiam praelationis ordo ipsum requirat, quia secundus modus adhiberi non debet, nisi ubi primus locum non habet, etiam a praelatis. Et ideo correptio, quando praeter ordinem praelationis fit, vocatur fraterna.*

Pulchre etiam reddit S. Doctor rationem, cur *delictorum* potius, quam *peccatorum* emendatio dicatur (*ibid. ad 5.*): *Nullus movetur ex odio vel timore turpis, nisi ille, cui inest aliqualiter voluntas pulchri et boni: et ideo cum correptio procedat hac via..., proprie illi competit ut corripiatur, qui habet propositum boni, a quo tamen vel propter ignorantiam, vel propter aliquam desidiam avertitur; et ideo magis proprie respicit omissionem, quae in ipsa transgressione considerari potest, quam transgressionis perversitatem: et propter hoc convenientius dicitur delictorum, quam peccatorum emendatio.*

(*b*) Iam adnotatum est, ad fraternam correptionem munus proprie spectare non arcendi delicta futura, sed praeterita emendandi.

Caeterum materia correptionis non modo peccata mortalia possunt esse, sed etiam venialia. Rationes autem, cur rarior quoad venialia sit obligatio, vide apud Laymann (*Lib. 2. Tr. 3. Cap. 7. n. 3.*). Merito tamen Diana (*Tom. 7. Tr. 4. Res. 8.*) addit exceptionem, si sermo sit *de Ordinibus religiosis.* Si enim per venialia peccata aut dissolvi, aut etiam valde minui

emendationis. — 3° Ut non sit alius aeque idoneus, qui correpturus credatur. — 4° Ut correctio fieri possit absque gravi incommodo corripientis. — 5° Ut necessaria iudicetur ad delinquentis emendationem, nec spes saltem probabilis sit, eum sponte sua se emendaturum. — *S. Lig. n. 38. et seq., aliique communiter.*

231. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An sub gravi obliget praeceptum fraternae correctionis?*

Resp. Affirm. per se, si adsint requisitae conditiones, et agatur de materia gravi. Hinc peccare potest graviter, qui ex vano timore, ne proximus aliquatenus offendatur, vel ne ipse inde leve patiatur detrimentum, omittit correctionem in re gravi, ubi putat illam esse vere profuturam. — Leviter tamen peccat, qui ex pusillanimitate et verecundia se reputat minus idoneum ad corripiendum. — *S. Thom. 2. 2. qu. 33. art. 2. — S. Lig. n. 37.*

QUAER. 2° *An praeceptum correctionis locum habeat, ubi quis ex ignorantia peccat?*

Resp. 1° *Affirm.,* si agatur de ignorantia vincibili, quia haec non excusat a peccato, *iuxta dicta, n. 14.*

Resp. 2° Si vero ignorantia sit invincibilis, non tam agitur de fraterna correctione quam de commonitione, qua proximus de veritate docetur; siquidem correctio est admonitio fratris de emendatione delictorum. Porro in casu Charitas multipliciter impellere potest, nempe 1° ob damnum tertii; 2° ob damnum ipsiusmet ignorantis; 3° ob scandalum; 4° ob Dei honorem; 5° ob Religionis irreverentiam. Quod si nullum damnum, aut incommodum sequeretur, nulla fere aderit obligatio faciendi admonitionem, nisi quoad eos qui ex officio suo alios docere debent, inter quos est etiam Confessarius. Docendi autem sunt tum quia ignorantia est malum ipsius ignorantis, tum quia alia incommoda profluere inde possunt et solent.

Addunt generatim, etsi fructus non speretur, et ignorantia sit invincibilis, tamen monitionem adhuc fieri debere, si agatur de necessariis necessitate medii, vel de iis quae publicum scandalum praebent, ne scilicet alii putent id licere, quod non corrigitur. — *Scavini.*

232. — QUAER. 3° *Qualis ordo servandus sit in correctione fraterna?*

Resp. Servandus est ordo a Christo ipso assignatus, nisi circumstantiae aliud suadeant. — Hinc 1° Corripe secreto: *Corripe eum inter te et ipsum solum.* — 2° Coram testibus, si prior admonitio non sufficiat: *Si te non audierit, adhibe tecum unum vel duos.* — 3° Rem deferas ad Superiorem: *Dic Ecclesiae (Matth. 18. 15. et seq.).*

Aliquando ordo ille inverti potest et debet, scilicet — 1° si peccatum sit publicum vel mox publicandum; — 2° si sit graviter al-

vigor disciplinae videatur, gravis esse poterit obligatio non in praelatis modo, sed etiam in privatis, cum utrique ad gravissimum hoc malum religionis avertendum ex charitate teneantur.

teri noxium; — 3° si secreta admonitio non iudicetur profutura—; 4° si praestet rem statim Superiori manifestare; 5° si delinquens cessit iuri suo, ut fit in variis Ordinibus religiosis (*a*). — *S. Lig. n. 40,* etc.

233. **Resolves.** — 1° Correctio fraterna cum vera etiam quoad modum Charitate facienda est; debet igitur esse paterna erga inferiores, benigna inter aequales, et reverentialis erga Superiores (*b*).

2° Privati inter se raro ad correctionem tenentur, *saltem sub gravi,* nisi sint familiariter inter se coniuncti; quia raro omnes requisitae conditiones reperiuntur (*c*); rarius adhuc erga Superiores propter ineptitudinem.

3° Plerumque suadet prudentia, ut omittatur correctio erga eos, quorum indoles est penitus ignota, ne iniquo animo correptionem accipientes fiant deteriores.

4° Scrupulosi ordinarie excusantur a fraternae correctionis officio; quia aut nimium defatigantur, aut inepti sunt; scrupulis enim et anxietatibus perturbati, necessaria discretione ad corrigendum carent, et ad causas excusantes attendere non valent.

5° Praelati, Episcopi, Pastores, Magistratus tenentur, etiam cum magno incommodo, impedire peccata tum publica, tum occulta subditorum suorum (*d*), quia ex iustitia ad procurandum tuendumque bonum commune obligantur.

(*a*) Haec iuris proprii cessio, ut non praemonito delinquente rem deferre ad Superiorem liceat, opportunissima ac prope necessaria est ad bonum tum commune tum privatorum. Privata enim inter fratres correptio multas difficultates saepius involvit, et spes emendationis non raro est incerta. Porro aut correptionis omissio aut exitus eiusdem incertus grave tum reis tum bono communi nocumentum afferunt: contra vero opera Superioris et certior et efficacior sperari potest.

** (*b*) Huc spectat, ut tempus, locus, aliaque adiuncta opportune seligantur. Idcirco non peccat, qui rem ad aliud tempus differat, quando vel commodius vel aeque commode corripere queat, nisi forte ex dilatione grave immineat periculum. Apposite S. Thomas (*2. 2. q. 33. art. 2. ad 3.*): *Fraterna correptio omitti potest.... meritorie, quando ex charitate aliquis correctionem omittit. Dicit enim Augustinus in I. De Civ. Dei: Si propterea quisque obiurgandis et corripiendis male agentibus parcit, quia opportunum tempus inquiritur, vel iisdem ipsis metuit ne deteriores ex hoc efficiantur,... non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis.*

(*c*) Huc faciunt, quae graves DD. tradunt de eo, qui non compescat detrahentes. Qua de re S. Thomas (*2. 2. q. 73. art. 4.*): *Si non placeat ei peccatum, sed ex timore vel negligentia vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem, peccat quidem, sed multo minus quam detrahens, et plerumque venialiter.* Hac autem in re multa discretione utatur Confessarius, oportet. Neque enim exigere potest, ut quis detractionem praeoccupet, quando ne satis quidem scit, quo sermo alterius tendat: hoc enim et iniurium alteri foret, et nimis scrupulis obnoxium. Si vero detractio manifeste prodiit, damnum quidem iam vix reparabile est, fraterna vero correptio tunc temporis multo difficilior, et saepius ad irae excitandum aestum, quam ad emendandum detractorem aptior invenietur.

** (*d*) Hoc tamen officium, ut ex praemissa definitione patet, proprie ad fraternam correptionem non pertinet.

6° Tenentur ex officio Superiores invigilare in subditos, et inquirere eorum peccata, non admodum tamen de certa quapiam persona, nisi ad hoc illos peculiaris aliqua ratio permoveat (*a*). Nec facile admittere debent spontaneos accusatores, et multo minus fidem statim illis praebere, quia interdum isti specie boni communis seipsos quaerunt.

7° In communitatibus sub regula viventibus, in collegiis, seminariis, etc. plerumque expedit, ut correctio fiat via denuntiationis ad Superiorem aut per se, aut per alium (*b*); nec possunt absolvi sodales aut convictores in eiusmodi denunciationem non consentientes, ubi de gravi damno communitatis agitur. Item de iure naturali denuntiandi sunt Superioribus ecclesiasticis Sacerdotes corruptores, qui magnum fidelibus spirituale damnum inferunt, vel illaturi videntur. — *Ita communiter.*

§. III. *De vitiis Charitati proximi oppositis.*

Praecipua sunt odium, invidia, rixae, scandalum et cooperatio peccatis alienis.

(*a*) Munus indagandi ad Superiores pertinet, quatenus specialem singulorum et praeterea totius communitatis curam gerunt, nullatenus vero ad officium fraternae correctionis, quae, ut sup. diximus cum S. Thoma, per se fit praeter ordinem praelationis. Bene S. Thomas (*2. 2. q. 33. art. 2. ad 4.*): *Illa beneficia, quae non debentur certae personae, sed communiter omnibus proximis, sive sint corporalia sive spiritualia, non oportet nos quaerere, quibus impendamus, sed sufficit, quod impendamus eis, qui nobis occurrunt... Et propter hoc dicit* (Augustinus), *quod admonet nos Dominus noster, non negligere invicem peccata nostra, non quaerendo quid reprehendas, sed videndo quid corrigas. Alioquin efficeremur exploratores vitae aliorum contra id quod dicitur Prov. 24:* Ne quaeras impietatem in domo iusti, et non vastes requiem eius.

Praeter quam quod vero ista indagatio evaderet onus intolerabile, prout sane ii sentiunt, qui praesunt, *vitiosa est et reprehensibilis* (ut bene monet Diana *Tom. 7. Tr. 4. Res. 25. n. 3.*); *quia generat scandala, et occasionem praebet odiis et dissensionibus. Nam homines moleste ferunt, sua ab aliis facta scrutari, et suapte natura talis inquisitio iniuriam infert proximo, cuius honori adversatur et aestimationi, quam de se optimam omnes haberi cupiunt.*

(*b*) Sedulo distinguenda est denuntiatio, quae *evangelica* dicitur, ab altera, quae *iudicialis* appellatur. Prior, quae fraternae correptionis propria est, fit superiori ut *patri*, et per se primo tendit ad bonum denunciati. Altera vero fit superiori tamquam *iudici*, ut ex cognita causa procedat, et tendit ad bonum aliorum, praesertim commune vel ipsius denunciantis. Porro ubi denunciatio superiori fiat mere ut *patri*, nullatenus ipse potest ut *iudex* procedere.

De hoc S. Thomas (*Quodlib. XI. art. 13.*): *Si ego scio, quod frater per me corrigetur, tunc non debeo hoc denuntiare praelato. Si autem videtur, quod hoc melius fiat per praelatum, et praelatus nihilo minus sit pius, discretus et spiritualis, non habens rancorem seu odium adversus illum subditum, tunc licite potest hoc denuntiare sibi; et tunc non dicit Ecclesiae, quia non dicit ei sicut praelato, sed sicut personae proficienti ad correptionem proximi et emendam.*

De duobus posterioribus tantum dicemus, cum de aliis iam actum sit alio loco, vel in quinto Decalogi praecepto sit dicendum.

PUNCTUM I.

De scandalo.

SECTIO I.

De scandalo in genere.

234. — Definitio. Scandalum est dictum vel factum minus rectum, praebens alicui occasionem ruinae spiritualis.

Divisio. Distinguitur scandalum *directum* vel *indirectum*, prout actio mala alterius vel intenditur, vel quamvis non intendatur, tamen praevidetur saltem in confuso.

Scandalum directum dicitur etiam *diabolicum*, quando intenditur proprie ruina spiritualis proximi. Si vero non intenditur spiritualis ruina alterius, sed solum propriae voluntatis satisfactio, dicitur *simpliciter directum* (a).

Theologi communiter distinguunt scandalum *activum* et *passivum*. Scandalum *activum* illud est, cui convenit data definitio. *Passivum* est ipsa ruina spiritualis proximi, atque improprie vocatur scandalum, cum melius dici debeat effectus scandali (b).

Scandalum autem potest esse *activum* seu *datum*, quin sit *passivum* seu *acceptum*; quia poni potest actio apta per se ad scandalum, quin subsequatur effectus. Et vice versa potest esse *acceptum*, quin sit *datum*; tunc autem scandalum non proprie tribuendum est actioni proximi, sed potius ignorantiae, imaginationi, aut etiam malitiae illius qui scandalum patitur, vel sine fundamento admittit. Hoc autem dicitur scandalum *pusillorum*, si ex infirmitate vel ignorantia proximi suscipiatur; vocatur vero *pharisaicum*, si ex mera subiecti malitia proveniat. — *S. Lig. n. 43.*

(a) Brevius Suarez (*De Char. Disp. 10. Sect. 2. n. 1.*): *Tribus modis intelligi potest, unum adducere aliquem ad peccandum. Primo hac intentione directa, ut spiritualiter moriatur, sicut facit daemon. Secundo directe etiam inducendo ad opus, non ut ruat, sed propter utilitatem vel oblectationem aliquam meam. Tertio indirecte tantum, aliquid faciendo, unde ille excitatur ad peccandum.* Primum cum Card. de Lugo (*De Poenit. Disp. 16. n. 157.*) dici potest scandalum *directum et formale*; secundum simpliciter *directum;* tertium *indirectum.*

(b) *Est advertendum,* inquit Suarez (*De Char. Disp. 10. Sect. 1. n. 1.*), *vulgo solere putari et dici hoc scandalum passivum non tam ruinam spiritualem, quae consistit in peccato, quam veluti admirationem et rumorem, qui excitatur in proximis ex peccato alterius; sed nunquam illud habet propriam rationem scandali, nisi aliquam malitiam includat, quae originem aliquo modo ducat ab illo, qui dedit scandalum, ut colligitur ex Hieronymo..., et D. Thoma.*

235. **Principia.** — I. Scandalum, etiam indirectum, est non solum peccatum grave ex genere suo, sed peccatum malitiae specificae (*a*) maximum et horrendum, cum in gehennam detrudat animas a Christo redemptas. Propterea exclamat Christus Dominus, *Matth. 18. 7: Vae mundo a scandalis... Vae homini illi per quem scandalum venit* (*b*).

II. Scandalum *pusillorum* seu infirmorum vitandum est, quoties fieri potest sine gravi incommodo, tum operis indifferentis, tum etiam operis boni non praecepti omissione; ratio, quia ex Charitate ruinam pusillorum impedire tenemur cum facile possumus, v. gr., abstinendo ab actione non valde utili, aut eam differendo, vel nostram agendi rationem exponendo, etc. (*c*).

III. Scandalum *pharisaicum*, seu *malitiosum* saltem *ordinarie* (*d*) nec omissione operis boni, nec omissione operis etiam indifferen-

(*a*) Specifica huius peccati ratio est, ut sit contra charitatem, et, ut inquit S. Thomas (*2. 2. q. 43. art. 3.*), *opponitur directe correctioni fraternae, in qua intenditur specialis nocumenti remotio*. Sunt autem, qui putent S. Thomam id tenuisse tantum de scandalo *directo*, et quidem quo peccatum alterius intendatur ut malum eius spirituale. Ita Suarez (*De Charit. disp. 10. sect. 2. n. 4.*), qui pro eadem opinione alios e veteribus allegat. Verum illa verba S. Thomae: *Quando aliquis... intendit alium pertrahere ad peccandum*, non significant necessario intentionem pertrahendi ad peccatum, *quatenus est malum spirituale alterius*. Alioqui vero ipse Suarez eundem S. Doctorem (*ibid. n. 3.*) pro se citat, ubi malitiam scandali propriam *cuilibet directo* scandalo tribuit.

Hanc autem malitiam inesse etiam scandalo indirecto, communis est doctrina contra nonnullos veteres (*apud Suar. l. c. n. 5.*), et facile evincitur. Constat enim peccatum aggravari, etiam nova specie, ex nocumento praeviso cum obligatione illud vitandi, etiamsi non sit per se intentum: idque plane evidens est, quia in moralibus voluntarium directum et indirectum ad eandem speciem pertinent.

(*b*) Ne inferas tamen, peccatum scandali semper esse mortale. Peccari enim in hoc venialiter potest non modo ob imperfectionem actus, sed etiam ob materiae parvitatem, si nempe alium inducas tantum ad culpam levem, v. gr. ad mentiendum. Ita S. Thomas (*2. 2. q. 43. art. 4.*): *Si vero intendat inducere proximum ad peccandum venialiter..., est peccatum veniale.* Et hoc quidem, ut habet S. Thomas (*l. c.*), valet non solum quoad scandalum *indirectum*, sed etiam quoad *directum*; et intelligendum est de actu, quatenus spiritualem alterius ruinam inducit. Si enim actus, quo scandalum paritur, *in se* spectetur, profecto (ut bene advertit Sanchez, *Moral. Lib. I. cap. 6. n. 11.*) fieri poterit, ut opus alioqui per se mortale, tamen leve sit quoad rationem scandali, et viceversa grave sit ratione scandali, licet per se aut leve aut etiam nullo modo malum sit, sed solam mali speciem habens; unde illud Pauli (*1. Cor. VIII. 13.*): *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum.*

(*c*) Cum vere hoc etiam pacto ruinae spiritualis occasio praebeatur proximo, adeo ut aliquo sensu proprio ruina haec causari dicatur; propterea aliis placuit, hoc pusillorum scandalum non *mere acceptum*, sed etiam *datum* nuncupare. Ita Bonac. (*De Pecc. Disp. 2. q. 4. p. 2. n. 2. 3.*), Sanchez (*Moral. Lib. I. cap. 6. n. 1.*), et alii.

(*d*) Ita Suarez (*De Charit. Disp. 10. Sect. 3. n. 9.*): *Cum dicitur, pharisaeorum scandalum non esse vitandum, omittendo spiritualia bona,*

tis, mali speciem non habentis, est necessario vitandum: ratio, quia tale scandalum oritur a sola malitia illius, qui scandalum accipit, ac propterea non est ullo pacto *datum,* sed pure *acceptum.*

236. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An praecepta sint quandoque omittenda propter scandalum pusillorum?*

Resp. 1° *Neg.,* quoad praecepta iuris naturalis negativa, quia haec semper et pro semper obligant, atque opera illis contraria sunt intrinsece mala. Affirmativa autem, quae non obligent pro semper, omittere interdum licet, imo et opus est (*a*), v. gr. praeceptum corrigendi peccatores, si gravior inde ruina timenda sit; at potius dicendum est, tunc ipsam legem cessare. — *S. Lig. n. 51.*

Resp. 2° Quoad praecepta positiva humana, *controvertitur.* 1° *Sententia probabilis affirmat,* secluso incommodo gravi, quia praeceptum vitandi scandalum proximi, utpote naturale, positivis praeceptis praeferendum est. Hinc mulier sciens se turpiter esse concupiscendam ab aliquo, si ad Missam praeceptam pergat, tenetur eam omittere semel aut iterum, si spes adsit ut deinde scandalum cesset: non tamen pluries, ob grave incommodum, quod inde consequeretur. — *S. Lig. ibid.* — *Suarez.* — *Laymann,* etc. — *Negant* tamen alii non minus probabiliter (*b*). — *V. S. Lig. ibid.*

Quaer. 2. *An bona temporalia tenearis dimittere ad scandalum evitandum?*

---

intelligendum est vel regulariter, vel certe in re, nunquam esse omittendum; tamen necessarium esse interdum omittere bonum opus exterius. Rationem autem reddit (*ibid. n. 8.*): *Si cura de bono proximi potest obligare ad bonum faciendum, cur non etiam aliquando ad intermittendum? praesertim cum nullo bono spirituali propterea privatur homo: tum quia ista omissio praecipue est necessaria in actu exteriori, in interiori autem desiderio potest retinere fructum et meritum: tum etiam quia hoc ipsum, quod est privare se merito illius operis propter bonum proximi, erit maius meritum, quam ipsum opus bonum. Unde in operibus consilii res est clara.*

(*a*) Haec regula generalis est; sed, ut advertit Suarez (*De Char. Disp. 10. Sect. 3. n. 9.*), *tunc oportet in individuo prudenter iudicare, quid magis praeponderet, an ruina proximi vitanda, an opus illud omittendum. Considerandum etiam est, quam grave sit illud praeceptum, quanta necessitas vel utilitas eius, et omnibus consideratis ferendum iudicium, prouti faciendum est, quandocumque res occurrunt ad diversa praecepta spectantes, quae tamen simul fieri nequeunt.* Quae quidem consideranda sunt etiam quando agitur de praeceptis positivis.

(*b*) Negant scilicet, mulierem teneri ad omittendam Missam, licet concedant, posse eam omittere. Quod ultimum quidem, nisi id concedant ob qualemcumque probabilitatem oppositae sententiae, difficile videtur. Nam si absit necessitas vitandi scandali, non apparet, cur Missae interesse non teneatur. Interim tria adverte: 1° quaestionem hanc fieri de scandalo, quod aliquis in particulari pati possit, non vero quando generatim timor subeat, ne quis forte scandalizetur; 2° obligationem eiusmodi vitandi scandali raro contingere, ut notat Suarez (*De Char. Disp. 10. Sect. 3. n. 10.*); 3° Confessarium in hac opinionum varietate consilia utique praebere, non autem obligationes posse urgere.

Resp. Neg. ordinarie loquendo, quia Charitas erga proximum non obligat cum tanto incommodo. Hinc non teneris solvere plus aequo operario vel rhedario, licet praevideas, illum secus esse blasphematurum: incommodum enim illud, licet leve in se, saepius occurrere potest, et sic grave faciliter evadit; quin imo ad blasphemandum incitamentum posset saepius id esse (*a*).— *S. Lig. n. 52.*

QUAER. 3° *An in scandalo detur non solum peccatum contra Charitatem, sed etiam contra virtutem ad quam violandam proximus inducitur?*

Resp. 1° *Affirm.*, quoad scandalum *directum.* Quaelibet enim virtus specialiter vetat non solum ne violetur, sed etiam ne quis alium directe inducat ad eam violandam. — *Ita fere omnes.*

Resp. 2° Quidam affirmant etiam quoad scandalum *indirectum.* Melius tamen alii negant cum *Lugo, de Poenit. D. 16. n. 159.* Nam secus qui exemplo suo movet alium ad furandum, teneretur ad restitutionem, quod communissime DD. negant (*b*).

(*a*) Ita nec parochus tenetur dimittere quae sibi debentur iure stolae, ad praecavendas nimirum obtrectationes; grave enim non sibi modo, sed et successoribus incommodum inde contingeret; cum pauperibus autem magis expediet, ut eos, a quibus suum ius repetit, eleemosynis deinde adiuvet.

(*b*) Sufficit ergo in confessione exprimere generatim peccatum scandali, neque necesse est speciem peccati innuere, ad quod inducti *indirecte* alii fuerint. Multo vero minus opus est, ut exprimantur circumstantiae, quae aliorum peccatis forte speciem superaddant, v. gr. num qui induci ad luxuriam turpi sermone aut pictura potuerunt, coniugati sint aut voto adstricti, etc. Adde, nec necessarium esse, ubi eodem actu plures scandalizati fuerint, horum numerum exprimere, iuxta ea, quae in Tract. de Peccatis disputata sunt.

**VV. (*in Not. ad Pag. 915.*) obiiciunt, quod hic dicitur, scilicet *necesse non esse speciem peccati innuere, ad quod indirecte inducti alii fuerint,* non cohaerere cum iis, quae habentur in Not. ad *n. 235,* nempe *malitiam scandali propriam inesse tum scandalo directo, tum indirecto, quia in moralibus voluntarium directum et indirectum ad eandem speciem pertinent.* — Resp. Malitia scandali propria est, quae charitati adversatur; et haec invenitur etiam in scandalo indirecto, quia, ut ait Suarez (*De Char. Disp. 10. Sect. 2. n. 9.*), *teneri possum ad vitandum opus, ne proximus ad peccandum inducatur, ex obligatione charitatis.* Discrimen vero inter indirectum et directum scandalum quoad reatum contra aliam virtutem, sic indicat idem Suarez (*ibid.*): *Ille in eo casu* (scandali indirecti) *censetur esse causa moralis ruinae proximi, ut est contra charitatem, non vero ut est contra alias virtutes. Neque est simile de illo, qui per consilium directe inducit: nam hoc aperte est contra obligationem cuiusvis virtutis.* Hoc ipsum sic Lugo (*De Poenit. Disp. 16. n. 161.*) expressit: *Sic ergo nec peccas contra iustitiam, si praevidens, praeter intentionem tuam alium ex tua intemperantia inducendum esse ad furandum, id non impedias; quia iustitia obligat quidem te, ne procures alios furari, non tamen ut eorum furta impedias, et ad hunc finem abstineas ab intemperantia.* Quae cum habeat, et fuse explicet et defendat Lugo, non apparet, quomodo S. Alphonsus (*Lib. 2. n. 45.*) eum alleget pro opposita, quam tenet, sententia, sicut etiam Tamburini, qui (*Conf. Lib. 2. c. 1. n. 105.*) idem docet, ac Lugo, et insuper Collet (*Tom. 3. p. 327.*), qui utique statuit peccari etiam contra virtutem, ad quam violandam scandalo quis inducit; sed id habet in thesi de scandalo *directo.*

237. — Quaer. 4° *An peccans cum complice declarare debeat in confessione circumstantiam sollicitationis?*

Resp. Probabilius neg., quia, accedente alterius consensu, sollicitatio non est nisi circumstantia mere aggravans; neque minus complex per consensum fit scandali reus; proinde peccatum scandali sufficienter accusatur confitendo peccatum cum aliis commissum. — *S. Lig. n. 46.* — *Lugo.* — Affirmant tamen *probabiliter Salm.* et alii, qui aiunt actionem inducendi ad peccandum esse peccatum distinctum et speciale (*a*).

Quaer. 5° *An liceat suadere minus malum alicui ad maius determinato?*

Resp. Affirm. probabilius cum *S. Lig. n. 57.* Quidam tamen limitant, si minus malum contineatur aliquo modo in maiori, ut percussio in homicidio, etc.; quae tamen limitatio *S. Alph.* necessaria non videtur (*b*).

Quaer. 6° *An liceat occasionem peccandi permittere, ut reus corrigatur?*

Resp. Affirm., quia permittere non est inducere, et adest ratio sufficiens peccatum permittendi. Hinc a peccato sunt excusandi *per se* 1° parentes et domini, qui filios vel famulos peccare sinunt, ut opportunum eos corrigendi locum inveniant; — 2° custodes agrorum, vinearum, etc..., qui se abscondunt ut damnificantes capiant, et ab eis poenam exigant. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 58.* — *Laymann*, etc.

238. — Quaer. 7° *An liceat etiam occasionem peccati apponere?*

Resp. Controvertitur. — *Affirm. probabilius,* quia peccans non inducitur in peccatum, sicut non inducitur usurarius, a quo mutuum petitur: ponitur enim actus indifferens cum ratione sufficienti. Hinc *probabiliter* non peccat dominus, qui de industria arcae, in qua pecunia reconditur, clavem relinquit appositam, ut dubiam famuli fidelitatem experiatur. — *S. Lig. n. 28.* — *Laymann, Collet,* contra quosdam idcirco negantes, quasi hoc perinde sit ac positive

(*a*) Ista ratio non contradicit primae sententiae; neque enim haec negat, speciale scandali peccatum intercedere; sed affirmat, hoc commune esse utrique peccanti, et ideo in confessione satis exprimi, quando complicitas cum alio exprimitur, v. gr. peccatum fornicationis.

(*b*) Alii excipiunt, si volenti maius damnum uni inferre, suadeas minus damnum inferendum alteri. Ita Sporer (*T. 4. Cap. 3. n. 27.*) post Lugo (*de Iust. et Iur. Disp. 19. n. 47.*), quibus adhaeret S. Alph. (*Lib. 3. n. 565.*). Sed probabilius licere id affirmant Sanchez (*De Matr. Lib. 7. Disp. 11. n. 24.*), Turrianus (*De Fide, etc. Disp. 95. dub. 6.*) et Vasquez (*Opusc. De Scandalo art. 1. dub. 2. n. 14.*). *Ratio est* (inquit Vasquez), *quia hoc genus consilii eo tendit formaliter, ne committatur maius peccatum, ex quo fit, ut is, a quo latro furatur illud, quod minus est, non sit rationabiliter invitus de eo, qui consilium praebuit.* Nec valde efficax videtur Lugonis ratio in oppositum, quia scilicet dum hoc furtum, nihil de eo cogitanti proponis, perinde sit ac si portam ei ad furandum aperires. Etenim probandum adhuc superest, in iis adiunctis illicitum esse eo pacto portam aperire.

concurrere ad peccatum, eius periculum expresse creando et ad illud inducendo.

QUAER. 8° *Quid de fidelium communicatione cum Iudaeis?*

Resp. Tum ad tuendam christianae Religionis dignitatem, tum ad vitandum quodcumque perversionis periculum, statutum est ab Ecclesia, 1° ne Christiani cum Iudaeis habitent; 2° ne eorum conviviis intersint; 3° ne iisdem famulentur; 4° ne eorum azymis vescantur; 5° ne mulieres christianae lactent Iudaeorum infantes tam in illorum, quam in sua ipsarum domo *(C. Nullus, C. Omnes, C. Iudaei, et S. Lig. n. 18. Pius IV Constit. Cum enim, et S. Congr. Inquisit. die 15 Mart. 1612).*

Attamen excluso quocumque perversionis periculo, probabiliter non est letale, imo nulla est culpa, si id ex rationabili causa fiat. — *S. Lig. l. 2. n. 18. — V. Casus, n. 226. et seq.*

SECTIO II.

De scandalo in particulari.

1° Circa luxuriam; 2° circa pravos libros; 3° circa choreas; 4° circa spectacula.

I. *Circa luxuriam.*

239. — Gravissimum scandalum est ea facere, repraesentare, aut prae se ferre, quae ad libidinem notabiliter provocant; quia nullum venenum subtilius animae propinari potest.

Hinc gravissimi scandali rei sunt — 1° qui turpia in comoediis aliisve coetibus repraesentant; — 2° qui cantilenas aut carmina turpia componunt vel canunt; — 3° qui statuas aut imagines obscenas faciunt vel exponunt; — 4° qui discipulos sibi commissos pravis exemplis seducunt. — *S. Lig. n. 56.*

Quaesita. — QUAER. 1° *An peccet graviter femina nudo pectore incedens?*

Resp. Affirm., si nudatio sit immoderata, seu valde notabilis, non obstante quacumque contraria consuetudine. Si autem non sit ita immoderata, consuetudo facile a peccato gravi excusabit. Consuetudo enim notabiliter vim concupiscentiae minuit, cum assueta minus phantasiam excitent. — *S. Lig. n. 55. (a).*

(a) Quamquam communissima sit, ut testatur S. Alphonsus (*Lib. 2. n. 55.*), DD. sententia, *non esse damnandam de peccato mortali* moderatam pectoris denudationem, ubi talis vigeat consuetudo; plerumque tamen cuiusmodi sit moderata aut immoderata denudatio, ideo fortasse non dicunt, quod varia pro variis locis consuetudo esse possit. Ea de re sic Caietanus (*Sum. V. Ornatus*): *Qualitas (inordinata) ornatus communiter peccatum inducit veniale, si indecens est ac minus castus, ut ornatus mulierum monstrantium media ubera. Verumtamen ubi consuetus est iam mos, sine peccato videtur.*

Quidquid sit, duo habet S. Alphonsus (*l. c.*) notatu dignissima. Primum

QUAER. 2° *An graviter peccet mulier ornatum gerens superfluum, aut fuco vultum pingens?*

Resp. ad 1ᵐ *Neg. per se,* quia ornatus non graviter ex natura sua ad libidinem provocat, quin etiam ad status decorem saepe exigitur (*a*).

Resp. ad 2ᵐ *Neg.* itidem: id enim *per se* venialem labem minime excedit, si ob vanam gloriolam captandam fiat: omni vero peccato carebit, si iusta causa interveniat, v. gr. defectus naturalis tegendus, etc.

QUAER. 3° *An graviter peccet mulier viriles vestes induens?*

est, *illas feminas, quae hunc morem alicubi introducant, graviter peccare.* Alterum vero est monitum generale, quod S. Antoninus hisce verbis tradit: *Videtur dicendum, quod ubi in huiusmodi ornatibus Confessor invenit* clare et indubitanter *mortale, talem non absolvat, nisi proponat abstinere a tali crimine. Si vero non potest clare percipere, utrum sit mortale, non videtur tunc praecipitanda sententia* (*ut dicit Gulielmus Speculator in quodam simili*), *scilicet ut deneget propter hoc absolutionem, vel illi faciat conscientiam de mortali, quia faciendo postea contra illud, etiamsi illud non esset mortale, ei erit mortale, quia omne quod est contra conscientiam, aedificat ad gehennam... Et cum promptiora sint iura ad solvendum, quam ligandum... et melius sit Domino reddere rationem de nimia misericordia, quam de nimia severitate, ut dicit Chrysostomus... potius videtur absolvendum ac divino examini dimittendum. Fateor tamen, quod et praedicatores in praedicando, et Confessores in audientia confessionum debent talia detestari, et persuadere ad dimittendum, cum sint nimia et excessiva, non tamen ita indistincte asserere esse mortalia.*

(*a*) Consulatur S. Thom. (*2. 2. q. 169. art. 1.*), ubi ostendit, in ornatu et virtutem esse posse, et vitium. Virtus quidem inest, si persona moderate se habeat in omnibus secundum consuetudinem patriae, et secundum conditionem ac dignitatem suam: vitium vero tum per excessum tum per defectum.

Speciatim autem de mulierum ornatu ac fucis doctrina S. Thomae ad haec capita revocatur (*ex 2. 2. q. 169. art. 2.*, et *Comm. in Isai. cap. 4.*): 1° Mortaliter peccant, si se ornent animo provocandi ad libidinem; 2° Venialiter peccant, si ornamenta adhibeant mere ex vanitate, levitate, iactantia; 3° Venialis ex genere suo culpa est, quod ornatus sit superfluus, vel praeter conditionem status, sive per excessum id fiat, sive per defectum; 4° Nullum per se est peccatum, si consuetudo patriae, et status conditio servetur; 5° Licite mulieres aliquid ornamenti superaddunt, ut placeant viris vel quos habent vel quos accipere debent; 6° Fucationes erunt mortale, si adhibeantur ad lasciviam; veniale, si mere ad fingendam pulchritudinem; nullum vero, si ad defectum aliquem occultandum; 7° A peccato excusantur quae incedunt capillis non velatis, si id non ex vanitate faciant, sed ex consuetudine, quae alioqui laudabilis non est.

Ad quaestionem vero, an mulier dimittere teneatur ornatum ad vitandum aliorum scandalum, sic ex communi sententia respondet Suarez (*De Charit. Disp. 10. Sect. 3. n. 10.*): *Si ornatus sit moderatus et decens per se non tenetur* (*dimittere*) *ad vitandum scandalum; quia de se actio non est malus, neque habet per se rationem scandali activi magis quam naturalis pulchritudo, et quia grave esset ad hoc obligare.* Et sane ad vitanda aliorum pericula nemo mulieres adhuc obligavit ad propriam faciem deturpandam.

Resp. Neg. per se: id enim, si iustam ob causam fiat, omni culpa carere potest; si ob levitatem vel iocum, veniale non excedit, praeciso tamen scandalo aut libidinis periculo. — *S. Lig. n. 52.*

QUAER. 4° *An graviter peccent ii, qui larvati seu personati incedunt?*

Resp. Neg. per se, modo scilicet eos congressus non adeant, in quibus proxima plerumque peccandi occasio occurrit.

240. — QUAER. 5° *An liceat meretricibus vel concubinariis famulari?*

Resp. ad 1m *Neg.* tum ob scandalum, tum etiam ob maximum lapsus periculum. Si qui vero casus excipiendi fortasse forent, hi ex personarum adiunctis, vel necessitatis gradu diiudicandi erunt.

Resp. ad 2m Permitti quidem potest, si domi non servetur concubina. Secus vero difficiliter ob grave seductionis periculum, nisi tamen graves vigeant rationes eiusmodi domino inserviendi, vel nisi famuli famulaeque pietate vel annis provectiores existimentur. Paucis: quaestionis huius solutio vix tradi potest, sed ex variis rerum adiunctis petenda est. — *Ita communiter,* contra *Concina,* qui nullam admittit exceptionem.

QUAER. 6° *An liceat puellae accipere munuscula ab illo, a quo praeter matrimonii finem requiritur et amatur?*

Resp. Neg. ordinarie (*a*), quia munera mutuum amorem maxime excitant ac fovent; fere autem eiusmodi amores aut pravo fine aut certe periculo non carent. Hinc quoad fieri potest, imperandum puellae, ut eiusmodi munuscula restituat, vel pauperibus distribuat, vel flammis comburenda tradat. — *S. Lig. n. 76.* — *Lacroix, l. 2. n. 264.*

II. *Circa pravos libros.*

Ex omni scandalorum genere nullum magis execrandum est, quam quod ex impiis et obscenis libris procreatur. Haec est diabolica inventio, omnium efficacissima ad animas turmatim in gehennae barathrum detrudendas. Haec est pestis omnium maxime dira et immanis, quae non unam tantum regionem aut aetatem inficit, sed ad universa loca et tempora diffunditur, omniaque innumeris complet stragibus. Quis autem dicere posset horrenda mala, quae Religioni et moribus ex pravis libris velut ex letali fonte exorta sunt, et quidem usque ad finem mundi propaganda atque multiplicanda?

Satagant igitur et animo mactent ministri Dei, concionatores scilicet et Confessarii, ut totis viribus huic torrenti iniquitatis se opponant, et pereuntes animas e faucibus infernalis abyssi eripiant.

(*a*) Dicitur *ordinarie,* quia ad huiusmodi munuscula tum puellis tum viris destinanda subinde etiam honesta amicitia aut benevolentia, quam dotes personae excitant, citra illa pericula impellere solent.

Nunquam igitur permittenda est lectio, impressio et divulgatio librorum Fidei et moribus omnino adversantium.

241. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An typis committi possint libri, qui partim boni, partim sint mali?*

Resp. Neg. generatim loquendo, nisi accurate expurgati fuerint; secus tamen, si periculum ex iis reformidandum non adeo grave sit, et hoc compensari magna utilitate ex iis capienda videatur. Typographi vero sedulo a doctis peritisque viris, ab ecclesiasticis praesertim Superioribus, exquirant, quid in dubiis agendum sit.

QUAER. 2° *An pravi libri interdum vendi possint?*

Resp. Nullo modo indiscriminatim vendi possunt, cuilibet scilicet emptori, ut patet. Quandoque tamen vendi possunt viris prudentibus ac doctis, qui huiusmodi libros utiliter legere possunt, v. gr. ad eos confutandos, etc. Excipe libros prorsus obscenos, qui radicitus sunt extirpandi.

QUAER. 3° *Quid de donatione aut locatione pravorum librorum?*

Resp. Idem generatim dicendum, proportione servata, ac de eorum venditione, quia omnia haec corruptelarum plena sunt. — *Gousset, l. 1. n. 392.*

QUAER. 4° *An eiusmodi libri domino reddi possint?*

Resp. Neg., nisi prudens timor cuiuspiam gravis incommodi aliter suadeat. Hoc ex principiis, quae tradidimus, sua sponte defluit. Grave autem incommodum censendum est, si graves rixas, blasphemias, odia, aliaque eiusmodi a domino pertimescas. Levis contristatio, vel etiam timor dissolvendae amicitiae non censeretur sana ratio, saltem plerumque, pravos libros amico reddendi (*a*).

De prohibitione librorum dicemus in Tract. de Censuris.

III. *De choreis.*

242. — Choreae vel saltationes, prout vulgo fiunt, periculi e[t] scandali plenae sunt, innumerasque animas diaboli laqueis irretiunt et in hoc ludendi genus unanimiter invehuntur sancti Patres. At tamen choreae non aeque omnes idem malum aut periculum per[-]ferunt.

Principia. — I. Choreae *per se* etiam inter diversi sexus per[-]sonas non sunt illicitae, si fiant honesto modo, id est remoto omn[i] tactu, gestu, aut actu impudico. Ratio est, quia choreae per se in[-]differentes sunt, nec ulla lege prohibentur. — *Ita communiter* (*b*). — *S. Lig. l. 3. n. 429.*

(*a*) Haec paulo duriora videri merito possunt, ut facile patet ex iis quae inferius de cooperatione ad malum dicentur. Nec valet paritas cu[m] casu reddendi gladium illi, qui interfecturus alium sit; nam suus huic gl[a]dius nec penitus nec perpetuo adimitur, et gravissimum caeteroqui ade[o] tertii damnum prorsus impediendum.

(*b*) Confer doctrinam S. Thomae, quam superius attulimus in notis [ad] *n. 52. Quaer. 7.*

II. Choreae inhonestae ratione nuditatum, modi saltandi, verborum, gestuum, cantuum, possunt esse graviter illicitae, ut patet. Inter illas autem a multis recensentur saltationes recentiores, quae gallice dicuntur *la Walse, la Polka, le Galop,* et aliae istis similes. At Confessarii erit iudicare de particularibus casibus ex modo, circumstantiis, gravitate motivi, etc.

III. In praxi generatim choreae quaelibet inter personas diversi sexus impediendae sunt, quantum fieri potest; quia prout haberi solent, plerumque periculosae sunt. Hinc Parochi et Confessarii subditos et poenitentes ab illis, quantum fieri potest, avertere debent. — *Ita communiter* nostrae aetatis Doctores, et animarum directores.

243. **Resolves.** — 1° Qui ita infirmi sunt, ut grave peccandi periculum subeant in saltationibus, ab iis sub peccato mortali abstinere debent; nisi forte aliquando quaedam necessitas urgeat, et saltem probabiliter absit consensus periculum.

2° Modeste saltare vel choreis honestis adesse ex quadam necessitate, vel ex status sui decentia, sine probabili peccandi periculo, nullum est peccatum; quia datur ratio sufficiens peccata aliorum, si quae sint, permittendi. Hinc excusantur a peccato, decenter saltando, puellae matrimonio destinatae, quae a choreis in domo paterna, vel apud vicinos aut cognatos ductis, abesse non possunt, vel saltationem recusare nequeunt, quin derideantur, vel parentibus aut sponsis ipsas requirentibus displiceant.

3° Imo interesse choreis honestis, etiam absque necessitate, secluso tamen periculo ac notabili scandalo, et in eis decenter saltare, non solum non est mortale, sed facile etiam omni peccato vacare potest. Inveniuntur enim aliquando viri, et non raro mulieres, quibus etiam in choreis inter personas diversi sexus, nullum aut valde remotum periculum imminet. Hi autem, quamvis a saltationibus dissuadendi sint, tamen imprudenter ab illis promissio vitandi choreas sub denegatione absolutionis exigeretur (*a*). — *Bouvier.*

244. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An haberi tamquam licitae possint choreae cum larvis?*

Resp. Neg., generatim loquendo. Experientia enim constat, huiusmodi ludos illecebras esse ad libidinem, et causam efficacem impudicitiae (*b*). Attende tamen ad varias circumstantias, et ad rationem maioris vel minoris periculi, quod in iis reperiri potest.

Quaer. 2° *An possint absolvi qui nolunt promittere, se choreas derelicturos?*

Resp. 1° *Neg.,* si illis sit occasio peccandi proxima, et indiscri-

(*a*) In eiusmodi adiunctis non modo imprudenter, sed et iniuste atque adeo non sine gravi peccato absolutio negaretur; neque enim absolutio, cum poenitens adest rite dispositus, actus est liberalitatis, quam pro lubito suo Confessarius aut tribuere possit aut recusare.

(*b*) Larvae nimirum subinde locum praebent effreni licentiae, quam alioqui verecundia prohiberet.

minatim choreis etiam inhonestis interesse velint. Impossibile enim est generatim, quempiam saepe versari in istis consortiis levissimae et corruptissimae iuventutis utriusque sexus, et impura contagione non infici. — *Ita communiter.*

Resp. 2 *Affirm.* generatim, si tantum choreis honestis intersint, v. gr. si quando auctoritate publica celebrentur vel in nuptiis cognatorum aut amicorum, vel etiam die festo Patroni loci; in huiusmodi casibus, qui impediri nequeunt, Confessarius prudenter dissimulabit; neque enim hac de causa poenitentes a Sacramentis removendi sunt. — *Ita Bouvier, de VI praecept. c. 4. art. 3. et alii.*

QUAER. 3° *An possint facile absolvi qui interdum ducunt choreas inter cognatos et amicos?*

Resp. Affirm., saltem generatim loquendo, si choreae fiant adstantibus piis parentibus, aut aliis, qui aetate et moribus sint conspicui. Tales enim ludi non videntur per se graviter periculosi; et aliunde vix aut ne vix quidem impediri possunt, praesertim cum nullam mali speciem prae se ferant. Excipe, nisi alicui etiam ibi proxima adsit peccandi occasio.

QUAER. 4° *An, vel quaenam sit culpa apprehendere manum mulieris in choreis?*

Resp. Si apprehendatur leviter de more in choreis honestis, nulla est *per se* culpa, aut ad summum venialis est, quia in hoc generatim nullum vel leve periculum libidinis adest. — *Ita S. Lig. cum aliis, l. 4. n. 429.*

Si autem affectu pravo manus mulieris apprehenderetur, aut perstringeretur, culpa levis aut gravis foret pro affectus pravitate, aut etiam pro minori maiorive periculo consensus in peccatum.

245. — QUAER. 5° *An publice in praedicatione choreae reprehendere expediat?*

Resp. Neg. generatim in iis locis ubi sunt in usu, et reputantur quid indifferens; quia concionator nihil proficeret, et saltantes a concionibus simul et a Sacramentis averteret. Expedit igitur, ut concionatores, praesertim Parochi, agant *indirecte* tantum in choreas, et *directe* in peccata, quae in eis committi solent. Caveant autem, ne imprudenter notis infamiae afficiant tum saltantes, tum alios ad choreas concurrentes, nec minitentur, tales tempore Paschali ad sacram mensam non fore admittendos. — *V. Casus, n. 223. et seq.*

IV. *De spectaculis.*

246. — De spectaculis, seu ludis, quae per mimos sive per histriones repraesentari solent, idem fere dicendum erit ac de choreis. Quare haec pauca subiicere sufficiat.

Principia. — I. Spectacula *per se* non sunt mala, nec proinde illicita; nulli enim legi, nec naturali, nec positivae, sive divinae, sive humanae, adversantur. Unde si res turpes in eis non reprae-

sentarentur, et aliunde abessent circumstantiae libidini fomentum praebentes, nullatenus reprobanda forent. — *Ita communiter.* — *S. Thom. 2. 2. qu. 168. art. 3.* (*a*).

II. Spectacula, in quibus repraesentantur res notabiliter turpes, vel in quibus apparent personae diversi sexus habitu notabiliter indecenti, generatim loquendo graviter illicita sunt, quia tam actoribus quam spectatoribus noxia sunt.

Attamen cum illicitum generatim non sit, iusta et proportionata exstante causa, alicui se periculo exponere, praesertim si salutaribus praesidiis quis, uti par est, se communiat; idcirco excusari possunt tum milites qui adesse tenentur ad invigilandum, tum servi qui gravem indignationem dominorum paterentur, si adesse renuerent, etc. — *Scavini.*

247. **Resolves.** — 1° Non peccat mortaliter, qui praeciso scandalo interest comoediae non graviter turpi, nisi forte experientia sciat, se huiusmodi ludis vehementer ad libidinem cum proximo consensus periculo commoveri, adeo ut spectaculum sit ipsi proxima peccandi occasio. — *S. Lig. de VI praec. n. 472.*

2° Si in comoediis repraesentarentur res notabiliter turpes, aut turpi modo, mortale quidem esset illas spectare ob delectationem consurgentem ex ipsis rebus turpibus; veniale autem ob curiositatem tantum aut ob vanum solatium, secluso tamen periculo consensus in turpem delectationem *(S. Lig. ibid.),* quod facile aderit in adolescentibus, vel in aliis parum timoratae conscientiae, et nisi adsit scandalum; quod plane adesset, si comoediis turpibus interessent Clerici et Religiosi, uti advertit *Bened. XIV.* — *S. Lig. Hom. apost. Tract. 9. n. 10.*

3° Merito *Holzmann* et *Lacroix,* propter scandalum aliorum damnant de mortali tum eos, qui pecunia aut plausu cooperantur ad comoedias notabiliter turpes; tum eos quoque, qui eas impedire tenentur, et cum commode possint, non impediunt; *a fortiori* autem eos, qui illas repraesentant. — *S. Lig. ibid. in op. magno.*

(*a*) Ita S. Thomas (*l. c. ad 3.*) de re ipsa, et de iis, qui illi deserviunt: *Dicendum quod ludus est necessarius ad conversationem humanae vitae. Ad omnia autem, quae sunt utilia conversationi humanae, deputari possunt aliqua officia licita: et ideo etiam officium histrionum, quod ordinatur ad solatium hominibus exhibendum, non est secundum se illicitum, nec sunt in statu peccati, dummodo moderate ludo utantur, idest, non utendo aliquibus illicitis verbis, vel factis ad ludum, et non adhibendo ludum negotiis et temporibus indebitis. Et quamvis in rebus humanis non utantur alio officio per comparationem ad alios homines, tamen per comparationem ad seipsos et ad Deum alias habent seriosas et virtuosas operationes (puta dum orant, et suas passiones et operationes componunt, et quandoque etiam pauperibus eleemosynas largiuntur). Unde illi, qui moderate eis subveniunt, non peccant, sed iuste faciunt, mercedem ministerii eorum eis tribuendo. Si qui autem superflue sua in tales consumunt, vel etiam sustentant illos histriones, qui illicitis ludis utuntur, peccant, quasi eos in peccato foventes.*

PUNCTUM II.

De cooperatione.

SECTIO I.

De cooperatione in genere.

248. — Definitio. Cooperatio in genere est concursus cum alio principaliter agente. — Prout autem Charitati adversari potest, est participatio quaedam ad actionem pravam alterius (*a*).

Divisio. Distinguitur cooperatio:

1° *Immediata* vel *mediata*, prout cooperans agit cum peccante in ipso actu peccati, vel ponit alias actiones cum peccato alterius connexionem aliquam habentes.

2° *Proxima* vel *remota*, prout actio cooperantis propius vel remotius cum prava alterius actione connectitur.

3° *Positiva* vel *negativa*, prout cooperans vel ponit aliquam actionem in peccatum alterius influentem, v. gr. eum adiuvando, vel omittit actum debitum, v. gr. si non obstet, cum obstare deberet.

4° *Formalis,* quae concurrit ad malam voluntatem alterius, et nequit esse absque peccato; vel *materialis,* quae concurrit tantum ad malam actionem alterius sine intentione cooperandi ad peccatum.

Datur etiam cooperatio *directa* vel *indirecta, physica* vel *moralis,* ut dictum est, ubi de voluntario in se et in causa : *De Act. hum. n. 5. et 7.*

Cooperatio fit praecipue novem modis, scilicet iubendo, consulendo, consentiendo, laudando, recursum praebendo, participando in actione vel emolumento, silendo, non obstando, non manifestando. Hinc versiculi

> Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
> Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Vide dicenda in *Tractatu de Iustitia.*

Principia. — I. Certum est, nunquam licere cooperationem formalem, cum haec moraliter influat in peccatum alterius, et proinde sit illius causa moralis. — *S. Lig. n. 63.*

II. Cooperatio materialis licita est, dummodo actio sit per se bona vel saltem indifferens, adsitque causa iusta et proportionata

(*a*) Cooperatio adversari potest charitati, quatenus haec virtus exigit, ut aliorum peccata impediamus, atque adeo ne opera nostra ad peccandum alios coadiuvemus.

ad gravitatem peccati alterius, et ad proximitatem concursus ad peccati executionem. Ratio est, quia cum tu praestas actionem indifferentem sine prava intentione, si alter illa abuti voluerit ad peccatum exsequendum, non teneris nisi ex Charitate illud impedire; et cum Charitas non obliget cum gravi incommodo, ideo ponens tuam cooperationem cum iusta causa, non peccas: neque enim peccatum illius provenit ex tua cooperatione, sed ex malitia ipsius, qui tua actione abutitur. — *S. Lig. ibid.* — *Vid. de Actibus humanis, n. 9.*

III. Eo maior requiritur ratio ad cooperandum, quo propinquior et maior est cooperatio, — quo probabilior et peior est effectus secuturus, — quo probabilius est, te non cooperante, alterum non peccaturum, — quo magis peccatum iustitiae vel Charitati repugnat.

249. **Resolves.** — 1° Nunquam peti potest, quod sine peccato concedi nequit (*a*), ut violatio obligationis alicuius, v. gr. a notario aliquid officio suo oppositum.

2° Non licet obscena pingere; nec licet furi terga servare, quia est influere in pravam furis voluntatem (*b*). — *S. Lig. n. 571.*

3° Licet petere mutuum ab usurario, Sacramenta ab indigno ministro, iuramentum ab eo qui forte peieraturus est, modo adsit iusta causa. — *S. Lig. n. 77. 79.*

SECTIO II.

De cooperatione in particulari.

Scilicet praecipue 1° quoad famulos; 2° quoad operarios; 3° quoad mercatores; 4° quoad caupones.

Ex principiis supra positis colligi plerumque potest, quandonam famuli et alii peccatis dominorum, sociorum, aut aliorum cooperari possint, vel non. Plura tamen dubia ad maiorem rerum perspicuitatem solvenda sunt. Hinc

I. *Quoad famulos.*

250. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An possit famulus, metu mortis aut mutilationis, subiicere humeros hero ad fornicandum ascendenti?*

Resp. Affirm. probabilius, quia non ponit actionem intrinsece

(*a*) Intellige, quando malitia se tenet ex parte actus, non autem si mere ex parte agentis, uti patet ex Resol. 3.

(*b*) Primum exemplum revoca potius ad generalem doctrinam de scandalo; et dein excipe, si quid eiusmodi pingi necesse sit, v. gr. ad scientiae anatomicae aut obstetriciae praesidium. Alterum exemplum supponit commune cum fure consilium; alioquin enim alteri advigilare et eumdem monere sunt actus per se indifferentes, et proinde ad cooperationem materialem revocari possent.

malam. — *S. Lig. n. 66. 68.* Sed tenetur postea domini sui domum deserere, si quid aliud eiusmodi timeat. — *Scavini.* Idem resolve in similibus.

Quaer. 2° *An liceat famulo ostium domus meretrici aperire?*

Resp. Communius affirmant, modo adsit alius, qui non aperiente ipso aperiat. — *S. Lig. n. 66.* Haec circumstantia enim cooperationem satis remotam facit.

Plures tamen contendunt, nunquam licere ostium meretrici aperire, et innituntur propositione sequenti 51. ab Innoc. XI damnata: *Famulus qui, submissis humeris, scienter adiuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties ei subservit, deferendo scalam, aperiendo ianuam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* — Sed haec verba *aperiendo ianuam* intelligi manifesto debent de aperienda per vim aliena domo, ut ex contextu patet. Praeterea damnabilis est haec propositio, quae cooperationem levissima etiam de causa permittebat, scilicet ne famulus etiam torvis oculis aspiceretur.

In civitatibus, in quibus vitandi maioris mali causa permissum est usurarios vel meretrices degere, licet domum hisce locare, maxime si alii conductores desint, aut illis alias aedes conducere facile sit; nisi tamen meretrices graviter noceant vicinis honestis, vel ob situm domicilii maiorem ansam ad peccandum praebeant. — *S. Lig. n. 70.*

251. — Quaer. 3° *An possit famulus ratione famulatus sternere equum domini ad peccandum profecturi, vel eum comitari?*

Resp. Non videtur quidem illicitum, si famulus tantum equum sternat, quia in hoc non videtur magis peccato domini cooperari, quam aperiendo ostium meretrici (*a*). Sed nisi grave damnum immineat, non permittendum ipsi foret comitari herum ad locum, ubi peccatum est patrandum, quia propior est cooperatio. — *S. Lig. n. 64, et in Retract. n. 10.* (*b*).

(*a*) Sternere equum domino perinde habere se ad peccatum eius videtur, ac ipsi domo egressuro calceamenta aut pileum porrigere.

(*b*) S. Alphonsus id non absolute, sed solum tamquam probabilius affirmat, inquiens: *Probabilius non sufficit ad id sola ratio famulatus, etiamsi sine famuli ope herus adiret; saltem requiritur metus gravis. Ita Sanchez Dec. Lib. 1. Cap. 7. n. 22., Viva in Prop. 51., Innoc. XI., n. 5., Salmant. Tract. 21. Cap. 8. n. 72.* Caeterum nec Sanchez, nec Salmanticenses habent reipsa doctrinam, quam eorum nomine hic tradit S. Alphonsus; sed supponunt, heri peccatum, famulo non comitante, fuisse vitandum. Ita Sanchez (*l. c.*): *Deducitur, posse famulos sternere equum, herum comitari et exspectare (quando non custodiae causa, ut num. seq. dicemus), quamvis norint, ipsum ad fornicandum abire. Quia ministeria haec ex se sunt indifferentia, nec exhibentur a famulis, ut pravae intentioni domini conniveant, sed urgente necessitate obsequendi hero rem indifferentem praecipienti. Sic Angles, Navar., Manuel... At communem obsequii*

Non licet autem famulo herum ad peccandum comitari, si hic animosior ex comitatu redderetur, ut habet *S. Lig. n. 64.* — Excusandus autem est famulus, quoties non est certus de pravo animo domini sui. — *Vogler,* etc.

QUAER. 4° *An liceat famulo dona meretrici deferre?*

Resp. Neg. saltem sine causa valde gravi, quia cum haec munera apta sint ad libidinem fovendam, cooperatio proxima est (*a*).— *Ita communiter.* Imo hoc intrinsece malum reputat *S. Lig. n. 65;*

rationem famulos non excusare censeo, quando herus ille peccatum vitaret, famulo non sternente equum aut non comitante. Tunc enim amplior causa desideraretur, qualis esset non posse commode id obsequium domino denegari, et fore molestum ac noxium famulo ob id dominum deserere. — Salmanticenses vero (*l. c.*): *Licitum est famulis.... dominum ad concubinae domum comitari, quando etiam famulo non comite, herus adiret, nec ex eo animosior reddatur, quia tunc est merus comitatus. At vero si herus famulum comitem adhiberet, ut securius et liberius peccaret,... esset omnino illicitum; quia tunc iam influeret proxime in peccatum. Vid. Sanch. et Diana...* Nec ratio ergo, nec auctoritas A. doctrinae suffragatur; nam et Viva, a S. Alphonso allegatus, fallaci tantummodo Sanchezii citationi innititur.

** Hanc Notam VV. sexdecim omnino columnis (*Pag. 165-172.*) impugnare aggressi sunt: num utili, an casso labore, iudicet aequus lector.

1° Enim numquid afferre quidpiam potuerunt, quo ostenderent id esse falsum, quod ex praemissis textibus evidenter elucet, scilicet et Sanchezium et Salmanticenses oppositam docere sententiam, ac ipsis tribuerit S. Alphonsus, qui alioquin opinionem suam non alio argumento, quam horum auctoritate communit? Minime sane.

2° Multa ex multis Auctoribus per sexdecim illas columnas VV. congesserunt. At proferrene potuerunt vel unum cuiuspiam, Viva excepto, testimonium, quo opinio S. Alphonsi contineatur, nempe etiam *quando sine famuli ope herus adiret,* non sufficere rationem famulatus, ut licite possit *equum sternere aut herum comitari?* Minime sane. Caeterum quod in Nota dicitur, *Vivam fallaci tantummodo Sanchezii citationi inniti,* minus utique exactum est: scribendum nempe fuerat, Vivam fallaci tum Sanchezii, tum Navarri citationi inniti. Nam quod Viva perperam allegaverit etiam Navarrum, patet ex verbis, quae vel ipsi VV. (*Pag. 169. in Not.*) describunt; quippe in iis Navarrus loquitur de famulis, *quando ipsis non comitantibus, herus non adiret;* cum tamen Viva loquatur (*l. c.*) de famulo, qui *mere materialiter herum comitetur,* atque adeo non sit in causa ullatenus, quod herus ad peccandum exeat.

Quae cum ita sint, nec quicquam aliud in sexdecim illis columnis occurrat, quod ad quaestionem hanc spectet, nihil opus est, ut ulterius quid heic addatur. Illud unum meminisse iuvet et quoad hanc quaestionem, probabilitates non praestare fundamentum, quo Confessarius obligationes possit imponere.

(*a*) Sporer contra excusat hos famulos (*de V. Praecepto Cap. 1. n. 99.*), *quia* (inquit) *ex una parte illi ex officio et conditione sua tenentur dominis servire et obsequi; ex altera vero parte cooperatio ad peccatum mere materialis est, et tantum remota.* Neque verum id est, quod A. innuit, oppositam sententiam communiter doceri. Nam S. Alphonsus pro ea neminem allegat praeter Concinam, et ratio, quam hic affert, ab omnibus reiicitur.

** Duo sunt, quae circa hanc Notam evincamus oportet contra obiectiones VV. (*Pag. 173-175.*). Primum, *neminem, Concina excepto, suffragari*

quia per se turpem amorem fovent. Sed probabilius contradicit *Viva* cum *aliis*.

QUAER. 5° *An liceat famulo litteras amatorias concubinae domini sui deferre?*

Resp. Neg., nisi adsit ratio valde gravis. Imo iuxta *S. Lig. n. 68.* nunquam licet, etiam posita gravissima causa, quia (ut ait) hoc intrinsece malum est (*a*); oppositum tamen docet *Vogler* cum aliis.

opinioni S. Alphonsi; alterum, rationem ab eo allatam, scilicet *quod deferre munera sit intrinsece malum,* ab omnibus reiici.

Et quoad primum, res ex eo patet, quod VV. neminem praeter Concinam allegare potuerunt. Nam Amort et Cardenas, quos ipsi invocant, hanc quaestionem non habent.

Alterum vero inde fit manifestum, quod etiam Auctores a VV. allegati (sed non integre) licere id fateantur, saltem si gravis causa suppetat. Atqui si res est *intrinsece mala,* nulla de causa, et etiamsi mors secus intentetur, unquam licita evadit. Ergo.

Quoad hoc posterius VV. fatentur (*Pag. 174.*), rationem Concinae, a S. Alphonso adoptatam, *communi DD. sententiae adversari;* advertunt tamen (*ibid. p. 173.*), non potuisse eam reiici ab omnibus Auctoribus, cum Concina sit ipsis posterior. — Resp. Ut DD. reiicerent rationem Concinae, necesse minime erat, ut praescirent, olim fore, ut Concina eam adhiberet. Satis autem superque DD. eam rationem reiecerunt, quando universi, et etiam Cardenas, unanimiter aut supposuerunt, aut tamquam indubium et evidens statuerunt, actionem, de qua quaestio est, aliasve eiusmodi esse *per se indifferentes.* Nam quidpiam unum et idem dicere *per se indifferens,* et simul *intrinsece malum,* est loqui pugnantia.

(*a*) Quod subinde alias, etiam nunc S. Alphonso contigit, ut fallacibus abduceretur allegationibus, quas apud Salmanticenses et Dominicum Viva reperit. Neque enim vel unus e doctoribus, quos Salmanticenses et Viva promunt, reipsa doctrinam iis limitibus circumscriptam tradunt. Sic, v. gr. Sanchez, quem hi omnes allegant, post multa concludit (*Dec. Lib. 1. Cap. 7. n. 26.*): *Quare tunc hi famuli censentur et vere sunt lenones, quando pravam heri intentionem iuvantes haec ministeria exhibent, ut communiter evenit; secus, quando bona intentione ac proprii damni notabilis vitandi necessitate coacti.*

** Contendunt VV. *non quidem S. Alphonsum fallacibus allegationibus abductum,* prout dicitur in hac Nota, sed potius *a Notae auctore fallacibus assertionibus in errorem abduci lectores.* Ita VV. qui deinde per decem columnas (*Pag. 175-180.*) conantur evincere, eandem ac S. Alphonsi esse sententiam Sanchez, Bonacinae, Laymann, Tamburini, Croix, etc.

Verum non videntur VV. satis S. Alphonsi thesim inspexisse. Quomodo enim illud S. Alphonsi, *nunquam licere,* cohaeret cum verbis Sanchezii, in Nota descriptis, aientis excusari metu notabilis damni? Etiam VV. (*Pag. 176.*) afferre pro se voluerunt quaedam Sanchezii verba; sed praecidere ab illo textu non debebant etiam ista: *Cum enim haec* (*nempe scripto vel internuntio condicere cum concubina, ut tali hora veniat, vel in talem locum, aut expectet herum*) *quamvis ex se indifferentia sint, valde peccato accedant, ad idque quasi directe cooperari videantur, non excusabit communis ratio famulatus, sed notabile detrimentum famuli.* Porro *nunquam licere* S. Alphonsi, et Sanchezii *excusare notabile detrimentum* invicem inter se pugnant.

Afferunt VV. pro se textum Bonacinae. Sed obtruncant ista verba: *Idem dicendum est* (scil. *excusari posse, quando non licet ab huiusmodi... desistere absque gravi damno*) *de famulo, qui... defert munera vel epistolam, vel internuntium, vel qui scribit litteras, quibus continetur, ut me-*

Caeterum famulus non tenetur inquirere, quid in litteris contineatur.

retrix ad se veniat tali tempore... Porro num istud Bonacinae, *excusari posse* etc. et illud S. Alphonsi, *nunquam licere,* forte cohaerent?

Describunt deinde VV. in praedictum scopum quaedam verba Tamburini. Sed non erant ab iis omittenda, quae ibi sequebantur, et ita se habent (*In Dec. Lib. 5. c. 1.* §. *4. n. 19.*): *Praeterea subditus non ex sola ratione famulatus, sed metu notabilis detrimenti... excusabitur, si referat adulterae..., ut tali hora ad domum heri, vel ad condictum locum accedat...: haec enim et similia cum sint aliquanto propinquiora peccato abutentis, indigent causa aliquanto graviore, quam sit ratio famulatus.* Atqui istud Tamburini *excusabitur,* et illud S. Alphonsi *nunquam licere,* longe inter se distant.

Decerpunt VV. nonnulla verba ex Laymann (*Lib. 2. Tr. 3. C. 13. n. 5.*). Sed tria advertere oportebat. 1° Laymann dubitando dumtaxat seu opinando loquitur: *Permittendum* (inquit) *non videtur.* 2° Laymann pro hac opinione allegat *Angles* contra *Navarrum, qui* (pergit Laymann) *huiusmodi etiam famulorum obsequia, si ob iussum absque pravo affectu fiant, a mortali peccato excusari posse ait: eumque ex parte secutus est Rodriguez et Azor:* in quibus relatas vides hinc inde opiniones. 3° Ratio a Laymann affertur, quod ea *contineant quandam lenocinii speciem;* porro in his habes hypothesim diversam ad hypothesi Navarri; unde fit, ut pro hypotheseon diversitate binae conclusiones, alioquin specie tenus oppositae, optime concilientur, prouti conciliatas eas cernere est in textu Sanchezii descripto in Nota, et prout eas conciliat etiam Rodriguez (*Sum. P. 1. Cap. 205. n. 3.*) inquiens: *Et sic mihi videntur posse conciliari cum Navarro qui contra eum insurgunt, inter quos est Angles:* quam tamen conciliationem non admittit absolutum illud S. Alphonsi, *nunquam licere.*

Referunt VV. quaedam verba etiam ex Mazzotta (*Tr. 2. Disp. 2. Q. 1. c. 3.* §. *4.*). Sed non bene omittunt praecedentia, in quibus cum recenseat etiam *deferre nuntia vel scripta... continentia condictionem loci vel horae;* haec inter illa enumerat: *ad quae non sufficit ratio famulatus, sed requiritur urgentior causa..., quia sunt actiones, quantumvis secundum se indifferentes, at propinquiores peccato alieno.* Quae quidem, uti patet, absolutae opinioni S. Alphonsi, *nunquam licere,* prorsus repugnant.

Caeterum tum ex Mazzotta, tum etiam ex aliis detegi ratio potest, cur ex citatis DD. aliqua verba arripere VV. potuerint, quae sententiae S. Alphonsi consonare videantur, cum tamen quae hucusque protulimus, plane ostendant aliam S. Alphonsi, aliam istorum DD. esse sententiam. Nam Mazzotta (*l. c.*) excipit *scripta turpia;* et infra excipit, *deferre scienter nuntia aut scripta turpia vel illa scribere.* Sanchez (*Dec. Lib. 1. c. 7. n. 26.*) damnat, *si verba aut signa turpia et amatoria, et inhonesta* scriptum contineat. Item Tamburini (*l. c.*) reprobat, si *contineant turpia, et amatoria, vel directe ad peccatum provocantia.* Et Laymann (*l. c.*) *disserit de litteris ad turpia concitantibus et de inductione mulieris ad peccatum.* Distinguunt itaque DD. quandonam scripta seu internuntia directam ad turpia et ad peccandum provocationem contineant, quando vero secus. Et Croix quidem (*Lib. 2. n. 273.*) alteram tantum hypothesim tangit, de *litteris* nempe *aut nuntiis directe tendentibus ad peccatum,* itemque Viva (*In Prop. 51. Innoc. XI. n. 5.*) *de litteris provocantibus ad peccatum.* Rebellus contra tangit alteram tantum, de qua DD. superius, hypothesim (*P. I. Lib. 2. Q. 14. n. 53.*).

Porro cum S. Alphonsus nihil distinguat, et ideo dum tamquam sibi contrarium allegat Rebellum, manifeste de qualibet hypothesi pronuntiet illud, *nunquam licere;* palam est S. Doctorem ab auctoribus, quos pro se adducit post Salmanticenses et Vivam, recessisse.

Porro quae de famulis dicta sunt, fere aliis inferioribus, aut subditis, v. gr., filiis, uxoribus, etc..., applicanda sunt.

II. *Quoad operarios.*

252. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An liceat operariis theatra aedificare, ornare,* etc...?

Resp. 1° Quoad aedificationem videtur generatim licere, etsi gravis alia ratio desit; ratio, quia licitum est Principibus spectacula permittere.

Resp. 2° Quoad ornamenta et alias actiones ab operariis praestandas pariter licitum videtur, si haec in se honesta sint, quia cooperatio videtur adeo remota, ut non sit peccaminosa.

QUAER. 2° *An liceat operariis aedificare templa haereticorum?*

Resp. 1° *Neg.* absolute, si hoc postuletur ab haereticis in odium Religionis.

Resp. 2° *Affirm.* in alia hypothesi, quando gravis causa urgeat, secluso tamen scandalo et quovis Religionis contemptu (*a*).

QUAER. 3° *An liceat conficere statuas falsorum deorum?*

Resp. 1° *Affirm.,* si hae non debeant adhiberi ad falsum cultum, sed ad ornamentum platearum, aedificiorum, etc.

Resp. 2° *Neg.* omnino, si sint pagano tradendae..., etc. — *S. Lig. n. 69.*

253. — QUAER. 4° *An liceat captivis christianis ex gravi metu remigare in triremibus infidelium contra catholicos?*

Resp. Affirm.; nam non faciunt quid intrinsece malum, nec Christianis proxime perniciosum; aliunde ex gravissima causa ad remigandum impelluntur, ut patet. — *S. Lig. n. 73,* etc.

QUAER. 5° *An liceat aliquando pravis libris edendis cooperari?*

Resp. 1° Generatim non videtur licitum esse immediate cooperari impressioni talium librorum, v. g. typos ordinare, chartam typis apponere, impressionem dirigere, etc..., quia hoc intrinsece quidpiam materialiter malum est. Attamen in casu gravissimi detrimenti ad breve tempus tale praestari posse indicat *Laymann, de Charitate c. 13. n. 4.*

Resp. 2° Licet autem gravi de causa cooperari mediate, seu remote, v. gr. atramentum vel chartam praeparare aut libros impressos ordinare. — *Ita communiter.*

(*a*) De hac re Laymann (*Lib. 2. Cap. 13. n. 4.*): *Fas est Iudaeorum synagogas, haereticorum templa, permittente legitimo magistratu, restaurare aut aedificare: de quibus videri potest Navarrus Lib. 5. Consil. 1. De Iudaeis.* Et hunc sequutus videtur S. Alphonsus (*Lib. 2. n. 72.*), sicut et Croix (*Lib. 2. n. 250.*), cum Busembaum eandem ex Laymann doctrinam afferenti nullam adiiciunt animadversionem.

III. *Quoad mercatores.*

254. **Regulae.** — *Prima.* Licet vendere res indifferentes, aut quae bonum usum facile habere possunt, si venditor nihil sciat de mala intentione emptoris, quia malum non est praesumendum.

Secunda. Non licet vendere res indifferentes, quando certo cognoscitur, emptorem illis male usurum esse, nisi denegari absque gravi incommodo non possint.

Tertia. Non licet vendere res, quae ex institutione sua, vel usu sint destinatae ad malum, nisi in casu particulari constet abesse periculum abusus, vel nisi gravis et proportionata ratio excuset. — *Vogler, n. 315...,* etc.

Resolves. — 1° Licet artificibus vel mercatoribus vendere aleas, gladios, fucos..., etc., etsi plurimi his abutantur, quia haec non ordinantur per se ad peccatum, imo saepe bono usui inserviunt, nec simpliciter impediri possunt. — *S. Lig. n. 71., et in Retr. n. 14.*

2° Licet vendere ornamenta honesta puellae, quibus forte sit abusura, praesertim si ab aliis aeque emeret; secus tamen, si ipsi venditori constaret de abusu futuro, nisi alioqui notabile damnum pateretur (*a*). — *S. Lig. n. 71.* — *Vide Sanchez, de praeceptis Decalogi, l. 1. c. 7. n. 12.,* ubi scite advertit, solutionem harum quaestionum ex consideratione multarum circumstantiarum pendere (*b*).

(*a*) Doctrina hisce verbis concepta prorsus singularis est, neque praesidium habet ex iis, quae S. Alph. disputat *lib. 2. n. 47.* (ad quem locum ipse S. Alphonsus remittit), neque verum est, ipsam tradi a Palao aut Suarez, qui pro ea solent allegari. Communis doctrina sic a Croix exponitur (*Lib. 2. n. 263.*): *Non peccat, qui vendit ornamenta puellae, per illa sollicitaturae alios ad peccatum, quae ornamenta venderentur ab alio. Ita Sanchez, Navar., Azor, Bonac., Diana... Ratio est, partim quia illa venditio est quid indifferens et remote se habens ad peccatum; partim etiam quia si vendens peccaret, ideo esset, quia non impedit peccatum proximi; atqui, licet non venderet, non ideo impediret, alius enim esset, qui venderet. Ergo vendendo non peccat.* Confer quae disserit Sanchez ab A. quoque allegatus, cuius verba in Not. seq. afferuntur.

** In hac Nota nihil de S. Alphonsi sententia dicitur, uti patet; sed innuitur tantummodo, opinionem P. Gury non habere praesidium in S. Alphonso, quem tamen ille allegat; et ratio est, quia non eadem est S. Alphonsi et P. Gury doctrina. Nihilominus VV. (*Pag. 180–185.*) *per decem columnas* impugnandam Notam assumpserunt, quia (inquiunt) forte lectores extendent ad S. Alphonsi doctrinam, quae de Gury opinione dicuntur! Sed revera pretium operae non videtur etiam ea persequi, quae ad rem non faciant. De his itaque curent, si qui hisce suspicionibus corripiuntur.

Responsio esto aliqua ad illud unum, quod spectat ad Palaum et Suarez in Nota allegatos. Contendunt VV., *Palaum et Suarez doctrinae S. Alphonsi suffragari.* — Resp. *Transeat,* et *Nego consequentiam* quoad Gury, quia huius opinio non eadem, ac S. Alphonsi, est; et neque Palaus, neque Suarez exigunt id, quod habet Gury, idest *notabile damnum.*

(*b*) Egregia sane sunt, quae habet Sanchez. ex quibus discere est, quam

3° Licet vendere carnes diebus abstinentiae et tempore Quadragesimae, quia venditor de rationibus ementium iudicare nequit, nec pertinet ad ipsum de illis inquirere. — *Lacroix, n. 258.*

4° Non licet vendere venenum, nisi moraliter constet, emptorem illo bene usurum, v. gr. ad confectionem colorum, medicinae, etc...; quia maxima sequeretur pernicies generis humani, si hoc promiscue liceret. — *Vogler, n. 316*

IV. *Quoad caupones.*

255. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An liceat cauponibus dare vinum iis, qui praevidentur se inebriaturi?*

Resp. Non licet sine gravi ratione, ut patet. Licet autem ob metum gravis alicuius damni, v. gr. saevitiarum, rixarum, etc...; quia Charitas non obligat, ut alterum a peccato avertamus cum gravi incommodo. Item ad praecavendas blasphemias, quae sunt graviora mala. — *S. Lig. n. 69. — Billuart, de Scandalo, art. 6.*

multa sint, quae sedula indigent consideratione, ut quaestiones, in hac re tam multiplices et variae, rite definiantur. Distinctis itaque tum iis, quae solum ad malum deservire possunt, tum iis, quorum usus est ad bonum ac malum indifferens, de hisce ita disserit (*In Decal. Lib. 1. C. 7. n. 12.*): *Non eadem causa erit semper sufficiens ad horum indifferentium ministrationem excusandam. Ratio colligitur ex dictis. Nam cum obligatio illam vitandi consurgat ex obligatione virtutis, cui peccatum illud proximi, cui ea occasio datur, opponitur, et obligatio omnium virtutum non sit aequalis, sed quaedam alia magis obliget; nec occasiones sint pares, quia quaedam sunt magis indifferentes et remotius se habent ad malum abusum, quaedam autem proximius ad illum accedunt, et maiorem in se malitiam continent; insuper nec praeparatio abusuri ad malum usum est semper aequalis, sed aliquando magis, aliquando minus paratus est; nec spes, fore ut ipse desistat a pravo abusu, est semper aequalis me non ministrante: ideo non semper aequalis causa erit proportionata ad hanc ministrationem excusandam, sed quandoque maior, quandoque minor necessaria erit. Quare nulla certa quantitatis huius causae regula praescribi potest, sed ea prudentis arbitrio remittenda est. Quo autem id arbitrium prudens sit, debet attendere, tanto maiorem causam requiri, quanto peccatum, ad quod illa ministratio occasionem dat, est gravius; et quanto proximius attingit illud, seu de se est magis ad malum determinata; et quanto certior est effectus peccati; et quanto probabilius est, fore ut id peccatum impediatur, hoc non ministrante. Itaque summopere observandum est, urgentiorem causam desiderari, quae suppeditantem haec indifferentia excuset, quando abusus est contra iustitiam, et talem, quae merito praeferri possit damno alterius. Et ratio est, quia maiori vinculo tenetur quis peccata alterius, quae sunt contra iustitiam, vitare, quam quae contra solam charitatem. Quippe in illis innocens invitus damnum patitur; in his autem solus peccans detrimentum spirituale patitur, idque propria voluntate. Quod idem detrimentum spirituale subit, quando peccat contra iustitiam. Atque ita bene Azor, lib. 8. Tom. 1. c. 22. q. 6., et cap. 24. q. 14. censet esse causam iustam vendendi indifferentia, quae non ex se proxime attingunt malum usum, et quando ille non est contra iustitiam, iacturam, quam quis patitur, si res suas, quas venales habet, minime vendat.*

QUAER. 2° *An liceat cauponibus dare carnes diebus prohibitis?*

Resp. 1° Non licet proprio motu sine ratione sufficienti, seu nisi metus damni gravis urgeat.

2° Licet vero communiter, quando carnes petuntur, nisi petitio fiat in contemptum Religionis; ratio, quia difficilius esset inquirere de rationibus cuiusque petentis. — *Bouvier, de praec. Ecclesiae, c. 3. art. 5.* — *Gousset, n. 303.*

3° Imo licet generatim cauponibus, apud quos divertunt rhedae publicae, mensam cibis licitis et illicitis struere; quia cum constet, plerosque carnes esse petituros, non videtur necessarium a singulis petere, quid velint. — *Gousset, ibid.*

256. — QUAER. 3° *Quomodo agendum cum cauponibus, qui choreas in aedibus admittunt, ut plures alliciant hospites?*

Resp. Generatim ab hoc avertendi sunt, in quantum fieri potest; quia choreae, praesertim quae in cauponis habentur, plerumque minus honeste fiunt, et multis peccatis occasionem praebent. Attamen non semper iis neganda esset absolutio, sed spectandae sunt circumstantiae et modus ordinarius, quo istae choreae fiunt.

QUAER. 4° *An liceat dominis hospitiorum, quae vulgo* CAFÉS *dicuntur, quaevis folia publica hospitibus legenda proponere?*

Resp. 1° Non possunt admittere ea, quae evidenter et ordinarie sunt Religioni et bonis moribus adversa, etiamsi hospites ad ipsos confluere propterea desinant.

Resp. 2° Possunt admittere ea omnia, quae de rebus mere politicis tractant (*a*). Nec videntur teneri ad reiiciendum folium aliquod, eo quod interdum aliquid minus rectum ratione Fidei contineat, modo generatim Religioni non adversetur.

(*a*) Subintellige, nisi ipsa de rebus politicis tractatio bonis moribus adversetur; quod sane contingeret, si falsa atque adeo noxia principia aut palam propugnarentur, aut subinferrentur callide, vel si legitima cuiusvis impugnarentur iura, vel populi ad odia, inobedientiam, etc. excitarentur.

FINIS TRACTATUS DE VIRTUTIBUS

TRACTATUS

DE PRAECEPTIS DECALOGI

Sicut Symbolum epitome est credendorum, ita Decalogus agendorum. Comprehendit enim decem praecepta a Deo in monte Sinai Moysi tradita, in quibus omnia hominis officia, quae naturalis lex praescribit, plus minusve aperte continentur. Tria priora Deum immediate respiciunt, caetera ad proximum referuntur.

DE I. DECALOGI PRAECEPTO

Ego sum Dominus Deus tuus...: non habebis Deos alienos. Exod. 20. 2.

Hoc praeceptum, qua affirmativum, praescribit in primis actus Religionis, quibus Divinitati debitus cultus tribuitur; qua negativum, prohibet vitia Religioni opposita.

CAPUT I.

DE ACTIBUS VIRTUTIS RELIGIONIS

Actus praecipui Religionis sunt adoratio, oratio, sacrificium, votum, iuramentum, et sanctificatio quorumdam dierum... De tribus ultimis dicetur *in 2° et 3° praecepto.* De sacrificio, in *Tract. de Eucharistia.* Hic igitur tantum de adoratione et oratione.

ARTICULUS I.

DE ADORATIONE

257. — Adoratio *latius* sumpta est cultus alicui exhibitus ob eius dignitatem, seu est actus, quo quis propriam subiectionem alteri exhibet in testificationem ipsius excellentiae. Sic dicuntur aliquo modo adorari Principes et alii in dignitate constituti; item qui ab aliis specialiter diliguntur.

Adoratio vero *strictius* sumpta est honor Deo exhibitus propter summam eius excellentiam, supremumque dominium.

Hinc distinguitur cultus 1° *Latriae,* qui soli Deo exhiberi potest ob supremum eius dominium in omnes creaturas.

2° *Hyperduliae,* qui B. Mariae Virgini tribuitur.

3° *Duliae,* qui Angelis et aliis Sanctis convenit.

Cultus latriae Deo debetur 1° de iure naturali ob summam eius maiestatem, ac supremum in creaturas dominium; 2° de iure divino positivo, ut evincitur ex innumeris sanctae Scripturae textibus, v. gr. *Matth. 4. 10: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.*

Cultus vel est directus vel relativus, prout vel Deo ipsi aut Sanctis defertur, vel imaginibus aut iis, quae cum illis specialem habent relationem.

Adnotanda De Cultu et Reliquiis Sanctorum.

258. — Homines qui e vita cesserunt cum sanctitatis fama, cultu *solemni et publico* honorari nequeunt, nisi in album Sanctorum vel Beatorum a Summo Pontifice adnumerati fuerint. Est autem cultus publicus, qui nomine Ecclesiae vel tanquam ab ea institutus exhibetur; privatus vero qui ex privata tantum devotione procedit, etiamsi coram aliis fiat. — Itaque non licet Ecclesias aut altaria erigere in honorem Sanctorum non canonizatorum, vel saltem non beatificatorum: nec licet eos publice invocare in litaniis, neque eorum Reliquias sive imagines publice venerandas exponere, vel in processionibus circumferre. Licet tamen has imagines vel Reliquias asservare privatim, eas reverenter osculari, etc., quia talis cultus est omnino privatus.

1° Reliquiae Sanctorum novae non sunt publicae venerationi exponendae, nisi Episcopus eas recognoverit. — *Ita Conc. Trid. sess. 25. de invocatione, veneratione et Reliquiis Sanctorum.*

2° Non possunt apponi aureolae, seu radii imaginibus defunctorum, licet communiter habeantur ut Sancti, nisi ab Ecclesia beatificati fuerint; itemque nec lampades ad eorum sepulcra appendere licet. — *V. Casus, n. 447.*

ARTICULUS II.

DE ORATIONE

259. — Definitio. Oratio *latius* sumpta, est elevatio mentis ad Deum, seu quivis pius animae affectus in Deum et in supernaturalia. Sensu autem *strictiori* est petitio decentium a Deo. — *S. Thom. 2. 2. qu. 83. art. 1. — S. Lig. in princ. huius Tract.*

Divisio. Est 1° *mentalis* vel *vocalis,* prout sola mente peragitur, vel mentis conceptus etiam ore exprimuntur; — 2° *privata* vel *publica,* prout fit a persona privata et privato nomine, vel in communitate aut auctoritate et nomine Ecclesiae.

Principia. — I. Oratio est omnibus adultis necessaria necessitate praecepti, imo probabilius necessitate medii. — 1° Evincitur ex innumeris sanctae Scripturae locis, v. gr. *Matth. 14. 38: Vigilate et orate. — Luc. 18. 1: Oportet semper orare et non deficere.* —

2° Quia oratio est medium ordinarium a Deo statutum ad gratias necessarias obtinendas: *Petite, et accipietis. Ioann. 16. 24. — S. Lig. l. 3. n. 1.*

II. Praeceptum orandi obligat frequenter, ut patet ex citatis textibus, non tamen sine intermissione, quod humanae imbecillitati impossibile est. — Verba igitur, *Oportet semper orare,* ex communi Doctorum interpretatione significant, frequenter orandum esse tempore opportuno, et nunquam cessandum ex taedio, torpore, animi deiectione; vel etiam actiones nostras generatim ad Deum esse dirigendas.

III. Oratio debitis praedita conditionibus efficaciam habet infallibilem ex Christi promissione. *Luc. 11. 10: Omnis qui petit, accipit,* etc. — *Ioann. 16. 23: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

Conditiones autem requisitae sunt, ut 1° pie, devote et attente; — 2° cum perseverantia; — 3° cum humilitate et fiducia; — 4° de rebus necessariis vel utilibus.

Temporalia non debent postulari nisi cum conditione saltem implicita, nempe quatenus ad animae salutem conferre possunt.

260. — QUAER. 1° *Quandonam urgeat praeceptum orationis?*

Resp. 1° Urget *per se* frequenter, ita ut non possit omitti per notabile tempus sine peccato; ex communi sententia tempus mensis unius notabile reputatur. — *Suarez, Lessius,* etc. Rigidiores dicunt, sufficere hebdomadam ad gravem culpam. Laxiores vero annum integrum requirunt (*a*). Caeterum Confessarius, ut habent Do-

(*a*) Distinguendum est, quando ad orandum homo teneatur vi alterius praecepti, v. g. si opus sit ad tentationem vincendam, ad disponendum se ad iustificationem, etc., et quando ex solo iure naturae seu praecepto religionis obligetur.

Quoad primum ex communi doctrina peccat quisquis orandi necessitatem tunc advertens, negligit orationem; quae tamen omissio non habet malitiam distinctam ab eo peccato, in quod lapsus sit, idque ex generali principio de reatu omissi medii, quod necessarium fuerit ad peccatum aliquod cavendum.

Quoad alterum vero, cum DD. omnes ex iure naturae aliquando orandum esse affirment, nihil tamen penes eos incertius, quam praecepti huius implendi tempus. Plerique fatentur ingenue tempus frequentiae determinari satis non posse, prout etiam de praeceptis charitatis aut poenitentiae dici solet (Vid. Struggl, *Tr. 5 q. 1. n. 23.*, qui hanc sententiam dicit *communem Theologorum*). — Quidam, praeter tempus primi usus rationis et articuli mortis, exigunt, ut saltem semel in anno orandum sit. Ita cum aliis Salmanticenses (*Tr. 21. cap. 9. n. 17.*). Quidam obligationem hanc urgere opinantur singulis mensibus, nihil tamen *de levitate aut gravitate* huius obligationis addentes. Ita Bonacina (*De Hor. Can. Disp. 1. q. 2. p. 1. n. 12.*) Suarez (*De Orat. lib. 1. cap. 30. n. 16.*), licet dubitanter loquatur (ait enim *non permittenda dilatio unius anni, nec fortasse unius mensis*), et Lessius (*De Iust. et Iur. Lib. 2. cap. 37. n. 12.*), qui tamen nec firmus in eo est dum scribit, *ad mensem unum vel alterum;* et horum (Suarezii et Lessii) opinionem praedictis verbis conceptam *satis rationabilem* dixit Ioannes S. Thoma (*2. 2. q. 83. art. III. n. 6.*). — Ulterius progressus hanc menstruam

ctores, magis sollicitus esse debet in inculcanda orandi frequenter necessitate, quam in determinanda gravi omissae orationis culpa.

Resp. 2° Urget *per accidens* 1° in gravi tentatione, quae alio modo facile repelli non possit; 2° in manifesto mortis periculo; 3° in publicis calamitatibus; 4° quoties aliud praeceptum est adimplendum, ad quod oratio est necessaria, v. gr., si Sacramenta sint recipienda; 5° quoties aliquod auxilium divinum speciale videtur nobis necessarium.

261. — Quaer. 2° *An peccet qui omittit preces matutinas aut vespertinas?*

Resp. Neg. praecise *per se,* si interdum tantum omittantur. Ratio est, quia nulla lex est, quae determinatas preces singulis diebus et certis horis praecipiat. Quidam tamen advertunt, raro aliquam abesse negligentiae et acediae culpam.

Caeterum in praxi excusari prorsus ab aliqua culpa non possunt, qui illas saepius omittunt, tum quia forte minime orant alio tempore, aliove modo, et sic orationis praecepto aliquando deerunt; tum quia ob pericula, quae quotidie occurrunt, neglecta oratione, in plura peccata labentur.

Quaer. 3° *Quomodo peccet distractus voluntarie in oratione?*

Resp. Per se peccat venialiter, quoties sine iusta ratione voluntarie distrahitur, idque valet, etiamsi oratio fiat absque obligatione, quia aliquam irreverentiam Deo irrogat. — *Elbel, n. 419.*

262. — Quaer. 4° *Pro quibus sit orandum?*

Resp. 1° Pro nobismetipsis (iuxta 1^{am} Charitatis regulam); 2° pro omnibus hominibus viatoribus, etiam infidelibus; 3° pro animabus in purgatorio detentis. Eruitur 1° ex lege generali Charitatis; 2° ex verbis *D. Pauli, 1. Tim. 2. 1: Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus,* etc...: nec excipiendi sunt inimici, ut

obligationem dixit *gravem* Palaus (*Tr. 7 Disp. 1. p. 8. n. 3.*), cui male Ioannem a S. Thoma associarunt Salmanticenses (*l. c.*), et illum opinando (*autumarem,* ait) sequutus est Roncaglia (*Tr. 7. Q. 1. cap. 1. q. VII.*); quamquam Palai opinio vix huc pertineat, cum de oratione *ad vincendas tentationes necessaria* expresse disserat. Quidam alii denique hoc praeceptum urgere dixerunt singulis hebdomadis, rati scilicet vix satisfieri praecepto audiendi Missam, nisi aliqua oratione addita, posse: quae opinio praeterquam ad rem non facit, quia de oratione, uti medio ad aliud praeceptum servandum, disserit, communiter tum quoad se, tum quoad rationem allatam reiicitur.

Concludamus huc revocando principium ab omnibus admissum, nempe non esse asserendam *gravem culpam aut obligationem,* nisi manifesta et evidens ratio id postulet; atqui eiusmodi rationem, quoad hebdomadarias aut menstruas obligationes graves, deesse manifeste patet, quippe quam videre nemo adhuc potuit. Adde et implexissimam deinde quaestionem, quid ad gravem culpam vitandam opus sit, sufficiatne semel dixisse: *Deus adiuva me,* aut quid aliud. Merito igitur A. monet, Confessarium magis inculcandae necessitati frequenter orandi, quam determinandae omissionis gravitati insistere debere.

patet ex verbis Christi, *Matth. 5. 44: Orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (*a*).

QUAER. 5° *Quosnam praeter Deum orare possumus?*

Resp. Beatam Virg. Mariam, ut mediatricem nostram; Angelos, ut custodes hominum; omnes Sanctos et amicos Dei, ut intercessores nostros apud Ipsum. Invocari privatim possunt etiam infantes baptizati et ante usum rationis defuncti, et iuxta *Less., Bellarm., Bonac., Elbel*... idem probabilius dicendum est de animabus in purgatorio detentis.

Invocatio autem Sanctorum est de consilio, non vero de praecepto, cum *Trid., sess. 25.,* dicat tantum *esse bonum et utile eos invocare.* Valde tamen salutis suae incuriosus videbitur ille, qui nunquam B. V. Mariam invocet, quandoquidem peculiari ac mirabili providentia mediatrix nostra constituta sit.

CAPUT II.

DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS

Vitia Religioni opposita sunt 1° superstitio per excessum; 2° irreligiositas per defectum.

ARTICULUS I.

DE SUPERSTITIONE

Superstitio est vitium Religioni oppositum per excessum, quo vel vero Deo exhibetur cultus indebitus, vel creaturae cultus soli Deo debitus.—Ita communiter ex *S. Thoma 2. 2. q. 92. art. 1.* (*b*).

§. I. *De idololatria.*

263. — Idololatria est actio, qua cultus soli Deo debitus creaturae tribuitur; id vero fit non tantum sacrificio, sed quovis hono-

(*a*) Huic muneri pro omnibus orandi facit satis, qui licet inter orandum nullam aliorum memoriam adhibeat, tamen in precibus, quae non pro se tantum funduntur, cuiusmodi sunt *Oratio Dominica, Salutatio Angelica*, etc., neminem positive excludit.

(*b*) Ita S. Thomas: *Superstitio est vitium religioni oppositum secundum excessum; non quia plus exhibeat in cultum divinum, quam vera religio; sed quia exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo, quo non debet.* Porro sicut superstitio virtuti religionis opponitur *secundum excessum,* ita aliud vitium eidem virtuti opponitur *secundum defectum,* nempe irreligiositas, de qua Auctor in seq. articulo.

Superstitionem autem cultus *indebiti,* idest vero Deo praestiti, sed *eo modo quo non debet,* duplicem ita distinguunt DD., ut alia sit superstitio *cultus falsi,* alia *cultus superflui:* de quibus videsis S. Alph. (*Lib. 3. n. 3.*).

ris signo, quo quis creaturae tamquam Deo se submittere intendit, v. gr. genuflexione. — *S. Lig. n. 12.*

Idololatria duplex distinguitur, scilicet 1° *Materialis* sive *simulata,* cum quis sine affectu interno, ex gravi metu, cultum idolo exhibet. Diceretur etiam materialis, si procederet ex errore invincibili, v. gr. si quis falso putans Hostiam esse consecratam, eam adoraret. In 1° casu esset peccatum mortale; in 2° nullum, ut patet.

2° *Formalis* et *propria*, quae fit 1° adorando creaturam tamquam Deum; 2° exhibendo cultum daemoni vel alteri creaturae quasi Deo, aut saltem ex animo aliquid a tali creatura obtinendi, quod a solo Deo postulari potest (*a*). — *S. Lig. n. 13.*

§. II. *De vana observantia.*

264. — Vana observantia est superstitio, quae media nec proportionata, nec a Deo instituta adhibet ad certum effectum obtinendum.

Triplicis est generis, scilicet, 1° Ars *notoria,* seu ars acquirendi scientiam sine labore (*b*). 2° Ars *sanitatum,* seu ars sanandi variis signis vel rebus sacris. 3° Observantia *eventuum,* qua ex consideratione alicuius eventus fortuiti coniicitur quid faustum vel infaustum futurum sit. — *S. Lig. n. 14.*

Principia. — I. Vana observantia est peccatum grave, quia honorem divinum creaturae tribuit, dum ab ea exspectat, quod a solo Deo exspectandum est; et quia pacto implicito cum daemone nititur (*c*). Veniale tamen saepe esse potest ex imperfectione actus,

(*a*) Clarius alii distinguunt idololatriam perfectam et imperfectam. *Perfectam* dicunt, quae infidelitatem presse sumptam, errorem nempe intellectus adnexum habet, atque adeo creaturae cultum exhibet, quia ipsi divinitatem tribuit. *Imperfectam* vero, quae non ex errore, sed aut ex odio in Deum, aut cupiditate aliquid obtinendi, daemoni aut alteri creaturae cultum externum, tamquam Deo, exhibet.

Extra controversiam autem est penes omnes, quamlibet idololatriam, sive perfecta sit sive imperfecta, sive etiam tantum simulata et externa, quando scilicet quis non ex errore aut mala voluntate, sed mere ex timore, v. gr. tyranni, cultum idolo ceu Deo exhibet, esse peccatum mortale.

(*b*) Differt *ars notoria* a *divinatione,* quod mediis improportionatis haec quorundam occultorum notitiam ac praedictionem, illa vero directe scientiae infusionem quaerat. Observantia vero eventuum quamquam, ut ait S. Thomas (*2. 2. q. 96. art. 3.*), *quodammodo pertineat ad divinationem, quae fit per astra, secundum quae distinguebantur dies fausti et infausti; adest tamen discrimen, quod huiusmodi observationes sunt sine ratione et arte; unde sunt magis vanae et superstitiosae.* Adde ex eodem S. Thoma (*In Galat. cap. IV. Lect. IV.*), quod observantia eventuum spectet ad proprios actus secundum vana indicia disponendos: divinatio vero speculativam occultorum notitiam magis intendat.

(*c*) Vana observantia, uti communiter habent Theologi, alia fit cum expressa, alia cum tacita daemonis invocatione. Prior contingit, cum quis procurare aliquid per media inordinata volens, daemonis opem expresse

ex simplicitate, ex ignorantia aliqua vel ex timiditate, ut evenit praesertim inter rudes in observantia eventuum. — *S. Lig. n. 15.*

II. Vana observantia dignoscitur praesertim 1° ex insufficientia causae ad effectum naturaliter producendum; 2° ex adiunctione vanae vel falsae circumstantiae quasi necessario requisitae; 3° ex infallibilitate, quae tribuitur mediis nullo modo infallibilibus. — *S. Lig. n. 16.*

III. In dubio num effectus proveniant a causa naturali, an a daemone, tribui possunt viribus naturae; et proinde licitum est illos procurare, quia non constat rem esse malam; consulto tamen praemittitur protestatio contra quemlibet daemonis interventum.— In dubio (*a*) autem an effectus a daemone vel a Deo producantur, si certo constet eos a causa naturali provenire non posse, daemoni tribuendi sunt, nisi sanctitas operantis vel alia clara indicia contrarium persuadeant, quia temerarium est putare, fieri semper miracula. Unde non licet tunc experiri, utrum effectus sit secuturus, necne. — *S. Lig. n. 20. — S. Thom. 2. 2. qu. 96. art. 1. et alii communiter.*

265. **Resolves.** — 1° Superstitionis rei sunt, qui gestant ligaturas quibusdam characteribus consignatas; qui certa invocant nomina ignota, aut certum adhibent numerum crucum vel orationum ad sananda vulnera, ad se invulnerabiles efficiendos. . ., etc. — *S. Lig. n. 17.*

2° Item qui gestant quasdam orationes ad *S. Birgittam* aut alias preces, effectum omnino infallibilem ex ipsis exspectantes. — Non tamen vituperandi sunt, imo admodum laudandi, qui numismata pia, sacras effigies aut Reliquias Sanctorum gestant, sperantes auxilium divinum specialiter se impetraturos esse. — *S. Lig. ibid.*

3° Item rei sunt superstitionis, qui aliquos dies tanquam faustos, alios vero infaustos habent, ita ut actiones suas exinde dirigant, vel qui ad morbos expellendos requirunt herbas tali festo collectas..., etc. — *S. Lig. ibid.*

4° Superstitiosum vero non est observare lunam aut tempora colligendis herbis, caedendis arboribus aptiora, etc..., nec res sacras, aut verba S. Scripturae gestare ad honorem Dei vel Sanctorum, et ad ipsorum auxilium implorandum. Item nec recitare certum numerum orationum, nec facere ea omnia, quae devotionem augere possunt, modo vis infallibilis ipsis non tribuatur.—*S. Lig. ibid.*

5° Nec ullatenus superstitiosum, quinimo valde religiosum ac pium est recitare preces novemdiales, aut toties preces iterare in-

invocat aut desiderat, sive id cum pacto fiat, sive sine pacto. Posterior vero, cum quis media adhibet inordinata, quae neque per se neque ex Dei institutione virtutem efficiendi illud habent, quod quaeritur.

(*a*) Dubium ex sensu scholae *strictum* intellige, quando scilicet nulla probabilis seu prudens ratio adest de virium naturalium insufficientia, aut daemonis interventu; quod et de prima huius principii parte statui debet.

cultum Domini Nostri vel B. Virginis, alicuiusve Sancti, modo vis *infallibilis* tali numero, certae diei, aut fixo tempori non annectatur. — *S. Lig. ibid.* — *V. Casus, n. 253.*

§. III. *De divinatione.*

266. — Definitio. Divinatio est inquisitio occultorum ope daemonis.

Divisio. Est 1° *expressa,* si fiat per invocationem expressam daemonis; 2° *tacita,* si illa invocatio sit tantum in mediis improportionatis (*a*).

Varia distinguuntur divinationis genera, cuiusmodi sunt praesertim 1° Astrologia iudiciaria ex astris; — 2° Augurium ex garritu avium; — 3° Auspicium ex earum volatu; — 4° Aruspicium ex visceribus animalium; — 5° Chiromantia ex lineis manus; — 6° Geomantia ex signis in terra; — 7° Omen ex fortuito casu; — 8° Necromantia ex invocatione mortui; — 9° Oniromantia ex somniis; — 10° Sortilegium ex sortibus; — 11° Oraculum ex idolis; — 12° Vaticinium ex vatibus aut chartis. — *S. Lig. n. 5-6.*

267. **Principia.** — I. Divinationi tribuendum est quidquid occulti cognoscitur alio modo quam per revelationem, aut per media naturalia; non enim aliud datur medium res occultas investigandi. — In dubio autem utrum cognitio ex mediis naturalibus oriatur, nec ne, num a bono an a malo spiritu, applicandae sunt regulae supra de vana observantia expositae.

II. Divinatio expressa nunquam a mortali excusari potest, ne per ignorantiam quidem; patet enim pactum cum daemone esse quid gravissime illicitum.

Constat aperte ex Scriptura sacra. Sic enim *Deut. 18. 10: Nec inveniatur in te qui ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria. Nec sit incantator, neque qui pythones consulat, nec divinos, aut quaerat a mortuis veritatem: omnia haec abominatur Dominus.* — Et *Levit. 20. 6: Anima quae declinaverit ad magos, et fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, et interficiam de medio populi mei.*

(*a*) Nimirum non requiritur, ut daemon aliquando pactus sit, se ad usum cuiuspiam vani medii concursurum: eo enim ipso, quod quis vanis utitur, daemon se immiscet, licet praeter intentionem utentis sit eiusdem operam invocare. Neque is excusatur, qui talia media credit utilia propter experientias: quippe has daemon procurat, ut homines paulatim illaqueet, et ad similia usurpanda inducat. Conf. Sanchez *in Decal. Lib. 2. Cap. 38.* Et haec quidem etiam quoad vanam observantiam retinenda sunt. Ex quorum sane oblivione factum est, ut in sententia de quibusdam *magnetismi* (ut vocant) phaenomenis ferenda nostris hisce diebus quidam prorsus imprudentissime vel haeserint incerti vel etiam culpae cuiusvis expers id pronunciaverint, quod vel puer primis catecheseos rudimentis imbutus diabolicae fraudi manifeste adscribendum pronunciasset

III. Divinatio autem tacita aliquando a mortali excusari potest ob simplicitatem vel ignorantiam, vel ob defectum fidei certae. — *S. Lig. n.* 7. — *Voit, n. 416.*

268. **Resolves.** — 1° Non vacat culpa gravi, qui utens mediis improportionatis ad aliquam cognitionem, protestatur se nullum cum daemone commercium intendere (*a*); agit enim contra suam protestationem, et daemonem implicite invocat, cum nec Deus, nec Angeli talibus se immisceant. — Secus tamen in dubio, an effectus habeatur a causa naturali, ut de vana observantia dictum est. — *S. Lig. n. 8.* — *Lacroix,* — *Bonacina,* etc.

2° Distinguendi sunt sedulo effectus naturales a liberis; priores enim saepe coniici possunt, uti v. gr. ex cantu et volatu avium, aut siderum aspectu coniicitur tempestas, pluvia vel caeli serenitas, etc.: experientia enim constat, inter haec naturalem adesse connexionem; secus vero de posterioribus dicendum.

3° Indoles aut animi status interdum aliquo modo ex colore vultus vel aliis signis externis coniici potest, etsi in praxi plerumque a talibus coniecturis sit abstinendum ob iudicii temerarii periculum; actus vero liberi, sive praeteriti sive futuri, nunquam certo cognosci possunt.

4° Peccant graviter, qui de fortuna seu vita sua futura a vatibus inquirunt (gallice: *faire dire sa bonne fortune* ou *sa bonne aventure; faire tirer les cartes*); nisi ex simplicitate, ioco aut curiositatis causa agant, quin fidem dictis adhibeant. — *S. Lig. n. 10.* — *Sanchez,* etc. — Si tamen serio faciat vates, difficile a cooperatione graviter culpabili excusari possunt. — *Ita Reuter, n. 43.*

269. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An aliquando licitus sit usus sortium?*

Resp. 1° Sortes *divisoriae,* quibus discernitur, quid cuique sit tribuendum in litibus dirimendis, vel rebus distribuendis, certo licitae sunt, siquidem omni prorsus superstitione vacant.

Resp. 2° Sortes *consultoriae*, quibus indagatur divina voluntas, ut sciatur quid sit agendum, non sunt licitae, nisi fiant speciali Dei impulsu, aut agatur de gravi negotio, in quo aliud consilium desit. Ratio est, quia ex ordinaria providentia non vult Deus, ut ita inquiratur de sua voluntate, sed ad viros prudentes, vel Superiores ecclesiasticos recurrendum est.

Resp. 3° Sortes *divinatoriae,* quibus rei occultae manifestatio inquiritur, v. gr. ex iactu taxillorum, etc..., sunt semper graviter illicitae, utpote tacitam saltem daemonis invocationem continentes. Huiusmodi superstitio proprie *sortilegium* nuncupatur, quo nomine etiam alia superstitionum genera vulgo veniunt. — *S. Lig. n. 10.*

(*a*) Conf. Responsum S. Poenitentiariae ad Episcopum Lausanensem (*infr. n. 280.*), circa notitiam alicuius secreti hauriendam a persona, quae ope magnetismi in somnambulismum inducatur.

270. — Quaer. 2°. *An liceat futura ex somniis coniicere?*

Resp. Neg. ordinarie, quia somnia fere ex causis naturalibus proveniunt, v. gr. ex humorum commotione, etc... Aliunde somnia a Deo immissa rarissima sunt, et coniunguntur signis, per quae a somniis naturalibus vel diabolicis certo secerni possint. — *S. Lig. n 9.* — *Tamburinus,* etc.

Quaer. 3° *An licitus sit usus virgae divinatoriae?*

Resp. 1° Certo est damnandus, quoties virga movetur, vel non movetur ad meram intentionem eius, qui eam manu premit, nec movetur in conspectu alterius rei non quaesitae, licet eiusdem sit naturae. Nulla enim est proportio inter rem naturalem et hominis intentionem. Hinc graviter peccant, qui virga utuntur ad furem quaerendum, vel ad lapidem agri limitem detegendum.

Resp. 2° Non videtur certo damnandus usus virgae ad detegendas aquas vel metalla, si virga super haec in omni casu aeque moveatur, sive quaerantur sive non quaerantur, modo fiat protestatio contra diabolicam operationem, quae forte adesse possit, excludaturque omnis animus superstitiosus. — *Ita communiter recentiores,* contra *S. Lig. n. 8.,* ubi usum virgae divinatoriae in omni casu reprobat (*a*). — *V. Casus, n. 263. et seq.*

§. IV. *De magia et maleficio.*

271. — I. Magia *late* sumpta, seu magia *naturalis* aut *artificialis,* quae magia *alba* vocatur, est ars faciendi mira saltem apparenter per causas naturales aut hominis industriam, absque ullo daemonis ministerio.

Magia, *stricte* dicta, est ars mira faciendi, quae licet non supernaturalia sint, vires tamen hominis superant, et proinde ope solius daemonis explicite vel implicite invocati fieri possunt.

II. Maleficium est ars nocendi cum daemonis interventu. Duplex distinguitur, scilicet *amatorium* et *veneficum.* Maleficium *amatorium,* seu *philtrum,* est ars diabolica, qua lubricus amor vel odium in aliqua persona erga aliam vehementer excitatur. Maleficium *veneficum* est praecise ars proximo nocendi ope daemonis, idque variis modis, v. gr. morbis, hebetudine, etc. — *S. Lig. n. 23.*

Maleficium vulgo vocatur *sortilegium,* quia per illud sors mala iniicitur iis, contra quos vindicta, per operationem diabolicam, exercetur. Hinc in Iure canonico et in historia ecclesiastica magi et sagae *sortiarii* et *sortiariae* vocantur.

272. **Resolves.** — 1° Magia non differt a vana observantia, nisi quod eius effectus sint magis miri, v. gr. immutatio corpo-

** (*a*) Verum non est, S. Alphonsum reprobare usum virgae huius in omni casu. Reprobat eo sensu, de quo A. in prima Responsione; de secunda autem hypothesi S. Doctor ne verbum quidem habet.

rum, etc.... Specie autem morali nec a vana observantia differt, nec a divinatione; quia parvi refert, utrum a daemone occultorum notitia aut effectus mirandi petantur.

2° Maleficium autem differt specie ab aliis superstitionibus, quia praeter peccatum Religioni oppositum, damnum proximi superaddit.

3° Maleficium *amatorium* non inducit necessario ad patrandum luxuriae peccatum; quia non tollit libertatem, sed ad libidinem tantummodo vehementer excitat erga aliquam personam determinatam, phantasiam immutando et vividius excitando, pulchriores species exhibendo, humores libidinosos commovendo.—*Reuter,—S. Lig. n. 23.*

QUAER. *An peti possit a mago, ut maleficium tollat?*

Resp. Neg., nisi rationabiliter praesumi possit, illud mediis naturalibus auferendum esse. — *Ita communiter Theologi. — S. Lig. n. 24. et 25.*

Magi et malefici incurrunt excommunicationem speciali modo reservatam, si accedit haeresis formalis; et id facile evenit, quando v. gr. miscent res sacras, diabolum ceu Deum adorant, vel consulunt de iis, quae solus Deus nosse potest, etc. — Excommunicationem etiam incurrunt, seclusa haeresi (*a*). Constat ex c. *Si quis ariolos;* sed probabiliter haec est tantum ferendae sententiae. In veteri Testamento malefici morte plectebantur. *Exod. 22. 18: Maleficos non patieris vivere.*

Porro Parochi, concionatores et catechistae cavere sedulo debent, ne fideles alloquantur de variis sortilegiis et superstitionibus vulgo incognitis; sed brevem habeant sermonem tantum de iis, quae in illa regione nota sunt, ne ea edoceant potius quam ab iis avertant.

APPENDIX I.

DE TABULIS ROTANTIBUS *(Tables tournantes)*

273. — Paucis abhinc annis (annis praesertim 1852–53–54) in America primum, subinde in Europa tota, immo in orbe terrarum universo, percrebuere *tabularum rotantium* stupendissima portenta. In principio visae sunt tabulae, aut etiam quaevis aliae res mobiles in gyrum versari, dum extremo circumstantium digito connexo tangerentur. Mox autem tabulae apparuere, quae uno vel altero pede in altum sublato, percussione soli, aliisque signis responsa interrogantibus exhibebant: nec multo post quaestionibus quoque de rebus prorsus incognitis, aut futuris, aut etiam extra praesentem vitam peractis, in subiecto papyro ope adiuncti calami scribentes satisfaciebant.

** (*a*) Haec censura post Constitutionem *Apostolicae Sedis* SS. D. N. P. Pii IX obsoleta est.

Tunc attoniti viri pii, qui primum forte in tabulis rotantibus phaenomenon mere physicum inesse existimaverant, diabolicum opus, infernalemque divinationem indubie agnoverunt. Nec interiecta mora, praxis ista tabulas interrogandi a pluribus Episcopis, utpote superstitionibus et periculis plena, damnata fuit.

274. — Et sane quidquid sit de motu simplici tabularum, qui physicus aliquando videri potuit (*a*), modo imperio voluntatis non fiat, caeteri effectus adeo stupendi nullatenus naturae materialis viribus, sed prorsus causae intellectu praeditae tribuendi sunt. Numquid enim quispiam tabulae ligneae aut marmoreae quaestiones proponit, et ab eadem responsum exspectat? Nemo est, qui adeo insaniat; atque adeo merito invaluit persuasio communis, rem agi cum spiritibus, a quibus ipsae tabulae moveantur; quique idcirco *spiritus percutientes (esprits frappeurs)* nuncupati sunt. Porro spiritus illi nequeunt esse spiritus boni; blasphemum quippe foret asserere, Angelos aut Sanctos, aeterna fruentes felicitate, intervenire puerilibus hisce hominum ludis, eorum vanae voluntati obtemperare, et stultissimae curiositati satisfacere. Insuper prorsus impie affirmaretur, Deum, qui *divinationem abominatur*, eamque adeo severe prohibuit, permittere, ut caelites ei inserviant. Spiritus igitur huiusmodi dicendi sunt spiritus mali, a Deo in aeternum maledicti, qui iugiter hominibus insidiantur. Porro nonne horrendum est, tale consortium cum immundis spiritibus habere, eos invocare precibus, et sic ipsis verum cultum exhibere? Nonne istud est divinationis crimen, quod a Deo tanquam ingens abominatio prohibitum fuit?

275. — Insuper quot animi terrores, quot detractiones et calumniae de proximo, quot familiarum dissensiones et opprobria, quot errores et apostasiae a vera Fide, quot aeternae salutis pericula ex hac impia et pestifera divinatione exorta sunt! Fatendum tamen est, non omnia prorsus, quae tabulis tribuuntur, esse vera. Aliquando irrepsit humana fraus ad simplices decipiendos. Ast in tanto huiusmodi portentorum numero plurima sunt prorsus indubia, quippe quae a testibus probatissimis et omni fide dignis com-

(*a*) Quod quidam inquirere, imo et omnes ingenii vires eo conferre voluerint, ut causae alicui naturali, si qua inveniri posset, haec phaenomena adsignarent, laudi id tribui forte potuit. At vero quod serio eiusmodi effectus demum attribuerint viribus e digitorum extremitate exsertis sive ob insensibiles nervorum impulsus, sive ob arteriae motum, sive ob somniatam aliquam vim magneticam (quae sane omnia vel ipsi dein repudiarunt, qui per inanes coniecturas ea primi excogitaverant), et quod non pauci alioquin cordati uti aliqualiter plausibilia admittere ista visi fuerint, hoc enimvero dolorisne, an pudoris plus nostrae aetati conciliet, incertum sane est. Hisce profecto vanis phantasiis reipsa debetur, quod eiusmodi praestigias non eo, quo par erat, horrore vulgus exceperit, iisque velut lusu quodam pueriliter oblectatus latum aperuerit aditum insigniori daemonis fraudi, responsa scilicet per tabulas reddendi, tanto vel ipsis stupidis paganis stupidior, quanto crassior est stupiditas responsum aliquod a tabulis ligneis, quam a pythiis vatibus oracula exspectasse.

probata fuerunt. Licet vero aliquando affuerit fraus, haec tamen ubi res ut vera agitur, nullatenus a crimine excusat.

Neque fas est, tabulas aliasve res eiusmodi interrogare experimenti aut ioci gratia. Neque enim licet in re evidenter mala experimentum tentare, nec de ea recreari. Et huc sane spectat illud praeclarum S. Petri Chrysologi effatum: *Qui iocari voluerit cum diabolo, non poterit gaudere cum Christo.* — *V. Casus, n. 271.*

De hac re vide inter caetera opus *D. de Mirville,* cui titulus: *Des Esprits et de leurs manifestations fluidiques.*

APPENDIX II.

DE MAGNETISMO ANIMALI

276. — *Magnetismi animalis* inventor perhibetur Antonius *Mesmer,* medicus Germanus, qui novos quaerens curandi modos, putavit se mirum invenisse medium variorum morborum in fluxu quodam subtilissimo generatim ex animalium (*a*) corporibus manante, fluxui magnetis simili, quem ideo magnetismum animalem nuncupavit.

Fluxus magneticus meare supponitur (*b*) e corpore *magnetizan-*

(*a*) Iuxta alios Mesmer hypothesim sibimet confinxit seu potius somniavit nescio cuius fluidi, quod non animalium modo, sed omnia prorsus corpora pervaderet et occuparet. De iis porro plurimis, quae ipse addidit circa morbos phantastici huius fluidi ope depellendos, omnia sane perridicula, nihil dicere attinet; quippe quae cum auctore suo, discipulis ad alia conversis, sepulta iaceant.

(*b*) Tangitur hic ab A. peculiaris tantummodo quorundam opinio. Notum enim est, turbam eorum, qui eiusmodi artem profiteri, proque ea tuenda quidpiam dicere sunt aggressi, in disparatissima commenta abiisse. Et alii quidem, *spiritualistae* nuncupati, phaenomena omnia unice spiritibus quibusdam tribuerunt, et idcirco ad meras imposturas reiecerunt, quidquid aliud in eam rem alii depromant. Alii a sola *agentis* seu (ut aiunt) *magnetizantis* voluntate cuncta repetunt, et imposturis adscribunt, quidquid de aliquo materiali intermedio, quasi phaenomenorum causa, addatur. Alii contra materialis cuiuspiam medii vi effectus obtineri contendunt; verum et ex his alii quidem fluidum quoddam *magneticum,* alii fluidum *nerveum,* alii fluidum *bioticum* seu *vitale,* alii etiam *electricum,* quisque pro lubito ac vi phantasiae, excogitarunt. Interim autem (quod sane notatu dignissimum est) quidquid iactare isti soleant de suo ipsorum fluido aut magnetico, aut nerveo, aut biotico, nondum tamen vel minimum quid protulerunt, quo huius fluidi existentiam et a corporibus emanationem, aut eorum effectum ab eiusmodi causis originem evincant. Unde optime A. dixit, meare *hoc e corporibus fluidum supponi,* non vero ullatenus constare. Et sane hoc unum demum isti pro suo quisque fluido aut pro vi imperantis voluntatis, effutiunt intrepide, *fluido, a se excogitato, phaenomena illa deberi:* adeo ut, si forte quaeras, cur hic fluido biotico, iste fluido nerveo, illi fluido magnetico haec tribuant, aut quodnam indicium adsit huiuscemodi causae, mutos, ceu pisces, reperias omnes; et pari prorsus iure effectus

tis in corpus *magnetizati* ope variorum gestuum et attrectationum alterius in alterum, imo actu solius praesentiae, vel solius voluntatis agentis; nec raro, ut aiunt, prima vice praesertim, expressa patientis voluntas requiritur.

Triplex praecipuus magnetismi effectus seu gradus exhibetur: 1° status *somni,* quo sensus penitus consopiuntur, ut in somno naturali (*a*); 2° status *somnambulismi,* in quo quis usu sensuum omnino destitutus, videt tamen, audit, loquitur, et respondet ad omnia, quae ab ipso postulantur; 3° mira sui status cognitio, et remediorum suis morbis convenientium, necnon visio actionum aliorum hominum etiam longe distantium, et eorum omnium, quae tum prope tum procul peraguntur.

Theologi et medici in tres abierunt sententias (*b*), quas breviter referemus cum praecipuis earum rationibus.

277. — I° SENTENTIA in omni casu reiicit et execratur magnetismum velut opus diabolicum; miri enim illius effectus, aiunt, neque ex Deo neque ex natura repeti possunt.

illos aut aëri, aut calori, aut oxygenio adscribere te posse definies. Caeterum nil sane mirum, quod in hisce omnibus monstra quaedam systematum exhibeantur, in quibus nihil solidum, nihil sibi cohaerens, nihil sit, quod logicam sapiat. Neque enim iis struendis manum, operamve adhibuerunt viri eiusmodi, qui accuratis assueti disciplinis, solidisque exculti scientiis philosophicam nossent res digerendi rationem, quae postulat, ut certa praestituantur principia et facta, e quibus dein per severas logicae leges certae deducantur conclusiones; res est nimirum cum manu hominum ex infima medicorum plebecula, qui ea fere methodo incedunt, qua et ioculares per plateas praestigiatores uti solent. Et hinc factum est, ut quaecumque demum isti aut buccinando aut scriptitando de istiusmodi fluidis eorumque mirificis virtutibus iactarunt, ea omnia a scientiarum Academiis, quotquot in Europa habentur, risu et contemptu excepta fuerint, et ad circulatores amandata.

(*a*) Comparationem inter somnum naturalem et hunc artificialem accipe dumtaxat quoad aliquem generatim sensuum soporem. Nam caeterum toto caelo sopor a sopore differt. Et sane numquid de naturali somno fit, quod de artificiali habemus etiam in Postulato Lausanensis Episcopi (*infr. n. 280.*), cum quis *in eum statum soporis ingreditur, ut nec maximus fragor ad eius aures, nec ferri ignisve ulla vehementia excitare illum valeat?* Vid. Caroli (*Del Magnetismo Animale Part. 1. Cap. 9. n. 30.*), qui multiplici recensito inter somnum et somnum discrimine, iure merito post alios concludit, artificialem hunc soporem proprie ne nomen quidem somni mereri, quocum nimirum nihil commune habeat.

(*b*) Merito A. praetermittit quartam sententiam, nonnullorum videlicet, qui mira, quotquot narrantur, *magnetismi* phaenomena, aut ad fabulas reiecerunt, aut velut imposturas, merasque ioculatorum praestigias credi voluerunt. Ita, v. gr. Debreyne, cuius merces nonnemo in nostram quoque Italiam transvehere operae pretium duxit. Ad caeteras nimirum miserias haec quoque malo accessit fato, ut ubi vel maxime oportebat ad vigilantiam communem excitare, ne lues haec latius grassaretur, isti insigni prorsus imprudentia ad consopiendos homines curas omnes intenderent, rati, ut videntur, singularem sibi in arte critica laudem comparasse, dum reipsa nonnisi mirae simplicitatis notam referre potuerunt.

1° *Non ex Deo.* Quis enim unquam sanae mentis sibi fingat Deum ad hominis etiam impii nutum ita obtemperantem, ut eo requirente ad res adeo prodigiosas immediate concurrat, legesque a se statutas immutet, quoties homini libuerit? Numquid Deus praeter rerum ordinem ad infinitam virtutem suam manifestandam voluntate humana cogi poterit? Huiusmodi assertio blasphema foret.

2° *Neque ex natura.* Etenim ad effectus magnetismi producendos requiritur voluntas agentis, imo et patientis, saltem prima vice. Nulla autem datur proportio naturalis inter actum mere internum voluntatis et causae physicae effectum. Nam physica semper agunt eodem modo, debitis conditionibus positis, independenter a voluntate humana, ut exemplo fluxus electrici patet (*a*); ergo deficiente proportione inter effectum et causam, haec sane naturalis censeri nequit, et proinde ab infernali virtute effectus repetendus est. — Insuper miri effectus magnetismi videntur naturae nostrae vires omnino superare; non intelligitur enim quomodo *magnetizatus* etiam rudis, usu rationis et sensuum privatus possit tam multas praeclaras scientias extemplo sibi comparare (*b*), linguas penitus ignotas scire,

(*a*) Requiritur scilicet iuxta istos in uno quidem voluntas, ut aiunt, *magnetizandi,* in altero autem consensus in excipiendam alterius actionem. Porro si de iis sermo sit, qui negant quamlibet fluidi cuiusvis emissionem et efficaciam, totumque effectum a solo voluntatis imperio repetunt, per se patebit absurditas hypothesis; nulla enim philosophia, nulla theologia (medicorum enim alogorum somniis deferre aliquid nemo tenetur) hanc vim in externa obiecta interno voluntatis actui citra aliarum potentiarum ministerium concessit unquam. Si vero cum iis agitur, qui efficaciam repetunt a fluido; tunc utique valet Auctoris ratiocinatio, absurdissime nempe dici, quod emissi, ut supponitur, fluidi actio pro voluntatis lubitu ita temperetur, ut aut statim vim exserat aut hanc suspendat, ut effectum aut protrahat aut cito absolvat, etc. Et haec quidem quoad voluntatem *magnetizantis.*

Multo autem minus ratio reddi potest (rationem dico, quae satisfacere homini sana adhuc mente utenti possit), cur requiratur consensus patientis. Ubinam enim philosophia, ubinam communis hominum sensus admisit, aut admittet unquam, consensum voluntatis nostrae praerequiri, ut physica externae causae vis, caloris, v. gr. afficere corpus ac sensus nostros possit? Reponunt nonnulli, consensum patientis praerequiri, ne contrariae voluntatis influxus in corpus impediat magnetismi effectum in organis corporeis. Ita illi. At enim 1° nullus eiusmodi obex in eo esse potest, qui incogitans sopiatur; imo hic magis paratus, utpote tranquillus, ad excipiendos effectus foret. Cur igitur et consensum exigunt? 2° Consensus requiritur, ut se actioni magnetizantis subiiciat, nullatenus vero ut effectus sequantur; hinc 3° postquam semel quis consenserit, effectus sequitur, quantumvis patiens operationi enixe obluctetur, eamque impedire conetur; plura eiusmodi exempla videsis apud Caroli (*Op. cit. part. I. Cap. 4.*), in quibus pluries effigiem cernes sibyllae bacchantis, quam spiritus pythonis *fatigat, os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo* (*Aeneid. Lib. 6. v. 80.*). Et hoc quidem vel unum indicium ad harum praestigiarum indolem, nisi si sponte caecus quis esse velit, per se sufficeret.

(*b*) Haec et alia eiusmodi ab Apostolica Sede iam expresse damnata, tamquam superstitiosa, in decretis infra subiectis reperies.

videre res remotissimas, inspicere intimas magnetizantis cogitationes, necnon proprias aliorumque infirmitates et his congrua cognoscere remedia, quae alioqui prorsus ignorat, et quorum, in statum naturalem restitutus, non recordatur.

Et haec quidem prima sententia solido sane et prae reliquis firmiori fundamento innititur.

278. — IIª Sententia tenet, omnes magnetismi effectus a naturae viribus procedere posse. Ita non pauci medici. Ratio eorum est, 1° Quia inesse possunt quibusdam humanis corporibus effluvia subtilissima (*a*), fluxus magnetis instar, quae in aliorum corpora, mediantibus organis, in ipsam animam agant. Non enim omnes naturae vires cognoscimus, innumerique sunt earum effectus, quorum rationem reddere nobismetipsis non possumus (*b*). — 2° Quia effectus similes in naturali somnambulismo producuntur; somnambuli enim vident, audiunt, et stupenda faciunt, quae ab ipsis in statu vigiliae fieri nequeunt, nec viribus ordinariis naturae competunt (*c*). — 3° Nec obstat, quod requiratur aliquando vel ordinarie voluntas patientis; non enim requiritur quatenus voluntas, seu quatenus facultas mere interna animae, et a corpore independens; sed quatenus medium ad phantasiam excitandam, et spiritus subtiles corporis commovendos, sicque ad vim in statum moralem hominis exercendam (*d*).

Verum rationes istae non patefaciunt, quomodo homo rudis, rerum verborumque plane inscius, infusa scientia gaudeat; quomodo

(*a*) Quaestio hic fieri non debet, utrum ab humanis corporibus diffundi queant effluvia subtilia: nam eiusmodi effluvia, et saepius quidem graveolentia, imo et noxia, non ab humanis modo, tum vivis tum praesertim mortuis, sed ab aliis quoque corporibus diffundi experimur quotidie omnes. Sed alia sunt, quae magis ad rem faciunt, quaeque ab istis medicis philosophiae plane aut expertibus aut oblitis studium aliquod nequicquam adhuc exspectant. Evincant itaque, 1° hoc effluvium, quod confingunt gratis, gratisque *magneticum* dicunt, aliquo se indicio prodere, non secus ac fluidum electricum, huiusque magneticae fluxiones se manifestant; 2° evincant, eiusmodi effluvia imperio voluntatis ita subiacere, ut haec pro lubitu ea retinere, emittere, in corpus proprium quoque (ut isti somniant) revocare possit; 3° evincant, ista fluida, etiam postquam emissa e corpore fuerint, voluntatis tamen praeceptis parere posse (nam et ista superaddito aliis opinionum monstris cumulo iactantur), non secus ac servus domino pareat.

(*b*) Licet perspectae nobis non sint omnes naturae vires, perspectum tamen id est, quod naturae viribus et agendi legibus repugnat. Ex iis porro, quae isti iactant, innumera sunt, quae naturae legibus prorsus repugnant; pauca inferius innuemus.

(*c*) Vel ipsi *magnetismi* fautores quandam dumtaxat analogiam inter somnambulismum naturalem ac magneticum (quem improprie somnambulismum dici fatentur) demum admittunt. Nam alioqui tum natura, tum phaenomena utriusque status longissime inter se distant.

(*d*) Haec falso prorsus et mere ad fucum faciendum dicuntur; idque evincitur non modo ex superius (§. *praec. not. a*) dictis, sed etiam quia, ipsis patentibus, postquam semel quis consensit, etiam incogitans, atque adeo citra ullam phantasiae excitationem sopore corripitur.

res a se valde dissitas cernere, necnon de iis disserere queat. Minime ergo apparet, qua ratione haec praxis a crimine *divinationis* excusari queat. Edisserant etiam nobis huius doctrinae fautores, qua ratione vera miracula a magnetismi praestigiis discerni possint. Plura enim mira, quae a magnetizatis patrantur, in viris sanctis ab Ecclesia ceu naturae vires et ordinem excedentia habita sunt (*a*). Haec igitur sententia, ut falsa et periculis plena, reiicienda est.

279. — III^a SENTENTIA distinguit inter varios effectus a magnetismo productos. Iuxta eius patronos admittendum quidem est, saepe saepius daemonem in magnetismo operari, idque cum effectus productus pendet tantum, aut saltem praecipue a voluntate agentis; vel quando *magnetizatus* per scientiam infusam addiscit scripturam, litteras, vel etiam linguas, quarum notitia penitus antea carebat, vel quando novit aut videt ea, quae in magna distantia fiunt. Hoc enim videtur omnino vires naturae excedere, nec talia in naturali somnambulismo efficiuntur. Nihilominus non repugnat, ut aiunt, magnetismum alios miros effectus naturaliter operari: mirifica enim est in variis corporibus virtus et efficacia fluxus naturalis.

Hinc sententiae huius patroni concludunt, probabiliter admitti ut naturales posse effectus magnetismi in primo et forte in secundo gradu, scilicet in *somno* et in *somnambulismo* (*b*), non vero in

(*a*) Haec illos catholicos impetunt, qui mirifica quadam bona fide nihil superstitionis in his omnibus suspicari norunt. Nam increduli et christianae Religionis hostes imo phaenomenis istis, quae naturalia esse contendunt, ad evertendam auctoritatem miraculorum abutuntur. Quod vero quidam ad eorundem miraculorum auctoritatem tuendam, eo unice conatus contulerint, ut partim in dubium revocando ipsa facta, partim coniecturis subinde valde miseris ad naturales effectus eadem violenter pertrahendo, a veri miraculi notis longe abesse ostenderent quaecumque magnetismo tribuuntur, id ingenii aliquam, prudentis vero criterii nullam sibi laudem vindicat.

(*b*) Fuerunt, qui in magnetismi patrocinium etiam Sedis Apostolicae responsa pertraherent; quia nempe Congregatio S. Officii ad quaestionem, *utrum magnetismus, generatim acceptus et in se, censeri debeat licitus an illicitus*, die 23. Iun. 1840. responderit: *quod remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita daemonis invocatione, merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, etc.*; et insuper idem responsum referens S. Congregatio in Litteris ad Episcopos Ditionis pontificiae datis ann. 1856, expressam *usus magnetismi* mentionem sic fecerit: *Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita daemonis invocatione, usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, etc.*; quasi scilicet ex S. Congregationis sententia admittendus reipsa sit magnetismus aliquis animalis, cuius usus sit licitus.

Sed nihil ineptum magis. S. Congregatio, prout saepius sancte testati sunt eiusdem S. Congr. Consultores, nullum unquam de physica huius magnetismi quaestione examen instituit. Quod quidem luculenter patet etiam ex responso, quod sibi a Sede Apostolica redditum sic narrat Eminentiss. Card. Gousset (*Theolog. moral. Tom. 1. n. 425.*): *Anno 1842. nos consului Summum Pontificem de hac quaestione, idest, num sepositis abusibus rei, et reiecto omni cum daemone foedere, liceat exercere magnetismum animalem, et ad hunc confugere velut ad remedium, quod plures haben*

tertio gradu, seu in *statu visionis*. At (quod isti parum advertunt) probandum foret, nullum ex eiusmodi effectibus legibus physicis ullatenus repugnare (*a*), atque adeo ab ipsa natura provenire posse.

ut naturale et utile sanitati. Eminentiss. Card. Magnus Poenitentiarius die 2. Sept. 1843. respondit: Hanc quaestionem non adhuc esse a Sancta Sede serio perpensam, nec tam cito esse responsuram. Eiusmodi porro responsum nonne pugnare cum praecedenti videretur? Vel suspicabimur, Sedem Apostolicam ann. 1840., priusquam nempe quaestionem perpenderet, eandem resolvisse? Sic igitur se res habet, quod S. Congregatio, quidquid de *magnetismo* incerti ferrent rumores, quidquid etiam foret de inanibus aut somniis aut coniecturis eorum, qui de horum phaenomenorum causa inter se rixabantur, interrogata a quibusdam, qui ad novas has praestigias timore percellebantur, satis iis prospectum fore censuit, in mentem ipsis prima illa principia revocando, quibus in eiusmodi dirimendis dubiis theologi nunquam non usi sunt, nempe nihil esse superstitionis in usurpandis mediis ad connaturales fines proportionatis; secus, si haec abesset causam inter et effectum proportio. Ad quam responsionem reddendam nihil sane opus fuit de incertis circa phaenomena et horum causas rumoribus examen instituere. *Magnetismi* ergo nomen adhibuit S. Congregatio, quia hoc nomine vulgo utuntur omnes, et quia eodem usi fuerant, qui responsa postulaverant.

(*a*) Minus dextere, ut videtur, a quibusdam attingitur haec tanti momenti quaestio; et exinde forte fit, ut potiusquam aliquid lucis ipsi afferant, densioribus eam tenebris obvolvant, implicentque magis.

Quidam nimirum quaestionem e statu ipsius reali et concreto ad phantasticas transferunt regiones, et phantasiae indulgentes quaerunt, an forte possibilis vis quaedam, an possibilis effectus, si imaginaria illa vis suam virtutem exsereret, etc. Atque hinc miserrima illusio; quippe his phantasmatis abrepti, sententiam ferre de factis ad eorundem phantasmatum normam volunt. Rogandi isti sunt, ut dimissis phantasiae ludibriis quaerant in concreto de iis, quae re ipsa fiunt, et de modo quo fiunt, et quae ratio eorum reddi soleat. Secus et se et alios decipient, et aërem, ut habet proverbium, verberabunt.

Alii vero solum inadaequate rem considerant, et universam quaestionem adducere videntur unice ad inquisitionem, an phaenomena, ut dicunt, *magnetica* locum habere in somnambulismo naturali possint, nec ne, superstitionis exinde absentiam, aut praesentiam, atque adeo licitum aut illicitum definientes *magnetismi* usum.— At non uno et haec theoria laborat incommodo. Ac primo quidem nonne fatemur omnes, et hi quoque fatentur nobiscum, in *magnetico* somnambulismo etiam illa apparere phaenomena, quae tamquam *superstitiosa* et *diabolica* a Sede Apostolica expresse damnata fuere, quaeque idcirco naturae viribus ne in naturali quidem somnambulismo tribui possunt? *Magneticus* ergo somnambulismus, cuius effectus et phaenomena viribus naturae non respondent, naturalis esse non potest. Atqui ubi constat, causam adesse, quae naturalis non est, perperam argueretur, eam causam esse naturalem, propterea quod effectus aliquis forte a naturalibus quoque viribus profluere posset. Nam utique ex causae naturalis ad quempiam effectum insufficientia necessario arguitur causae praeternaturalis praesentia et efficacia; at non viceversa ex naturali effectu iure concluditur causam esse naturalem, quando praeternaturalis causa, quae adest, plus et minus, adeoque utriusque ordinis effectum potest producere. Neque vero solum necesse non est in hisce adiunctis ad naturalem causam recurrere; sed vetat sana ratio, ne de ea suspicemur quidem. Et sane iugi experientia constat, in *magnetico* somnambulismo indiscriminatim utriusque ordinis (ut ex horum sententia loquamur), prae-

Deinde haud oblivioni tradendum est, non raro diabolum rebus ipsis naturalibus se se immiscere, ut hominibus illudat.— *V. Casus, n. 273.*

ternaturalis nempe et (ut volunt) naturalis haberi phaenomena quod autem huius potius quam illius ordinis phaenomena se prodant, id non ex quapiam somnambulismi diversitate aut immutatione in somnambuli seu somniloqui statum inducta pendet, sed mere ex arbitrio adstantium, qui hoc vel illud responsum, hanc vel illam praestigiam forte postulent. Atqui ubi effectuum discrimen, si quod est, mere ex accidentali extrinseca occasione pendet, aliunde vero constat causam adesse praeternaturalem ad omnes illos effectus parem, quae nullam mutationem subit, perperam in naturali somnambulismo, cuius nullum vestigium apparet, causalitas alia inquireretur. Ergo.

Atque hinc quidem ulterius progredi ratiocinando licet. Nam si huius somnambulismi status praeternaturalem causam habet adnexam, somnambulismus autem somnum magneticum fere comitatur, nec ab eo nisi per accidens, ut constat experientia, disiungitur; merito iam eidem causae tum somnus tum somnambulismus adscribetur.

Verum praestat hoc ipsum directe evincere, nempe magneticum soporem seu somnum tot, tamque manifesta praeferre superstitionis indicia, ut mirum omnino sit, oculos virorum alioqui cordatorum ea effugere potuisse. Et hinc patefiet rursus, quam inani labore quidam ad excusandum a superstitionis crimine istiusmodi, ut dicunt, *magnetismum*, illud unum inquirendum putent, num quodpiam *magnetici* huius somnambulismi phaenomenon existimari possibile etiam in naturali somnambulismo queat. Si enim sopor ipse somnambulismo praevius superstitioso opere non caret, iam patet, incassum dubia de reliquis soporem ipsum consequentibus moveri. Hoc interim tantummodo ratum habeatur, iudicium ferendum esse de factis, non qualia quispiam sibi phantastice confingat, sed qualia reipsa contingunt, atque a testibus enarrantur; hoc enim semel praestituto, superstitio soporis, ut aiunt, *magnetici* levi negotio se prodit.

Et sane constat et constare penes omnes debet, in casu superstitiosum atque adeo diabolicum opus iudicandum esse, ubi ob defectum proportionis inter causam et effectum nulla naturalis causa phaenomeni assignari possit. Atqui ob proportionis defectum inter effectum et causam in cassum cedunt quaecumque excogitari potuerunt ad naturalem causam sopori magnetico assignandam. Ergo.

Superest solum probanda minor argumenti propositio. Praetermissis itaque illis, qui haec omnia attribuunt quibusdam spiritibus (nam eiusmodi spiritus non possent nisi daemoniaci credi), nulla causa excogitari potuit, nisi aut mera *magnetizantis* voluntas, aut eadem voluntas cum intermedio quopiam fluido, quocumque demum nomine placeat illud appellare. Atqui neutra causa cum effectu proportionem habet.

Et quod ad solam voluntatem attinet, aut merum actum immanentem in ipsa supponimus, aut utentem ministerio alterius potentiae. Atqui actus immanentis virtus tota in ipsa voluntate consummatur, nec ad extrinsecum sibi effectum transilit. Actio vero voluntatis, si subordinatae potentiae ministerio utatur, eiusdem potentiae facultate ita circumscribitur, ut effectus ipsam facultatem excedere non possit; nemo autem adhuc somniavit, alicui ex potentiis voluntati subordinatis vim inesse effectus, de quibus sermo est, *per se* producendi. Manifestum est igitur, causam phaenomenis soporis *magnetici* parem, nisi insuper ad aliud instrumentum recurratur, in sola voluntate *magnetizantis* non haberi.

Atqui non minus absurde ad auxilium alicuius fluidi confugitur. Pauca e plurimis, quae dici possent, attingamus. Et quidem res confici unico argumento posset. Nam si causa magnetici soporis in vim *fluidi* reiici debet,

Curia Romana interrogata circa usum magnetismi in genere, respondit in Congregatione S. Officii die 21 Aprilis 1841: ***Usum ma-***

sublata huius fluidi vi sopor nullatenus haberetur ex illo principio: *sublata causa, effectus tollatur oportet.* Atqui experientia constat, soporem istum etiam abiecto hoc *fluidi* instrumento obtineri; immo primipili ex magnetismi patronis fatentur ingenue, quaecumque dici consuevere de vi alicuius *fluidi,* aut de tactibus et gestibus ad transmittendum fluidum praescriptis, omnia ad imposturas esse ableganda. Ergo neque in quopiam ex somniatis *fluidis* reponi posse soporis huius causam patet.

Sed etiamsi in se inspiciatur alicuius fluidi hypothesis, haud minus haec scatet absurdis. Profecto cum medium non detur inter substantiam spiritualem et materialem, hoc fluidum substantiis materialibus accenseamus prorsus oportet. Ipsius igitur actio repugnare non debet virium physicarum legibus. Atqui phaenomena actionis magneticae, qua sopor inducitur, his legibus prorsus repugnare passim deprehenduntur.

Et sane 1° Actio virium physicarum non est varia pro solius diversitate intentionis; hinc si manum admoves igni, calefies, sive adsit sive non adsit intentio. Atqui gesticulatio quaevis magnetizantis nullum habet effectum, nisi adsit intentio magnetizandi. Ergo.

2° Actio magnetica ita pendet ab intentione, ut cum duae vel plures personae sint praesentes et in iisdem omnino circumstantiis, iuxta magnetizantis intentionem altera corripiatur, altera nihil patiatur, idque tunc etiam, quando magneticum effluvium ad illam pervenire non queat, nisi prius hanc invadat. Atqui hoc in causa mere physica repugnat. Ergo.

3° Repugnat actioni causae mere physicae et materialis, quod motum conceptum suspendat ad merum voluntatis imperium, v. gr. quod lapis in aërem proiectus retardet cursum pro voluntatis nutu. Atqui posita iam soporis magnetici causa, suspenditur tamen pro voluntatis arbitrio effectus ad duas, tres, pluresve horas. Ergo.

4° Repugnat viribus causae mere physicae et materialis, quod ipsa per se quaerat obiectum corripiendum, et agenti principali ignotum, non secus ac nempe canis dimittitur, qui leporem quaerat. Atqui dum magnetizatur quispiam longe etiam pluribus leucis absens, fluidum magneticum per se quaerat oportet personam magnetizandam, quae tamen ubinam sit, ad orientem ne, an ad occidentem, ipse quoque magnetizator ignorat. Ergo.

5° Id ipsum dicatur de phaenomenis partialis cuiuspiam paralysis aut catalepsis, quae inter magnetizandum inducatur. Subito enim aut oculum, aut brachium, digitumve aut linguam, etc. ad magnetizantis nutum vis magnetica corripit, obstupefacit, rigidat, et subito ad nutum dimittit. Opus ergo foret, ut fluidum magneticum et praecepta magnetizantis intelligeret, et praetermissis reliquis omnibus corporis partibus caeterisque nervis, eos solum nervos attingere scientissime nosset, qui exequendo magnetizantis imperio sunt idonei, et quos alioquin ipse magnetizans non cognoscit. Atqui haec omnia viribus causae mere materialis repugnant, et cumulum absurditatum involvunt. Ergo.

6° Neque aliud ferri potest iudicium, quando sopor iste inducitur non per effluvium magneticum immediate in personam iniectum, sed mediante re quapiam, ut aiunt, magnetizata. In hac enim hypothesi 1° magneticum fluidum, ita magnetizatore imperante, se totum recipit et consistit collectum in parvo aliquo corpore, v. gr. anulo, forfice, nuce, etc.; 2° dumque manet ibi alligatum ita, ut quibusvis adhibitis chemicis mediis non abstrahatur, et re ipsa combusta in cineribus residat, ad nutum tamen voluntatis illico inde avolet; 3° licet vero magnetizatum corpusculum plures personae tangant, versent, retineant, etc., vim tamen persentiat atque adeo in soporem inducatur ille unus, quem voluntate sua magnetizator prius

gnetismi prout exponitur non licere (*a*). Hoc responsum confirmavit iisdem verbis sacra Poenitentiaria in responsione ad Episcopum

designaverit. Atqui physicis legibus repugnat 1° quod vis mere materialis, v. gr. odoris effluvium, semel emissa, voluntati, se totam in corpusculum recipiendo, obediat; 2° quod sola imperantis voluntatis vi inde discedat; 3° itidemque quod ad voluntatis imperium virtutem suam in hunc et non in alios homines exserat, adeo ut, v. gr. odor unius tantum, non aliorum nares afficiat. Ergo.

7° Repugnat legibus physicis, quod hominis aures dum levissimus afficit sibilus, non afficiat tamen bellici tormenti aut fulminis fragor; et pariter quod persentiat digiti aut cincinni contactum, qui tamen ne candens quidem ferrum admotum persentit. Atqui et haec phaenomena in homine vi magnetica in soporem inducto apparent. Ergo.

8° Homo in soporem magneticum semel inductus dum neque per se, neque ullo alio medio quantumvis violento e somno excuti potest, excitatur tamen ad merum magnetizatoris utut longe absentis imperium. Atqui haec actioni causarum mere physicarum manifeste repugnant. Ergo.

9° Insuper 1° persona sopore magnetico correpta quaslibet cuiusvis obiecti sensationes nullo tamen praesente obiecto, pro magnetizantis imperio experitur, quasi nempe elementa magnetica voluntatem magnetizantis intelligant et exequantur; 2° magnetizator solo voluntatis nutu non modo personam sopore mersam ad se ita attrahit, ut haec citissime et quovis superato obice illum sequatur, sed ipsam sola voluntate sursum in aërem elevat, ibique suspensam, quamdiu libeat, retinet. Atqui et ista tum virium physicarum legibus, tum actioni instrumenti mere materialis repugnant. Ergo. (De hisce et huiusmodi conf. *Monticelli, Del Mesmerismo, P. I*, et *Caroli, Del Magnetismo Animale, Tom. I.*).

Et haec pauca e pluribus, quae afferri possent, sufficiant, ut constet, 1° ad definiendum, licitusne, an illicitus censendus sit magnetismi usus, inconsulto quosdam quaestionem universam eo convertere, an phaenomena somnambulismi magnetici quidpiam consimile praeferant phaenomenis aut naturalis somnambulismi, aut feminae sive cataleptico sive hysterico morbo laborantis; 2° nihil huc ea pertinere, quae tradere solent Theologi *in dubio, num causae naturali, an praeternaturali effectus adscribi debeat:* nam seu morbi seu causae alterius naturalis nullum hic indicium, nulla ne tenuiter quidem probabilis coniectura suppetit; causam vero adesse praeternaturalem gravissimae suadent rationes; 3° inconsultissime demum eos agere, qui nulla adhibita diligenti indagine, quid hoc rei sit, quid agatur, quid mali, quid periculi timeri queat, fideles proprio cuiusque arbitrio temere permittunt, excusationem sane ab ignorantia invincibili apud aeternum Iudicem aegre habituri.

(*a*) Auctor non indicat, cuiusmodi fuerit *usus magnetismi,* qui a S. Congregatione tamquam illicitus proscriptus est. Clariss. Petrus Scavini (*Th. Mor. Tr. 5. Disp. 3. Cap. 1.*) innuit, propositam fuisse quaestionem de *magnetismo* cum circumstantiis non raro incidentibus, nempe *quod magnetizatus evidenter indoctus illico cernitur doctissimus, legendi nescius scripta arabica, etiam clausa, legit absque oculorum usu, obtemperat magnetizanti, etsi pluribus leucis ab ipso distet, aliaque id genus agit, quae naturales effectus simpliciter haberi non possunt. Item quod magnetismus plerumque habet locum cum personis diversi sexus non sine magno honestatis periculo.*

Debreyne tamen (*Essai sur la Théolog. moral. pag. 322.*) quaestionem S. Sedi propositam sic aliter refert: *Dans les opérations magnétiques il existe une tendance à la mécréance, et à la corruption des mœurs; on désirerait, pour la tranquillité des consciences, connaître à ce sujet, quel-*

Lausanensem die 1 Iulii eiusdem anni. Exponebatur autem quaestio cum variis effectibus et circumstantiis, quae in magnetismo ordinarie evenire solent, ut sequitur:

le est la véritable opinion du Saint-Siége. Et haec forte magis respondent textui Auctoris, qui dicit, propositam fuisse quaestionem *in genere* de usu magnetismi.

Quidquid sit, non inaniter finguntur pericula tum circa fidem, tum circa morum honestatem. Et dupliciter quidem fidei periculum impendet. Nam 1° isti somnambuli magnetici, non secus ac tabularum et spirituum responsa, saepe quidpiam effutiunt vel contra veritatem religionis christianae catholicae, vel etiam contra aliquos fidei articulos, eos praesertim qui immutabilem et aeternam respiciunt reproborum poenam; quo etiam spectat, quod scelestos quosdam homines sine poenitentia defunctos depraedicant tamquam in caelis beatos, et alios contra, de quorum aeterna salute nulla adest desperandi ratio, velut detrusos ad tartara designant; 2° ex his phaenomenis, quasi naturalium virium effectibus, ansa sumitur detrahendi tum auctoritati miraculorum, tum honori ac vi gratiarum, quas appellare *gratis datas* solemus.

Quod spectat autem ad morum honestatem, sunt profecto qui tantummodo a gestibus forte inverecundis nonnihil timendum putent; quocirca satis honestati consultum censent, si scenis istis magneticis probus quispiam testis adsistat. Atqui experientia luculenter docet eiusmodi periculum longe latius patere. Etenim 1° fere contingit, ut personae magnetizatae vehementi imo vesano amore, et indomabili affectu rapiantur in magnetizatorem; 2° per altum illum soporem, qui solo magnetizantis imperio excuti potest, obvia adest occasio turpiter abutendi persona magnetizata, quae nec sui tunc compos est, nec dein recordatur aut notitiam ullam eorum habere potest, quae sibi sopore oppressae contigerint; historias mulierum, quae per id tempus vim passae, gravidas se deinceps obstupescentes deprehenderunt, et refert cum aliis Debreyne (*p. 234.*), et certa tradit fama; 3° dum magneticus sopor ac somnambulismus inducitur, personae magnetizatae, ut facta testantur, venereis motibus ac voluptatibus corripiuntur; 4° et exinde earum, prout experientia docet, effraenis ad venerea propensio solet consequi; 5° cum in magnetizatoris potestate sit, ut sensationes quaslibet etiam sine obiecti praesentia pro lubitu suo in persona magnetizata excitet ac detineat, hinc alia turpitudinum occasio et scatebra impune grassatur; 6° illud demum accedit, quod *scriptores de re magnetica* tradunt, in spontaneo quoque somnambulismo, quem scilicet sibi inducere persona diutino usu instructa valet, potestatem has in se sensationes excitandi inesse. Quae quidem omnia abunde sufficiunt, ut magnetismi usus, utpote latum corruptioni morum aditum aperiens, ipso iure naturae interdictus censeri debeat.

Verum praeter et fidei et morum pericula aliae non desunt rationes, propter quas illicitus haberi debeat istiusmodi magnetismi usus. Ac primo quidem ex omnium sententia intrinsece malum est, semet ultro coniicere in impotentiam omnimodam utendi tum ratione, tum arbitrii libertate, et insuper hanc ipsam prorsus arbitrio committere alterius, qui animae et corporis facultatibus possit abuti, easque ad pessima quaeque flectere. Atqui haec in casu contingunt; nam in confesso est, magnetizatum in soporis ac somnambulismi statu proprii arbitrii non esse, sed totum manere in alterius potestate (*Vid. Caroli, P. I, pag. 414.*). Ergo. — Insuper obligatio laeditur, qua et propriam servare vitam, et gravis damni periculum arcere quisque tenetur. Experientia enim constat, ex iis, qui se magnetizari, ut dicunt, permiserunt, alios quidem in ipsa actione morte correptos fuisse (*Vid. Debreyne pag. 314., Caroli, etc.*), alios in graves incidisse mor-

POSTULATUM

Episcopi Lausanensis circa magnetismum.

« Eminentissime Domine.

280. — » Cum hactenus responsa circa magnetismum anima-
» lem minime sufficere videantur, sitque magnopere optandum, ut
» tutius magisque uniformiter solvi queant casus non raro inciden-
» tes, infra signatus Eminentiae vestrae humiliter sequentia exponit.

» Persona magnetizata, quae plerumque sexus est feminei, in
» eum statum soporis ingreditur, dictum *somnambulismum magne-*
» *ticum,* tam alte, ut nec maximus fragor ad eius aures, nec ferri
» ignisve ulla vehementia illam suscitare valeant. Ab solo magne-
» tizatore, cui consensum suum dedit (consensus enim est neces-
» sarius), ad illud extasis genus adducitur, sive variis palpationibus
» gesticulationibusve, quando ille adest, sive simplici mandato eo-
» demque interno, cum vel pluribus leucis distat (*a*).

» Tunc viva voce, seu mentaliter, de suo absentiumque penitus
» ignotorum sibi morbo interrogata, haec persona evidenter indo-
» cta illico medicos scientia longe superat; res anatomicas accura-
» tissime enuntiat; morborum internorum in humano corpore, qui
» cognitu definituque peritis difficillimi sunt, causam, sedem, natu-
» ram indigitat (*b*), eorumque progressus, variationes, et complica-
» tiones evolvit, idque propriis terminis; saepe etiam dictorum mor-
» borum diuturnitatem exacte praenuntiat, remediaque simplicissima
» et efficacissima praecipit.

» Si adest persona, de qua magnetizata mulier consulitur, re-
» lationem inter utramque per contactum instituit magnetizator;

bos, alios infirmitatibus deinceps diutinis imo et per totam quoque vitam vexatos fuisse, alios vero etiam penitus dementatos mansisse, alios demum ea deinceps pati, quae hominibus a daemone obsessis consueta novimus.

Et ex his manifeste patet, quam incaute quidam, postquam sibi suasere, magnetismi usum superstitionis expertem credi posse, satis id esse iam putent, ut eum licitum et plane fidelium libertati permittendum praedicent. Etsi enim id verum esset, quod longissime abest a veritate, diabolici interventus suspicandi nullam subesse rationem; at alia multa sunt, eaque satis gravia, quae fideles ab hisce praestigiis prorsus arcere possunt et debent.

(*a*) Si *simplici mandato, eodemque interno, cum* magnetizans *vel pluribus leucis distat,* iste effectus obtinetur; ergo quidquid iactatur de *palpationibus,* vel *gesticulationibus,* vel de *fluidi* (quocumque nomine vocitetur) *emissione,* quasi soporis et somnambulismi causis, ad imposturas et simplicium ludibrium reiiciendum est.

(*b*) Quidam recurrunt ad summum sensibilitatis (ut aiunt) gradum, quo persona sopore mersa potiatur. At aliud est *sentire*, aliud nosse causas, naturam, progressus, futuras variationes, remedia, etc.

» cum vero abest, cincinnus ex eius caesarie eam supplet ac sufficit. Hoc enim cincinno tantum ad palmam magnetizatae admoto, » confestim haec declarat, quid sit (quin adspiciat oculis), cuius » sint capilli (*a*), ubinam versetur nunc persona ad quam pertinent, » quid rerum agat, circaque eius morbum omnia supradicta docu» menta ministrat, haud aliter atque si medicorum more corpus » ipsa introspiceret.

» Postremo magnetizata non oculis cernit, ipsis velatis, quid» quid erit illud leget legendi nescia, seu librum, seu manuscriptum, » vel apertum vel clausum, seu capiti vel ventri impositum. Etiam » ex hac regione eius verba egredi videntur. Hoc autem statu edu» cta, vel ad iussum etiam internum magnetizantis vel quasi sponte » sua ipso temporis puncto a se praenuntiato, nihil omnino de re» bus in paroxysmo peractis sibi conscire videtur, quantumvis ille » duraverit: quaenam ab ipsa petita fuerint, quae vero responderit, » quae pertulerit, haec omnia nullam in eius intellectu ideam, nec » minimum in memoria vestigium reliquerunt.

» Itaque orator infra scriptus, tam validas cernens rationes du» bitandi, an simpliciter naturales sint tales effectus, quorum oc» casionalis causa tam parum cum eis proportionata demonstratur (*b*), » enixe vehementissimeque vestram Eminentiam rogat, ut ipsa pro » sua sapientia ad maiorem Omnipotentis gloriam, necnon ad ma» ius animarum bonum, quae a Domino redemptae tanti constite» runt, decernere velit, an posita praefatorum veritate Confessarius, » Parochusve tuto possit poenitentibus aut parochianis suis per» mittere

» 1° Ut magnetismum animalem illis characteribus aliisque simi» libus praeditum exerceant, tanquam artem medicinae auxiliatricem » atque suppletoriam;

» 2° Ut sese illum in statum somnambulismi magnetici demit» tendos consentiant;

» 3° Ut vel de se vel de aliis personas consulant illo modo ma» gnetizatas;

» 4° Ut unum de tribus praedictis suscipiant, habita prius cau» tela formaliter ex animo renuntiandi cuilibet diabolico pacto ex» plicito, omni etiam satanicae interventioni, quoniam hac non ob-

(*a*) Si absentis personae nomen, locum, etc. per simplicem cincinni tactum cognoscit, quaenam, quaeso, proportio est inter causam et effectum? Nonne habemus hic superstitiosum illud ariolandi genus, quo ignota et longinqua deteguntur, quodque uti *superstitiosum* in subiecta *Congr. S. Officii encyclica* damnatur?

(*b*) Adverte diligenter, et postulatum Lausanensis Episcopi, et consequenter Sacrae Poenitentiariae responsionem ad unicam hanc quaestionem spectare, an *superstitionis crimine* istiusmodi magnetismi usus censeri pollutus debeat, atque adeo uti illicitus proscribi. Hoc ipsum ex encyclicis litteris ad Episcopos Ditionis pontificiae a Congr. S. Inquisit. datis, quas subiiciemus inferius, clare confirmatum est.

» stante cautione a nonnullis ex magnetismo huiusmodi vel iidem » vel aliquot effectus obtenti iam fuerunt (*a*).

» Eminentissimi DD. Eminentiae vestrae,

» *De mandato reverendissimi Episcopi Lausanensis et Genevensis humillimus obsequentissimusque servus Iac. Xaverius Fontana,*
» *Can. Cancell. Episc.*

» Friburgi Helvetiae, ex aedibus Episc., die 19 Maii 1841. »

RESPONSIO

« Sacra Poenitentiaria, mature perpensis expositis, respondendum censet, prout respondet: *Usum magnetismi, prout in casu exponitur, non licere.*

» Datum Romae, in S. Poenitentiaria, die 1 Iulii 1841 (*b*).

Card. Castracane, *m. p.*
Ph. Pomella, *S. P. Secretarius.* »

(Ami de la Réligion, 7 Août 1841).

(*a*) Ex his illud habes, quod et communis doctrina tradit, ad excusandum opus a reatu superstitionis incassum protestationes adhiberi, quando ex defectu proportionis inter causas et effectus de diabolico interventu constare satis potest.

Caeterum cum definitum heic habeamus, in praedictis interventum daemonis certe adesse; cumque S. Poenitentiariae sententia factis quaestionibus debeat respondere, necesse est concludere, ad aliquod e tribus primis quaesitis responsionem pertinere, in eoque reatum ob daemonis interventum contineri.

Atqui ita inter se colligatas habes tres illas quaestiones, ut una ob superstitionis crimen proscripta, et reliquae necessario eandem sententiam subeant. Et sane si comparatione, uti par est, instituta responsionis huius cum S. Inquisitionis decreto inferius descripto, decernas superstitionis crimen ex rerum ignotarum divinatione se prodere; pronum est iam concludere, saltem in tertio quaesito, damnationis rationem residere. Censuit igitur Apostolica Sedes, a daemone responsa quaeri et reddi, atque adeo somnambulos istos instrumentum esse, quo diabolus ad decipiendos et irretiendos homines utitur. Atqui hoc posito, eadem profecto damnatio necessario secundum quoque quaesitum, idest ipsum somnambulismum complectitur, et quidem omissis quoque rationibus, quae suadent (*Vid. not. a p. 243.*), hunc somnambulismi statum a naturalibus causis repeti non posse. Etenim somnambulismus ita cum superstitiosis et idcirco damnatis effectibus nectitur, ut etiam abrenuntiatione quavis daemonis operibus praemissa, isti habeantur. Atqui sopor seu somnambulismus, qui non obstante quavis contra daemonis interventum protestatione, se tamen ut daemonis instrumentum prodit, non potest non esse illicitus. Ergo. Atque hinc pronus transitus ad damnationem materiae primo quoque quaesito propositae, nimirum de usu magnetismi ceu de arte medicinae auxiliatrice. Totum enim praesidium a somnambulismo responsisque a somnambulo redditis expectatur. Atqui haec omnia ex dictis ceu *superstitionis* vitio infecta et ideo damnata ab Apostolica Sede censenda sunt. Ergo.

(*b*) Quidam fuerunt magnetismi fautores studiosissimi, qui dictitarent,

281. — Omissis pluribus aliis eadem de re S. Sedis responsionibus, referre iuvat recentem S. Officii decisionem.

« Epistola encyclica *S. Rom. Inquisitionis ad omnes Episco-*
» *pos adversus magnetismi abusus.*

FERIA IV. DIE 30. IULII 1856.

» In Congregatione generali S. R. et Universalis Inquisitionis
» habita in conventu S. M. supra Minervam, Em. ac RR. DD. Car-
» dinales in tota Republica christiana adversus haereticam pravita-
» tem generales Inquisitores, mature perpensis iis, quae circa *ma-*
» *gnetismi* experimenta a viris fide dignis undequaque relata sunt,
» decreverunt edi praesentes litteras encyclicas ad omnes Episco-
» pos *ad magnetismi abusus compescendos.*

» Etenim compertum est, novum quoddam superstitionis genus
» invehi ex phaenomenis magneticis (*a*), quibus haud scientiis phy-
» sicis enucleandis, ut par esset, sed decipiendis ac seducendis ho-
» minibus student neoterici plures, rati, posse occulta, remota ac
» futura detegi magnetismi arte, vel praestigio, praesertim ope mu-
» liercularum, quae unice a magnetizatoris nutu pendent. » *(Relata autem responsione iam data die 28 Iulii 1847* (*b*), *S. Congregatio subdit):*

« Quamquam generali hoc decreto satis explicetur licitudo, aut
» illicitudo in usu aut abusu *magnetismi;* tamen adeo crevit ho-
» minum malitia, ut neglecto licito studio scientiae (*c*), potius cu-

hoc S. Poenitentiariae responsum posterioribus decretis retractatum fuisse, aut saltem non eiusmodi pollere auctoritate, ob quam opposita opinio necessario sit deserenda.

Atqui perperam haec dici, manifesto liquet ex supremae Inquisitionis Romanae litteris Encyclicis ad omnes Episcopos et Inquisitores pontificiae Ditionis datis 21 Maii 1856, in quibus diserte edicitur, praemissum responsum prorsus habendum esse ut Sedis Apostolicae decretum per organum S. Poenitentiariae latum. Sic enim habent: *Fin da quando si cominciarono a divulgare i fenomeni magnetici, consultata la S. S. emanò varie decisioni per organo della Penitenzieria e del S. Offizio relative a'particolari casi proposti circa la lecitudine od illecitudine dell' uso del magnetismo.* Porro Sedis Apostolicae decreta per organum S. Poenitentiariae lata quoad magnetismi usum licitum vel illicitum nulla sunt praeter hoc S. Poenitentiariae responsum ad Lausanensem Episcopum. Ergo.

(*a*) Cum S. Congregatio pronuntiet, *compertum esse, novum quoddam superstitionis genus invehi ex phaenomenis magneticis,* et quidem (ut paulo ante dicitur) postquam *Emm. Cardinales Inquisitores mature ea perpenderunt, quae circa magnetismi experimenta a viris fide dignis undequaque relata fuerunt;* nemo non videt, iam et in ipsam Sedem Apostolicam satis iniurios eos esse, qui semet unos in toto humano genere oculatos venditantes, ceu imposturas haberi ea volunt, quaecumque de phaenomenis magneticis naturales vires praetergredientibus narrantur.

(*b*) Hanc responsionem videsis infra insertam litteris encyclicis ad Episcopos et Inquisitores pontificiae Ditionis.

(*c*) Sapienter haec subinfert S. Congregatio, ne quis scilicet ansam ca-

» riosa sectantes magna cum animarum iactura, ipsiusque civilis so-
» cietatis detrimento, ariolandi, divinandique principium quoddam
» se nactos glorientur. Hinc somnambulismi (*a*) et clarae intuitio-
» nis, uti vocant, praestigiis mulierculae illae, gesticulationibus non
» semper verecundis abreptae, se invisibilia quaeque conspicere ef-
» futiunt, ac de ipsa Religione sermones instituere, animas mortuo-
» rum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere, alia-
» que id genus superstitiosa exercere ausu temerario praesumunt,
» magnum quaestum sibi ac dominis suis divinando certo consecu-
» turae. In hisce omnibus, quacumque demum utantur arte vel il-
» lusione, cum ordinentur media physica ad effectus non natura-
» les, reperitur deceptio omnino illicita et haereticalis, et scanda-
» lum contra honestatem morum.

» Igitur ad tantum nefas et Religioni et civili societati infe-
» stissimum efficaciter cohibendum, excitari quam maxime debet
» pastoralis sollicitudo, vigilantia ac zelus Episcoporum omnium.
» Quapropter quantum divina adiutrice gratia poterunt locorum Or-
» dinarii, qua paternae charitatis monitis, qua severis obiurgationi-
» bus, qua demum iuris remediis adhibitis, prout attentis locorum,
» personarum, temporumque adiunctis, expedire in Domino iudica-
» verint, omnem impendant operam ad huiusmodi magnetismi abu-
» sus reprimendos et avellendos, ut Dominicus grex defendatur ab
» inimico homine, depositum Fidei sartum tectumque custodiatur,
» t fideles sibi crediti a morum corruptione praeserventur.

» Datum Romae, in Cancellaria S. Officii apud Vaticanum,
» die 4 Augusti 1856 (*b*).

V. *Card.* Macchi. »

lumniandi sumat, quasi studia reprobentur, quae circa magnetismi terrestris phaenomena, fluentis electricis debita, a physices peritis versantur. At enim iam diximus, quotquot e doctis hanc scientiarum physicarum partem excoluerunt, ad unum omnes de conficto isto magnetismo animali, cui somnambulismi praestigiae debentur, aut siluisse penitus, aut cum contemptu velut de meris circulatorum imposturis locutos esse.

(*a*) Adverte, quomodo et huiusmodi somnambulismum S. Congregatio praestigiis accenseat.

(*b*) Praestat heic subiicere et encyclicas litteras ab eadem S. Officii Congregatione ad omnes Episcopos et Inquisitores pontificiae Ditionis an. 1856 datas.

A tutti i Vescovi ed Inquisitori dello Stato pontificio.

Fin da quando si cominciarono a divulgare i fenomeni magnetici, consultata la S. Sede emanò varie decisioni per organo della Penitenzieria e del S. Offizio relative a' particolari casi proposti circa la lecitudine od illecitudine dell'uso del magnetismo. Riguardo poi alla massima generale dopo profonde discussioni nella feria IV., 28. Luglio 1847., rinnovando le risoluzioni del 23. Giugno 1840., si decretò quanto segue: « Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita daemonis invocatione, usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non

APPENDIX III.

DE CONSULTATIONE SPIRITUUM, SEU DE SPIRITISMO

282. — En recens, sed omnium pessima superstitio, quae hoc aevo in perniciem animarum ab Orco exorta est.

Ab integro fere saeculo per totum orbem grassata fuerat immanis magnetismi lues. Subinde prodiere et percrebuere tabularum rotantium phaenomena, quae variis motibus quaestionibus sibi propositis de rebus occultis, et etiam de statu animarum defunctorum responsa dabant. Siluere mox tabulae, seu paulo post seu nostris hisce temporibus, ab anno scilicet 1862, daemones, qui homines per vaticinia somniantium et postea per responsa tabularum deceperant, ipsis per pythones seu personas *intermedias* (*medium* vocant) illudunt et insidiantur.

Sic autem spirituum consultatio habetur: Adis pythonem, cui significas id quod scire cupis de rebus omnino occultis, praesertim ad alteram vitam spectantibus. Ab eo interrogatur, te praesente et audiente, aliquis spiritus, quasi sit anima quaepiam, quae ex hac vita iam migraverit, v. gr. anima patris tui, matris, sororis, etc. Ex

est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum aut quomodocumque pravum. Applicatio autem principiorum et mediorum pure physicorum ad res et effectus vere supernaturales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita et haereticalis. »

Quantunque con tal decreto sembrasse conciliarsi ciò, che riguarda la scienza fisica, e la repressione di viziose e riprovevoli applicazioni magnetiche; pure una trista esperienza ha fatto conoscere il bisogno di più efficaci provvedimenti. Imperciocchè non viene adoperato il magnetismo coi debiti modi e a naturali onesti fini: ma secondo i continui reclami di ragguardevoli soggetti avanzati da molte città dello stesso Stato pontificio, sonovi dei magnetizzatori, che osano applicare il magnetismo a non naturali fini con gravissimo danno della privata e comune pubblica moralità, servendosi di donne soggette ad incomposti atteggiamenti, con pretendere anche d'indovinare e rivelare occulti e futuri eventi. Pertanto non essendo cotali spettacoli disgiunti da una illecita ed irreligiosa illusione, si è giudicato necessario di onninamente proibirli, e castigarne gli autori, i cooperatori ed i fautori.

Per la qual cosa s'ingiunge a tutti i Vescovi ed Inquisitori delle nostre province d'invigilare sopra ciò, e di procedere sommariamente in via economica inspecta rei veritate, *previo il parere di timorate e dotte persone, proporzionando le pene alle delinquenze colla carcerazione determinabile nel tempo giusta la maggiore o minore reità, e tenendone informata la Suprema, particolarmente quando l'uso del magnetismo qualificato di circostanze ereticali esigesse rigoroso processo a norma dei sacri canoni.*

Questa circolare sarà diramata ai Vicarii distrettuali, e se ne procurerà l'esatto adempimento.

Roma, nella Cancelleria del S. Offizio presso il Vaticano, feria IV., 21. Maggio 1856.

V. *Card.* Macchi.

responsis, quae dantur, minime dubitare posses te vere cum defunctis carissimis colloquium habere. Isti enim plurima tibi referunt, et quidem tibi soli nota, aliis vero prorsus ignota; imo ipso eorum stilo responsa eduntur.

Haec superstitio, prioribus multo peior, haeresim et impietatem magis adhuc redolet; evertit enim dogmata Fidei nostrae inconcussa, praesertim poenarum gehennae aeternitatem. Nam defuncti de statu suo praesente interrogati respondent, se esse iam beatos, vel a poenis mox liberandos, licet in infernum demersos se non diffiteantur.

Ex dictis satis patet, spirituum consultationem diabolicam esse, et proprie dictam divinationem sacris Litteris tam severe prohibitam.

Qui consultant spiritus, seu *Spiritistae,* ut pestiferum errorem suum facilius diffundant, suadente diabolo coaluerunt in sectam, quae in dies magis praesertim in magnis civitatibus excrescit.

Porro non solum graviter illicitum est spiritus de occultis consulere et interrogare, sed etiam consultationi licet mere passive interesse, siquidem est peccatum cooperationis rei intrinsece malae. — *V. Casus, n. 277. et seq.*

Vide plura de spirituum consultatione, in variis opusculis nuper editis, imprimis DU SPIRITISME, *par le R. P. Nampon, de la Compagnie de Jésus.* LES MORTS ET LES VIVANTS; *Entretiens sur les communications d'outre-tombe, par le R. P. Matignon, S. I.* LE MAGNETISME, LE SPIRITISME ET LA POSSESSION; *Entretiens sur les esprits, par le P. Pailloux, S. I.*

ARTICULUS II.

DE IRRELIGIOSITATE

Irreligiositas est irreverentia specialis, quae Deo, vel immediate in se, vel mediate in personis, vel rebus sacris irrogatur. Praecipuae eius species sunt tentatio Dei, sacrilegium, simonia, blasphemia et periurium. De duobus ultimis in 2° praecepto dicetur.

§. I. *De tentatione Dei.*

283. — Tentatio Dei est dictum vel factum, quo quis explorat, an Deus sit potens, sapiens, misericors, aut alia perfectione praeditus. — *Ita communis cum S. Thom. 2. 2. q. 97. art. 1.*

Ex duplici autem vitio procedit, nimirum vel ex *infidelitate,* quando quis dubitans de aliqua Dei perfectione, quidpiam dicit aut facit animo obtinendi a Deo perfectionis illius manifestationem; vel ex mera *praesumptione,* quando quis nihil dubitans de Dei perfectionibus, absque necessitate vult aut divinae voluntatis manifestationem, aut speciale Dei auxilium obtinere per prodigia (*a*).

(*a*) Quidam tentationem Dei ex *infidelitate* ortam appellant *stricte ta-*

Certum est tentationem Dei formalem expressam semper esse peccatum mortale contra Religionem (*a*). — Si autem sit implicita solum, saepe ob ignorantiam, inadvertentiam, aut materiae parvitatem venialis esse potest (*b*). — *S. Lig. n. 29.*, etc.

Resolves. — 1° Graviter peccat contra Religionem, qui innocentiam suam probari postulat duello, ferro candenti, etc. (*c*), vel qui ad martyrium ultro se offert, nisi bona fide aut divina inspiratione excusetur.

Attamen licet a Deo petere miraculum sub conditione, *si ei placuerit*, quoties adsit causa gravis ad nostram aut aliorum salutem, vel ad divinam implendam voluntatem, sive (ut ait *S. Th. 2. 2. q. 97. a. 2.*) cum subsit iusta necessitas seu pia utilitas, et alia quae ad hoc concurrere debent; nam tunc non est tentare Deum, sed Dei auxilium expostulare in tempore opportuno.

2° Item peccat graviter, qui absque iusta causa periculo mortis se exponit, propterea quod divinum expectat auxilium; si vero temere tantum agat, quin certo divinae Providentiae confidat, non peccat contra religionem, sed tantum contra quintum Decalogi praeceptum.

3° Leviter tantum peccat, qui in morbo levi, reiectis remediis, sperat a Deo sanitatem; quia ibi non est gravis deordinatio. Imo ab omni culpa excusatur, si speret se naturaliter, Deo iuvante, a tali morbo liberatum iri. — *S. Lig. n. 3.* (*d*).

lem; ortam vero ex mera *praesumptione* dicunt *minus stricte talem.* Alii illam dicunt *expressam* et *formalem:* hanc autem *virtualem* et *interpretativam.* Hoc tamen aliis non placet; quia *expressa* non semper procedit ex dubitatione circa Dei attributa, sed ex levitate, curiositate, imprudenti fiducia etc. oriri potest.

(*a*) Hoc intellige de illa Dei tentatione, in qua dubium intercedit de divinis perfectionibus. Nam parvitas materiae in deliberato dubio contra fidem locum nullum habet. Neque tamen confundi debet peccatum contra fidem cum reatu tentationis Dei, quae formaliter ob irreverentiam erga Deum ad *irreligiositatem* pertinet. Sed duplex in hoc actu peccatum adest specie diversum; alterum contra fidem, alterum contra religionem.Caeterum si cuipiam non satis proposita sit revelatio, fieri potest, ut sine peccato ad veritatem explorandam signum a Deo petatur. Vid. Suarez, *De Relig. Tr.3. Lib. 1. Cap. 2. n. 9.*

(*b*) *Formalis* tentatio Dei ab *interpretativa* differt non solum quia haec admittit materiae parvitatem, illa vero nequaquam (nam quod spectat ad culpae levitatem ob imperfectionem actus, id utrique commune est); sed praeterea, ut Suarez advertit, modus peccati in interpretativa longe diversus est a formali Dei tentatione; nam formalis ex dubitatione de Dei attributis procedit, interpretativa contra ex nimia fiducia; illa insuper est exploratio divinae perfectionis, haec nullatenus exploratio est, sed reductive et implicite quaedam potius imprudens et praesumptuosa divini auxilii est imploratio. Quocirca concludit Suarez, videri sibi, duo haec etiam specifica malitia distingui.

(*c*) Cum quis temere se gravi periculo exponit, de divino auxilio imprudenter praesumens, dupliciter peccat, nimirum contra virtutem religionis, et contra quintum praeceptum, ut dicitur resol. seq. Vid. Less. *lib. 2. c. 45. n. 4.*

(*d*) S. Alphonsus (*h. l.*) tribuit Caietano, Valentiae, Lessio, Sayro, et

4° Item peccat *per se* venialiter, qui ex negligentia imparatus accedit ad praedicandum Dei verbum, sperans a Deo speciale auxilium.

§. II. *De sacrilegio.*

284. — Sacrilegium est violatio seu indigna tractatio rei sacrae. Triplex distinguitur: 1° personale; 2° locale; 3° reale.

Busembaum, quod levem culpam dixerint, *si quis in re levi et sine gravis damni periculo tentaret Deum ex sola curiositate spectandi aliquod opus supernaturale.* Sed reipsa isti auctores nihil habent eiusmodi; et Busembaum apud ipsum S. Alph. (*ibid. n. 29.*) oppositum cum Lessio docet. Allegationum autem fallacia in hunc S. Alphonsi locum ex Salmanticensibus (*Tract. 21. Cap. 12. n. 4.*), ut saepe alias, promanavit.

** Si unquam alias, certe huius Notae occasione VV. vehementer se commotos ostendunt; et adversus sex istas lineas molem octo columnarum (*Pag. 187–190.*) obiiciunt. Porro potius quam eos sequamur hac illac discurrentes, proderit statum quaestionis, et modum, quo eam S. Alphonsus tractat, simpliciter exponere.

Resolutio P. Gury, uti patet, spectat ad tentationem Dei *interpretativam:* et de tentatione *interpretativa* disserit etiam S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 30.*), cuius haec sunt verba: *Sed quaestio haec est, an in tentatione Dei* INTERPRETATIVA, *ut supra, detur parvitas materiae.* Affirmant Busembaum cum Caietano et Valentia in *2. 2. D. 6. q. 14. n. 2.* (Corrige *Punct. 2.*), Lessius *Lib. 2. C. 45 n. 4., Sayrus Clav. Reg. Lib. 6.* (Corrige *Lib. 4.*) *c. 7. n. 14. et Toletus Lib. 4. c. 19. n. 7. Hi dicunt, quod si quis in re levi et sine gravis damni periculo tentaret Deum ex sola curiositate spectandi aliquod opus supernaturale, hic tantum venialiter peccaret. Sed probabilius Sanchez Dec. Lib. 2. c. 34. n. 5., Suarez De Relig. Tom. 1. Tr. 3. c. 3.* (Corrige *c. 2.*) *n. 16. eum damnant de mortali, nisi excusaretur ratione ignorantiae vel indeliberationis.* Huc usque S. Alphonsi textus, e quo verba sumpta sunt in Nota sup. descripta.

At enim quis non videt, quaestionem a S. Doctore utique proponi de tentatione *materiali et interpretativa,* sed casum deinde subdi, qui pertinet ad tentationem *formalem,* cuiusmodi est quaerentis *videre opus supernaturale curiositatis gratia?* Exinde autem vera totius confusionis est causa. Nam Busembaum immediate ante verba S. Alphonsi (*Lib. 3. n. 29. in fin.*) utique levem esse posse culpam dicebat *ob periculi parvitatem;* sed agebat expresse de tentatione *interpretativa,* nec quicquam habet de curiositate videndi opus supernaturale, ac iure merito in rem suam allegat *Toletum, Sayrum,* et *Caietanum.* Item Valentia (*l. c.*): *Contingit esse veniale, si sit tentatio materialis et interpretativa,... nisi exponeret se quis maximo periculo.* De curiositate autem videndi opera supernaturalia nihil omnino habet. Ita et Sayrus (*l. c.*): *Nonnunquam autem solum veniale erit, si sit tentatio materialis et interpretativa... nisi quis se exponeret maximo periculo.* De praedicta vero curiositate nihil ibi occurrit. Quod si Lessius (*l. c.*), et Toletus (*l. c.*) mentionem iniiciunt de eo, qui supernaturale aliquid ex curiositate quaerat, id non ad *interpretativam,* sed ad *formalem* tentationem referunt: quando vero de *interpretativa* disserunt, idem sentiunt, ac Busembaum, et nihil de curiositate videndi supernaturalia miscent. Ergo minus ad rem DD. isti a S. Alphonso ibi allegantur.

Aegre ferunt (*Pag. 188.*) VV., quod ex Salmanticensibus a S. Alphonso deductae allegationes subinde dicantur.—Resp. Non solum allegationes hoc loco, sed (quod magis dolendum) disputationis formam S. Alphonsus ab

Principia. — I. Sacrum heic dicitur quidquid ad divinum cultum publico ritu ex institutione divina vel ecclesiastica deputatur, ideoque specialem reverentiam meretur. — *S. Thomas 2. 2. q. 99. art. 3.*

Hinc 1° Personae *sacrae* sunt, quae cultui divino sunt deputatae per sacram tonsuram, aut per vota religiosa.

2° Loca *sacra* sunt ea, quae publica Ecclesiae auctoritate cultui divino dedicantur, ut templa, coemeteria, sacella publica, etiam non consecrata aut benedicta; non vero sacella privata.

3° Res *sacrae* sunt eae, quae ad cultum divinum pertinent vel proxime referuntur, ut Sacramenta, vasa consecrata, Reliquiae vel imagines Sanctorum; item quae pertinent ad ornatum Ecclesiae vel ministrorum; bona denique ecclesiastica etiam mobilia. — *S. Thom. ibid.*, etc.

II. Sacrilegium est peccatum mortale *ex genere suo,* quia excellentissimae virtuti, nempe religioni adversatur, et plerumque materiam gravem respicit. — Leve tamen fieri potest ratione parvitatis materiae, vel imperfectionis actus. — *S. Lig. n. 33.*, etc.

illis sumpsit. Salmanticensium scilicet facinus egregium fuit, ut postquam (*Tr. 21. c. 12. n. 2.*) notiones tentationis tum *formalis* tum *interpretativae* praemiserunt, cuiusmodi deinde sit peccatum inquirentes (*ibid. n. 3. 4.*) nihil inter *formalem* et *interpretativam* distinguerent. Quinimo exemplum proponentes apud DD. commune de interpretativa, hominis nempe, *qui in levi morbo respuit medicinas, confidens a Deo sanitatem consecuturum, non tamen expresse petendo miraculosam curationem, vel si male et irreverenter orat, speret se impetraturum, quae communiter alii impetrare solent,* ut gravis culpae hunc hominem damnent, introspicere in illo omnino volunt, *vanam curiositatem* videndi miraculum, ideoque eum agentem cum Deo tamquam cum ludione expresse exhibent. Hinc vera origo qualiscunque confusionis et apud S. Alphonsum. Cuius originis si VV. luculentius argumentum cupiunt, adeant S. Alphonsi editionem an. 1748; ubi sic de hac controversia S. Doctor (*Lib. 3. Tr. 1. C. 2. Dub. 1. not. A*): *Quaestio est, an detur parvitas materiae in tentatione Dei ex materiae levitate? v. gr. si in morbo levi respuas medicinas, exspectans a Deo sanitatem, non petendo tamen expresse miraculum, et similia? Affirmant Tol. Bon. Sayr. Val.* APUD SALMANT. *Tr. 21. c. 12. n. 3.* (corrige 4.). *Sed negant ut probabilius* SALMANT. *cum Suarez et Palao.* Numquid non apparet hic nucleus ex Salmanticensibus ad litteram excerptus? Verumtamen iam inde ab editione an. 1757 quoad casum sic propositum ab hac opinione anomala Salmanticensium S. Doctor recesserat. Desiderandum et illud fuisset, ut de *interpretativa* suo marte dissereret, et Salmanticensibus sua reliquisset, qui in ea confusione etiam Sanchezium opponunt Busembaum, cum tamen Sanchez de eodem casu non secus ac Busembaum, scribat (*Dec. Lib. 2. c. 34. n.5. in fin.*): *Fatendum tamen est, aliquando posse materiam et periculum esse adeo exigua, ut sit culpa venialis, ut bene docet Leonardus* (*Lessius*), *cuius exemplum appono, ut in levi morbo nolle medicinis uti, sperando vane salutem a Deo, non petito miraculo.* Suarez vero, quem post Salmanticenses S. Alphonsus cum Sanchezio opponit, non de *interpretativa,* sed de *formali* tentatione capite illo 2° agit; et quidem hoc 2m caput allegatum fuisse a S. Alphonso, et erronee in textu ipsius scribi cap. 3m, inde manifestum est, quod §. *16* utique in 2° capite, non autem in *cap. 3°* cernitur, cum hoc decem tantum §. habeat.

III. Sacrilegium specie differt, prout personam, locum aut rem sacram afficit (*a*); unde in confessione istae circumstantiae explicandae sunt. — *S. Lig. n. 34.* — *S. Thom. ibid.*, etc.

285. **Resolves.** — 1° Sacrilegium *personale* committitur 1° inferendo manus violentas in Clericum vel Religiosum; 2° luxuriose violando personas Deo dicatas, etiam solis tactibus; 3° personas ecclesiasticas subiiciendo iudicio fori. — Non erit autem sacrilegium detrahere de sacerdote, quia eius tantum persona est sacra, non vero ipsius fama. — *S. Lig. n. 35.*

2° Sacrilegium *locale* committitur 1° peccatis omnibus quibus Ecclesia polluitur de Iure canonico, scilicet effusione sanguinis et seminis humani, homicidio, sepultura excommunicati aut infidelis in Ecclesia; 2° peccatis omnibus quae fiunt contra immunitatem (*b*) et sanctitatem loci sacri, ut sunt effractio, spoliatio, furtum, rixae et similia; 3° actionibus sanctitati loci indecentibus, ut sunt mercatus, conclamationes, strepitus iudiciorum, nisi gravis causa excuset. — *S. Lig. n. 36.*

3° Sacrilegium *reale* committitur 1° indigna administratione aut susceptione Sacramentorum; 2° indigna tractatione sacrarum Reliquiarum, imaginum, etc...; 3° profanatione vasorum, instrumentorum et ornamentorum sacrorum; 4° furto rei ad cultum divinum vel ad Ecclesiam pertinentis; 5° abusu Scripturae, v. gr. verba eius detor-

(*a*) Quamquam Suaresius (*De Relig. Tract. 3. Lib. 3. Cap. 1. n. 8.*) advertat, sufficientiam huius divisionis non esse speculativo rigore exigendam, et nullam rationem afferri huius partitionis iuxta materiam, nisi quod haec magistralis divisio sit communiter admissa, et accommodata ad omnia sacrilegia explicanda et sub quibusdam capitibus comprehendenda, et ad excludendum quidquid ad sacrilegium non pertinet; attamen (*ibid. Cap. 5.*) communi sententiae adhaeret, quae in triplici hac partitione triplicem sacrilegii distinctam speciem cognoscit, atque adeo in confessione explicandam tenet.

Addendum vero cum S. Alphonso (*Lib. 3. n. 34.*), probabilius has sacrilegii species non subalternas esse, sed infimas; pro qua sententia faciunt illa S. Thomae (*2. 2. q. 99. art. 3. ad 2.*): *Et sic similiter possibile est, aliqua duo peccata differre specie secundum materiales actus, convenire autem in specie secundum unam rationem formalem sacrilegii, puta si quis sanctimonialem violaverit verberando vel concumbendo.*

(*b*) Ubi agitur de sacrilegio ob violatam loci sacri immunitatem, sacri loci notio multo patet latius, quam cum agitur de actibus directe oppositis loci sacri sanctitati. Nam quoad hosce actus attinet, quibus et *pollui Ecclesia* potest, locus sacer dicit tantummodo ambitum loci benedicti ac deputati ad divina officia aut ad mortuos sepeliendos a tecto usque ad pavimentum. Si vero de loci sacri immunitate sit sermo, hic exteriores quoque Ecclesiae partes, porticus, v. gr. sacristiam, turrim, tectum, subterraneas cryptas, scalas ad templum, totamque exteriorem basim comprehendit. Eodem censu habentur coemeteria etiam disiuncta ab Ecclesia, Episcopi palatium, imo et domus parochi, si sit Ecclesiae coniuncta, Religiosorum conventus cum horreis, hortis ac iis omnibus quae eorum ambitu concluduntur, hospitalia demum auctoritate Episcopi erecta et sacellum ad celebrandum habentia.

quendo ad vana, etc.; 6° vasorum sacrorum, corporalium, etc., incuria in iis, qui haec religiose curare debent. — *S. Lig. n. 40. et 48.*

286. **Quaesita.**— QUAER. 1° *An sit sacrilegium violatio personae voto simplici castitatis ligatae extra Religionem?*

Resp. Controvertitur. I[a] SENTENTIA *affirmat,* quia per quodlibet castitatis votum homo vere Deo consecratur. Propria enim voluntas ad actus proprios Deo consecrandos sufficit, aeque ac ad consecrationem publica sufficiens est auctoritas. — *Billuart, diss. 10.* — *S. Lig. n. 47. ut probabilius* (*a*).

(*a*) Haec opinio contra se habet communem Theologorum doctrinam, quae sacrilegium definit *violationem rei sacrae*, hoc *rei sacrae* nomine comprehendens non modo *res,* sed et *personas* et *loca,* quae speciali quadam ratione cultui divino destinantur. Porro si de *sacris personis* sermo sit, *Non quaelibet privata devotio* (ut bene inquit Suarez *De Sacrileg. Lib. 3. Cap. 2. n. 1.*) *aut propositum se totum dicandi ad divinum cultum constituit personam sacram, sed necesse est, ut ex iure fiat talis consecratio personae.* Haec autem consecratio fit vel per sacram ordinationem in clericis, vel per dedicationem ad perpetuum Dei cultum in statu aliquo ab Ecclesia approbato (Suarez, *ibid. n. 1. et 4.*). Quocirca *nunquam persona efficitur sacra, nisi ex publico Ecclesiae iure cultui divino dicata fuerit, vel per sacri Ordinis susceptionem vel per statum religiosum,* prout ait Laymann (*Lib. 4. Tr. 10. c. 7. n. 4.*), et suadet etiam *Cap. Duo sunt 7. Caus. 12. q. 1.*

Et S. Alphonsus quidem oppositam opinionem praetulisse videtur innixus doctrinae, quam Salmanticenses (*Tr. 21. Cap. 12. n. 22.*) tribuerunt S. Thomae, quasi nempe *cuiuslibet voti violatio sit vere et proprie sacrilegium.* Sed reipsa sicut falso hanc opinionem iidem (*ibid. n. 21.*) adscribunt tum Azorio et Bonacinae, qui nihil eiusmodi tradunt, tum Lessio, qui contra (*Lib. 2. Cap. 45. n. 11.*) expresse scribit, *parum proprie id sacrilegium dici;* ita perperam pro ipsa S. Thomam invocant, et gratis sibi confingunt, S. Doctorem, dum (*2. 2. q. 99. a. 3. ad 3.*) nominat *virginem Deo dicatam,* id de virgine voto simplici obstricta intellexisse. Patet enim oppositum non solum ex loco parallelo *2. 2. q. 154. a. 10. ad 2. et 3.,* ubi clarius nominat *personam specialiter consecratam,* praesertim vero collatione facta cum *4. Dist. 38. q. 1. art. 3. q. 2. et 3.,* et *2. 2. q. 154. art. 1. ad 3.;* sed etiam ac multo evidentius ex generali eiusdem doctrina, quae voti violationem (*2. 2. q. 88. a. 3.*) non ad speciem *sacrilegii* revocat, sed ad vitium *fidelitati* oppositum. Porro (*2. 2. q. 97. Prooem.*) *infidelitatem in promissis* non secus ac *periurium* peccatis accenset, quae *directe pertinent ad irreverentiam Dei,* eaque prorsus distinguit a peccatis, quae pertinent *ad irreverentiam rerum sacrarum,* cuiusmodi suapte natura et definitione est sacrilegium. Corruit ergo ratio, auctoritas scilicet S. Thomae, propter quam S. Alphonsus in eam opinionem inclinavit. Conf. Suarez (*De Sacril. Lib. 3. Cap. 3.* et *De voto Lib. 5. Cap. 3. n. 4. et 5.*), qui etiam ex doctrina S. Thomae palam facit, quantopere hallucinatus fuerit Caietanus, qui (*Comm. ad 2. 2. q. 99. a. 3.*) primus anomalam opinionem ad sacrilegia revocantem quaslibet voti cuiusvis infractiones invexit, quam propterea etiam Billuart (*De Relig. Dissert. 10.*) fatetur *a communi sententia alienam esse,* utcumque ipse excipere votum castitatis maluerit, minus advertens, cuiuslibet privati voti conditionem *quoad rem efficiendam sacram* omnino parem existere. Et hoc quidem inde quoque elucet, quod ex omnium consensu sacrilegium circa personas *vere sacras* committitur non solum per actus castitati oppositos, sed etiam per violentam in ipsas manuum iniectio-

II^a Sententia *non minus probabilis negat,* quia per votum simplex castitatis persona non fit sacra; ad aliquam enim personam consecrandam publica Ecclesiae deputatio requiritur. —*Elbel, n. 584.*

nem. Nemo autem illum ceu sacrilegii reum habuit, qui in personam privato castitatis voto obligatam manus iniecerit.

Illud demum accedit, quod nuspiam (ut advertit Suarez *De voto Lib. 5. Cap. 3. n. 4.*) *invenitur in Canonibus,* quod per *solum votum simplex* (nisi scilicet interveniat specialis consecratio aut traditio) *res vel persona efficiatur sacra.* Atqui cum eiusmodi votis privatis nulla adnectitur rei vel personae traditio. Ratio autem est, quia Deus hasce oblationes seu donationes per seipsum non acceptat, *sed* (prouti inquit Suarez *De Stat. Relig. Lib. 2. Cap. 7. n. 12.*) *si quid donatur ei vel in cultum eius, vult dari ministris suis, ut ab eis nomine eius acceptetur et administretur: et alias facta donatio est vana et irrita, utpote ab ordinaria providentia Dei aliena.* Ex quibus idem Suarez (*ibid. n. 13.*) concludit, quod *in hoc recte procedit... sententia differentiam constituens inter votum simplex et solemne castitatis; quia votum simplex est sola promissio non coniuncta traditioni; votum autem solemne castitatis semper habet aliquam traditionem coniunctam, quae non Deo immediate, sed per ministros suos fit, et per illos acceptatur, ideoque res sic Deo tradita sub illorum cura et gubernatione manet.*

Sententia porro, de qua heic Suarez, ea est, quam ipse alibi (*De Voto Lib. 1. Cap. 14. n. 7.*) dixerat communem *quampluribus* Doctoribus, et hos inter etiam S. Thomae, qui rationem differentiae inter utrumque votum, solemne scilicet et simplex, quod alias (*4. Dist. 38. Q. 1. a. 2. q. 2.*) dicit *privatum,* sic tradit (*Quodl. 3. a. 18.*): *Huius diversitatis ratio est, quia votum solemne habet promissionem cum quadam traditione; unde votum continentiae non solemnizatur, nisi per susceptionem Ordinis sacri..., vel per professionem ad certam regulam, et susceptionem habitus Professorum... Votum autem simplex habet promissionem sine traditione. Manifestum est autem, quod postquam aliquis rem, quae erat suae potestatis, alicui non solum promittit, sed etiam tradit, non potest eam ulterius alteri dare..., et etiamsi postmodum alteri donare voluerit, secunda donatio non valet.... Qui vero promittit aliquid alicui, nondum tamen tradidit illud, si postmodum alteri actualiter illud tradat, licet promissionis fidem frangat, tamen secunda donatio valet.* Et exinde alibi (*4. Dist. 38. Q. 1. art. 3. q. 2. ad 1.*) addit: *Simili modo obligat votum simplex, sicut sponsalia;* quemadmodum et votum solemne cum matrimonio alibi comparans concludit (*2. 2. Q. 154. art. 1. ad 3.*), quod *sacrilegium, quod committitur in violatione talis mulieris, est quoddam adulterium spirituale.*

Caeterum nequaquam putes timendum, ne forte per haec labefactetur doctrina post Bonifacii VIII et Gregorii XIII Constitutiones iam communis et certa, quam clare propositam reperies etiam in huius operis vol. II. (*Not. ad n. 153.*), votorum nempe solemnitatem, vimque iis adnexam producendi certos quosdam effectus mere a iure ecclesiastico esse repetendam. Et sane quo pacto Suarezius, uti vidimus, dixisset, differentiam illam inter votum solemne et simplex *recte* ab iis DD. constitui, si quidem haec repugnaret mox memoratae Apostolicarum Constitutionum doctrinae, quam ibidem ipse totis viribus propugnat? Advertendum nimirum est ad ea, quae doctrinam illam ad examen vocaturus idem Suarez scitissime praemonet hisce verbis (*cit. cap. 7. Lib. 2. Tract. de Stat. Relig.*): *Ad exacte investigandam huiusmodi sententiae veritatem vel probabilitatem, suppono,* DUOBUS MODIS *posse intelligi, traditionem illam inhabilitare personam ad matrimonium,* VEL EX NATURA SUA AC PROINDE IURE DIVINO NATURALI, VEL EX INSTITUTIONE ECCLESIAE. Quibus praemissis subdit, *de priori modo* totam esse controver-

Caeterum quisquis ligatus sit voto castitatis, quoties hoc violet, certo duplex committit peccatum, alterum nempe contra castitatem, alterum vero contra Religionem. — *Lacroix, l. 3. n. 55.*

siam, eamque a Scoto, Paludano, aliisque multis auctoribus impugnari quamvis rationibus iudicio suo minus firmis, quibus dein ipse (*ibid. a n. 14.*) efficaciores ex Apostolicis Constitutionibus substituit. Ergo dummodo teneas, inhabilitatem ad matrimonium, quae solemni voto est adnexa, ab Ecclesiae institutione repetendam esse, rectissime illam inter solemne ac simplex votum differentiam, quam communiter a DD. admissam diximus, retinere ipso quoque Suarezio iudice potes.

Quandoquidem vero de Suarezii doctrinis sermo incidit, illud iuverit obiter innuere, nequaquam opus esse illam quoque Eximii doctoris amplecti sententiam, qua statuit, naturam seu essentiam *solemnitatis* votorum consistere *in virtute irritandi quosdam actus votis contrarios,* seu, ut ipse loquitur (*De Stat. Relig. Lib. 2. Cap. 14. n. 10.*), *in vi inhabilitandi personam ad effectus quosdam morales,* nempe efficiendi, ut solemniter professi sint incapaces contrahendi matrimonium, aut acquirendi dominium, aut firmiter contractus ineundi; quasi scilicet solemne votum esse nequeat, nisi hosce effectus pariat. Quae quidem opinio cum solidae cuipiam rationi non innititur, tum multis difficultatibus et incommodis, iisque non levibus laborat.

Secus itaque gravissimis aliis Theologis, cuiusmodi sunt Mich. Medina Trid. Syn. theologus, Card. Bellarminus, Gabr. Vasquez, Ioann. Azor, Card. De Lugo, Io. Malderus, etc., visum est de hac re decernendum. Cumque ex Constitutionibus Apostolicis inhabiles ad matrimonium reperiamus scholasticos Soc. Iesu; insuper vero Coadiutores Formati eiusdem Societatis non matrimonii solum, sed cuiusvis quoque dominii ac proprietatis incapaces declarentur, licet simplicibus dumtaxat votis eidem Societati constricti utrique sint; ex adverso autem quamplura exempla evincant, alias vota solemnia in Ecclesia hosce effectus sortita non fuisse; pronum est concludere, vim illam quosdam actus irritandi non ipsi solemnitati votorum necessario insitam et quodammodo essentialem inesse, sed extrinsecus ipsi advenire ex positivo decreto Ecclesiae, cuius ius est et potestas, ut ait Bellarminus (*De Matrim. Lib. 1. Cap. 21.*), *eiusmodi contractus legitimos vel illegitimos decreto suo reddere, prorsus habiles vel inhabiles efficiendo.* Ac ne forte concludas, nihil igitur superesse discriminis inter votum solemne ac simplex, fac ea conferas, quae laudatus Bellarminus ad finem allegati Capitis sapienter pro more suo disserit.

** Pauca quaedam de huius Notae argumento inserta fuerant in Edit. an. 1866. Uberius deinde (*Edit. an. 1869.*) ea explicandi et confirmandi necessitatem intulit quorundam in Galliis difficultas, quasi Nota illa detraheret verissimae doctrinae, quae votorum solemnitatem iuris esse ecclesiastici tenet: quae quidem difficultas etiam Sanchezium deterrebat (*De Matr. Lib. 7. Disp. 25. n. 14.*) a sententia sup. exposita, quam alioquin (*ibid. n. 7.*) communissimam et S. Thomae fuisse ostendit. Nunc vero ecce et VV. hisce non minus quam viginti et octo columnas opponunt. Quorsum? nempe ut concludant, *probabilius* id esse, quod post Salmanticenses ait S. Alphonsus, etiam simplicis voti violationem esse *sacrilegium.* Quae quidem conclusio quoad praxim nihil concluderet. Et sane si fingas v. gr. *sacrilegii* peccatum esse reservatum, ista probabilitas non interdiceret simplici Confessario, quominus posset a simplicis voti violatione absolvere. Caeterum non eo VV. studia (prout optandum foret) contulerunt, ut quaestionem ad sua principia (quae initio Notae indicata cernere potuerant) revocantes, eam aliqua luce adspergerent; sed mere Auctorum lacinias, quae aliquali specie dissonare utcumque videantur ab huius Notae sententiis, undique con-

QUAER. 2° *An omnia peccata luxuriae in Ecclesia aut coemeterio commissa sint sacrilegia?*

Resp. 1° Peccata *mere interna* non sunt habenda ut sacrilegia, quia locum sacrum non videntur specialiter afficere, nisi habeatur

gesserunt, ut fere solent. Praestabit itaque id, quod maxime intererat, non omittere. Nam si quaestio ad sua revocetur principia, brevi elucescet, quid de ingenti illa 28. column. mole, et de tot illis Auctorum textibus seu laciniis diiudicandum sit.

Praemittendum in primis est, *sacrilegii* nomen tum *presso* sensu usurpari, tum *lato:* posteriori autem hoc sensu *sacrilegium* dici consuevisse *quodlibet peccatum contra virtutem Religionis.* Vid. Azor (*P. 1. L. 9. c. 27. q. 1.*), Filliucc. (*Tr. 24. C. 9. n. 220.*), Palao (*Tr. 17. D. 1. Q. 2. C. 1. init.*), Tamburini (*Dec. L. 2. C. 6.* §. *3. n. 1.*), Catalani (*Part. 2. Q. 7. C. 1. n. 1.*), Mazzotta (*Tr. 2. D. 1. Q. 2. C. 1. init.*) etc. Hoc ergo sensu et *periurium,* et *blasphemia,* et *idololatria* etc. sacrilegium dici possunt. — *Presso* autem sensu, et prout est *speciale* peccatum, sacrilegium dicitur *violatio rei sacrae.* Ita Palaus (*l. c.*): *Propria ergo acceptio sacrilegii est, quae ex rei sacrae, a Deo distinctae, laesione seu violatione sumitur: sic S. Thomas ab* OMNIBUS RECEPTUS *2. 2. q. 99. a. 1. et 3.*

Succedit summi momenti quaestio: Quid venit *nomine rei sacrae?* Respondet Laymann (*Lib. 4. Tr. 10. Cap. 7. n. 2.*), *rem sacram proprie eam tantum censeri,* QUAE PUBLICO RITU AUT INSTITUTIONE AD DEI CULTUM DEPUTATA EST, *sicut docet Iurecons. L. In tantum, et L. Sacra ff. de divisione rerum.* Idipsum habent Palaus (*l. c.* §. *1. n. 1.*), Voit (*T. 1. n. 465.*), Suarez (*De Rel. Tr. 3. L. 3. C. 1.*), Struggl (*Tr. 5. Q. 6. art. 2. n. 9.*), Filliucc. (*l. c.*), Azor (*l. c.*) etc. Et consonant reipsa textus a Laymann allegati. Quippe *L. Summa 1. ff. de divis. rer. Aliae* (res) *sunt divini iuris..., veluti res sacrae:* unde illud S. Thomae (*2. 2. q. 99. a. 1.*): *Ex hoc quod aliquod deputatur ad cultum Dei, efficitur quoddam divinum.* Et *L. Sacra 9. ff. De divis. rer.* sic habet: *Sacra loca ea sunt, quae publice sunt dedicata.* Et §. 1.: *Sciendum est, locum.... sacrum fieri posse, cum Princeps eum dedicavit, vel dedicandi dedit potestatem.* Et *L. In tantum* §. *3. ff. tit. eod.*: *Sacrae autem res sunt hae, quae publice consecratae sunt, non privatae: si quis ergo privatim sibi sacrum constituerit, sacrum non est, sed profanum.*

Et ex his patet, cur Laymann (*l. c.*) addiderit, *Non quolibet privato proposito aut voto rem aut personam sacram effici, sed necesse esse, ut publicam ex iure consecrationem, vel deputationem ad Dei cultum habeat.* Et Suarez (*l. c. C. 2. n. 1.*): *Non quaelibet privata devotio aut propositum se totum dicandi ad cultum divinum constituit personam sacram, sed necesse est, ut ex iure fiat talis consecratio personae.* Et Filliucc. (*l. c. n. 224.*): *Non quaelibet privata devotio, aut propositum dicandi se Deo constituit personam sacram, sed requiritur, ut fiat iuxta usum Ecclesiae et iuridicum.*

Hinc autem consectarium, quod votum *privatum* per se nec rem votam, nec personam voventem efficit *sacram:* quia hic nulla intercedit *publica et iuridica* sive rei sive personae deputatio aut dedicatio aut consecratio ad Dei cultum. Quocirca eiusmodi voti violatio utique peccatum est contra virtutem Religionis, quia magnam in Deum irreverentiam, frangendo fidem ei datam, importat; et quatenus est peccatum contra virtutem Religionis, etiam sacrilegium dici poterit lato illo sensu, quo diximus *sacrilegium* appellari periurium, idololatriam, divinationem, vanam observantiam, blasphemiam etc.; sed *sacrilegium presso* illo sensu, quo denotatur *violatio rei sacrae,* nullo modo dici potest.

Quandonam igitur ob violatum votum castitatis (de quo est quaestio) *proprie* dictum aderit sacrilegium? Resp. quando iuridica dedicatione ad

desiderium externe peccandi in ipso loco sacro.— *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 462.* — Quod si habeantur ut sacrilegia, haec tamen circumstantia, utpote leviter culpabilis, non est necessario in confessione aperienda. Sacrilegium item erit desiderium peccandi in loco sacro habitum extra ipsum, non vero desiderium conceptum in loco sacro peccandi extra eumdem. — *S. Lig. n. 462.*

Resp. 2° Quoad peccata *externa,* certum est committi sacrilegium per actus consummatos, nempe per pollutionem voluntariam, fornicationem, etc. Ex Iure canonico aperte patet (*a*). An vero committatur etiam per alia peccata externa gravia, v. gr. tactus graviter turpes, *controvertitur. Probabilius affirmant S. Lig. n. 459., Collet,* etc. — *Negant* autem non *improbabiliter Sanchez, Tamb., Bonac.,* etc. (*b*).

Dei cultum persona consecrata fuerit *non utcumque,* sed in ordine ad castitatem perpetuo servandam. Dixi, *non utcumque;* quia v. gr. clerici, in minoribus constituti, sunt personae *sacrae;* sed quia nondum consecrati sunt ad castitatem servandam, quemadmodum nec sacerdotes ritus graeci, hinc violando castitatem reatum proprie dicti sacrilegii non incurrunt. Requiritur igitur consecratio in ordine ad servandam continentiam, quae locum habet 1° *in sacra ordinatione,* et 2° *in professione religiosa.*

Quinimo si inquiratur, potius ne a ratione voti etiam solemnis, an a constitutione Ecclesiae, continentiam ordinantis ad Dei cultum, repetenda sit ratio sacrilegii in castitatis laesione, concludamus oportet ab hac Ecclesiae ordinatione sacrilegii reatum proficisci. Nam missum nunc fiat, quod sacrilegii reatus incurritur ab iis quoque, qui cum vere sint Religiosi, solum simplicibus tamen votis perpetuis adhuc adstringuntur: qua de re videsis Suarez et Filliucc. (*ll. cc.*). Verum luculentius id patet ex Theologorum doctrina, quam et S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 808. et 809.*) tuetur, nempe non minus *sacrilegii* reum dicendum esse sacerdotem ob castitatis violationem, etiamsi ad castitatem servandam non vi ullius voti, sed ecclesiastica tantum lege adstrictus putetur.

Concludatur itaque, si quaestio ad principia eiusdem propria exigatur, nullam suppetere rationem, cur laesioni *voti simplicis ac privati sacrilegii proprie sumpti* reatus competat.

Ad sententiam autem ferendam de pondere auctoritatis tot Scriptorum, quae contra hanc conclusionem obiicitur, praestat inquirere, quo sensu *sacrilegii* vocem auctores adhibeant, immo an constet, eos ad diversum, quo usurpatur, sensum advertisse; insuper an ullam, an genuinam *rei sacrae* notionem praeferant: tum vero an perpenderint, undenam *personae efficiantur sacrae.* Denique an licet notiones istas recte praemiserint, cohaerenter deinde de singulis decreverint, an vero rapi se aliorum auctoritate, re nullatenus perpensa, permiserint.

(*a*) Allegari solent Cap. unic. *De Consecr.* in VI., C. *Si Ecclesia* fin. *De Consecr.,* et C. *Ecclesiis 20. De Consecr. Dist. 2.* Sed reipsa hi textus hoc habent dumtaxat, Ecclesiam seminis effusione pollutam indigere reconciliatione.

(*b*) Principium, cui ista opinio innititur, habes penes Sanchez (*De Matrim. Lib. 9. Disp. 15. n. 4.*), quod nempe *malitia haec et specialis deformitas non consurgit ex iure naturae, sed ex solo Ecclesiae statuto; at non invenitur ius ecclesiasticum haec prohibens in loco sacro fieri praeter textus... qui statuunt, Ecclesiam sanguinis aut seminis effusione violari.* Atqui hoc principium a communi hominum sensu prorsus abhorret. Quas-

QUAER. 3° *An omne furtum in Ecclesia sit sacrilegium?*

Resp. 1° Constat, esse sacrilegium omne furtum rei sacrae et etiam rei non sacrae, commissae tamen loci sacri custodiae, ut pa-

dam enim actiones adeo per se turpes esse aut saltem profanas, ut etiam seclusa Ecclesiae prohibitione locorum sacrorum sanctitatem dedeceant, et huic ita opponantur, ut si in ipsis patrentur, honori ac reverentiae illis debitae derogare censeantur, hoc enimvero non christiana modo plebs, sed vel ipsi ethnici naturali rationis lumine agnoverunt, ac semper professi sunt. *Indecens enim* per se *est, ut locus orationi et cultui divino deputatus convertatur in locum peccandi et offendendi eundem Deum*, ut ait Lugo (*De Poenit. Disp. 16. n. 466.*). Porro huius irreverentiae malitia, ut scite idem Lugo advertit (*l.c.*), *non apparet, cui virtuti opponatur, nisi religioni propter specialem reverentiam, quae debetur loco sacro*, atque adeo ad quam peccati speciem, praeter sacrilegium, pertineat.

Accedit oppositae sententiae incommodum. Ius enim ecclesiasticum, e quo sacrilegii rationem isti theologi desumunt, mere loquitur de Ecclesiae reconciliandae necessitate; unde primi huius doctrinae auctores, Caietanus (*Opusc. Tom. 1. Resp. 12.*) et Navarrus (*In C. Consideret n. 20.*) inferunt, sacrilegium tantummodo haberi in actu, quo locus ineptus ad divinum cultum efficitur. Exinde vero profluit consectarium, quod Pontius (*De Matr. Lib. 10. Cap. 10. n. 15.*) cum aliis deduxit, nullum vel nefandissimum luxuriae crimen in ecclesia patratum posse haberi et dici *sacrilegum*, si occulta maneat effusio seminis; quippe si haec lateat penitus, aut paucis quibusdam tantum innotescat, ecclesia reconciliatione non indiget. Hinc autem duo absurda sponte effluunt. Primo quod nulla actio per se, dum occulta manet, sacrilega erit. Deinde quod actio sacrilega non erit, quousque manet occulta; fiet vero deinceps sacrilega, si forte crimen, quod occultum diu mansit, in plurium notitiam deveniat.

Hinc verior doctrina censenda est, quam tradidit Lugo (*l. c.*), nempe quod seclusa ignorantia et inadvertentia, omnia peccata in ecclesiis commissa aliquam specialem irreverentiam includant; quae licet non semper gravis sit, sed levis esse possit atque adeo non necessario explicanda in confessione, ad malitiam tamen sacrilegii pertinet.

Non silentio praetermittendum hic est, S. Alphonsum (*Lib. 3. n. 485.*) post Salmanticenses (*Tract. IX. Cap. 15. n. 61-62.*) ceu *probabile* tradere, *praeciso scandalo nunquam esse sacrilegium copulam maritalem in Ecclesia habitam.* Sed haec opinio nullum fundamentum, praeter fallaces allegationes, habet. Nam doctores a Salmanticensibus allegati reipsa id tantummodo de casu necessitatis affirmant. Caeterum circumstantia scandali per se malitiam sacrilegii non inducit.

** Occasione huius Notae, duas et triginta columnas VV. conscripserunt (*Pag. 205-221.*), non alio tamen emolumento, quam ut libri moles non parum augeatur.

Et sane quoad primam Notae partem, VV. monent, Sanchezii sententiam etiam a S. Alphonso reiici: addunt tamen, in Nota *minus recte illam exponi.* At, quaeso, rectiusne exponi potuit, quam verba Sanchezii fideliter transcribendo?

Volunt id VV. evincere, afferendo conclusionem Suarezii (*De Relig. Tr. 2. Lib. 3. c. 7. n.11.*), *probabilius videri tactus impudicos, praesertim graviores et in partibus inhonestis, gravia sacrilegia esse.* Tum subdunt: *Oppositum ergo probabile censet.* — Respondeo: N. Consequentiam; nam ipsi VV. immediate antea referunt haec Suarezii: *Dico: omne peccatum, saltem externum in Ecclesia factum habere inde aliquam malitiam saltem venialem.* Ergo ex verbis illis Suarezii sequitur quidem culpam sacrilegii probabiliter non esse mortalem, non vero probabile esse illud San-

tet ex Iure can. *C. Quisquis, 21. §. 2. causa 17. Quaest. 4.*, ubi legitur: *Similiter sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro.*

chezii principium. Imo ipse Sanchezius, parum sibi cohaerens (*l. c. n. 21.*) fatetur ob *loci irreverentiam* culpam adesse venialem. Dixi, *parum sibi cohaerens;* nam si culpam ex *irreverentia* repetit, ergo ex iure naturae, et non ex solo iure positivo actus turpis sacrilegam malitiam esse fatetur; ergo suum ipse principium damnat.

Addunt deinde VV. (*Pag. 208.*), *sententiam Caietani et Navarri in Nota minus recte exponi.* — Resp. In Nota dicitur, ex mente Caietani et Navarri *sacrilegium tantummodo haberi in actu, quo locus ineptus ad divinum cultum efficitur.* Porro VV. (*Pag. 210.*) sic scribunt: *Ex hac doctrina Caietani et Navarri.... sequitur, ad sacrilegium semper requiri, quod peccatum tale sit, quo divinus cultus impeditur: quia Ecclesia..... praecepit, ut, crimine perpetrato, locus sacer reconcilietur.* Ergo suo ipsi testimonio VV. fatentur, sententiam Caietani et Navarri recte in Nota exponi.

Ad haec VV. defendendam Pontii sententiam (*Pag. 212.*) suscipiunt, licet non modo fateantur *sat paucos* eam admisisse; sed subdant, eam communiter reiici, et omnino reiiciendam esse. Verumtamen contendunt, ex illa non sequi duo illa absurda, de quibus in Nota. — Resp. Quoad primum absurdum consectarium, scilicet *nullam actionem, utut turpissimam* (esto vel nefandum sodomiae aut bestialitatis crimen), *nunquam sacrilegam fore, quousque maneat occulta*, VV. nihil dicunt. Valebit hic, nec ne, illud: Qui tacet, consentire videtur, etsi negandi velleitatem non dissimulaverint? — Quoad secundum vero absurdum, nempe *actionem non fore sacrilegam, quousque maneat occulta, sacrilegam vero evasuram, si forte crimen, quod occultum diu mansit, in plurium notitiam deveniat*, advertunt VV. (*ibid.*), *sacrilegum in foro conscientiae non esse ex mente Pontii, si quis fornicationem in Ecclesia exercet sine contemptu, si crimen manet occultum; si vero postea crimen innotescit, sacrilegum reputari in foro externo, ac ut tale puniri, quia praesumitur factum cum contemptu.* — Resp. Sic non vitatur absurdum, sed duplicatur. Nam Pontius intelligi profecto debet *de contemptu formali;* secus enim, si *de virtuali* quoque intelligas, iam quaestio esset de eo, qui turpia exercet in Ecclesia sine ulla irreverentiae advertentia: atqui sic foret prorsus ridiculum, sententiam Pontii opponere aliorum sententiis. Sententia ergo Pontii haec erit, sacrilegii reum esse, quisquis fornicationem in templo exercet ex directa intentione templum dehonestandi: reum vero sacrilegii non esse, si noscat quidem, se per turpitudines suas templi sanctitatem dehonestare; id tamen non directe intendat. Atqui 1° iam et hoc absurde dicitur, reum non esse irreverentiae quisquis noscit se irreverenter agere, utut directe hoc non intendat. *Sacrilegiun* autem quid est, nisi in locum sacrum irreverentia? Sed 2° neque si adsit *formalis* contemptus, ex mente Pontii sacrilegum erit fornicationis crimen. Contendit enim, sacrilegium non esse, nisi laedatur reverentia, quam positivo praecepto Ecclesia exigit, et ob cuius violationem templum reconciliari debet. Porro, ut ipse ratiocinatur (*Lib. 10. C. 10. n. 15.*), *effusione seminis pollui censetur Ecclesia, quia irreverentiam infert, et reverentia consistit etiam in communi hominum aestimatione; necessarium ergo est, ut notoria sit haec quasi Ecclesiae diffamatio.* Ergo si crimen occultum manet, aberit *sacrilegium:* et deinde si notorium fiat, postquam diu crimen latuit, ecce absurdum operis, quod non erat *sacrilegum*, et postea innotescendo fit *sacrilegum.*

Scribunt postea VV. (*Pag. 213.*), *admirari se satis non posse*, quod in Nota contra alias invocetur ut *verior doctrina, quam tradit Lugo. Etenim* (inquiunt) *Lugo S. I. veriorem existimat doctrinam Sanchezii, videlicet*

Resp. 2° Quoad res, quae casu aut per accidens in Ecclesia reperiuntur, ut crumenae, horologium, etc..., controvertitur. — *Probabilius neg.* cum *Lugo, Azor., Less.* etc., contra *Laymann* et alios (*a*).

287. — QUAER. 4° *An laesio quorumcumque bonorum ad Clericos pertinentium sacrilegium constituat?*

Resp. Neg., sed tantum laesio bonorum, quae Clerici possident non suo sed Ecclesiae nomine, et de quibus disponere nequeunt, quia haec tantum sunt sacra. — *S. Lig. n. 42. et alii communiter.*

QUAER. 5° *An vasa et vestes sacrae converti possint in usum profanum?*

Resp. Affirm., si res totaliter ita immutetur, ut ad commuuem reducatur, v. gr. si Calix igne aut ferro argenti massa fiat.

Secus autem, si totaliter non immutetur. Hinc non licet ex veteri casula vestes profanas resarcire, nec ornamenta Sacerdotum ad usus profanos applicare. Secus autem de iis, quae non benedicuntur, ut tapetes, candelabra. — *S. Lig. n. 41.*

QUAER. 6° *An Calices aliaque vasa, sacra unctione consecrata, sive adhuc consecrationem retineant, sive non, antequam tradantur artifici reficienda, debeant a sacerdote exsecrari?*

tactus, aspectus, et verba turpia, dummodo non fiant cum periculo pollutionis... speciem SACRILEGII GRAVIS *non habere.* — Resp. Ipsi VV. (*Pag. 214.*) referunt verba, quibus Lugo S. I. docet, *omnia peccata contrahere ex loco sacro aliquam irreverentiam specialem, et eam, licet levis sit, pertinere ad speciem sacrilegii.* Porro quod omnia *peccata contrahant ex loco sacro malitiam aliquam sacrilegii saltem levem,* non opponitur assertioni, *quod praedicti aspectus, tactus et verba non habeant malitiam sacrilegii gravem.* Ergo bene possunt VV. citra ullum discrimen ab immenso illo stupore temperare.

Denique VV. (*Pag. 215-221.*) per quatuordecim columnas impugnandam assumunt postremam Notae particulam, qua dicitur, *nullo alio fundamento, praeter fallaces allegationes,* tradi *post Salmanticenses a S. Alphonso* ceu *probabile*, quod *praeciso scandalo nunquam sit sacrilegium copula maritalis habita in Ecclesia.* Et ratio redditur in Nota, quod *Auctores a Salmanticensibus allegati id tantummodo de casu necessitatis affirment.* — Resp. Ipsi VV. (*Pag. 220.*) scribunt: *Haec sententia supponit, copulam ob* CAUSAM URGENTEM *in Ecclesia exerceri.* At si res ita se habet, cur impugnant Notam, quae solum falsis allegationibus innixam dicit opinionem, quae etiam extra casum *urgentis causae* seu necessitatis licere copulam in Ecclesia contendit? Caeterum ex tot AA., quos VV. allegant, solus Pontius, et post eum Perez, id ausi sunt affirmare. — Si qui vero sunt, qui eam aut aliquo modo *probabilem*, aut *non improbabilem* dicant, id semper innixum reperimus falsis aliorum allegationibus, quas non modo apud Salmanticenses, sed et apud Pontium congestas videre est. Et VV. quoque suam symbolam conferre voluerunt, allegantes pro ea opinione Summam *Rosella, Sa,* et *Sotum.* Consulant Summam illam (*V. Consecratio* §. *1. n. 9.*), Emman. Sa (*V. Debitum coniugale n. 12.*), et Sotum (*In 4. Sent. Dist. 32. art. 3. Col. penult.*), et reperient, oppositum ab istis manifestissime tradi.

(*a*) Ex praemissa doctrina melius dicendum, etiam haec furta ex loci sacri circumstantia non carere sacrilegii malitia; quae tamen cum levis sit, non erit necessario a poenitente exprimenda.

Resp. S. R. C. 20 Aprilis 1822. *Negative.*

Quaer. 7° *Quibusnam licitum sit vasa sacra tangere?*

Resp. Omnibus et solis Clericis absque licentia speciali. Id etiam conceditur regularibus laicis sacristis ex privilegio Sixti IV, necnon monialibus sacristis ex communicatione privilegiorum. — *S. Lig. n. 48. — Salmant., et alii communiter.*

Licet autem omnibus tangere alias res sacras, cuiusmodi sunt v. gr. *Agnus Dei,* saltem ex hodierna consuetudine, Reliquiae Sanctorum, ornamenta sacra, exceptis iis quae sanctam Eucharistiam immediate tangunt.

§. III. *De Simonia.*

288. — Definitio. Simonia, a Simone mago sic dicta, est studiosa voluntas vendendi aut emendi pretio temporali aliquid spirituale, aut spirituali adnexum. Dicitur *voluntas studiosa,* id est *deliberata* (*a*).

Pretium temporale triplicis generis in Iure canonico (*b*) distinguitur: 1° *munus a manu,* seu retributio rei cuiusvis temporalis pretio aestimabilis (*c*); 2° *munus a lingua,* seu patrocinium, quo nomi-

(*a*) Simonia definitur *studiosa voluntas,* non modo quia, non secus ac alia peccata, *deliberationem exigit,* sed etiam quia ad essentialem eius malitiam non requiritur, ut pactum mutuo consensu vel reipsa perficiatur, sed sufficit interior vel unius affectio simoniaca, paciscendi nempe seu obligandi voluntas.

(*b*) Ita S. Gregorius relatus in Can. *Sunt nonnulli Caus. 1. q. 1: Aliud est munus ab obsequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua. Munus quippe ab obsequio est subiectio indebite impensa. Munus a manu pecunia est. Munus a lingua favor.*

Munus autem, ut patet, hic non pro dono liberali accipitur, sed pro *pretio,* seu debito, quod necessarium onus et gravamen inducat.

(*c*) Huc revocatur non solum debiti remissio (quod aperte constat ex Cap. *Veniens 10. De Testibus et attestationibus*), sed etiam dilatio solutionis, vel solutio anticipata, et mutuatio; quorum tamen rationem dum reddere quidam volunt, haud mediocriter se remque totam implicant.

Et S. Alphonsum quidem (*Lib. 3. n. 57.*) sua ipsius mens recta compulit, ut mutui exactionem pro re spirituali simoniacam diceret, et posthaberet idcirco opinionem, quae solum pactum mutuandi in posterum, non vero mutuandi in praesens, ceu pravum damnat: quam opinionem perperam Salmanticenses (*De Simon. Cap. 1. n. 35.*) S. Thomae adscribunt; nam S. Doctor (*2. 2. q. 78. art. 4. ad 2.*) non de obligatione mutuandi imposita, sed loquitur de captanda benevolentia, qua quis sponte sua ad remutuandum inclinatur.

Caeterum S. Alphonsus (*l. c.*) nullam rationem reddit, nisi quod *Simonia sit tradere quicquid temporale pro spirituali.* At superest difficultas, quo pacto *mutuatio,* quae gratuita esse debet, dici possit quid *temporale* eo sensu, ut *pretio* aequiparetur. Nam, ut ait S. Thomas (*2. 2. q. 100. art. 5.*), ad Simoniam requiritur *pretium aut aliquid pretio aestimabile,* quod a gratuitate mutui abest.

Laymann itaque (*Lib. 4. Tr. 10. Cap. VIII. §. 3. n. 25.*) ut conciliet gratuitatem mutui cum Simonia exigentis mutuum, recurrit ad latiorem *pretii* sensum, ut comprehendat *omnem aliam commoditatem temporalem, quae*

ne veniunt laudes, commendationes, preces, etc., ex pacto interponendae in favorem conferentis rem spiritualem (*a*); 3° *munus ab*

ex pacto detur pro re spirituali. Verum haec merito pugnantia dixeris. Nam commoditas temporalis, quae non sit pretio aestimabilis, est chimaera. Vid. S. Thom. *2. 2. q. 100. art. 5.* et *4. Dist. 25. q. 5. art. 3.*

Eundem nodum ut solvant Salmanticenses (*l. c. n. 36.*), reponunt, non esse necessariam in mutuo tantam puritatem, quanta exigitur in spiritualibus. Sed hoc nihil est. Etenim puritas, quae exigitur, haec prorsus est, ut arceat compensationem, quae sit pretio aestimabilis.

Vera itaque ratio, cur simoniacum sit exigere mutuum pro re spirituali, inde petenda est, quod usus propriae pecuniae aliis concessus per se reapse sit quidpiam pretio aestimabile; quod quidem non solum communis hominum sensus, sed et plerique fatentur doctores (Vid. Lugo *De Iust. et Iur. Disp. 25. n. 18. 24.*) cum S. Thoma (*3. Dist. 37. q. 1. art. 6. ob. 2. coll. 4. Dist. 25. q. 3. art. 3.*). Neque tamen inde sequitur, pretium pro mutuo exigi licite posse. Quippe mutuum ex omnium sententia censetur inter contractus gratuitos, non secus ac commodatum et donatio. Quisquis ergo *mutuam* dat pecuniam, sponte ex liberalitate renunciat compensationi, quam licite posset exigere, non secus ac qui equum commodat aut donat, sponte compensationi seu pretio renunciat, quod pro usu equi aut pro ipso equo percipere alioquin posset. Porro qui mutuum *exigit ex pacto* pro re spirituali, non quidpiam liberaliter oblatum recipit, sed onus per se pretio aestimabile imponit. Merito ergo id simoniacum censetur.

** Sexdecim columnis (*Pag. 222-229.*) lectorem VV. detinent circa hanc Notam. Ad haec autem capita earum summa reducitur. 1° Quod Salmanticenses recte allegant S. Thomam; 2° Quod Laymann non loquitur de mutuo reciproco; 3° Quod S. Alphonsus rationes sententiae suae non attulit, quia rationes a Salmanticensibus allegatas omnino convincentes iudicavit; 4° Quod ratio doctrinae allegata in Nota sit vera; sed veras non esse *novas* eiusdem rationes.

Resp. Ad 1. Salmanticenses evincere voluerunt, simoniacum non esse dare spiritualia *pro mutuo;* et ad id confirmandum dixerunt, ex S. Thoma non esse usuram mutuare cum pacto ut alter remutuet. — Atqui hoc est falsum. Nam ipsi VV. duo loca ex S. Thoma afferunt, in quibus S. Thomas negat fas esse aliquid exigere *ex debito iustitiae*, licet concedat aliquid recipi posse, si detur *ex affectu amicitiae*, aut ex affectu benevolentiae. Porro quod datur ex pacto, datur ex *debito iustitiae.* Ergo Salmanticenses per iniuriam S. Thomae absurdam illam opinionem affingunt. — Post allatos S. Thomae textus subdunt VV. (*Pag. 224.*): *Claris ergo et disertis verbis Angelicus hic docet, licere simul mutuanti unum, aliquid aliud mutuum recipere.* — Resp. Licet recipere ex affectu benevolentiae et amicitiae, ut habet S. Thomas, C.; licet exigere et recipere *datum ex pacto*, ut contendunt Salmanticenses, N.

Resp. Ad 2. Neque dicitur in Nota, neque opus erat inquirere, an Laymann ibi agat, nec ne, de mutuo reciproco. Ergo ista nihil ad rem faciunt.

Resp. Ad 3. Quod S. Alphonsus sententiae suae rectissimae nullam attulerit rationem, quia omnino convincentes duxerit rationes Salmanticensium, haec est mera VV. coniectatio, quae alioquin non admodum ad S. Doctoris honorem ac decus conferret. Et cum VV. fateantur (*Pag. 228.*) rationem doctrinae in Nota allatam *esse veram*, eo ipso dum *omnino convincentes* dicunt Salmanticensium rationes, pugnantia loquuntur.

Resp. Ad 4. Notarum Auctor neque alibi, neque hoc loco *nova* sectatur, nec alias novas rationes hic attulit; sed veram doctrinae rationem, aliis rationibus minus idoneis posthabitis, ex certis S. Thomae et aliorum DD. principiis quaesivit.

(*a*) Haec itaque simonia tunc committitur, quando per collationem rei

obsequio, seu servitus quaelibet, aut officia alteri praestita, v. gr. famulatus aut simile officium quodlibet.

Triplex pariter est temporale spirituali adnexum: 1° *antecedente*, cui accedit spirituale, ut ius patronatus fundo inhaerens; 2° *consequenter,* quod ex spirituali pendet, ut ius decimas percipiendi; 3° *concomitanter,* ut labor in functionibus sacris. Huiusmodi autem labor ad-

spiritualis *collator pacto quopiam vel expresso vel tacito intendat obligare alium ad preces pro se fundendas,* seu ad aliud eiusmodi officium.

Exinde Suarez (*De Simonia Cap. 40.*) ostendit, plus aequo hoc *munus a lingua* quosdam protendisse, dum contenderunt, simoniacum esse etiam quod quis det aliquid spirituale, motus precibus vel illius, cui spirituale conceditur, vel alterius; quam opinionem, ut Suarez (*ibid. n. 5.*) notat, quidam perperam S. Thomae attribuerunt. Quidam tamen merito excipiunt, si collator has preces exigat ceu conditionem, praesertim si eas exigat a persona principe, cuius humile in his obsequium ambiat. Quod tamen *munus ab obsequio* potius quam *munus a lingua* dicendum foret.

Sic itaque Suarez casum a casu recte distinguens (*l. c. n. 3.*): *Dico ergo* 1° *Postulare ab aliquo Praelato* (*et idem est de aliis*), *ut conferat alicui beneficium sine promissione alia vel pacto, nunquam est sufficiens ad simoniam, nec illae preces habent rationem pretii, nec Praelatus propter illas principaliter conferens beneficium, simoniam committet, licet alias peccare possit. Haec est nunc communis et recepta sententia.*

Et infra (*ibid. n. 9.*): *Colligitur ex dictis, non esse simoniam precibus inducere potentem virum aut familiarem Papae vel Episcopi, ut mihi ab illo impetret beneficium.*

Simoniae autem crimen sic deinde exponit (*ibid. n. 12.*): *Dico secundo; si per collationem beneficii vel alterius rei spiritualis collator intendat obligare alium ad preces pro se fundendas, tunc proprie recipit* munus a lingua: *unde si recipiat sub pacto expresso vel tacito, simoniam committit; idemque est, quoties preces et intercessiones praecesserunt sub pacto vel promissione beneficii, si fierent. Haec assertio communis est.*

Et rationem reddit, *quia preces huiusmodi sunt quid temporale et aestimabile pretio, et fiunt in gratiam et lucrum eius, qui propter illas spirituale praebet.... Ut autem haec ratio pretii interveniat, necesse est, ut promissio vel pactum intercedat; nam si absque obligatione tales preces antecedant, et sequatur beneficii collatio ex sola gratitudine, vel e converso praecedat spirituale donum, et sequatur intercessio pro donatore ex sola gratitudine, non est simonia.*

Et hic non omittenda sunt, quae notat Schmalzgrueber (*Lib. 5. Tit. 3. n. 114.*). Nam postquam monuit, *munus a lingua vocari laudes, commendationes, preces, v. gr. si quis alicui, apud principem gratioso, conferat beneficium cum pacto, ut hic apud principem interponat... suas preces.... pro obtinenda gratia certa, quam ipse desiderat;* mox subdit: *Neque refert, etsi intercessio ordinetur ad aliquid spirituale, ex. gr. ad impetrandum per eam beneficium ecclesiasticum; quia intercessio haec in se est aliquid temporale: ergo dum pro ea beneficium datur, iam datur spirituale pro temporali; consequenter committitur simonia.* Haec prae oculis habere illi debuissent, qui inter argumenta, quibus confirmare volunt, simoniae reatum inesse in emendis pecunia precibus ad beneficium consequendum, hoc etiam utuntur, quod preces illae sint *quid spirituale.* At enim si sunt spirituale, non haberemus in casu praemisso nisi permutationem rei spiritualis cum alia spirituali, atque adeo nec pretium illud temporale, quod dicimus *munus a lingua,* et consequenter neque simoniam; quod tamen est contra *sacros* canones et communem omnium sententiam.

nexus est rei spirituali vel intrinsece vel extrinsece. Dicitur adnexus *intrinsece*, si a re ipsa non sit facile separabilis; secus adnexus *extrinsece* dicitur. Sic celebratio Missae est labor intrinsece rei spirituali adnexus; defatigatio autem extraordinaria, ut cantus, dilatio ad meridiem, iter longum vel arduum suscipiendum ad celebrandum, et alia similia, ad laborem extrinsece adnexum pertinent.

Divisio. Simonia distinguitur

1° *Mentalis,* si fiat mere interne vel absque pacto (*a*).

2° *Conventionalis,* si pactum quidem intercedat, sed nullo modo executioni mandatum (*b*).

3° *Realis,* si pactum ex utraque parte adimpleatur (*c*).

(*a*) *Mentalis* simonia dicitur non quidem propositum ineundi cum alio pactum simoniacum, sed voluntas, qua quis sine ulla externa pactione intendit alium obligare ad reddendum spirituale, dum confert illi temporale, aut viceversa. Ita, v. gr. si quis collatori vacantis beneficii filium commendet, et interim specie doni liberalis argentea vasa ipsi mittat ea interna intentione, ut eum moveat et obliget ad filium suum praesentandum. Et huc prorsus spectat proposit. 45ª ex proscriptis ab Innoc. XI. *Dare temporale pro spirituali non est simonia, si temporale non datur tamquam pretium, sed tamquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale.*

Huc etiam pertinet, si quis pro re temporali accepta rem spiritualem aut viceversa pro spirituali accepta rem temporalem, tamquam compensationem ex iustitia debitam, alteri conferat.

(*b*) Simoniae partitiones diversae apud diversos occurrunt. Alii trifariam dividunt, in *mentalem, conventionalem,* et *realem;* et hi quidem duplicem conventionalem distinguunt, *puram* scilicet, quando ex neutra parte impletum sit pactum, *mixtam,* si impletum ab alterutra tantum parte fuerit.

Alii autem simoniam dividunt bifariam, in *mentalem* et *conventionalem;* sed postremam hanc tripliciter distinguunt, nempe 1° *puram,* cum neutra pars traditionem rei perfecit, 2° *mixtam,* cum una tantum pars tradidit, 3° *realem,* cum utrinque facta est traditio. Et haec quidem advertisse iuverit ad auctores rite intelligendos.

Cum vero conventio sit *duorum, pluriumve in idem placitum consensus,* patet, ad conventionalem simoniam non sufficere solam alterutrius promissionem, sed opus esse, ut promissio ab altero fuerit acceptata; secus *mentalis* potius simonia dicetur, quam *conventionalis.*

(*c*) Tria hic advertenda: 1° Ut simonia censeatur *realis,* atque poenae incurrantur, necesse non est, ut pro re spirituali iam tradita simoniacum pretium solutum integre fuerit, sed sufficit, ut inchoate seu ex parte traditum sit.

2° Licet post traditam rem spiritualem simonia tamdiu habeatur uti *conventionalis,* donec simoniacum pretium tradi incipiat, tamen quoad iuris poenas ad tempus praeteritae pactionis retrotrahitur. Vid. Schmalzgr. (*Lib.5. Tit. 3. n. 35.*) et Reiffenst. (*eod. tit. n. 23.*).

3° Licet quidam autumaverint (Vid. apud Suarez *De Simon. Cap. 41. n. 7-9.*), quoad effectum incurrendi poenas simoniam habendam esse ut *realem,* quando tradita iam sit res spiritualis, utut nondum traditum temporale pretium fuerit; idque tum ob quosdam textus iuris, in quibus poena intentatur, licet pecunia tantum *promissa* sit (Vid. Schmalzgr. *Lib. 5. Tit. 3. n. 247.*), tum propter confidentialem simoniam; communior tamen sententia aliquam ex utraque parte traditionem exigit; et obiectos textus non efficaces esse ad contrarium suadendum, clare ostendit Reiffenstuel (*Lib. 5.*

Accedit Simonia *confidentialis*, quae fit quolibet pacto, seu confidentia in electione vel praesentatione ad beneficia, aut in horum resignatione, etc. (*a*). — *S. Lig. n. 49. 56.*, etc.

Distinguitur etiam Simonia *iuris divini*, seu *naturalis*, et *iuris ecclesiastici*. Prior habetur, si res simoniace permutata spiritualis sit ex natura sua, ut sunt indulgentiae, Sacramenta, etc.; posterior vero, si res sit spiritualis ex sola Ecclesiae institutione, ut sunt beneficia (*b*).

Tit. 3. n. 239-243.). Quod vero tradito in confidentiam beneficio poenae antea quoque incurrantur, quam alter promissionem suam impleverit, hoc ex Constitutionibus Pii IV et Pii V ita singulare est, ut ne ipsi quidem huius simoniae *mediatores*, licet alioquin ob simoniam realem (C. *Cum detestabile 2. De simonia Extrav.*) excommunicatione perculsi, poenam incurrant, nisi traditione utrinque completa, quippe qui in Pii IV et Pii V Constitutionibus non comprehendantur.

(*a*) Simonia *confidentialis* speciales leges ac poenas habet ex Constit. *Romanum* Pii IV, et Constit. *Intolerabilis* Pii V; eiusque materia sunt sola *beneficia ecclesiastica*. Quocirca si pacta simoniaca fiant circa *pensiones* aut quodvis aliud ius, quod sub nomine *beneficii* proprie non comprehendatur, ad simoniam communem, non vero ad confidentialem sunt revocanda.

Specialis autem haec simonia in eo consistit, quod is, qui alteri beneficium dat utcumque, idest aut eligendo, aut praesentando, aut postulando, aut conferendo, aut dando in Commendam, aut instituendo aut in alterius favorem resignando, quidpiam propria auctoritate ex pacto (expresso aut tacito) vel circa beneficii fructus, vel circa ipsum beneficium reservet. Dixi *ex pacto:* nam sola *interior* obligandi intentio simoniam induceret *mentalem*, non autem *confidentialem*; ad quam tamen ex §. 3. Constit. Pii V non requiritur expressus recipientis beneficium consensus: sed sufficit, quod cognita dantis reservatione beneficium acceptet.

Reservatio porro circa ipsum beneficium multiplex, ut eruitur etiam ex Pii V Constitutione, distinguitur, nimirum:

1° Reservatio *accessus*, cum quis vult beneficium consanguineo aut etiam sibi demum obvenire; interim tamen illud alteri utcumque confert eo pacto, ut hic opportuno tempore consanguineo vel sibi ipsum resignet.

2° Reservatio *ingressus*, cum quis beneficium sibi iam collatum, sed nondum possessum, alteri ea conditione resignat, ut ubi hic illud quavis de causa dimiserit, ipse resignans ius habeat eius possessionem ingrediendi.

3° Denique reservatio *regressus*, cum quis beneficium a se iam possessum resignat alteri eo pacto, ut quando hoc utcumque vacaverit, ad ipsum resignantem aliamve certam personam sit regressurum.

Hasce autem resignationes prohibendi praecipua causa etiam a Synodo Trid. innuitur (*Sess. 25. Cap. 7. De Reform.*), quaedam scilicet *odiosa hereditariae in beneficiis successionis species;* unde et coadiutorias cautis imo concedendas S. Synodus decernit.

(*b*) Clarius alii: Simonia iuris divini adest, ubi vilipenditur rei spiritualis dignitas per comparationem ac permutationem cum re temporali, scilicet cum pro re temporali datur res per se vere spiritualis aut spirituali adnexa. Iuris vero ecclesiastici est, cum res spiritualis aut huic adnexa datur pro alia itidem spirituali seu huic adnexa, ut in permutatione beneficiorum absque superiorum auctoritate, vel etiam cum res *per se* temporalis datur pro pretio temporali, uti si quis emat officium oeconomi, thesaurarii, etc. Licet enim ab hisce permutationibus absit praedicti contemptus malitia, merito tamen Ecclesia ex motivo religionis et reverentiae erga sacra eas interdixit. Ita communis sententia, quae et hanc posteriorem ceu proprie dictam simoniam habet. Vid. Schmalzgr. (*Lib. 5. Tit. 3. n. 24-25.*),

289. **Principia.** — I. Ad Simoniam requiritur, ut temporale detur aut accipiatur sive *formaliter,* sive *virtualiter* pro ipsa re spirituali, et in eius commutationem, ita ut fiat aequiparatio rei spiritualis cum temporali, seu commutatio ex motivo primario unum pro altero ceu pretio aut iusta compensatione habendi. Ratio ex ipsa Simoniae definitione aperta est. Hinc si interveniat aliquod motivum honestum, vi cuius temporale et vicissim spirituale tribuatur, unum non esset amplius alterius motivum, sed solum eius causa impulsiva, nec proinde Simonia foret.

Dixi 1° *formaliter,* id est quod directe quis intendat loco temporalis et propter eius aestimationem accipere spirituale.

Dixi 2° *virtualiter,* quod nempe quis per temporale *proxime* et *immediate* obtinere velit spirituale, nec aliud motivum verum et honestum intercedat. In hac enim voluntate virtualiter includitur intentio unum cum alio commutandi. — Ita *Suarez,* etc.

II. Licet dare pro pretio temporali adnexum spirituali *antecedenter et concomitanter extrinsece,* modo pretium ob spirituale adnexum non augeatur. Nullatenus vero licet dare pro pretio adnexum spirituali *concomitanter intrinsece,* seu *inseparabiliter,* neque adnexum *consequenter.*

Ratio 1^{mi} quia res et labor actionis sunt vere in se pretio aestimabiles. Prohibetur tamen Iure canonico venditio balsami, quod in Chrismate continetur, licet consecrationi praeexistat; quia cum sit modici pretii, Episcopus vendere Sacramenta videretur. — *S. Lig. n. 72.*

Nihilominus quoad oleum benedictum vel sacrum Chrisma Scavini advertit: Usum in aliquibus Ecclesiis cathedralibus invaluisse, ut aliquid ab Ecclesiis particularibus accipiatur pro compensandis sumptibus factis in materia comparanda.

Ratio 2^{di} est, quia quod est intrinsece adnexum spirituali, ab ipso inseparabile est, unde res ipsa vel actio vendi censeretur. Attamen etiam secluso labore extrinseco licite aliquid pro ministerio sacro accipi potest ratione stipendii, seu sustentationis, ut ex praxi Ecclesiae constat. Postulat enim aequitas naturalis, ut honesta sustentatio concedatur iis, qui aliorum utilitati vacant. Hinc Christus, *Luc. 10. 7: Dignus est operarius mercede sua.* — Et Apostolus, *1. Cor. 9. 13: Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt; et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.*

Pro Sacramentorum tamen administratione nil hoc titulo accipiendum est etiam a sponte dantibus; si quid autem sponte offertur, id pro eleemosyna accipi potest. — *S. Congr. Conc. 1. Febr. 1593.*

Ratio 3^{ii} est, quia illud *consequenter* censetur spirituale, vel spirituali alligatum. Eruitur etiam ex speciali Iuris canonici dispositione.

III. Simonia est peccatum gravissimum (*a*); et si sit iuris divini et naturalis, materiae parvitatem non admittit. Si autem Simonia sit iuris ecclesiastici, potest in ea dari materiae parvitas iuxta *S. Lig. l. 3. n. 50.* (*b*). — Ratio est, quia res spiritualis quaelibet ex comparatione cum re temporali cum magna iniuria in ipsum Deum vilipenditur. Constat etiam ex verbis S. Petri ad Simonem Magum, *Act. 8. 20: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.*

290. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An sit Simonia dare principaliter quidem temporale ob spirituale, sed non unice?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia etiam sic adest comparatio rei temporalis cum spirituali. Motivum enim quod adiicitur, quantumvis honestum sit, prioris motivi, propter quod principaliter datur temporale, malitiam et impietatem non destruit. Constat etiam ex proposit. 45ª ab *Innoc. XI* damnata. — *S. Lig. n. 54.*

Quaer. 2° *An sit Simonia dare temporale ad sibi conciliandum Superiorem intuitu beneficii obtinendi?*

Resp. Neg. si intentio primaria sit dandi gratis temporale; quia tunc comparatio immediata fit rei temporalis cum temporali, nempe benevolentia Superioris. Secus autem, si intendatur res spiritualis ut debita retributio, non vero ut effectus gratitudinis animi. — *S. Lig. n. 51.*

Quaer. 3° *An sit Simonia obire functiones sacras* principaliter *ob stipendium, vel recipere aliquid pro doctrina sua?*

(*a*) Communis doctrina est, simoniam ad speciem reduci *sacrilegii realis,* quo irreverenter res sacra pertractatur. Nam reipsa illico apparet sacrarum rerum profanatio et iniuriosa tractatio, dum temporali pretio aequiparantur, et sic infra dignitatem, qua pretium omne superant, prorsus abiiciuntur. Vid. Suarez (*De Simon. Cap. 1. n. 7.*) et Schmalzgr. (*Lib. 5. Tit. 3. n. 12.*).

(*b*) Ratio, cur dari levitas materiae possit in simonia iuris ecclesiastici, haec est, quia ista simonia non ideo interdicitur, quasi pro re spirituali detur temporale pretium, sed ab Ecclesia prohibetur ad omnem simoniae et avaritiae speciem, aliaque incommoda removenda: unde per hanc non fit proprie iniuria rei sacrae, sed tantum Ecclesiae praeceptum violatur; in hoc autem parvitas materiae inveniri potest.

Imo parvitas oblati muneris excusare etiam a simonia iuris divini potest, quatenus res levis momenti (v. gr. nonnullae aviculae, aut rari flores, aut fructuum primitiae) cum apta non sit ad ullam inducendam obligationem, v. gr. praesentandi ad Canonicatum, atque adeo rationem pretii habere nequeat, eo ipso cessat quaelibet contractus sive expressi, sive taciti suspicio. Pirhing (*Lib. 5. Tit. 3. n. 133.*).

Haec tamen non videntur valere quod examinantes in concursu ad paroeciam. His enim sub poenis simoniae propriis interdicitur, *ne quidquam prorsus* recipiant sive a candidato (qui dando incurreret easdem poenas, etsi alioqui sufficientia relaturus esset suffragia), sive ab aliis. Et quamvis aliqui a poenis excusare eos velint ob materiae levitatem, veluti si modica esculenta vel poculenta quis examinatori largitus sit, obstant tamen tum verba decreti, *ne quidquam prorsus,* tum S. Congr. declaratio. Vid. Thesaur. (*De Poenis Eccl. V. Simonia, cap. 4.*).

Resp. ad 1um *Neg.*, saltem *probabilius,* quia stipendium non recipitur ut pretium rei sacrae, sed tanquam debitum personae, quae in proximi gratiam occupatur. — *S. Lig. n. 55. — Lacroix, n. 62., et alii communiter* contra aliquos. Idcirco si inordinata quaepiam affectio intercedat (nam aberit omnis culpa, si indigentia aut alia honesta causa ad quaerenda huiusmodi stipendia impellat), non Simoniae, sed avaritiae vitium erit.

Resp. ad 2um *Affirm.*, si instructio tendat ad bonum spirituale aliorum, quia est res spiritualis, nisi tamen accipiatur titulo stipendii seu sustentationis. Secus vero si instructio sit mere temporalis, v. gr. in tradenda explicatione sacrarum Litterarum aut theologiae (*a*). — *S. Lig. n. 94.*

291. — Quaer. 4° *An Simonia sit pecunia se redimere ab iniusta vexatione circa beneficia, aut aliud bonum spirituale, v. gr. Sacramenta,* etc.?

Resp. Neg., saltem *probabilius*, quia vexationis liberatio, quae sola directe intenditur, est quid temporale. — Hinc potes dare pecuniam inimico tuo, si conetur per fraudem impedire electores, ne tibi faveant. — *S. Lig. n. 101., et alii communiter.* Imo in idipsum DD. consentiunt, etiamsi solis precibus impedire velit (*b*). Non autem potes dare pecuniam iis, qui obesse vel prodesse possunt eligendo vel praesentando ad beneficium; etenim offerre illis pecuniam ne obsint, idem fòret ac offerre, ut prosint, scilicet ut consensum non denegent. — *S. Lig. n. 99.* Nec tibi licet pecuniam dare competitori tuo, ut desistat ad beneficium concurrere; quia tibi nulla est iniusta vexatio redimenda, et viam directe ad beneficium per pecuniam tibi parares, quod simoniacum est. — *Ita communior.*

Quaer. 5° *An Simonia sit dare vel accipere aliquid pro ingressu in Religionem?*

Resp. 1° Certum est, non licere dare vel accipere aliquid pro solo ingressu; quia hoc esset commutatio rei sacrae, cuiusmodi est Religio, cum re temporali.

2° Certum est etiam, licere monasterio pauperi aliquid exigere pro ingredientis sustentatione, quia tunc non commutatur res spiritualis cum temporali; et alioquin postulat aequitas, ut recipiatur aliquid, ne monasterium oneribus gravatum corruat.

3° Certum est pariter, licere monasterio aliquid exigere pro sustentatione Novitiorum, quia cum non adhuc pertineant ad Religionem, et pro libitu discedere possint, et saepe reipsa discedant, ae-

(*a*) S. Thomas: *Ille qui habet scientiam, et non suscepit cum hoc officium, ex quo obligetur aliis usum scientiae impendere, licite potest pretium suae doctrinae vel consilii accipere, non quasi veritatem aut scientiam vendens, sed quasi operas suas locans* (*2. 2. q. 100. art. 3. ad 3.*).

(*b*) Ita S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 101. et 102.*). Ratio, quia si licet dare pecuniam, ut alter a me vexando cesset contra iustitiam, licebit et dare, ut cesset vexare contra charitatem.

quum non est monasterium pro ipsis tam gravi oneri subesse. Religio tamen Fratrum Minorum ex decreto speciali nihil accipere potest.

4° Controvertitur autem, si agatur de monasterio opulento. Licere negat *S. Lig. n. 92.*, nisi recipiendus sit senex vel infirmus. Affirmant tamen alii non pauci, modo non exigatur pecunia pro ipso ingressu, sed recipiatur aut postuletur tantum ratione sustentationis, seu dotis (*a*). Caeterum nunc evanescit omne dubium ob temporum difficultatem. Nulla enim inveniuntur monasteria adeo opulenter fundata, ut auxilio alieno pro praesenti et futuro nullatenus indigeant. Caeterum Moniales dotem statutam semper exigere possunt (*b*), ut ex pluribus decretis constat.

292. — Quaer. 6° *An Simoniam committat Sacerdos, qui spondet laico Missam pro exitu ludi, dum socius pretium temporale exponit?*

Resp. Neg. per se, quia hac ratione res spiritualis non aequiparatur proprie temporali, sicut non aequiparatur, quando Missa dicitur pro stipendio; sed tantum offertur executio rei spiritualis loco temporalis, quae foret alioquin tradenda. Non enim peccat qui offert creditori 100 Missas pro eo celebrandas, ut remittat debitum 100 francorum; ergo a pari nec peccat, qui spondet Missam pro exitu ludi, dum alter 20 asses exponit. — *Ita Voit, n. 506.* contra alios.

(*a*) Nimirum ex indulto, ut ab ingressuris dotem recipere possint moniales, licet dives sit monasterium, inferre quidam generatim voluerunt id ipsum de virorum monasteriis, ut saltem *titulo sustentationis* licite exigi quidpiam possit.

At nisi agatur de bonis sponte oblatis, quia omne in his cessat periculum et species simoniae (licet alioquin aliis de causis prohiberi et gratuita donatio possit, ut fit in donatione examinatoribus parochorum collata), verior et communis sententia cum S. Thoma (*2. 2. q. 100. art. 3. ad 4.*) id negat, et nititur C. *Quoniam 40. De Simonia.* Ratio est, quia reditus monasterii sunt ecclesiastici, ordinati ad sustentationem religiosorum gratis suppeditandam. Ergo hoc ipso, quod quis in Religionem suscipiatur, ius habet ad sustentationem ex reditibus monasterii percipiendam. Non potest igitur titulo sustentationis, ad quam praebendam dives monasterium par est, aliquid exigi. Deficiente autem titulo sustentationis, iam superest, ut pro ipso ingressu exigi quidpiam videatur. Schmalzgr. (*Lib. 5. Tit. 3. n. 200-201.*).

(*b*) Triplex tamen limitatio addenda est: 1° ut pacta dos non detur *pro ipso ingressu;* nam simoniacum id foret, etiamsi inops sit monasterium. — 2° Ut non admittatur aliqua inhabilis ex sola spe aliquid ab ea temporale recipiendi; sic enim susceptionis finis, isque principalis et a suscipientibus intentus, foret aliquid temporale. Atqui simoniacum est dare aliquid spirituale ob finem temporalem extrinsecum, praesertim si is principaliter intendatur. — 3° Ut citra necessitatem dos non ab omnibus indiscriminatim exigatur: sic enim pauperes, saepe magis dignae et idoneae, e statu religionis penitus excluderentur, dum aliae, forte minus idoneae, utpote divites, reciperentur; quod utique irrationabile est. Schmalzgr. (*Lib. 5. Tit. 3. n. 197.*).

— Caeterum eiusmodi ludus raro caret aliquo scandalo, et proinde semper dissuadendus est.

QUAER. 7° *An Simoniam committat Sacerdos, qui pro Missa stipendium supra taxam consuetam aut ab Episcopo statutam exigit?*

Resp. Neg., nisi mente simoniaca agat; quia cum alium habeat titulum exigendi remunerationem, deficit comparatio inter spirituale et temporale. Peccaret quidem contra obedientiam vel iustitiam plus aequo exigendo, minime vero contra Religionem. Contradicit tamen *Voit, n. 497,* quia (ait) tunc deest omnis iustus titulus exigendi temporale (*a*).

293. — QUAER. 8° *Quaenam sint poenae in simoniacos latae?*

Resp. 1° Sola Simonia confidentialis et realis in collatione Ordinum ac beneficiorum, et ingressu in Religionem poenis ecclesiasticis subiacet (*b*): nam Pontifex Paulus II, renovans omnes poenas antea in simoniacos latas, loquitur tantum de praedictis Simoniae speciebus; imo iuxta non paucos poenae pro simoniaco ingressu Religionis abierunt in desuetudinem: saltem nunc casus earumdem incurrendarum rarissimus est (*c*).

(*a*) Non unus est Voit, qui hanc sententiam teneat; ipsam enim et Reiffenstuel docet (*Lib. 5. Tit. 3. n. 200.*), et Schmalzgrueber (*Lib. 5. Tit. 3. n. 100.*) cum Friderich (*De Simon. Cap. 2. n. 67.*), et Azor (*Part. 3. Lib. 12. Cap. 6. q. 1.*), in eamque inclinat Suarez (*De Simon. Cap. 47. n. 6.*), quem proinde falso pro opposita allegant Salmanticenses (*Tract. 19. Cap. 2. n. 23.*), hanc insuper gratis tribuentes Dominico Soto et Toleto. Adde, quod alii saltem *praesumptam* simoniam in hoc reperiri affirment. Ita Bonac. (*De Simon. Disp. 1. Q. 6. P. 2. n. 3.*), Palaus (*De Simon. Disp. 3. Punct. 9. n. 2.*), Filliucc. (*Tract. 45. Cap. 10. q. 7. n. 28.*) et Lessius (*Lib. 2. Cap. 35. n. 51.*).

** (*b*) Excipe tamen cum Fagnano (*In cap. Nobis De Simonia n. 13.*) simoniam etiam mere conventionalem in electione Romani Pontificis. Nam Iulius II, Const. *Cum tam divino,* 14. Ian. 1505, §. 1. poenas statuit contra electores, qui simoniam commiserint, *dando, promittendo, vel recipiendo pecunias, bona cuiusque generis, castra, officia vel beneficia, seu promissiones et obligationes, per se vel alium seu alios quomodocumque et qualitercumque etc.* Poenas autem in eiusdem Constitutionis §. 5. recensitas habes. De his autem aliisque poenis ita SS. D. N. P. Pius IX. (*Const.* Apostolicae Sedis): *Quae vero censurae sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, Nostris, aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris canonibus praeter eas, quas recensuimus, latae sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt pro R. Pontificis electione....., eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus ac declaramus.*

** (*c*) In praecedenti Editione advertebatur, raro eiusmodi poenas incurri non una de causa. Ac 1° quia Constitutio Urbani IV (Extrav. *Sane 1. De Simonia*), quae poenas infligit, non ubique videbatur recepta, et non receptam esse contendit Navarrus, *Constitutionum Apostolicarum* (ut ait Schmalzgr. *Lib. 5. Tit. 3. n. 255.*) *scientissimus;* eumque sequuti fuerant Lessius, Palaus, Silvester et quisquis alius docuit, excommunicationem incurri solum ob simoniam in sacris Ordinibus et Beneficiis. — 2° Praetermissis monialibus, quae veniam habent recipiendi dotem et de ipsa paciscendi, in monasteriis quoque virorum si quid recipiatur, fere recipitur solum, quia sponte oblatum est; vel etiamsi exigatur, cohonestatur exactio ob monasteriorum inopiam, ut necessaria videatur ad professi sustentatio-

Resp. 2° Poenae contra ordinationem simoniacam ex antiquo iure erant: Quoad ordinantem (*a*)

nem; vel denique, si monasterium sit dives, etsi non absit simoniae crimen, constitutio tamen quoad poenas videri potuit non recepta, ut monet Schmalzgr. (*l. c. n. 256.*). Verum cum in SS. D. N. P. Pii IX Constitutione *Apostolicae Sedis* inter Excommunicationes latae sententiae R. Pontifici reservatas recenseatur (*n. 10.*) inflicta contra *reos simoniae realis ob ingressum in Religionem;* idcirco quod dici consuevit de non recepta Urbani IV Constitutione, aut non recepta saltem quoad istam poenam, nunc ut obsoletum habendum est.

(*a*) Intelligi debet, non modo qui ordines conferebat, sed etiam qui ad ordinationem praesentabat; quod munus ordinarie erat Archidiaconi, cuius erat examinare, an ordinandi haberent ordinationis titulum, num essent digni, etc. Comprehendebantur autem tum locorum Ordinarii, qui dimissorias litteras ad ordinationem ab aliquo Episcopo suscipiendam, tum etiam superiores Regulares, qui eiusmodi litteras suis subditis dedissent.

Praeterea Ordinationis nomine hic comprehendenda videtur etiam collatio primae tonsurae, ut patet ex hisce verbis Sixti V, Constit. *Sanctum* §. *6.: Caeterum si quis Antistes vel Abbas, servatis quidem.... omnibus, quae in ipsius tonsurae et ordinum collatione observari debent, personas habiles et idoneas, sed tamen recepta ab iis, quibus tonsuram aut ordinem conferet, pecunia, pretio, praemio simoniace in futurum insigniverit vel promoverit; volumus, ut praeter alias censuras ac poenas contra simoniace ordinantes et ordinatos a sacris Canonibus et Constitutionibus Apostolicis alias inflictas et irrogatas, quibus nequaquam derogare intendimus, etiam omnia et singula supradicta in sic promoventibus et promotis locum habeant.* Ex quibus facilis forte via sternitur ad solvendam quaestionem, quae inter DD. agitabatur, *an poenae latae contra simoniacas ordinationes extendi deberent ad simoniacam collationem primae tonsurae;* quam quidem auctores fere ita tangebant, ut negantem quoque sententiam probabilem dicerent, ea ducti ratione, quod Synodus Tridentina (*Sess. 21. Cap. 1. De Reform.*) contra hoc crimen poenas solum decernat *a iure inflictas;* iura autem poenas infligant simoniacae collationi *Ordinum*, quo nomine negabant venire *tonsuram* (Vid. S. Alph. *Lib. 3. n. 110.*).— At enim in Sixtina Constitutione duplex poenarum genus habemus, nempe 1° poenas et censuras a iure inflictas; 2° poenas et censuras ab ipso Sixto V superadditas. Esto porro, habeantur modo abrogatae per Const. *Apostolicae Sedis* speciales poenae a Sixto V superadditae; at duriusculum merito videbitur existimare, Synodum Tridentinam et post eam Sixtum V, voluisse quidem (ut videtur) simoniacam quoque primae tonsurae collationem poenis (sane aliquibus) iure contentis comprimere, et nihilominus, dum *iura* appellant, ita lapsos memoria, ut *negari* ipsis (ut scholae dicunt) *suppositum* queat. Sed quidquid de hoc sit, certum esse debuit, saltem poenas ac censuras in Sixtina Constitutione statutas ob simoniacam tonsurae collationem vitari non potuisse adeo ut Ordinans (§. 2.) *a collatione quorumcumque ordinum atque adeo ipsius tonsurae, et ab executione omnium munerum Pontificalium eo ipso suspensus, et ab ingressu Ecclesiae interdictus existeret.* Caeterum incertae auctorum da hac re opiniones ex hoc repetendae videntur, quod diu multis in locis Sixtina haec Constitutio ignorata fuerit.

** Conqueruntur VV. (*Pag. 241.*), 1° quod in hac Nota exprobretur Auctoribus, quod *iura appellantes, memoria lapsi et obliti sint, quae Sixtus V statuit;* 2° quod (*Pag. 243.*) incertae Auctorum opiniones tribuantur Sixtinae Constitutionis ignorantiae, dum (inquiunt) omnes AA. citati *Sixtinam saepius citant.*

Resp. Ad 1. Nego totum. Ut enim legenti patet, non traducuntur ibi

1° excommunicatio Papae reservata;

2° suspensio a collatione cuiuslibet Ordinis, etiam primae Tonsurae;

3° suspensio ab executione omnium munerum pontificalium;

4° interdictum ab ingressu Ecclesiae;

5° suspensio ab administratione Ecclesiae (*a*).— *Schmalzgrueber*,

Auctores ceu *memoria lapsi*, sed dicitur durum esse, *supponere Patres Tridentinos et Sixtum V ita memoria lapsos etc.* Adde quod in Nota Auctores illi potiusquam *lapsi memoria*, dicantur Sixtinam Constitutionem ignorasse; quod deinde ipsi VV. redarguunt.

Resp. Ad 2. Desiderandum erat, ut VV. melius probarent id, quod aiunt, scilicet Auctores allegatos *Sixtinam* adeo non ignorasse, ut eam *saepius citent*. Nam ipsi sex allegant; sed quatuor ex istis, nempe Palaus, Reginaldus, Lacroix et Viva *Sixtinam* non nominant, atque adeo videntur eam ignorasse. Billuart vero et Salmanticenses utique allegant eam, sed non videntur eam legisse; secus difficultatem, quae inde oritur, solvere aliquo modo studuissent. Caeterum quod Sixtina *multis in locis*, ut dicitur in Nota, *ignorata fuerit*, confirmatur testimonio Lessii; nam et ipsi VV. (*Pag. 242.*) referunt haec Lessii verba: *Puto tamen, hanc Sixtinam plerisque locis ignorari.*

** (*a*) Excommunicatio contra simoniace ordinantes S. Pontifici iam reservabatur in Extrav. *Cum detestabile 2. de Simonia.* Sixtus V autem Constit. *Sanctum* 5. Ian. 1588. quoad ipsam expresse derogaverat dispositioni Tridentinae *Cap. Liceat Sess. XXIV. Cap. 6. De Reform.*, quando crimen esset occultum: quod et de absolutione ab aliis censuris dicendum erat, a quibus proinde Episcopus, sive occulti essent casus, sive publici, absolvere non poterat.

Porro quod S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 117.*) eam Sixti V Constitutionem tribuerit S. Pio V, addens, ipsam quoad hoc non esse receptam, totum debetur confusioni a Salmanticensibus inductae, ubi scribunt (*De Simon. Cap. 4. n. 34.*), *ab excommunicatione incursa ob simoniam in Ordine, Beneficio et Religione..., si publicae non sint, posse Episcopum absolvere. Nec* (inquiunt) *contra hoc obstat Bulla Pii V revocans hanc et alias facultates Religiosorum, quia quoad hanc partem non est recepta.* Et allegant Lessium, Sa, Suarez et Palaum.— Porro non Pius V, sed Sixtus V, uti dictum est, episcopis abstulerat hanc facultatem, non tamen quoad omnes illas censuras, sed solum quoad simoniacam SS. Ordinum collationem. Falsum est insuper, Sa et Suarez favisse huic errori, imo Suarez oppositum (*De Simon. Cap. 61. n. 6.*) docet. Lessius demum (*Lib. 2. Cap. 35. n. 134.*) solum dicit, Constitutionem Sixtinam (non vero Pii V) *multis in locis ignorari*, et idcirco *ibi* non esse usu receptam.

Nec obstare debebat, quod Sixti V Constitutio a Clemente VIII (*Const. Romanum 28. Febr. 1595.*) redacta fuisset ad terminos iuris communis. Id enim intelligendum est quoad caetera ibi contenta; nam poenae et censurae contra simoniacam ordinationem latae a Sixto V, etiam a Clemente VIII, ut communiter DD. advertunt, confirmatae fuerant. Ita Clemens (*Const. cit. §. 2.*): *Supradictas litteras* (Sixti V) *ad terminos SS. Canonum..., et ad dispositionem decretorum Concilii Tridentini restringimus et reducimus, nec non censuras et poenas in iisdem Sixti litteris contra quoscumque,* PRAETERQUAM CONTRA SIMONIACE ORDINANTES ET ORDINATOS INFLICTAS, QUAS VOLUMUS IN SUO ROBORE PERMANERE, *moderamur et abolemus.*

** Hic VV. congerunt per quindecim columnas (*Pag. 230–237.*) textus ex Auctoribus, ut a quavis nota eximant verba illa S. Alphonsi (*Lib. 3. n. 117.*): *Dicunt autem Lessius et Salmanticenses, quod Bulla in contrarium S. Pii V*

Lib. 5. tit. 3. n. 257. Verum cum harum censurarum nulla confirmetur aut innovetur in SS. D. N. Pii IX. Constitutione *Apostolicae Sedis,* eo ipso hae omnes habendae sunt ut abrogatae.

2° Ex veteri iure quoad ordinatum

1° excommunicatio Papae reservata (*a*);

2° suspensio ab executione saltem Ordinis simoniace suscepti (*b*);

3° itidemque suspensio a spe ascendendi ad Ordines superiores (*c*);

Et 4° si eiusmodi suspensiones violarentur, accedebat privatio officiorum et beneficiorum quoad Clericum saecularem, privatio vero vocis tum activae tum passivae quoad Clericum regularem.

At vi Constitutionis *Apostolicae Sedis* istiusmodi censurae locum amplius non habent (*d*).

in hoc non est usu recepta. — Resp. Non ex Lessio, sed ex Salmanticensibus ea S. Alphonsus desumpsit. Nam 1° secus scripsisset *Sixti V,* non vero *S. Pii V.* Praeterea non eadem est Salmanticensium ac Lessii sententia. Illi universim affirmant, bullam S. Pii (scil. Sixti) V, quoad hanc partem *non esse receptam.* Sed Lessius arctius: PLERISQUE IN LOCIS *ignorari, ac proinde non esse usu receptam.* Quocirca etiam inter scriptores a VV. allegatos, Billuart v. gr. circumscripte dicit, *non esse ubique receptam.* Et Pichler: *Excepta simonia in collatione Ordinum,* UBI EST RECEPTA *Constitutio Sixti V.* Et Collet: *Ubi autem Bulla Sixti V non est quoad hoc recepta.* Antoine cum Lessio: *Non esse usu receptam plerisque in locis.* Holzmann; *Ubi recepta est Constitutio Sixti V.* Atqui S. Alphonsus incircumscripte cum Salmanticensibus (qui contra iuris regulas consuetudinis privilegium seu exemptionem extendunt ad loca, in quibus consuetudo non exstat) scribit Bullam non esse receptam. Ergo ex Salmanticensibus ea sensa S. Doctor deduxit. Caeterum haec mere ad historiam modo pertinent; et ideo nihil interest iis immorari.

(*a*) Summo Pontifici reservabatur, etiamsi crimen esset occultum, ut supra dictum est.

** (*b*) Quaestio vertebatur inter DD., utrum haec suspensio restringenda esset ad ordinem male susceptum, an vero extendenda ad alios quoque ordines antea susceptos. Haec controversia modo, sublata iam ista censura, locum amplius non habet.

** (*c*) Cum *suspensio a spe ascendendi ad Ordines superiores* non sit proprie censura, sed potius *irregularitas,* idcirco haec in suo robore manere videtur. Per Constitutionem enim *Apostolicae Sedis* sublatae utique sunt censurae omnes, praeter eas, quas ibi Summus Pontifex vigere declaravit et statuit; at quoad alias poenas, quae proprie *censurae* nomine non veniunt, nihil in ea Constitutione decretum aut innovatum est. Si tamen crimen sit occultum, poteritne ab hac irregularitate dispensare etiam Episcopus ex cap. *Liceat?* Negandum videtur; nam, ut in Nota praec. habetur, Sixtus V quoad poenas huic crimini inflictas, facultati a Trid. Synodo Episcopis factae *dispensandi* in irregularibus ob crimen occultum derogavit. Excipietur, nisi Constitutio alicubi recepta usu non sit.

** (*d*) Quamquam certum sit ac manifestum, vi Constitutionis *Apostolicae Sedis* cessasse omnes censuras, quae contra simoniacas Ordinationes a Sixto V latae, et a Clemente VIII confirmatae fuerant; merito tamen suboriri dubium potest, num alia de causa censurae aliquae contra hoc crimen latae adhuc vigeant. Dubitandi ratio inde potest esse, quod in praedicta Pii IX Constitutione decernatur, ut firmae in suo vigore permaneant censurae, quas

Resp. 3° Poenae ob simoniam realem in materia beneficiaria (*a*) sunt:

1° excommunicatio Papae reservata; quam quidem poenam incurrunt non modo conferens et recipiens beneficium, sed ii quoque, quorum mediatione et cooperatione contractus simoniacus perficitur. Nam in Constit. *Apostolicae Sedis* inter excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici reservatas, habetur (*n. 8.*) et inflicta contra *reos simoniae realis in Beneficiis quibuscumque, eorumque complices* (*b*).

S. Tridentina Synodus inflixerit. Porro Synodus Tridentina (*sess. 21. Cap. 1 de reform.*) statuit, ut rei simoniae in *collatione quorumcumque ordinum, etiam clericalis tonsurae... poenas a iure inflictas ipso facto incurrant;* indubie autem in iure censurae illi crimini inflictae reperiuntur.

Verum si forma inspiciatur verborum Constitutionis, haec omnino referri videntur ad censuras, quas S. Synodus per se ipsa statuerit. Sic enim de excommunicationis censura: *Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque, quos sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus.* Et rursus: *Denique quoscumque alios sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso iure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.* Porro minus proprie diceretur S. Synodus aut *excommunicasse,* et quidem *declarando,* num absolutionem *reservaret,* nec ne R. Pontifici aut Ordinariis, itemque *decrevisse* suspensos aut interdictos quosdam, quando mere poenas generatim a iure inflictas intentabat seu confirmabat.

Praeterea, ut recte arguit Petrus Avanzini (*Append. ad Comment. de Constit.* Apost. Sedis *Pag. 156*) id satis desumitur ex *Constitutionis scopo,* qui fuit ut occurreretur gravissimis incommodis, quae oriebantur ex magno censurarum numero, quae per singulas aetates indictae ac promulgatae fuerant, e quibus certae quaedam, temporibus moribusque mutatis, a fine et causis, ob quas impositae fuerant, vel a pristina utilitate atque opportunitate exciderant, quocirca non infrequenter sive in iis, qui curam animarum gerunt, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque oriebantur. Exinde S. Pontifex, *Nos* (inquit) *eiusmodi incommodis occurrere volentes, plenam earumdem recensionem fieri, Nobisque proponi iussimus, ut, diligenti adhibita consideratione, statueremus, quasnam ex illis servare et retinere oporteret, quas vero moderari aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta... decernimus, ut ex quibuscumque censuris... nonnisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, robur exinde habeant.* Scopus ergo, ad incommoda praedicta submovenda, fuit, ut certus quidam statueretur censurarum numerus et elenchus. Porro scopus iste deficeret, nec praedicta incommoda cessarent, si intelligantur comprehensae censurae per generalia verba a Synodo Tridentina renovatae seu confirmatae.

(*a*) Haec accipi debent de beneficiis proprie dictis, cuiusmodi non sunt pensiones, aut vicariae temporales, etc.; exinde qui pensionem spiritualem vendat, simoniam quidem committit, subiectas tamen poenas non incurrit.

Beneficia autem intelliguntur non modo *saecularia,* v. gr. Episcopatus, canonicatus, decanatus, paroecia, etc., sed etiam *regularia,* cuiusmodi sunt generatim Regularium Praelaturae, quae non consistant in nuda commissione ad nutum revocabili, sed in munere ordinario, uti sunt generalatus, provincialatus, abbatia, praepositura, prioratus, rectoratus, guardianatus, etc.

** (*b*) Si occultum sit crimen, ab hac excommunicatione absolvere potest

2° nullitas electionis aut praesentationis ad beneficium vel ad quamcumque Dignitatem (*a*);

Episcopus *ex Cap. Liceat*. Ita enim diserte in cit. Const. *Apostolicae Sedis: Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam sess. XXIV. cap. 6. de reform. in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac Nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus*. Porro excommunicatio *contra reos simoniae realis in Beneficiis quibuscumque, eorumque complices*, non pertinet ad reservatas Sedi Apostolicae speciali modo. Ergo.

Ante praedictam Pii IX Constitutionem ab eiusmodi excommunicatione vi specialis Privilegii absolvere poterant etiam Mendicantes, cum limitatione tamen a Clemente VIII apposita, nimirum *extra Italiam, et intra Urbem*, quo nomine DD intelligunt, etiam *Urbis districtum*. Utrum vero, postquam eiusmodi privilegia, ac facultates omnes absolvendi a casibus papalibus revocatae, suppressae et abolitae in memorata Constitutione fuerunt, Apostolica Sedes (quae per eam Constitutionem profecto facultatem sibi non ademit privilegia denuo concedendi) quidpiam quibuspiam concesserit, ab iisdem mendicantibus scitandum erit.

(*a*) Nonnulla hic advertenda. Ac 1° Simoniae reus non defenditur regula *de triennali possessione*, quia expresse exceptus est, ubi dicitur: *absque simoniaco ingressu*. Neque simoniace praesentato aut electo prodest, quod confirmatio aut institutio hoc vitio caruerit; nam si in priori actu commissa est simonia, omnes actus sequentes sunt irriti. Secus tamen, si legitime electus vel praesentatus confirmationem seu institutionem simoniace obtineat; tunc enim haec sola, in qua vitium commissum est, irritatur. Quocirca si per dispensationem tollatur inhabilitas per posteriorem hunc actum contracta, opus non esset nova electione. Reiffenst. (*Lib. 5. Tit. 3. n. 265.*).

2° Nullus est actus, etiamsi in electione, quae fiat a pluribus *iure communitatis vel collegii*, unus tantum, maiori parte rite eligente, simoniace suffragium ferat. Secus tamen, si praesentatio fiat a pluribus, prouti singuli sunt, adeo ut tot sint praesentationes, quot patroni; simoniaca enim unius collatio legitimam alterius collationem non inficit. Schmalzgr. (*Lib. 5. Tit. 3. n. 266.*).

3° Irrita est provisio, etsi simoniam non ipse quidem promotus, sed alter, *ipso ignorante*, commiserit: excipe, si hic in fraudem id egerit, nempe quo electum seu praesentatum ad beneficium reddat inhabilem. Schmalzgr. (*l. c.*).

4° A fortiori autem irrita est provisio, si provisus, postquam scivit, pecuniam ab alio non in fraudem sed in favorem ipsius datum iri, non contradixerit; aut contradixerit quidem, sed nihilominus, non ignorans alium a simoniaco opere non destitisse, beneficium acceptaverit, aut etiam ante obtentum beneficium pecuniam ab alio simoniace pro se solutam ipsi solutori refuderit. Ita ex Cap. *Sicut 33. De Simonia*.

5° Valida tamen erit provisio, si promotus post cognitum simoniacum alterius consilium expresse contradixerit, etsi deinde non obstante hac contradictione, *ipso ignorante*, beneficium per pecuniam reipsa obtineatur. Quod si re post obtentum beneficium cognita, pecuniam ante obtentum beneficium se inscio solutam refundat simoniaco solutori, simonia quidem se inquinat (nisi, ut plures aiunt, id *mere* ex amicitia praestet, et ne alter damnum sua causa patiatur); non tamen videtur *irritationis* poenam ipso facto incurrere; hinc beneficium usque ad prolatam privationis sententiam poterit retinere. Ratio, quia effatum illud: *ratihabitio retrotrahitur et mandato aequiparatur*. de iis intelligendum est, quae a consensu ratificantis pen-

3° inhabilitas perpetua, aut ex quorumdam opinione inhabilitas ad idem beneficium saltem ea vice obtinendum (*a*);

4° inhabilitas ad alia beneficia post iudicis sententiam saltem declaratoriam (*b*).

dent, non vero de iis, quae ante hunc consensum plane et absolute iam sunt peracta. Schmalzgr. (*Lib. 5. Tit. 3. n. 266.*).

6° Beneficii privationi accedit obligatio fructus ex eo comparatos restituendi. Quod quidem valet, tum si simonia patrata sit a beneficiario, tum si ab alio, ipso beneficiario sciente et non contradicente, vel contradicente quidem, sed tamen acceptante beneficium cum notitia simoniae non obstante sua protestatione intercedentis. Ratio, quia cum nec bonam fidem habeat nec titulum, in quo ius percipiendi fructus radicetur, hos non facit suos, atque adeo restituere eos tenetur. Idque intelligendum est non modo quoad fructus extantes, verum etiam quoad consumptos; immo et quoad eos, qui a legitimo possessore percipi potuissent, uti communiter traditur de malae fidei possessore. Non tamen tenetur ad restituendos fructus stolae, aliarumque functionum parochialium; quippe isti non recipiuntur ceu *reditus beneficii,* sed ut stipendia officii. Vid. S. Alphonsum (*Lib. 3. num. 111*).

7° Si vero simonia ab alio commissa fuerit, beneficiario ignorante, hic fructus lucratur, quamdiu in bona fide manet, non secus ac quilibet bonae fidei possessor. Cum tamen collatio per se sit invalida (nisi simonia ab alio in fraudem, ut sup. dictum est, commissa fuerit), ignorantia cessante restituendi sunt fructus, qui extant. Possessor enim nactus non est horum dominium nisi tantum revocabile. Schmalzgr. (*l. c.*).

8° Quod si hic per triennium cum eadem bona fide in pacifica beneficii possessione perstiterit; defenditur (ut inquit Schmalzgr. *ibid. n. 267.*) regula de triennali possessione, adeo ut triennio illo elapso neque fructus neque beneficium teneatur restituere. Et haec quidem doctrina nonnullis non arrisit. *Sed receptior* (ait Rigantius *ad Reg. 36. Cancell. n. 232.*) *est in praxi contraria opinio, quod scilicet huius regulae exceptio competat proviso de beneficio, ignoranti simoniam a tertio commissam.* Quam in rem idem Rigantius tum plurium ac gravissimorum DD. suffragium, tum plures S. Rotae Romanae decisiones affert; ac alios tum Theologos tum Canonistas videre licet penes Schmalzgr. (*l. c.*) et Reiffenstuel (*Lib. 5. Tit. 3. n. 278.*), qui insuper diluunt ratiunculas tum a gallicano Cabassutio, tum a plusquam gallicano Vanespen in proscripto suo opere obiectas.

(*a*) Quod inhabilitas restringi queat ad obtinendum *ea vice* beneficium, opinatus est etiam Schmalzgrueber (*l. c. n. 268*). Verum, ut inquit Reiffenstuel (*l. c. n. 266.*), *licet in Cap. penult. De Electione videatur, simoniace obtinentem beneficium tantum ea vice esse inhabilem ad illud obtinendum, sicut et glossa... tenet; tamen post praefatam Constitutionem* (*Pii V,* incipit *Cum primum* 1 April. 1566) *ob illius verba res est extra controversiam, quod perpetuo sit inhabilis ad idem beneficium obtinendum, nisi Papa dispenset.*

Verba autem Pii V (*Const. cit.* §. *8.*) haec sunt: *Qui beneficium aut officium ecclesiasticum simoniace adeptus fuerit, illis similiter ipso iure sit privatus, et ad fructuum omnium, quos perceperit, restitutionem teneatur, et* PERPETUO *sit inhabilis* AD EA *et quaecumque alia beneficia obtinenda.*

(*b*) De hac re Suarez (*De Simon. Lib. 4. Cap. 58. n. 16.*): *Ubi clare non constiterit, Constitutionem Pii V esse receptam in priori rigoroso sensu, existimo posse in praxi servari tuta conscientia opinionem Navarri, et non esse necessariam dispensationem ad alia beneficia, quando delictum non est ad forum contentiosum deductum et in eo declaratum.* Cui sen-

Resp. 4° Poenae ob Simoniam confidentialem completam, id est quando beneficium datum et acceptum est in confidentiam, etiamsi pactum ab altera parte nondum impletum fuerit (*a*), sunt:

1° excommunicatio papalis; nam Constitutio *Apostolicae Sedis* excommunicationem Pontifici reservatum (*n. 9.*) statuit contra *reos simoniae confidentialis in Beneficiis quibuslibet, cuiuscumque sint dignitatis:* quibus verbis et Praelati maiores, non exclusis Cardinalibus, comprehenduntur (*b*);

tentiae praeter alios adstipulantur Pirhing (*Lib. 5. Tit. 3. n. 170.*) et Reiffenstuel (*Lib. 5. Tit. 3. n. 267.*).

Quoad facultatem autem dispensandi ab inhabilitate obtinendi beneficium simoniace collatum, haec retinenda sunt.

1° Si beneficium *simplex* sit, quod scilicet nullam vel iurisdictionem, vel administrationem, vel curam animarum, vel specialem praeeminentiam adnexam habet (de quibus vid. Schmalzgr. *Lib. 3. Tit. 5. n. 30-32.*), sed ad summum ad meram assistentiam in choro vel ad altaris servitium obligat; et intercesserit simonia, beneficiario ignorante; potest Episcopus dispensare, ut hic beneficium retineat, seu melius ut illud de novo acquirere valeat, dummodo prius ipsum resignet. Est doctrina communis et certa ex Cap. *Si alicuius 59. De Electione.* Nec admittendum videtur, quod addit Vallensis (apud Schmalzgr. *h. tit. n. 268.*), ne Episcopi quidem dispensatione opus esse; quae opinio merito neminem alium, ut videtur, sectatorem habuit.

2° Immo eadem facultas Episcopo tribuenda est, quando beneficium sit quidem *duplex,* sed collatio eiusdem irrita non fuerit declarata *per sententiam.* Nam, eiusmodi accedente sententia, ad S. Pontificem pro dispensatione *saltem illa vice* recurrendum esset. Dicitur *illa vice;* quia si idem beneficium alteri prius conferatur, et iterum vacare contigerit, utique poterit illi conferri, qui simoniam ab altero in sua provisione commissam ignoraverat. Vid. Reiffenst. (*Lib. 5. Tit. 3. num. 337.*).

3° Quando vero simoniam vel beneficiarius ipse, vel alius, eo non ignorante, commisit; certum est apud omnes, non posse Episcopum cum beneficiario dispensare, ut illud beneficium vel tunc vel alia vice acquirere valeat. Idque locum habet, etiamsi crimen sit occultum, uti constat, aliis omissis, ex declaratione S. Congr., quam ex Farinaccio sic refert Palaus (*De Simon. punct. 28. n. 3.*): *Episcopus etsi a simonia occulte absolvere possit, non potest tamen simoniacum rehabilitare ad beneficia imposterum obtinenda, neque ad retinenda quae per occultam simoniam retinet.* Reiffenst. (*l. c. n. 340.*).

(*a*) Quoad *mediatores* tamen, uti superius dictum est, simonia non censetur completa, atque adeo poenae locum non habent, nisi traditio ex utraque parte saltem sit inchoata.

(*b*) Quoad hasce poenas apud plerosque auctores confusio aliqua irrepserat. Nam cum de hac re binae haberentur Constitutiones, altera nempe Pii IV (incip. *Romanum Pontificem* 16 Oct. 1564), altera Pii V (incip. *Intolerabilis* 1 Iun. 1569), alii primam tantum, alii tantum secundam noverunt, pauci vero utramque commemorantes rem exacte ex utraque definiebant, uti Schmalzgrueber (*Lib. 5. Tit. 3. n. 270.*)

Pius IV itaque Praelatos maiores, Cardinales nempe etiam Episcopos, Patriarchas, Episcopos, et Archiepiscopos interdicto ab ingressu ecclesiae multavit, reliquos vero excommunicatione latae sententiae punivit. *Cardinalibus videlicet* (inquit *cit. Const.* §. *4.*) *et aliis Praelatis huiusmodi in virtute sanctae obedientiae et sub poena interdicti ingressus ecclesiae, reliquis vero sub maioris excommunicationis latae sententiae poena per contrafacientes eo ipso incurrenda, a qua nisi a nobis aut Romano Ponti-*

2° nullitas resignationis aut collationis factae in confidentiam;

3° inhabilitas ad idem beneficium, et ad alia obtinenda;

4° privatio beneficiorum et pensionum, quae legitime antea obtenta fuerint, post iudicis tamen sententiam (*a*);

5° reservatio eiusdem beneficii ad Sedem apostolicam (*b*). — *V. Schmalzgrueber, ibid. n. 270.*

294. **Resolves.** — 1° Non committit Simoniam, qui Reliquias cum Reliquiis permutat; quia sic non datur spirituale pro temporali. Idem dicendum est de caeteris rebus sacris, si excipias beneficia, quorum permutatio ne propria auctoritate fiat, ab Ecclesia prohibitum est.

2° Non committit Simoniam, qui vendit ceram benedictam, rosaria vel numismata, quibus adnexae sunt indulgentiae (*c*), vel sacras Reliquias capsulis pretiosis inclusas, vel alia similia; quia haec

fice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant, districtius prohibemus. Pius V vero (*Const. cit.* §. *8.*) in omnes huius criminis reos excommunicationis ipso facto incurrendae ac Romano Pontifici reservatae poenam tulit; ac die 14 Nov. eiusdem anni 1569 declaravit (quae declaratio eidem Constitutioni subiicitur in Bullario Romano), *omnes S. R. E. Cardinales in Constitutione et litteris praefatis ac singulis earum partibus etiam quoad privationes, omnesque et singulas censuras et poenas in ipsis contentas, comprehendi.*

Et ex his eruendus sensus verborum S. Alphonsi (*Lib. 3. n. 89.*): *Per hanc simoniam... incurruntur poenae:* 1° *interdicti ab ingressu ecclesiae,* 2° *excommunicatio papalis ipso facto,* 3° *nullitas collationis, etc.*, nimirum omnes, quotquot hoc crimen committerent, excommunicationem papalem ipso facto incurrebant; maiores vero Praelati etiam interdicto ab ingressu ecclesiae plectebantur; neque enim Pii V verba aut maiores Praelatos poena excommunicationis eximi patiebantur, aut poenam in ipsos a Pio IV decretam demebant. Nunc vero vi novae Pii IX Constitutionis manet quidem poena excommunicationis easdem, ac Constitutio Pii V, personas complectens; poena tamen *interdicti ab ingressu Ecclesiae,* quam contra maiores Praelatos statuerat Pius IV, sublata est.

(*a*) Iudicis sententiam, saltem criminis declaratoriam, requiri probat S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 111. q. 3.*) cum communi DD. sententia ex principio, quod *nimis rigidum est, ut reus poenas ex seipso exequatur, et bonis possessis se privet.* Ipse tamen dubitat an id valeat quoad examinatores beneficiorum parochialium; quippe *Sess. 24. Cap. 18.* Synod. Trid. edicitur, ut hi non possint absolvi, nisi *dimissis beneficiis.* Censent nihilominus alii, hanc poenam cum tanto rigore non esse receptam. Vid. Thesaur. *De Poenis Eccl. V. Simonia Cap. 4. n. 1.*

(*b*) Inspiciendum tamen est, an intercesserint concordata cum Sede Apostolica. Nam si in concordatis statuatur, extra menses papales *per nullam reservationem aut dispositionem in ipsis concordatis non contentam,* liberam collationem Ordinariis interdici, tunc neque vi simoniae confidentialis haec reservatio locum habere censetur. Ita, v. gr. Sixtus V (Const. *Pastoralis officii* 13 Aug. 1587) quoad Galliae regnum beneficia vacantia ratione confidentiae permisit liberae Ordinariorum collationi, dummodo collatores ipsi criminis participes aut consentientes non extitissent. Vid. Schmalzgr. (*Lib. 5. Tit. 3. n. 273.*).

(*c*) Pluribus tamen decretis S. Congreg. Indulg. interdictum est, ne rosaria, cruces aut numismata benedicta venditioni exponantur.

non venduntur ratione rei sacrae, sed ratione pretii rei temporali adnexi; secus tamen, si propter rem ipsam sacram maiori pretio haec venderentur.

3° Non committit Simoniam, qui pecuniam principi haeretico solvit, ne ab ingressu Ecclesiae seu a coetibus religiosis catholicorum frequentandis impediatur; aut malevolo homini, ne ab ipso iniuste diffametur, et a beneficio, ad quod ius habet vel habere potest, arceatur. Ratio est, quia hoc modo non datur temporale pro iure spirituali, sed pro tollenda vel impedienda iniuria, quae est quid temporale (*a*).

4° Non sunt de Simonia accusandi, qui gratis vel pro incompetenti mercede serviunt, ut hac occasione suam probitatem vel dexteritatem demonstrent cum spe aliquando obtinendi quodpiam beneficium; quia non expectant illud spirituale velut pretium laborum suorum. — *Elbel, n. 618.*

295. — 5° Nec sunt Simoniae culpabiles, qui ex gratitudine praestant temporale ob spirituale acceptum, et vice versa (*b*). Sic

(*a*) Non quaevis conditio collationi rei spiritualis adiuncta inducit simoniam, sed ea dumtaxat, quae novum onus affert seu novam obligationem iustitiae per modum commutationis. Non est ergo simonia, si dem spirituale, ut temporale obtineam, quod titulo iustitiae mihi debetur, sed per solam iniustitiam denegatur; itidemque si per collationem spiritualis velim avertere malum iniuste mihi inferendum; v. gr. ne debitor inique differat solutionem, aut ne creditum amittam, ne quis vitam aut famam meam inique laedat, etc.

(*b*) Huc alios casus revoca. Nam simonia non est (etsi peccari aliis de causis queat) beneficium conferre propter consanguinitatem, vel amicitiam, vel indigentiam alterius sublevandam, etsi hoc pacto quispiam se intendat eximere ab onere aut consanguineum aut alterum eleemosynis sustentandi. Accipienti enim spirituale nequaquam onus imponitur quidpiam temporale ex pacto retribuendi.

Idem dicito cum S. Alphonso (*Lib. 3. n. 59.*), si cuipiam des temporale, ut aliquid spirituale hic in sui ipsius commodum praestet, v. gr. si munera adolescenti promittas, ut sacramenta frequentet, aut dotem puellae, si monasterium ingrediatur. Neque enim permutatio aliqua intercedit, quando spirituale simul et temporale uni cedunt. Nec obstat (contra ac putaverint Salmanticenses *De Simon. Cap. 1. n. 41.* apud S. Alph. *l. c.*), quod per accidens in aliquam dantis quoque utilitatem id forte cedat. Neque enim hic rem spiritualem accipit, ac proinde irreverentia rem spiritualem aestimandi temporali pretio nulla adest.

** Duo sunt, quae VV. in hac Nota reprehendunt, de quibus deinde per decem columnas (*Pag. 244-249*) disserunt. Ac 1° *Sat confusa sunt* (inquiunt *Pag. 245.*) *quae in Nota habentur; et ideo prae caeteris* (?) *melius distinguendum est.* — Resp. In Nota refertur doctrina, quam probat et S. Alphonsus. Utique S. Doctor postea allegans Salmanticenses, et nonnullos Auctores ex allegatis a Salmanticensibus alium casum proponit, in quo iidem Salmanticenses cum Auctoribus prius allegatis labem Simoniae reperiunt. At secundus hic casus in Nota non est allatus, quia ad rem et ad scopum Notae non faciebat. Estne in hoc confusio, quam VV. redarguunt? Nam quod obiecta confusio alibi reperiatur, nuspiam deinde VV. dicunt.

2° Ad id, quod in fine Notae dicitur: *Nec obstat, contra ac putaverint Salmanticenses etc.*, VV. regerunt (*Pag. 248*): *Si forte per accidens id*

non peccaret Cappellanus, qui servitia libentius tribueret Episcopo, a quo beneficium obtinuit, nec Episcopus qui Clerico beneficium conferret in recognitionem obsequiorum; quia haec non praestantur velut pretium; insuper honestum et laudabile est pro accepto obsequio se gratum exhibere. Cavendum tamen sedulo est, ne sub titulo gratitudinis lateat Simonia palliata; hoc autem fieret, ubi intercederet pactum implicitum dandi beneficium pro temporali obsequio, vel vice versa.

6° Esset autem Simonia ministeria sacra obire praecise ob pretium percipiendum tanquam tale, v. gr. accipere pecuniam pro absolutione a peccatis, a censuris, vel pro dispensatione in voto, iuramento, irregularitate, et impedimentis matrimonii; ratio, quia est actus spiritualis tum ratione principii seu potestatis spiritualis, tum ratione finis seu salutis animarum. Licite tamen accipitur pecunia occasione dispensationum (*a*), praesertim quando alia iusta causa non adest, titulo scilicet commutationis seu eleemosynae, vel sustentationis onerum Pontificatus, ad subveniendum Ecclesiae necessitatibus, v. gr. Templorum, Missionum, etc. vel ad alios pios usus, v. gr. ad pauperes sublevandos, ad nosocomia dotanda, ad expensas tribunalium, a quibus dispensationes conceduntur, etc.; stipendium enim congruum variis officialibus seu ministris ad causas expediendas adhibitis tribuendum est. — Caeterum S. Sedes ipsa in Brevibus statuit, quid pro variis dispensationibus tribuendum sit. — *V. Casus, n. 285. et seq.*

Quaesita. Quaer. 1° *An sit restituenda res spiritualis simoniace acquisita?*

Resp. 1° *Affirm.* quoad beneficia; ita communis et certa DD. sententia. Ratio, quia iura in poenam delicti obstant, quominus recipiens aut pretium aut beneficium, possit dominium accepti acqui-

eveniat, certe simonia non committitur. Sed hoc nemo unquam affirmavit (forte negavit?). *Hypothesis Salmanticensium et caeterorum ea est, quod dans vel promittens non spiritualem utilitatem alterius, sed suam temporalem intendat et quaerat.* — Resp. S. Alphonsus post Salmanticenses ita habet (*Lib. 3. n. 59.*): *Secus* (scil. simonia adesset)... *si conditio esset de praestando aliquid in utilitatem dantis, puta, si ingressus illius in religionem cederet in dantis commodum. Ita Salmantic. ibid. n. 41.* Quaero: eiusmodi contextus excludit ne hypothesim utilitatis, quae per accidens danti forte cedat? Minime sane. Aliunde VV. in hoc casu nullam adesse simoniam concedunt. Ergo illud etiam concedant, oportet, Salmanticensium sententia nimis vaga ac generali damnari etiam hypotheses, quae damnandae non sunt.

** (*a*) Ita et S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 96.*), cuius tamen argumenta, a Salmanticensibus desumpta, minus idonea sunt. Allegat enim Cap. *Iacobus 44 de Simonia;* sed in hoc mere interdicitur canonicis, ne a novo canonico prandium recipiant. Allegat Trident. *Sess. 24. Cap. Dicunt 6.;* sed hoc mere statuit, ut Episcopi *gratis* a censuris absolvant, et dispensent in irregularitatibus occultis. Addunt Salmanticenses (*Tr. 19. Cap. 2. n. 37*) Can. *Ex multis 9. Caus. 1. q. 3.;* sed in eo nihil ad rem occurrit, sed agitur de beneficiorum collatione.

rere. Et cum irrita sit beneficii adeptio, eo ipso nec fructuum acquiri potest dominium, atque adeo hi quoque sunt restituendi (*a*).

Resp. 2° *Neg.* quoad reliqua, licet iudex possit in poenam criminis restitutionem iniungere. Ita communis cum Schmalzgrueber *Lib. 5. tit. 3. n. 284.* Ratio est, non modo quia quaedam restitui non possunt, v. gr. sacer ordo, sed etiam quia ut valida sit rei spiritualis, v. gr. SS. Reliquiarum translatio, iure divino non plus requiritur, quam potestas in altero transferendi, in altero recipiendi rei dominium; atqui, nisi *aliunde* in alterutro sit defectus, haec potestas adest in utroque quoad rem spiritualem. Ergo. Si autem translatio valet iure divino, valebit etiam iure humano, cum ab hoc irritae, nisi fere solae provisiones beneficiales simoniacae, non decernantur.

Quaer. 2° *An restituendum sit pretium simoniace pro re spirituali acceptum?*

Resp. 1° Si solum intercessit simoniae crimen, nulla vero iustitiae laesio, non adest obligatio restituendi simoniacum pretium ante condemnatoriam iudicis sententiam (*b*), nisi ipsum pretium excedat aestimationem commodi temporalis, quod cum re spirituali in alterum transfertur. Ita Suarez, Lessius, Laymann, Reiffenstuel apud Schmalzgr. *Lib. 5. tit. 3. num. 286.* (*c*).

Resp. 2° Ubi vero pactum simoniacum repugnet etiam iustitiae commutativae, pretium restituendum est ante omnem iudicis sen-

(*a*) Quidam eadem lege, ac beneficia, comprehendi censuerunt etiam *pensiones*, nec eas modo, quae *simpliciter spirituales* dicuntur, et clerico dantur ob spirituale ministerium, sed etiam *mixtas*, quae ex romanae Curiae stilo neque vendi neque etiam redimi sine apostolica dispensatione possunt. Verum cum iura (ut observat Schmalzgr. *Lib. 5. Tit. 3. n. 285.*) loquantur solum de beneficiis, non sunt, utpote in materia poenali atque adeo odiosa, ad aliud extendenda.

(*b*) Intellige, *excepta materia beneficiali*, in qua datum et acceptum ante omnem sententiam iudicis in foro conscientiae restituendum est, non quidem iure naturali, sed tantum ecclesiastico ex Cap. *De hoc 11. h. tit.* Ratio est, quia iura tam beneficium quam pretium accipientem impediunt, quominus dominium accepti acquirere possit, idque in poenam tam gravis delicti (Schmalzgr. *Lib. 5. Tit. 3. n. 283.*).

Quoad alias materias, doctrinae Auctoris non obstat Cap. *Pactiones* fin *De Pactis*, ubi Gregorius IX quamlibet pactionem simoniacam declarat esse irritam. Restringi enim ea dispositio debet ad materiam beneficialem; vel etiam dici potest, verba Gregorii accipienda esse de obligatione implendi simoniacam pactionem, quae certe nulla est; ex quo tamen non sequitur, pretium esse restituendum; perinde scilicet ac loqui solent DD. de contractu rei turpis, et de pretio post factum turpe accepto.

(*c*) Hac de causa simoniae quidem reus est, sed ad pretium restituendum non tenebitur (ante iudicis sententiam) quisquis contra ecclesiasticas leges 1° vendat temporale Ecclesiae officium, v. gr. oeconomi, custodis, etc.; 2° qui pretio valorem materiae non excedente vendat oleum sacrum, chrisma, aliaque eiusmodi; 3° qui pecuniam recipiat pro admissione alicuius in Religionem; 4° qui contra specialem prohibitionem, titulo tamen stipendii ad sustentationem, pecuniam pro functione spirituali accipiat; 5° qui stipen-

tentiam. Ita *Communis*. Ratio est, quia ex iustitiae commutativae laesione obligatio restituendi ipso naturae iure exsurgit (*a*).

QUAER. 3° *Cui restituendum sit pretium simoniacum?*

Resp. 1° Si datum sit pretium, sed nondum tradita sit res spiritualis, communis sententia docet, pretium illi restituendum esse, qui dedit, nisi aliter iudex decreverit. Ratio est, quia iura solum contra simoniam realem poenas statuunt.

Resp. 2° Si vero utrinque sequuta sit traditio, distinguenda a reliquis est causa beneficialis. In hac enim simoniacum pretium ex Cap. *De hoc 11. De Simonia* restituendum est Ecclesiae, in qua situm beneficium est, vel, si superior velit, potest pauperibus distribui, ut advertit S. Thomas *2. 2. q. 100. art. 6. ad 3.* (*b*).

Quoad pretium vero pro alia re spirituali acceptum, cum nihil iure clare decretum reperiamus, superest ut ei restituatur, qui illud persolvit. Ratio est, quia *per se et lege seu superiore aliud non statuente*, ubi iniusta acceptio intervenit, restitutio facienda illi est, qui laesus fuit. Atqui in casu laesus ille fuit, qui dedit pretium. Ergo, etc. Proinde si is, qui simoniacum pretium solvit, gratuito solutum remittat, ille, qui istud accepit, licite idem retinet, donec in criminis poenam Ecclesiae vel pauperibus illud erogare per iudicem iubeatur. *Vid. Schmalzgr. Lib. 5. tit. 3. n. 297.*, qui dein *n. 298-301.* hanc doctrinam ab obiectis vindicat (*c*).

dium alioqui lege non interdictum accipiat tamquam functionis spiritualis, v. gr. sacrificii pretium, etc. 6° Ex eadem ratione, ut inquit Schmalzgr., ad pretii restitutionem, iure solum naturali spectato, non obligatur etiam is, qui beneficium suum vendit alteri, non quidem eius dominium, sed rei beneficiariae commodum in alterum transferens; in quo etsi simoniam committat, non tamen peccat contra iustitiam. Vid. Schmalzgr. (*Lib. 5. Tit. 3. n. 287-291.*).

(*a*) Proinde ad pretium restituendum tenetur 1° qui pretium accipit pro re mere spirituali, quae nullum commodum temporale affert; quippe rei, quae pretio non est aestimabilis, nullum est pretium, atque adeo contra iustitiam pretium pro ipsa accipitur; 2° qui pretium accipit pro re spirituali, etiamsi haec commodum temporale afferat, quam tamen quispiam, v. gr. parochus ex officio et iustitia praestare tenetur; 3° Episcopus seu Praelatus, qui vendat beneficia vel officia ecclesiastica, quorum collatio ad ipsum vi muneris sui spectet; quippe ex officio suo dispensare ea gratis debet, adeoque accipiens pretium contra iustitiam peccat. Vid. Schmalzgr. (*l. c. n. 293-295.*).

(*b*) Recte tamen cum pluribus aliis Theologis et Canonistis monet Reiffenstuel (*Lib. 5. Tit. 3. n. 296.*), ante sententiam, quae pretium Ecclesiae aut pauperibus restituendum praecipiat, posse hoc illi reddi, qui dedit. Neque obstat allegatum C. *De hoc;* ut enim advertit Schmalzgr. (*h. t. n. 304.*), hoc unum ex illo infertur, *acceptam pecuniam sine gravi salutis periculo retineri non posse.*

(*c*) Ex his patet, Salmanticenses (apud S. Alphons. *Lib. 3. n. 115.*) minus concinne de his disputasse, dum nulla inter causas plane diversas distinctione facta, generatim dicunt, tres de hac re adesse sententias, easque probabiles, quarum una pretium illi, qui solvit, restituendum velit, altera Ecclesiae, tertia vero pauperibus. Ad haec Lessium, qui stat pro tertia,

DE II. DECALOGI PRAECEPTO

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Exod. 20. 7.

Hoc praecepto prohibetur quaelibet erga Deum irreverentia sive per vanam sanctissimi Nominis eius usurpationem, sive per blasphemiam, sive per iuramentum aut votum vel illicitum vel violatum.

CAPUT I.

DE VANA USURPATIONE NOMINIS DEI ET BLASPHEMIA

ARTICULUS I.

DE VANA SS. NOMINIS DEI USURPATIONE

296. — Dicitur in vanum usurpari SS. Dei Nomen, cum sine rationabili causa, aut sine debita reverentia assumitur. Hoc autem triplici praesertim modo fieri solet, scilicet

1° *Ex impatientia,* seu *indignatione* in creaturas etiam inanimatas, aut in seipsum, v. gr. *Deus meus! Bone Deus! quam male res ista procedit! Deus meus! quam stultus ego!...* Vel gallice: *Mon Dieu, est-il possible? Mon Dieu, laissez-moi donc tranquille* (*a*)!

2° *Ex admiratione,* per modum exclamationis. Sic dicitur: *Iesus, Maria! O Deus! Deus meus! (Mon Dieu! Grand Dieu! O bon Jésus!).*

3° *Superflue,* plerumque ex mera formula, seu ex levitate vel ex quadam consuetudine. Sic dicitur: *Deus meus, utique, ita est,*

allegatum pro prima, Suarium vero, qui certe pugnat pro prima, citatum pro secunda apud eundem S. Alphonsum cernere est.

** Aegre ferunt VV., quod in Nota dicatur, S. Alphonsum, dum allegando Salmanticenses tres esse sententias dicit, easque probabiles, non distinguere inter causas plane diversas; et addunt, de hoc potius arguendum Gury, qui in *Q. 2.* non adverterit, distinguendum esse inter alias simoniae materias, et materiam beneficiariam.

Resp. Iure merito VV. hoc de Gury advertunt. Proinde omissioni consultum hic est. Viderint ipsi VV., an per aliquam glossam consulendum etiam sit obscuritati, quae in textum S. Doctoris ex eo inducitur, quod quaestionem proponat de simonia generatim *circa rem spiritualem;* sed sententiae deinde, quas affert, referantur ad materiam quandam specialem: et tamen, quasi sententiae referantur ad idem quaestionis subiectum, concludit, omnes has sententias esse probabiles. In inconstantia autem subiecti quaestionis rationem reperient, cur Auctores abs re allegari a S. Doctore videantur.

(*a*) Quando usurpatio Nominis Dei aut Sanctorum ex impatientia sic contingit, reipsa sonat et implicat quemdam invocationis modum. Quare ubi huius usurpationis consuetudo aegre videatur emendari posse, utile erit fideles hortari, ut sensum, quem verbis efferunt, mens quoque teneat.

vel *non ita (Mon Dieu oui; — Mon Dieu, non; — Mon Dieu, que voulez-vous ?)* (*a*).

297. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An vana usurpatio nominis Dei sit semper peccatum, vel quale?*

Resp. 1° *Per se* peccatum est, quia laedit reverentiam divino nomini debitam. Constat insuper ex *Eccli. 23. 10: Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo.*

Resp. 2° *Per se* peccatum est *veniale* tantum, quia reverentia illa non graviter laeditur. Mortale autem evadere potest ob contemptum aut iram gravem (*b*), quia tunc de ratione blasphemiae participare censetur.

Resp. 3° Quamvis culpa saepe careat propter inadvertentiam; non tamen sunt excusandi, qui absque ullo reverentiae sensu ex consuetudine SS. Dei Nomen semper in ore habent. — *Bouvier, de 2° praec.* — Contra vero si usurpetur SS. Dei Nomen cum debita reverentia etiam in rebus indifferentibus, non modo aberit peccatum, sed ubi sic usurpetur per modum invocationis, erit opus

(*a*) Ad vanam *divini Nominis ac sacrorum* usurpationem revocari debent et formulae: *Per Deum, per Christum!* quae ad formulam iurandi potius per se spectarent, vel *Corpus Dei, Sanguis Dei, Christi, B. Virginis, S. Petri!* etc. sive ex impatientia, sive ex admiratione proferantur. De quibus Escobar (*Lib. 28. n. 570.*): *Nominare vel iurare per membra Christi honesta, scilicet per caput, corpus, et sanguinem, blasphemia erit, si per modum contemptus aut irrisionis proferatur... At si non per modum vituperii et convicii, sed ad magnam veritatis exaggerationem haec verba usurpentur, blasphema non erunt, et forte* (*nisi adsit scandalum*) *culpa carebunt; quia neque in substantia neque in modo dicendi Deo sunt iniuriosa. Ita et Silvester, Valent., et Sanch.*, qui alios (*in Decal. Lib. 2. Cap. 32. n. 29.*) pro eadem doctrina allegat. Venialis autem erit culpa, et, ut ait Busembaum, inter *veniales gravis,* quando otiose et quoddam velut intercalare ea verba adhibentur, ob quandam nimirum irreverentiam.

Quosdam movet ratio *scandali.* At enim etiamsi foret scandalum *directum,* profecto impulsus ad culpam per se venialem non potest esse mortalis. Excipit tamen Scavini (*Tr. 5. Diss. 3. Cap. 2. art. 2. q. 1. not. 1.*), si ex ore sacerdotis haec profluant. At ratio tunc aliunde petenda, ex eo scilicet, quod propter hoc in fidelibus generatim minuatur tum peccati horror, tum ecclesiasticorum virorum existimatio, non secus ac quando vir e clero deprehenditur aut mendax, aut semiebrius, aut rei alienae, utut in materia levi, fraudator.

Quod vero quidam aptum ad has formas loquendi ex ore fidelium arcendas remedium putent, eas ut gravem culpam damnare, revocanda his in memoriam sunt S. Antonini verba (*Sup. not. a, ad n. 152.*), scilicet, quod hoc nihil sit aliud, quam *aedificare ad gehennam.*

(*b*) Intellige *contemptum formalem;* nam contemptus *virtualis*, qui generatim adest in quolibet reverentiae, obsequii, et obedientiae erga Deum defectu, gravitatem reatus nequaquam inducit. *Ira* vero hic intelligenda est aut quae contra Deum fertur, aut quae ad *formalem Dei contemptum* progreditur. Alioquin ira, utut gravissima, non immutat verborum naturam. Et haec sane attendenda sunt sedulo praesertim a Concionatoribus, ne, dum vehementer haec vitia insectantur, falsam de gravitate culpae conscientiam iniiciant, et sic gravis huius culpae ac ruinae spiritualis plurimorum ipsi vere sint artifices, *ad gehennam aedificantes.*

bonum et meritorium. Caeterum facilius a peccato excusabuntur, qui per modum admirationis seu interiectionis SS. Nomen Dei usurpant, quia tunc facilius abest irreverentia.

298. — Quaer. 2° *An sit peccatum usurpare inutiliter nomina Sanctorum?*

Resp. Affirm. Quod enim dicitur de sanctissimo Dei Nomine, idem, servata proportione, etiam de nominibus Sanctorum dicendum est, ut constat ex citato loco *Eccli.* ubi additur: *Et nominibus Sanctorum non admiscearis.* Idem quoque dicendum est de vanà usurpatione verborum sacrae Scripturae, quando irreverenter sumuntur.

Quaer. 3° *An sit peccatum frequens et inutilis usurpatio nominis daemonis?*

Resp. Neg. per se (*a*). Reprobanda tamen est ut minus decens in ore Christianorum, praesertim in Sacerdotibus, qui ratione scandali interdum immunes ab aliqua culpa non sunt. — *Busemb.* apud *S. Lig. n. 131.* — *Bouvier,* etc. — Quidam autem asserunt esse veniale *per se.* — *Ita Voit, n. 514.*

ARTICULUS II.

DE BLASPHEMIA

299. — Definitio. Blasphemia est locutio Deo iniuriosa (*b*). Locutio autem non verbo explicito tantum, sed aliquo sensu etiam mente et opere fieri potest. Si agatur tamen de reservatione aut de aliis poenis blasphemiae inflictis, sola oralis proprie intelligitur.

Divisio. Blasphemia imprimis distinguitur

1° *Directa,* vel *indirecta,* prout Dei inhonoratio vel *directe* et formaliter a blasphemante intenditur, vel quamvis non intenta, in dictis tamen aut gestis eius aliqua Dei contumelia continetur (*c*).

(*a*) Quinimo sicubi vitium invaluit maledicendi Deo aut Sanctis (managgia... idest *male habeat...*), et cum iis hominibus agitur, qui in aestu irae vix et ne vix quidem a vehementi emphasi temperare norunt, expedit sane insinuare, ut sacris Dei Sanctorumve nominibus execrabile Diaboli nomen substituant.

(*b*) Quidam cum S. Thoma (*2. 2. q. 13. art. 1.*) de ratione blasphemiae esse volunt, ut aliquid de Deo falsum efferat. Alii mere exigunt, ut aliquid contumeliae contineat; quos cum primis alii conciliant, quia quisquis verbis Deum contemnit, ipso actu fateatur, Deum esse contemptibilem, quod sane falsum est. Quidquid de hoc sit, ne latius definitio A. excurrat, vox *iniuriosa* intelligenda est de *contumelia.* Hinc Suarez (*De Relig. Tr. 3. Lib. 1. Cap. 4. n. 1.*): Blasphemia *est verbum maledictionis, convicii, seu contumeliae in Deum.* Et alii: *Est locutio contra Deum aut res sacras per modum contumeliae.*

(*c*) Affirmat Laymann (*Lib. 4. Tr. 10. Cap. 6. n. 12.*) *directam voluntatem inhonorandi Deum* esse circumstantiam in confessione exprimendam. Pro qua sententia S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 126.*) addit Lessium, imo

2° *Immediata,* vel *mediata,* prout Deum ipsum immediate affi-

communem eam dicit ex Salmanticensibus (*Tr. 21. Cap. 3. n. 123.*); S. Alphonsum autem sequitur et Scavini (*Tract. 5. Disp. 3. Cap. 2. art. 2. q. 3.*).

Sed alia est Laymanni et Lessii, alia Salmanticensium causa. Nam primi id asserunt ducti opinione de necessitate confitendi quasdam circumstantias mere aggravantes; unde Laymann lectorem remittit ad (*Lib. 1. Tr. 2. Cap. 10. n. 3.*), ubi hoc docet: Salmanticenses vero id dicunt de casu, in quo ob odium Dei aut haeresim alia peccati species accedat. Cum itaque etiam ex S. Alphonsi sententia necessitas confitendi circumstantias mere aggravantes nulla per se sit, Salmanticensium vero doctrina non sit ad rem, patet opinionem, quae circumstantiam *blasphemiae directae* exprimendam dicit, nulli solido fundamento inniti.

** Etiam haec Nota displicet VV., et (*Pag. 918.*) contendunt, *recte S. Alphonsum citasse Auctores a se allegatos.* At enim ipsi VV. (*ibid.*) fatentur, S. Alphonsum (*Lib. 3. n. 126.*) idem sentire cum Busembaum. Hic autem exprimendam utique dicit circumstantiam *blasphemiae directae,* sed omittit, cur id affirmet, et mere allegat Laymann (*Lib. 4. Tr. 10. Cap. 6. n. 12.*). Atqui ratio a Laymann ibi adducta est, *quia haec circumstantia intime aggravat, et auget despectum et inhonorationem Dei, in qua essentialis malitia blasphemiae consistit.* Ergo et Laymann et Busembaum exprimendam illam circumstantiam dicunt tantummodo, quia est circumstantia *aggravans.* Porro S. Alphonsus, ut volunt VV., docet id exprimendum, quia mutat *speciem.* Ergo fateantur oportet, nec Busembaum nec Laymann stare pro opinione S. Alphonsi.

Instant VV. aientes, Laymann haec addere: *Tum etiam quia eiusmodi perversa intentio saepe provenit ex odio, saltem abominationis, erga Deum, quod est peccatum specie distinctum a blasphemia.* — Resp. Laymann sic prosequitur: *Quia tamen non semper ex odio provenit, sed interdum tantum ex ira, taedio, aut desperatione,* etc. Unde sic: Laymann *blasphemiae prolatae cum formali et directa intentione inhonorandi Deum* tunc solum accedere distinctam speciem docet, cum provenit ex odio; atqui Laymann negat, talem blasphemiam semper ex odio provenire. Ergo in sola formali blasphemia in se spectata speciem distinctam non agnoscit.

Quoad Salmanticenses sic habent VV. (*l. c.*): *S. Alphonsus optimo iure Salmanticenses allegat, quippe qui docent cum communi, blasphemias ex odio Dei procedentes esse diversas specie ab aliis blasphemiis.* — Resp. Quaestio nunc non est, utrum nova species addatur ex odio Dei, sed utrum blasphemia *directa* per se contineat speciem diversam ab aliis blasphemiis. Nova species blasphemiae accedit etiam ex haeresi: unde Salmanticenses ibi ita scribunt: *Respondetur dicendo, blasphemias haereticales, et ex odio Dei procedentes, esse diversas specie ab aliis blasphemiis. Ratio primae partis est, quia blasphemia haereticalis habet adiunctam haeresim... et opponitur fidei... Ratio secundae partis est, quia odium Dei opponitur charitati.* Porro sicut absurdum diceres, *directam* blasphemiam per se esse *semper* diversae speciei, quia interdum accedit haeresis, ita idipsum male concluditur, quia potest aliquando coniungi cum odio Dei.

Denique quod ad Lessium spectat, VV. (*l. c.*) advertunt, Lessium concludere his verbis: *Unde non dubium est, quin hoc in Confessione tamquam peculiaris species, in qua ipsa malitia est directe volita, sit aperiendum.* — Resp. Sensus Lessii est, esse aperiendam illam circumstantiam, quemadmodum est aperienda *peculiaris species;* non vero esse aperiendam, quia ipsa circumstantia affert novam speciem. Idque duplici ratione fit manifestum: 1° quia ratio a Lessio adhibita in hoc constringitur, quia *ille affectus incomparabiliter peior est,* quia *altiori modo est malitia in actu,* quia *incomparabiliter peius est facere alicui iniuriam affectu nocendi...* Atqui ista indicant non *speciei mutationem,* sed merum ma-

cit, vel mediate tantum, nempe Sanctos (*a*), aut res sacras verbis inhonorando.

3° *Haereticalis, imprecativa* et *mere probrosa*, prout haeresim, vel imprecationem, aut meram contumeliam continet.

Principia. — I. Blasphemia quaelibet formalis et deliberata, sive directa sit, sive indirecta, sive immediata, sive mediata, est peccatum mortale *ex toto genere suo*. Ratio est, quia quaelibet contumelia in Deum est iniuria gravis divinae Maiestati illata. — Hinc *Lev. 24. 16: Homo qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum; et qui blasphemaverit Nomen Domini, morte moriatur.* — Hinc etiam *S. Hieronymus in Isa. l. 7. c. 18.* ait: *Nihil horribilius blasphemia, quae ponit in Excelsum os suum.* — Et ait *S. Thom. 2. 2. qu. 13. art. 3: Omne peccatum comparatum blasphemiae levius est.* — Potest tamen evadere veniale ex imperfectione actus, scilicet ex defectu advertentiae, aut perfecti consensus.

II. Ad blasphemiam perfectam ratione actus necessaria non est expressa et explicita intentio Deum inhonorandi, sed implicita sufficit, cum scilicet quis ea, quae veram Dei contumeliam continent, etiam ex ioco aut ira in creaturas cum advertentia profert. Ratio est, quia ex his sequitur gravis Dei inhonoratio licet indirecta; gravis enim irreverentia in Deum committitur, cum verba ei contumeliosa ad iocum (*b*), vel ad iram exprimendam adhibentur. — *Reuter, de blasphemia, n. 442.*

III. Blasphematoria habenda sunt *per se* verba, quae ex communi apprehensione, vel usu patriae aut regionis, vel ex modo loquendi derisorio aut iracundo, aliisve circumstantiis, Dei inhonorationem continent; quae licet per se blasphemiam non sonent, ex

litiae intra eamdem speciem augmentum. 2° Quia, ut ait Lessius, *haec est formalissima blasphemia.* Atqui absonum est *formalem blasphemiam* differre specie a communi ratione blasphemiae. Ergo.

Hinc autem ad conclusionem, quae rei caput est, procedendum. Nam hic agitur de obligatione confitendi quampiam circumstantiam. Obligationes autem, nisi certe de iis constet, non sunt asserendae. Porro in praesenti nedum habeamus argumenta certitudinem inducentia, ne rationes quidem habemus ad aliquam probabilitatem pariendam efficaces. Ergo.

(*a*) Quidquid disputaverint nonnulli, contendentes blasphemiam in Sanctos specie differre a blasphemia in Deum (Vid. Lugo *De Poenit. Disp. 16. n. 279-280.*), probabile haberi potest cum S. Alphonso (*Lib. 3. n. 132.*) reipsa specie non differre, atque adeo nullam adesse obligationem declarandi in confessione, num in Deum an in Deiparam, aut in Sanctos aut Angelos prolata blasphema verba fuerint. Et hoc quidem multum ad praxim confert; Confessarium enim simul et poenitentem eximit a necessitate indagandi quoties in Deum, quoties in Sanctos quis blasphemando peccaverit, cum expeditius haec omnia summatim in unum colligi possint.

(*b*) Reuter, e quo A. haec affert, doctrinam de blasphemia *per iocum* prolata sic circumscribit (*P. II. Tr. V. De Blasphemia n. 442.*): *Gravis blasphemia est..... 5. Si quis per iocum dicat verba blasphema; ubi apud audientes iis coniuncta est inhonoratio Dei.* Aberit ergo gravis reatus, quando penes audientes sensus ille deficiat.

communi tamen apprehensione ut blasphematoria habentur. — *Reuter, ibid.* (*a*).

300. **Resolves.** — 1° Blasphemia est iuxta quosdam dicere: *Perdat te mors,* vel *sanguis Dei; perdant te Sacramenta.* Verius tamen videntur verba mere imprecatoria. Blasphemia autem est spuere in coelum, infrendere dentibus in illud, dicere se velle aliquid agere Deo invito, et similia.

2° Blasphemia est dicere: *Deus mei est plane oblitus: Quare Deus me creavit?* — Excipe tamen, si haec proferantur modo loquendi humano ex levitate, vel ad ostendendum doloris vel taedii gravitatem, ut saepius fieri solet. Nunquam autem excusandi sunt a peccato gravi, qui advertenter ac serio dicant; — *Deus est iniustus.* — *Deus iniuste me tribulationibus gravat.* — *Iniuste sinit malos esse felices in mundo.* — *Voit, n. 519.*

3° Non peccant graviter, qui ira vel aliqua passione abrepti verba blasphemiae proferunt non advertentes ad eorum significationem (*b*).

(*a*) Auctor forte ea respicit, quae Reuter (*l. c. n. 441.*) de iis habet, qui *cum irrisione, exprobratione, vel contumelia nominant Christi mortem, sanguinem, vulnera, sacramenta, etc.;* de quibus diximus sup. *in not. ad n. 296.* Verumtamen ubi non quidem *irrisionis, exprobrationis,* etc. causa agatur, sed *apprehensionis* tantummodo, qua verba, reipsa non blasphema, ex errore putantur *blasphema,* in memoriam sane revocanda est gravis obligatio, qua ex omnium sententia tenentur Confessarii, ut fideles, qui ex erronea conscientia peccant, a pernicioso errore revocent. Potius quam igitur haec verba ceu blasphema insectentur, doceant Confessarii, nullam in iis inesse blasphemiam, ne secus scilicet ex falso zelo, ut pluries iam diximus, *ad gehennam aedificent.*

(*b*) Ita S. Thomas (*2. 2. q. 13. art. 2. ad 3.*): *Blasphemia potest absque deliberatione ex subreptione procedere dupliciter. Uno modo quod aliquis non advertat hoc, quod dicit, esse blasphemiam: quod potest contingere, cum aliquis subito ex aliqua passione in verba imaginata prorumpit, quorum significationem non considerat; et tunc est peccatum veniale, et non habet proprie rationem blasphemiae.* Quae efficere possunt, ut posthabeatur opinio, quam S. Alphons. (*Lib. 3. n. 127.*) tribuit Giordanini (*Istruzione per li novelli Confessori*), nimirum *semper adesse aliquam de malitia blasphemiae advertentiam.*

**Vix credibile videri equidem poterat; hoc quoque tamen factum est, ut VV. (*Pag. 256-260.*) invenerint materiam scribendi per octo columnas contra brevissimam hanc Notam, in qua alioquin potiusquam S. Alphonso, opinio ista tribuitur alteri, quem VV. monent (et hoc nihil interest) esse *Iosephum Iorio,* non autem *Giordanini.*

Itaque (*Pag. 257.*) queruntur 1° quod locus S. Thomae afferatur *non ex integro, sed a contextu avulsus.* — Resp. S. Thomas sibi hoc obiecerat: *Peccata, quae absque deliberatione committuntur, non sunt mortalia.... Sed blasphemia quandoque absque deliberatione procedit. Ergo non semper est peccatum mortale.* Et respondet distinguendo, utrum blasphemiae advertentia desit, vel adsit. Primus casus, qui ad rem faciebat, fideliter in Nota exponitur. De altero casu S. Thomas subdit: *Alio modo, quando advertit, hoc esse blasphemiam, considerans significationem verborum: et tunc non excusatur a peccato mortali.* Et haec omissa sunt, quia ad rem, uti patet, non faciebant, nec scopus Auctoris erat inutilia congerere ad libri molem augendam. Quid est in hoc, quod reprehendi iure possit?

2° Subdunt VV. (*Pag. 257.*) in textu S. Alphonsi vocem SEMPER intel-

Nec illi, qui ex inveterata consuetudine blasphemandi iam retractata in eiusmodi verba indeliberate erumpunt (*a*).

ligendam esse *de ordinarie et communiter contingentibus.* — Resp. Si ipsi contendunt, vocem SEMPER non posse ibi intelligi pro SEMPER, minus apte igitur ibi dicitur SEMPER. Caeterum cur ergo impugnant Notam, quae mere advertit, illud SEMPER non congruere cum doctrina S. Thomae?

3° Conciliare volunt VV. (*Pag. 257-258.*) S. Alphonsum cum S. Thoma, quia S. Thomas non de habituatis disserat, sed de iis, qui ex subreptione in verba imaginata sine consideratione prorumpunt. S. Alphonsus vero convenit cum S. Thoma, quod ex ira quispiam non advertat malitiam blasphemiae; sed potissimum agit de habituatis, de quibus scribit (*Prax. Conf. Cap. 2. n. 31.*): *Demum addo cum quodam docto Auctore* (Giordanini), *blasphematores non excusari a peccato gravi, eo quod propter vim mali habitus aut vehementem animi commotionem ad iram non adverterint ad id, quod dicebant; quia hi male habituati, licet habeant cognitionem minus vivacem aliis, qui usum blasphemandi non contraxerunt, tamen* SEMPER *habent eam* ACTUALEM *cognitionem sufficientem ad hoc, ut actus sit deliberatus et graviter peccaminosus.* — Resp. 1° S. Thomas disserit generatim de iis, qui *ex aliqua passione in verba imaginata prorumpunt, quorum significationem non considerant.* Atqui id contingit etiam habituatis, immo, ut per se patet, multo facilius ac frequentius habituatis, quam aliis. Ergo frustra hinc quaeritur aliqua conciliatio. — 2° Locus S. Alphonsi, de quo in Nota (*Lib. 3. n. 127.*), complectitur tum habituatos, tum *non habituatos.* En verba S. Doctoris: *Aiunt quidam DD., quod isti* (*blasphemantes*) ALIQUANDO *ob impetum irae vel habitus contracti possunt sine advertentia blasphemare. Sed puto cum Auctore citato* (Iorio) SEMPER *adesse in blasphemando aliquam advertentiam saltem confusam de malitia illius prolationis.* Ergo 1° cum S. Alphonsus suum illud SEMPER opponat aliorum DD. ALIQUANDO, non potest ita intelligi, prout contendunt VV., ut valeat *ordinarie;* nam *ordinarie* admittit *aliquando* exceptionem. Ergo 2° falsum est, S. Alphonsum exceptiones admittere quoad non habituatos. — Resp. 3° Sed ulterior deinde Sparta reliqua est VV., nimirum ut sin minus S. Alphonsum conciliare cum S. Thoma queunt, saltem S. Alphonsum cum S. Alphonso concilient. Nam ipsimet VV. (*Pag. 258.*) afferunt haec S. Doctoris verba (*De Act. Hum. n. 24.*): *Nec facile Confessarius credere debet poenitenti, qui se excusat... blasphemasse... sine advertentia... tamquam ex habitu: nam si habitum illum extirpare non studuerit, aliqua adhibendo remedia, tunc est voluntarius in causa, dum blasphemat..., et ideo non excusatur a culpa: secus vero si adhibitis diligentiis, inadvertenter blasphemat.* Unde sic: 1° postremum hunc a culpa excusat, si *ex habitu* blasphemat, quia *inadvertenter* blasphemat; 2° primum illum non excusat a culpa, quia blasphemia est voluntaria *in causa,* et id supponit defuisse cognitionem *actualem,* quia secus esset voluntaria *in actu.* Ergo S. Doctor etiam ab habituatis blasphemari inadvertenter docet.

Quod vero magis mirum videri potest, ipsi VV. quasi ad roborandam illam S. Alphonsi opinionem de advertentia, quae in habituatis adesse semper putanda sit, promunt (*Pag. 259.*) sententiam *multorum,* ut aiunt, gravium Doctorum, *qui docent habituatum, qui emendationem non curat,... toties mortaliter peccare, quoties, licet sine ulla advertentia, verba blasphema profert.* Itane evincunt aut confirmant S. Alphonsi praedictam sententiam (*ex Praxi Confess. Cap. 2. n. 31.*), *quod* SEMPER *habent eam* ACTUALEM *cognitionem sufficientem ad hoc, ut actus sit deliberatus et graviter peccaminosus?*

(*a*) Ut Confessarius rite iudicet de blasphemiis (et idem dicito de aliis linguae vitiis) inadvertenter ac vi consuetudinis prolatis, adhibeat oportet

4° Non peccat graviter, qui pronuntiat verba in se quidem blasphematoria, sed dimidiata aut corrupta, ita ut ad verum sensum non

principia, quae communiter traduntur (*in Tr. De Actib. human.*) de peccatis *in causa*. Quamvis scilicet verba haec inadvertenter prolata habeantur ac dicantur peccata; tamen non tunc quispiam peccat, cum illa materialiter et sine advertentia ore effundit; quippe nullus actus sine deliberatione rationem culpae per se habere potest; sed cum sint peccata *in causa*, tunc reatus incurritur, cum causa ponitur. Inutile ergo est, a poenitente percontari numerum horum peccatorum seu actuum materialium; totus enim horum reatus in causa est; hic autem reatus nec augetur nec minuitur pro maiori aut minori actuum deinde sequentium numero, sed aestimandus est ex effectuum praevisione, quae affuerit, cum causa poneretur. (Vid. Laymann *Lib. 1. Tr. 2. Cap. 3. n. 6.*).

At quaenam est ista causa, in qua reatus residet? Quidam confugiunt ad originem consuetudinis, duplicemque seu aggravatam malitiam reperiunt in praecedenti actuum frequentatione, ex qua consuetudo inolevit. Ita Laymann (*l. c.*); qui tamen scite monet, ad id opus esse, ut quis dum blasphemat, advertat, per hoc eam sibi consuetudinem ingenerari. — Verum vix in praxi reperies, homines ad hoc advertisse, praesertim si a pueris habitum contraxerint; insuper etiamsi quis advertat periculum, tamen cum non habeat propositum frequentandi actus, imo sibi polliceatur, alias se non blasphematurum, aegre hunc reatum invenies.

Attamen licet reatus ex hac parte deficeret, in eo tamen certe habetur, quod quis negligat emendare consuetudinem, quam sub gravi tollere tenetur; et haec quidem negligentia sufficit, ut actus sint *indirecte voluntarii*, sicut sunt effectus omnes omissionis nobis voluntariae, cum scilicet non removemus causam, ad quam removendam tenemur. Et sic patet, quomodo voluntarius sit consuetudinis reatus, licet defuerit advertentia ac reatus in ipsa consuetudine contrahenda.

Ex his autem pronum est de hisce iudicium ferre. Nam vel blasphemiae non proferuntur indeliberate (neque enim consuetudo efficit, ut omnes actus sint indeliberati), et iam reatum in se habent, utpote in se voluntariae.

Quando vero sint plane indeliberatae, excusari penitus a peccato continget, si quis serio conetur consuetudinem auferre. Ratio est, quia reatum in se, ut diximus, non habent, sed habere possunt tantum in causa. Porro vel causa intelligitur pristina actuum frequentatio, unde consuetudo inducta est; et hic reatus per retractationem seu poenitentiam iam sublatus est; vel intelligitur causa *indirecta*, scil. negligentia removendae consuetudinis, et haec pariter abest, cum supponamus hominem ad tollendam consuetudinem serio intentum. Et haec quidem poenitenti sunt inculcanda; quippe magnum animum addere solent ad curandam vitii exstirpationem.

Quod si poenitens emendationem consuetudinis aut omnino recuset, aut non recuset quidem, sed interim sufficientem ad id curam seu conatum adhibere negligat; in primo casu incapax est absolutionis, utpote qui voluntarie manet in statu peccati, non secus ac qui aut alienum restituere, aut occasionem deserere non vult; in altero autem monent DD., *expedire*, ut discrete differatur absolutio, quo scilicet poenitens socordiam excutiat, atque ad conatum et curam efficaciter adhibendam aliquo modo permoveatur. *Discrete*, inquam; nam si absolutio *commode* differri non possit, et alioqui sufficientia signa appareant seriae voluntatis pravam consuetudinem emendandi, absolvi potest, sicut et quando dilatio ad auferendum pravum habitum non videtur profutura. Sed de his uberius, ubi de Sacramento Poenitentiae.

Interim adverte, difficulter decerni posse, quando gravis sit reatus ne-

attendat; v. gr. qui *gallice* dicit: *Jarnidié! mortdié! ventredié! mor-bleu!* Haec enim rationem blasphemiae iam non amplius habent (*a*). — *S. Lig. n. 123. — Bouvier, de 2° praec. art. 1.*

301. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An blasphematoriae sint hae locutiones gallicae :* NOM DE DIEU ! NOM DE NOMS ! MILLE NOMS ! SACRÉ NOM! *sine addito*, etc.?

Resp. Neg. per se, etiamsi prolatae sint in ira, nisi ira in Deum ipsum feratur, seu nisi adsit intentio blasphematoria (*b*), quae plerumque abest. Haec enim verba nullam blasphemiam in se continent. Venialia igitur tantum erunt propter vanam nominis Dei usurpationem; si vero nomen Dei in formulis neque *explicite* neque *implicite* adhibeatur, omni culpa *per se* carebunt. — *Bouvier, ibid.*

A fortiori, blasphemiae non erunt inurbanae illae locutiones inter rusticos nostros tam frequenter usitatae, quae incipiunt litteris *B. F. M.* vel *J.-F.*, etc., etiam si verbum *sacré* ipsis praemittatur, v. gr. *Sacré B.*, *Sacré M.*, aut si verbum istud aliis nominibus inurbanis iungatur. Imo haec *per se* culpa vacant, nisi charitati erga proximum adversentur, ut fit quando huiusmodi verba convicii causa proferuntur. — *Ita communiter. — Bouvier, ibid.*

302. — QUAER. 2° *An sit blasphemia locutio gallica:* S. NOM DE D.?

Resp. Affirm. per se, seu ratione acceptionis communis verborum. Etenim huiusmodi voces ex sensu fidelium in Deum contumeliosae sunt. Nullus enim est mediocriter pius, qui haec audiendo non inhorrescat. Re quidem vera qui hanc locutionem usurpant, agunt ex contemptu SS. Nominis Dei, saltem implicite, perinde ac si dicerent: *Maledictum Nomen Dei.*

Nec dicas, haec verba nullam in se blasphemiam continere, quia in sensu obvio *benedictum Nomen Dei* revera significent. Nam utrumque sensum prae se ferunt, alterum scilicet ex genuina verborum significatione, alterum vero ex generali hominum acceptione. Imo nunquam a piis fidelibus ad Deum honorandum adhibentur, sed ab iis cum horrore et indignatione semper audiuntur, dum e contrario ab impiis ad eum execrandum iugiter usurpantur.

Hanc locutionem ut blasphematoriam habent *Vernier, de 2° Decalogi praecepto. — Rousselot, in additionibus ad Theologiam Saetler, ibid. — Collationes Anicienses (Conférences du Puy), de virtute Religionis, p. 2. c. 1. — Illustr. D. D. Parisis, Episcopus Lin-*

gligentiae in iis, qui causam utique retractant, et conatum aliquem adhibent, qui tamen non semper sit intensus.

(*a*) Imo studium detorquendi, mutilandi, et utcumque corrumpendi prolationem vocabulorum, quae aliter blasphemiam sonarent, ostendit blasphemiae detestationem. Et siquidem vulgus quando vehementi affectu, praesertim irae, percellitur, aegerrime temperat ab emphatica quapiam locutione, consultius sane ipsi suggeritur modus aliquis innoxius aestum illum significandi, quam silentium exigatur.

(*b*) Nimis profecto morosi dicendi sunt, qui importune blasphemiam, quae in verbis nulla est, expiscari et rimari in intentione satagunt.

gonensis (nunc Atrebat.) in Epistola pastorali pro pia sodalitate ad blasphemiae destructionem erigenda. In hanc quoque sententiam propendet *Bouvier, de 2° praec. Decal. c. 1.*

303. — Plures tamen alii rationem blasphemiae in hoc loquendi modo *per se* non apprehendunt (*a*), nisi intentio blasphematoria, explicite, vel implicite saltem, interveniat. — *Ita Gousset, t. 1. n. 460. — D. Valentin, Examens raissonnés sur les Commandements.*

Dixi, *per se.* In praxi enim non sunt de peccato mortali arguendi ii omnes, qui huiusmodi verba proferunt. Nam certum est, teste experientia, non paucos praesertim rudes malitiam gravem in illis non apprehendere (*b*). Attendat igitur Confessarius imprimis ad varias poenitentium circumstantias. Quidquid autem sit, cum debita prudentia satagere debet, ut pravam hanc consuetudinem, in quantum fieri poterit, in poenitentibus penitus destruat.

304. — Quaer. 3° *An sit blasphemia maledicere creaturis?*

Resp. Disting. Est blasphemia maledicere creaturis cum relatione ad Deum, v. gr. pluviae, ventis, ut a Deo imperatis, vel addito verbo *Dei;* item maledicere creaturae, quae de se specialem relationem ad Deum habet, v. gr. animae nostrae, Fidei catholicae, coelo et similibus. Secus autem, ut fere contingit, si indignatio feratur in creaturas sine relatione ad Deum. — *Ita communiter. — S. Lig. n. 128.*

Quaer. 4° *An sit blasphemia maledicere toti mundo?*

Resp. Affirmat S. Lig., quia sicut iurare per creaturas, in qui-

(*a*) Et sane eodem horroris sensu, ac pii homines in Gallia ob praedicta verba, pii fideles alibi affici solent, cum audiunt in ira usurpari *Dei corpus, sanguinem Christi,* etc.; et hic fidelium sensus certe evincit, aliquid inesse, quo in Deum peccatur. At quod ex hoc fidelium horrore determinari ulterius debeat aut etiam possit peccati species, sit ne irreverentia erga Dei nomen aut sacra, an blasphemia, an haeresis, adsit ne contemptus contumeliae proprius, an contemptus mere reverentiae detrahens, haud facile alii admittent. Quin etiam si has verborum formas vulgus appellaret blasphemias, nihil id prorsus concluderet, quando constat, blasphemiae nomine et vaga notione designari a vulgo non modo verba quaelibet in Deum, sed illa quoque, quae in Deum nullo modo feruntur, de quibus A., num. praec.; alioqui vero non a vulgo Theologi haec exquirant et addiscant par est, sed a Theologis vulgus.

(*b*) Quae cum ita sint, prudens ne fuerit consilium recentiorum, quos Auctor paulo antea appellat, scriptorum, ut impenso studio fidelibus suaderent, blasphemiam prorsus inesse in iis verbis, quae *per se* reipsa non sunt blasphema, et insuper in hunc finem exquisita subtilitate verbis sensum illum affinxerint, de quo vulgus nunquam forte cogitaverat, ac blasphemiam, quam in verbis non inveniebant, rimari conati fuerint saltem in intentione etiam mere implicita, viderint sapientiores. Illud sane compertissimum est, nec Dei gloriae et honori, nec animarum saluti bene per hoc consuli, quod gravis criminis conscientia praeter necessitatem fidelibus iniiciatur. Etsi enim forte sic obtineatur, ut quispiam interdum ab ea verborum forma temperet; at sane hoc lucro nullatenus compensatur et gravis Dei nostri offensa et gravis animarum pernicies, quae huic dictamini, ceu novo cuipiam laqueo importune iniecto, prorsus debentur.

bus magis relucent attributa divina, est verum iuramentum, ita ipsis maledicere est vera blasphemia, quia Deus in ipsis *indirecte* contemnitur. — *S. Lig. n. 129.* — Reipsa tamen vix talis sensus animo haec proferentis occurrere solet.

305. — QUAER. 5° *An sit blasphemia maledicere mortuis?*

Resp. Neg., nisi mens specifice feratur in animas purgatorii, quia mortui in genere non habent specialem relationem cum Deo (*a*). — *S. Lig. n. 130.*

CAPUT II.

DE IURAMENTO.

306. — DEFINITIO. Iuramentum est invocatio (*b*) divini Nominis in testimonium veritatis (*c*).

DIVISIO. Distinguitur iuramentum

1° *Assertorium* vel *promissorium,* prout veritas (*d*) tantum asseritur, aut promissio seu pactum confirmatur.

2° *Solemne* vel *simplex,* prout fit forma iure requisita, solemnibusve caeremoniis, aut iis seclusis (*e*).

3° *Explicitum* vel *implicitum*, prout Deus expresse in testem invocatur, aut adhibentur in testimonium creaturae, in quibus attributa divina specialiter relucent (*f*).

Accedit etiam iuramentum *imprecatorium,* quo Deus invocatur simul in testem et in vindicem periurii (*g*).

(*a*) Indoles huius maledictionis reipsa est convicium in vivos coniicere, et contumeliis ipsos impetere, non vero mortuis mala imprecari, hosve iniuria afficere.

(*b*) Per hoc potissime iuramentum a voto differt, cuius essentia in sola *promissione* consistit.

(*c*) Alii ut melius explicent duplicem iuramenti finem, dicunt, iuramentum esse *invocationem divini Nominis in testimonium vel ad fidem dictis faciendam, vel ad confirmandam promissionem.*

(*d*) Alii ad iuramentum tum veri tum falsi comprehendendum definiunt *assertorium, quo praesentia vel praeterita affirmantur vel negantur;* nam promissorium, uti patet, solum ad futura sese porrigit. Quamquam non omne iuramentum de futuro est *promissorium.* Duplex enim a DD. distinguitur iuramentum de futuro: aliud *nudum* ac *simplex,* quod nullam continet erga alterum promissionem, v. gr. si iures, te non ingressurum hanc domum vel cauponam, etc.; aliud vero *promissorium*, quod est *confirmatorium promissionis* vel erga Deum, quod est *votum iuratum*, vel erga proximum, quod obligationi iustitiae aut fidelitatis ex promissione ortae addit obligationem ex virtute religionis.

(*e*) Clerici, praesertim sacerdotes, *solemne* iuramentum interponere non possunt, nisi de Episcopi licentia, quae gravi solum de causa conceditur.

(*f*) Monent DD., iuramentum *per creaturas, per caelum,* v. gr. *per terram,* etc., usurpandum a personis dumtaxat perfectioribus ac spiritualibus, quibus facile sit debitam adhibere reverentiam, qua Deum in creaturis honoramus. Caeterum apud nos ista consuetudo non viget; et si quis, v. gr. iuret *per solem,* censetur iocari.

(*g*) Communis est et haec distinctio iuramenti in *contestatorium* et in

Iuramentum debitis vestitum conditionibus honestum est et licitum, et si promissorium sit, obligat in conscientia, nisi iusta causa obstet, vel legitime obligatio eiusdem cessaverit. — *Ita omnes,* et constat tum ex definitione *Conc. Const. sess. 8.* contra *Wiclefum,* tum ex praxi universali Ecclesiae et populorum, necnon ex variis sacrae Scripturae locis. *Deuter. 6. 13: Dominum Deum tuum timebis... ac per nomen illius iurabis. — S. Lig. n. 133. 139. et seq.*

ARTICULUS I.

DE CONDITIONIBUS IURAMENTI

I. *De requisitis ad essentiam iuramenti.*

307. — Duo requiruntur ad iuramentum, scilicet 1° Intentio iurandi, saltem virtualis; quia sine tali intentione non potest existere iuramentum formale (*a*). 2° Formula iuratoria, sive per Deum *explicite,* sive *implicite* per creaturas; quia, cum Deus invocetur ut testis, necesse est, ut hoc in iuramento exprimatur. — *S. Lig. n. 134.*

308. **Resolves.** — 1° Non valet iuramentum promissorium fictum, seu mere externum, ob voluntatis seu intentionis defectum. Peccat vero sic iurans; sed *probabilius per se* loquendo venialiter tantum, quia non est nisi mendacium cum vana nominis Dei usurpatione (*b*). — *S. Lig. Hom. apost. n. 17.* Saepe tamen hoc mortale est ratione damni communis vel particularis.

2° Non valet *probabilius* iuramentum factum cum animo quidem iurandi, sed non se obligandi ex religione; quia hoc nugato-

exsecratorium seu *imprecatorium.* Controvertitur autem, an quando quis confirmat falsum iuramento imprecatorio, *quo se vel aliquid ad se pertinens* (ut ait S. Thom. *2. 2. q. 89. art. 1. ad 3.*) *ad poenam obligat,* accedat altera species malitiae, contra charitatem nempe sui aut proximi. Negant autem DD. communius, quia non solet quis sibi aut suis tale malum ex animo imprecari, sed potius cogitat, Deum non facturum esse. Ita S. Alphons. (*Lib. 3. n. 140.*), qui mox (*n. 142.*) monet, ex communi sententia *omnia iuramenta esse eiusdem speciei.*

(*a*) Ad iuramenti valorem adeo intentio iurandi confert, ut si animus hic adsit, vere (pro foro interno) quis iuret, licet verba minus idonea sint ad exprimendam Dei invocationem, ideoque apud alios (sicut et in iuramento per actum mere internum) revera non iuret; et contra, deficiente ea intentione, nullum sit iuramentum etiamsi verba sint iuratoria, sive intentio illa desit ob dolum ficte iurantis, sive ob ignorantiam nescientis quid sibi actus iurandi velit. *Laymann* (*Lib. 4. Tr. 3. Cap. 1. n. 3.*); *Suarez* (*De Relig. Tr. 5. Lib. 1. Cap. 11. n. 2.*); *Croix* (*Lib. 3. p. 1. n. 258.*).

(*b*) Habes de hac re Prop. 25^am^ proscriptam ab Innoc. XI: *Cum causa licitum est iurare sine animo iurandi, sive res sit levis, sive sit gravis.* Caeterum S. Alphonsus tum *l. c.,* tum *Lib. 3. n. 172.* docet utique cum communi sententia venialiter peccari; sed limitat, si ficte sic iurans alioquin *habet animum implendi promissa; nam secus, dicit mortaliter peccari.* Rationes vide apud Sanchez (*Decal. Lib. 3. Cap. 6. n. 8-10.*).

rium est. Valet autem iuramentum factum cum animo iurandi quidem, sed non se obligandi ex iustitia aut ex fidelitate.

3° Est iuramentum dicere: *Iuro per Deum, per Sanctos, templum, crucem, altare, Evangelium, Fidem catholicam, Ecclesiam, caelum, terram.* — Item dicere: *Deum attestor... Sit mihi testis Deus... Deum invoco ut testem.* Secus, si quis iuraret per creaturas, in quibus non elucet *specialiter* divina bonitas aut potentia, v. gr. per barbam, etc... — *S. Lig. n. 134. 138.*

4° Non est iuramentum dicere: *Novit Deus... Coram Deo loquor, etc...,* si haec *narrative* proferantur; secus vero, si *invocative,* quod dignoscitur ex circumstantiis, vel intentione loquentis. Nec est iuramentum dicere: *Est tam verum hoc, quam existit Deus..., quam ego existo..., quam sum in hoc loco..., fide boni viri* (*a*)..., *per fidem meam..., per conscientiam..., moriar...,* vel *diabolus me perdat, nisi ita* (*b*). Imo nec est iuramentum iuxta S. Ligorium, dicere: *Iuro vel iuro ita esse,* nisi praecesserit interrogatio de iuramento praestando. — *S. Lig. ibid., et alii multi.*

II. *De requisitis ad liceitatem iuramenti.*

309. — Triplex conditio requiritur ad liceitatem iuramenti iuxta illud Ieremiae 4. 2: *Iurabis: Vivit Dominus, in veritate, et in iudicio, et in iustitia.*

I. Itaque requiritur *Veritas,* id est conformitas assertionis cum intentione et cognitione iurantis. Excludit igitur omne mendacium, non vero omnem errorem. In iuramento assertorio veritas respicit existentiam facti; in promissorio existentiam intentionis (*c*).

(*a*) Idem dicendum de presbytero interponente *fidem sacerdotalem* aut *sanctam consecrationem* (C. *Si quis presbyter 4. Caus. 2. Quaest. 5.*), aut de Regibus seu Principibus, etc., qui loco iuramenti spondent *in fide seu per fidem Regis, Principis, militis,* etc.

(*b*) De his S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 143.*): *Verba,* Occidar, si hoc non est, *et similia, quamvis sint vera iuramenta, si per modum execrationis dicantur..., caeterum communiter non continent, nisi quamdam sponsionem seu poenae obligationem.* Adhibenda ergo regula, quam A. praemittit, nempe ut inspiciantur tum verba, tum etiam usus, et circumstantiae ac loquentis intentio. Facilius autem Dei invocatio atque adeo exsecratio subintelligitur, ubi de eventis agitur, quae ex communi hominum sensu disponi ac dirigi speciali Dei providentia censentur.

** Aliis formulis S. Alphonsus (*l. c.*) etiam hanc addit: *Ita faveat mihi Deus;* et allegat Salmanticenses *Tr. 17. C. 2. n. 27.* Sed non sic habent Salmanticenses, sed ita: *Melius mihi Deus faveat;* quod valde differt.

(*c*) In iuramento *promissorio* includitur etiam *assertorium;* nam et testem quis Deum vocat, sese nunc habere intentionem seu voluntatem faciendi, quod promittit, et eundem Deum promissi quodammodo fideiussorem adhibens, ex virtute religionis assumit obligationem de promissione implenda. Aliquis tamen posset iurare solum de proposito seu intentione praesenti, v. g. iuro, me nunc voluntatem habere Romam sequenti mense eundi; quod sane propositum sine periurio dein quis frangeret. *Laymann* (*Lib. 4. Tr. 3. Cap. 4. n. 4.*).

II. *Iudicium,* idest, ut cum discretione, prudentia, consideratione ac reverentia, nec sine necessitate aut gravi causa fiat.

III. *Iustitia*, id est ut iuramentum sit de re iusta, licita et honesta: sic contra iustitiam iuraret, qui iuramento se obligaret ad damnum proximo iniuste inferendum, vel ad quidpiam aliud prohibitum. — *S. Lig. n. 144.* (*a*).

(*a*) Iustitiam plures DD. requirunt non solum in iuramento *promissorio,* sed etiam in *assertorio,* cum hoc tamen discrimine, quod in promissorio defectum iustitiae videntur considerare quoad rem iuratam, in assertorio autem quoad ipsum iurandi actum.

Et hic Salmanticenses (*Tr. 17. Cap. 2. n. 45-47.*), quos sequitur S. Alphons. (*Lib. 3. n. 146.*), facta quaestione, an iustitiae defectus grave peccatum sit etiam in iuramento assertorio, affirmantem inducunt Sotum cum Toleto, Ledesma et Aragonio, quibus opponunt Suarezium cum Sanchez, Tamburini aliisque; et hos sequi se fatentur, excepto casu gravis detractionis iuramento confirmatae. Verum haec discordia inter DD. est plane imaginaria. Nam Sotus (*De Iust. et Iur. Lib. 8. q. 1. art. 3.*), Aragonius (*In 2.2. q. 89. art. 3.*), et De Ledesma (*Sum. hisp. Tom. 2. Tr. 11. Cap. 2. dub. 4.*) peccare eum dicunt, qui occulta revelans crimina, iuramento ea confirmat; sed num graviter an leviter peccet, non dicunt: Toletus vero (*Lib. 4. Cap. 21. n. 8.*) grave vel leve peccatum pro ratione materiae habet: et quidem isti advertunt, omne abesse peccatum posse, si iusta causa adsit, v. gr. iudici occultum crimen cum iuramento revelandi. Suarez vero (*De Relig. Tr. 5. L. 3. Cap. 12. n. 7-8.*) cum Sanchez, aliisque, quorum sententiam S. Alphonsus probabiliorem dicit, generatim levem esse culpam censet, quia res iurata supponitur vera, et solum deest in iurando iudicium. Excipit tamen iuramentum narrationi veri criminis additum ad maiorem ipsi fidem conciliandam, quia sic iuramentum uti medium ad iniquitatem assumitur.

** Negant hic VV., imaginariam esse discordiam DD., de qua Salmanticenses, et post ipsos S. Alphonsus; ac proinde per octodecim columnas (*Pag. 260-269.*) evincere volunt, dissensionem reipsa inter DD. extitisse. Sed forte et ipsi VV. non satis cavent a scopulo, in quem Salmanticenses ideo saepius impingunt, quia minus considerant, num Auctores, quos ipsi ceu dissentientes exhibent, de eadem re ac sub eodem respectu disputent, an vero de re diversa aut sub diverso respectu; unde fit (quod in altera editione hoc loco notabatur), ut *perperam fingant Doctorum pugnas, et contra modo istos, modo illos pugnam aggrediantur.* Utrum in casu id contigerit, breviter nunc videndum.

Discordia Doctorum iuxta Salmanticenses in eo residet, quod defectum iustitiae in iuramento *assertorio alii* GRAVIS, *alii* LEVIS CULPAE DAMNANT. Porro missum nunc fiat, quod imaginariam esse hanc dissensionem evincerent vel illi, quos VV. allegant (*Pag. 267.*), Auctores, *Navarrus* nempe, *Bonacina, Concina, Collet, Potestas,* et *Voit;* quippe qui generatim tenent, *peccatum esse grave vel leve* (ut ait Bonacina) *pro gravitate vel levitate materiae.* Sed isti omittantur, quippe qui, ut VV. quoque (*ibid.*) advertunt, non satis determinant statum quaestionis.

Melius determinatam quaestionem sic habet Marcus Struggl (*Tr. 5. Q. 3. art. 1. n. 9.*), ubi quaerit, *quale peccatum sit iuramentum ex defectu iustitiae.* Et respondet: *Iuramentum assertorium de re iniusta, si assertio est iusta, non est peccatum: quia res iniusta est obiectum solum materiale et extrinsecum iuramenti..... Sic igitur testis potest in iudicio iurare, Petrum commisisse homicidium.... Si autem ipsa assertio est graviter iniusta, etiam iuramentum, tamquam confirmatio illius, est graviter iniustum; si autem illa est leviter iniusta, etiam iuramentum est confirmatio leviter iniusta. Unde ille, qui alterius crimen occultum pro-*

310. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quaenam sit causa sufficiens ad iurandum?*

palat, eumque graviter infamat, et commissum crimen iuramento confirmat, iurando peccat mortaliter; qui autem propalat alterius crimen leve, et commissum iuramento confirmat, iurando peccat venialiter.

Non minus clare Petrus Catalani (*Th. Mor. Part. 2. Q. 9. Cap. 4. n. 6.*): *Dicendum secundo, defectum iustitiae in iuramento assertorio esse gravem vel levem non a re gravi vel levi asserta, sed a modo asserendi gravi vel levi, scilicet ex animo pravo magis vel minus, quo Deus adducitur in testem rei assertae...; ut securior et firmior reddatur ob tuum pravum finem. Quare si finis, ob quem iuramento assertorio uteris ut medio, est mortalis, mortale iuramentum erit; si vero venialis, veniale iuramentum erit. Sic Sanchez, Suarez, Castropalaus. Hinc si proximo detrahis graviter, detractionemque iuramento confirmas ob finem graviter nocendi illi; grave peccatum ultra detractionem ex defectu iustitiae in iuramento committeres: assumeres namque iuramentum ut medium ad firmandam gravem iniquitatem. Si vero leviter proximo detrahis* etc.

Hic vero subit scitari: Quid est, quod hic pro hac doctrina allegantur Suarez et Sanchez, quando Salmanticenses dicunt, hos stare pro *culpa levi* contra Sotum, Ledesma, et Toletum, quasi isti stent *pro culpa gravi?* Sed ulterius, quid, quaeso, de hac re Toletus? Ecce (*Sum. Lib. 4. c. 21. n. 8.*): *Circa iustitiam adverte, non sat esse verum iurare; ut iuramentum sit licitum, sed cum iustitia iurare, idest non debet homo iurare illud verum, quod revelare peccatum est. Si quis enim occultum crimen revelaret alicuius, ipsum infamando, peccaret, quamvis verum diceret, quia contra iustitiam facit: et si hoc verum iuraret, iterum peccaret. Est autem hoc iuramentum mortale, cum iniustitia, supra quam iuratur, mortalis est; est autem veniale, cum iniustitia venialis est.* Hucusque Toletus. Numquid haec dissentiunt vel minimum ab iis, quae, teste Catalani, docent Sanchez et Suarez?

Quid vero et Sotus? Oculis tuis videas. Postquam (*De Iust. et Iur. Lib. 8. q. 1. art. 3.*) retulit Caietani opinionem, quasi *iustitia* non sit *comes iuramenti assertorii,* subdit: *At vero forsan rectius et assertorio quoque (iustitia) censeatur proprie convenire. Nam iustitia proprie non solum ad rem iuratam spectat, verum et ad iurandi causam, ut in solutione secundi ait S. Thomas.... Unde si ego crimina civis omnino occulta sub iuramento asserens detego, certe iuramentum est iniustum... At si iure et more requisitus illa revelo, iustum fit meum iuramentum.* Subsumunt hic VV. (*Pag. 262.*), Sotum profecto intelligendum esse de peccato mortali. — Resp. Id admittetur, quando ipsi ostenderint, quidquid est iniustum, ex mente Soti ex toto genere suo esse peccatum mortale.

Ex Ledesma VV. (*Pag. 263.*) haec referunt: *Sed si iustitia altero sensu accipiatur, semper ipsa licitum assertorium iuramentum comitatur; quandoquidem si causa, quae ad iurandum movet, non est iusta, iuramentum assertorium erit iniquum.* Voluntne VV., etiam Ledesma habere ut grave peccatum quidquid non est iustum? Ergo non concludant, iure Salmanticenses eam doctrinam Ledesmae attribuisse. Nam vigilanter in Nota sup. dictum est, et Sotum, et Ledesma, et Aragonium peccari in casu dixisse: sed num graviter, an leviter, eos non dicere: nec scopus aut Soti, aut Ledesma hoc ulterius exigebat.

Quod vero recte Catalani communem hanc doctrinam tribuat Sanchezio, patet ex istis (*Dec. Lib. 3. C. 4. n. 33.*): *Clarius Sotus, Aragon., Petrus de Ledesma, Toletus aiunt, ad iuramenti assertorii honestatem exigi comitem iustitiam, nec hanc solum attendi ex parte rei iuratae, sed etiam ex parte causae iurandi, ac proinde iniustum esse iuramentum, quo-*

Resp. Quaecumque causa honesta alicuius ponderis, v. gr. pax confirmanda in familiis, maior securitas in contractibus..., etc. — *S. Lig. Hom. apost. n. 14.*

ties illo detegitur iniuste crimen proximi. Adduntque Sotus et Ledesma non minus esse iniustum hoc iuramentum, quam cum res iniusta facienda promittitur iuramento. Et Toletus, hoc peccatum esse mortale, quando assertio iurata est mortalis, et veniale, quando est venialis. Quae quidem Sanchez addit, se admittere, eaque teneri etiam a Sayro et Suarezio.

Huc usque dicta satis perspicua videri possunt ac porro debent, et simul etiam sufficientia ad suadendum, imaginarium esse Auctorum in hac quaestione dissensum. Praestat tamen etiam innuere, undenam occasio oborta sit confusionis, quam apud Salmanticenses haec quaestio praefert.

Fuerunt nimirum, qui iustitiam iuramenti comitem latius protenderunt. Hinc illud Tamburini (*Decal. Lib. 3. C. 1. §. 4. n. 5.*): *Iustitia in eo consistit, ut id quod iuratur, honeste et sine peccato iuretur....: hic enim iustitia non sumitur stricte pro virtute reddendi unicuique suum, sed late iuxta illud: Oportet me implere omnem iustitiam.*

Id autem sic explicat Sanchez (*l. c.*): *Iuxta aliquorum sententiam quoties quis iuramento assertorio affirmat rem, in cuius assertione est culpa letalis commissa; tunc eam asserendo est, praeter illam culpam letalem assertionis, alia culpa letalis iuramenti defectu iustitiae. Et si in assertione committitur culpa venialis, est alia venialis ratione iuramenti, sicut in iuramento promissorio contingere diximus.* Subiicit autem sic exempla (*ibid.*): *Ut si quis absque iusta causa occultam gravem proximi infamiam detegat, eive mortalem contumeliam dicat, id iuramento asserens; aut iureiurando proprium mortale crimen cum illius iactantia, aut delectatione referat; ultra peccatum letale detractionis, contumeliae, iactantiae, delectationis, est mortale id iuramentum defectu iustitiae.* Allegat autem *S. Thomam* (*2. 2. q. 89. a. 3. ad 2.*), *Caietanum* (*ibid.*), et *Valentia* (*2. 2. Disp. 6. q. 7. Punct. 3.*), qui tamen mere dicunt, iuramenti iustitiam spectare ad causam iurandi, et exemplum a Valentia tactum refertur ad iustitiam stricte talem.

Quidquid vero de hoc sit, certum est etiam Suaresium *iustitiam* iuramenti comitem lato illo sensu considerasse, de quo diximus. Pro diversis autem circumstantiis seu hypothesibus, diversum de reatu assertionis ita fert iudicium. *Licet,* inquit (*De Iuram. Lib. 3. c. 12. n. 7.*), *narratio sit de peccato mortali, saepe ipsa non est peccatum saltem mortale, quia non fit complacentia in illo, nec* CUM INIURIA TERTII, *nec cum scandalo: imo si illa narratio habeat honestam causam vel necessitatem, poterit nullum esse peccatum; si vero leviter fiat, tantum erit de se peccatum veniale. Ergo iuramento firmare illam, vel nullum est peccatum, si ad bonum finem cum utilitate vel necessitate fiat, vel solum erit venialis culpa.* Quod attinet vero ad *iniuriam tertii,* quam abesse in hoc textu supponebat, nihil cunctatur affirmare, gravem per additum iuramentum culpam accedere. *Excipiendum,* inquit (*ibid. n. 8.*)..., *nisi malitia ipsa pravae narrationis per iuramentum augeatur, ut si quis v. gr. infamet proximum contra iustitiam narrando veritatem occultam, et ut probabilior fiat infamia, iuramentum adiungat. Videtur enim tunc augeri graviter malitia contra religionem, et irreverentia in Deum, ita ut hoc titulo necessarium sit circumstantiam illam in confessione explicare; quia nomen Dei assumitur quasi instrumentum ad faciendam iniuriam gravem proximo, quod gravem iniuriam Dei continet.*

In diverso autem iudicio pro hypothesis diversitate ferendo Suaresium utique secuti sunt et Sanchez et Tamburini, qui proinde in narratione alicuius gravis peccati iuramento firmata cum Suaresio docent, levem inter-

QUAER. 2° *An liceat iurare cum probabilitate veritatis?*

Resp. Neg., quia Deus nequit invocari nisi in testimonium rei certae; attamen certitudo quaedam moralis sufficit. — *S. Lig. Hom. apost. ibid.* (*a*).

QUAER. 3° *An liceat iurare cum restrictione mentali?*

Resp. Neg., si sit *pure* mentalis (*b*); secus vero, si *late* mentalis

cedere culpam posse. Verum id non impedit, quominus uterque quoad quaestionem communiter ab AA. propositam, de qua sup. diximus, cum iisdem AA. omnino conveniat. Et de Sanchesio quidem id superius vidimus. Quoad Tamburini vero, id patet ex hisce eiusdem verbis (*l. c.*): *Qui ergo aliquem v. gr. infamaret cum iuramento..., iuramentum iustitia carens, Confessori specialiter praeter infamiam aperiendum committeret...; quia sumere Dei testimonium tamquam medium ad inique agendum, est... irreverentia contra Deum.... Quid, si iniqua actio detractionis solum sit venialis? Respondeo, fore iuramentum venialiter temerarium.*

Concludamus id itaque, quod ex praemissis hisce manifeste patet: Quando idem est quaestionis subiectum, uti esse vidimus quoad iuramenti iustitiam stricte sumptam, Suarez et Sanchez et Tamburini etc. adamussim cum Soto, et Ledesma, et Toleto etc. concordant. Ergo imaginaria est dissensio ac pugna, quam inter illos confinxere Salmanticenses. Quando vero Suarez et Sanchez et Tamburini etc. iustitiam iuramenti comitem lato sensu sumunt, dum Sotus et Ledesma et Toletus, etc., iustitiam iuramenti comitem presso tantum sensu accipiunt, nulla pugna intercedere inter eos potest, quia diversum est quaestionis subiectum. Rursus igitur patet, dissensionem inter eos a Salmanticensibus iactatam esse plane imaginariam.

(*a*) S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 148.*): *Sufficit aliqua certitudo moralis, sive quaedam probabilitas, quae ad quamdam certitudinem moralem pertingat... Imo Sanchez cum Valent., Suar. ac Salm.* CUM COMMUNI *expressius aiunt, sufficere in iuramento sive assertorio sive promissorio probabilitatem veritatis assertae vel impletionis exequendae rei promissae; modo, intelligendum, non habeatur ratio probabilis in oppositum.*

(*b*) Huc ex communi sententia spectant Propositiones 26ª et 27ª ex damnatis ab Innocentio XI. Imo ad restrictionem mentalem *stricte et pure sumptam* S. Alphonsus revocat etiam Prop. 28ᵐ, quae sic sonat: *Qui mediante commendatione vel munere ad magistratum vel officium publicum promotus est, potest cum restrictione mentali praestare iuramentum, quod de mandato Regis exigi solet, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.*

Verum alii censent (Vid. Viva *ad Proposit. 28ᵐ Innocentii XI, n. I. et III.*), hic comprehendi casum restrictionis etiam *non pure* mentalis. Nam casus huiusmodi dari, in quibus etiam a *non pure* mentali restrictione abstinendum sit, DD. communiter consentiunt; quod sic innuit et Cardinalis Lugo (*De Fid. Disp. 4. n. 67.*): *In quibusdam casibus est procul dubio obligatio abstinendi ab aequivocationibus, et usurpandi verba in eo sensu, in quo ab auditoribus accipiuntur.* 1° *Quando ex illo errore auditores in aliquod grave incommodum inciderent; et tunc obligatio erit ex virtute fidei vel religionis, quando error, quem conciperent, esset contra fidem: sicut quando esset contra iustitiam vel castitatem aut alias virtutes, usus amphibologiae indirecte esset contra has virtutes.* 2° *Quando ratione officii tenemur aliquem instruere et docere vera, ne erret: et eo magis, si pretio vel stipendio accepto ad id tenemur.* 3° *Quando contractus onerosos et mutuos celebramus; debemus enim ex iustitia verba ad mentem contrahentis proferre, ne eum decipiamus.* 4° *Quando iudici vel praelato legitime interroganti iubemur respondere: debemus enim in sensu interrogantis respondere, vel certe in sensu, quo interrogare deberet.*

sit, ex iusta causa (*a*). Vide dicenda *de octavo praecepto n. 442. et seq.*

QUAER. 4° *An liceat praestare iuramentum in publicae rei perturbationibus?*

Resp. Hoc plerumque a circumstantiis pendet. Perpende, quid postulet iustitia, aut bonum commune, et quaenam sint iuramenti requisiti obligationes, utrum positivae an negativae (*b*)? — Potissimum vero expedit consulere Superiores ecclesiasticos, ad quos pertinet definire, quid pro variis circumstantiis sit agendum.

311. — QUAER. 5° *Quale sit peccatum iurare sine veritate, iudicio et iustitia?*

Resp. ad 1um Est mortale; quia Deum adducere in testimonium falsitatis est velle destruere ipsius veracitatem. Constat etiam ex Proposit. 24^a ab *Innoc. XI* damnata.

Resp. ad 2um Veniale est *per se*, id est secluso periculo peierandi; quia est tantum vana usurpatio nominis Dei. — *Ita fere omnes, etiam rigidiores.*

Resp. ad 3um Certo mortale est, si de re gravi agatur, ut patet.

Et ad postremum hunc casum pertinet tum exemplum in allata Proposit. 28^a propositum, tum plura alia, v. gr. si quis ad sacros ordines promovendus interrogetur *de natalibus, de irregularitatibus, de censuris,* vel si quis volens matrimonium contrahere interrogetur *de impedimentis.* Neque enim his licet uti aequivocatione; sed ea, de quibus interrogantur, sincere fateri debent. Nec obstat, quod durum videatur (ut in *cit. Prop. 28^a* obiicitur) quempiam ad sui criminis confessionem cogere. Ut enim Viva (*loc. cit.*) advertit, non exigitur hic confessio criminis ad vindictam, ad quam confessionem reus, nisi convictus fuerit probationibus, non tenetur; imo nec absolute exigitur, ut quis crimen aut defectum suum manifestet, sed solum ut a postulatione sua se retrahat; quo scilicet officia seu sacer ordo aut matrimonium indignis cum reipublicae detrimento non conferantur.

(*a*) De hac re S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 151.*): *Certum est et commune apud omnes, quod ex iusta causa licitum est uti aequivocatione..., et eam iuramento firmare.*

Quaenam autem sit iusta causa, ipse mox (*ibid.*) sic explicat: *Iusta causa esse potest quicumque finis honestus ad servanda bona spiritui vel corpori utilia.* Et rursus (*ibid.*): *Non requiritur causa absolute gravis, sed sufficit quaelibet rationabilis causa, puta ad se liberandum ab importuna et iniusta interrogatione alterius.* Imo (ut subdit cum communi DD. sententia *n. 170.*) *quando adest iusta causa necessitatis vel utilitatis, potest quis uti amphibologiis in iuramento, etiamsi ad iurandum sponte se offerat.*

Addit denique (*ibid.*), ex probabiliori sententia veniale esse, si quis id sine causa praestet. *Ratio* (inquit), *quia in huiusmodi iuramento iam adsunt veritas et iustitia, et deficit tantum iudicium sive discretio, cuius deficientia non est nisi venialis.* Plura autem exempla aequivocationum, quae ad praxim subinde faciunt, vide apud eumdem S. Alphons. *n. 153. ad 167.*

(*b*) Negativam dixeris, v. gr. obligationem, quae in quibusdam hodiernis legum codicibus, suapte indole atheis, imponitur, ne subditi impediant quaepiam in Deum et in bonos mores scelera, quorum nempe facultatem cuique liberam servari lex athea iubet.

Secus vero *probabilius,* si res levis sit; quia non videtur inde gravis iniuria in Deum redundare, cum non ut fideiussor peccati, sed ut testis propositi invocetur. — *Suarez, Collet, Antoine* (quibus etiam consentit *S. Ligor.*) (*a*), contra alios.

Inter iuramenta prohibita referuntur ea, quae in societatibus occultis sive Carbonariorum, sive Liberorum Muratorum *(Francs-Maçons),* emitti solent. Nullatenus enim licitum haberi potest iuramentum, quod eius auctores ne Ecclesiae quidem manifestari volunt.

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONE IURAMENTI PROMISSORII

312. **Principia.** — I. Omne iuramentum promissorium de re licita et honesta praeter obligationem iustitiae, aut fidelitatis, quae ex simplici promissione oritur, obligationem quoque Religionis inducit. Ratio est, quia promissio *per se* iam obligat, et testimonio divino invocato confirmatur et corroboratur. — Minime autem obligat iuramentum de re illicita aut plane inutili; quia iuramentum, utpote actus Religionis, non potest esse vinculum iniquitatis aut rei otiosae (*b*).

II. Obligatio iuramenti interpretanda est *stricte;* et naturam actus vel contractus, cui adiicitur, omnesque eius conditiones sequitur. Ra-

(*a*) Minus exacte dicitur in hanc sententiam consentire S. Alphonsus, quippe qui haec habet (*Lib. 3. n. 146.*): *Sed magis mihi arridet sententia opposita, quam tenet Elbel... cum March. Turr., etc.; quia non levis, sed gravis irreverentia videtur invocare Deum in testem ac fideiussorem peccati quamvis levis.* Aliam sententiam ceu communem sequitur Suarez (*De Relig. Tr. 5. Lib. 3. C. 19. n. 3.*) rationem reddens, quod Deus mere invocetur ut testis veritatis, praesentis nempe propositi, non secus ac in iuramento assertorio Deus testis adducitur de re praeterita iniquissima. Verum haec ratio minus forte cohaerere videbitur cum notione iuramenti *promissorii*, quae communiter traditur, et a Suarezio quoque admittitur (*ibid. Lib. 1. Cap. 8. n. 2. 3.*), nempe quod praeter praesentis veritatis confirmationem includat obligationem ex virtute religionis, *ut homo faciat esse verum id, quod iuravit, secundum suam possibilitatem* (quae sunt verba S. Thom. *2. 2. q. 89. art. 7. ad 1.*), quo quidem Deus ceu fideiussor implendae promissionis adducitur, ut sup. (*not. ad n. 309.*) diximus cum Laymann.

(*b*) Eiusmodi iuramenta non reviviscunt, etiamsi res esse otiosa aut illicita postea desinat, iuxta Iuris Reg. 18. in VI: *Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit.* Ita qui contra fidem priorum sponsalium secunda sponsalia iuratus contraxit, priore sponsa ante nuptias mortua, cogendus non est ad sponsalia secunda, quippe quae promissionem et iuramentum de re illicita continebant, ideoque ab initio irrita erant; non secus nimirum ac si coniux, invito vel ignorante altero coniuge, Religionem professus et postea ex Monasterio reductus sit, mortuo altero coniuge, cogendus non est ad Religionis professionem, utpote quae ab initio irrita fuerat. Ad iuramentum enim revocatur Regula illa: *Votum* (eademque est ratio de iuramento) *emissum tempore inhabili, non obligat tempore habili.* Alia exempla vide penes Laymann (*Lib. 4. Tr. 3. Cap. 6. n. 4.*).

tio primi est, quia iurans censetur voluisse se obligare quam minime potuit; ratio autem alterius est, quia iuramentum non mutat naturam actus, sed ei superaddit solam Religionis obligationem, et proinde easdem conditiones et limitationes habere debet.

III. Obligatio iuramenti interpretanda insuper est iuxta conditiones tacitas in eo inclusas seu subintellectas, quae sunt 1° si potuero sine gravi damno ; 2° si res non fuerit notabiliter mutata; 3° si iura aut voluntas Superioris non obstent ; 4° si alter fidem reciprocam servaverit; 5° nisi alter de iure suo cedat. — *S. Lig. n. 180.*

313. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An detur parvitas materiae in transgressione iuramenti promissorii?*

Resp. Iª Sententia *negat*, quia non tantum violatur promissio simplex, sed promissio iurata. In quacumque ergo materia gravis iniuria infertur Deo, cuius testimonium in vanum a iurante invocatum est. — *Bonacina, Lessius, Toletus.*

IIª Sententia *affirmat,* quia in iuramento promissorio Deus non proprie adducitur ut testis futurae executionis rei promissae, sed tantum actualis promissionis, seu verae intentionis promissionem exequendi (*a*). — *Suarez, Navarrus, Laymann,* etc. — *S. Lig. in Opere, n. 173.,* dicit utramque sententiam probabilem; sed in *Hom. apost. n. 13.,* magis secundae sententiae adhaeret, et ait: *Si res promissa non sit gravis, infidelitas ad gravem culpam non pertingit.*

Quaer. 2° *An obliget iuramentum promissorium errore aut dolo emissum?*

Resp. Neg., si error aut dolus versetur circa rei substantiam; secus vero, si adiuncta eius accidentalia tantum afficiat; quia contractus simplex invalidus foret in priori casu, non vero in posteriori. — *S. Lig. n. 175.* (*b*).

314. — Quaer. 3° *An obliget iuramentum promissorium metu gravi et iniusto extortum?*

Resp. Controvertitur: Iª Sententia *communior affirmat,* quia licet

(*a*) Haec ratio ex modo dictis (*not. a, pag. 307.*) minus firma videtur; neque enim obligatio Religionis, de qua A. *n. 312. 1.,* mere consistit in non mentiendo, cum promissio fit (in quo sane nunquam levis esset culpa), sed insuper in promissione implenda. Potius igitur recurrendum videtur ad naturam obligationis ex religione, quae parvitatem materiae admittit. Et siquidem haec admittitur in violatione promissionis Deo factae per votum, non apparet, cur admitti nequeat in promissione, cuius quodammodo fideiussor accersitus sit Deus.

(*b*) Advertit tamen idem S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 187.*), probabilem esse sententiam oppositam, quando error vel dolus versetur circa illas circumstantias, utut accidentales, quae si ab initio notae fuissent, a iuramento et promissione deterruissent. Quae quidem S. Alphonsi animadversio valere debet sicut in votis, ita in contractibus *gratuitis,* non vero in contractibus *onerosis:* secus enim, ut in Tract. *de contractibus* videbimus, nimis saepe dissolvendi forent contractus, cum errores eiusmodi passim occurrant, vel praetexi possint.

contractus simplex forte irritus foret spectato iure naturali, firmus tamen efficitur accedente iuramento, quod servandum est *ex Religione*, quoties absque peccato servari potest. — *S. Lig. n. 174., et l. 3. n. 716.* Attamen patroni huius sententiae tenent cum S. Ligorio, eum, qui metum passus est, posse iuramenti relaxationem petere, ut ab obligatione solvendi excusetur; si vero iam solverit, posse id, quod dedit, in iudicio repetere, vel occulte se compensare (*a*). — *S. Lig. n. 174., et l. 3. n. 717.*

II^a^ Sententia, quae sat probabilis videtur, *negat;* quia iuramentum nequit promissionem de iure naturali irritam confirmare. Iuramentum enim sequitur naturam actus, cui adiicitur. Vide dicenda in *Tract. de Contract. in genere.*

Quaer. 4° *Quomodo cesset obligatio iuramenti?*

Resp. 1° Cessat *ab intrinseco* (*b*), sicut lex, cessatione causae motivae, etc...

Resp. 2° Cessat *ab extrinseco* irritatione, commutatione et dispensatione, sicut votum, de quo in capite sequenti dicemus (*c*). Cessat

(*a*) Si occulta compensatio licet, frustranea videtur obligatio dandi etiam propter iuramentum. Numquid enim religio imponet ridiculam obligationem, ut ponam actum materialem dandi id, quod propria deinde auctoritate possum tollere et recuperare, quodque alter accipere licite non potest?

Inspectis vero textibus iuris canonici, quibus probari solet haec obligatio *ex Religione,* haud obscure apparet, Romanos Pontifices exegisse, ut dispensatio peteretur, non tam quia haec iuramenta censerent per se obligatoria, quam ut hac cautela periculis hallucinationis ac periurii obviaretur, prouti etiam rationes huius oeconomiae a Reiffenstuel (*Lib. 1. Tit. 40. n. 59.*) adductae insinuant.

(*b*) Contingit hoc 1° ob notabilem materiae mutationem; qua de re S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 187.*) admittit regulam traditam a Salmanticensibus (*Tr. 17. Cap. 3. n. 22.*), id liberare a voti vel iuramenti obligatione, quod si a principio notum fuisset, ea fieri impedivisset: exempla habes infra in tertia resolutione; 2° ob cessationem causae finalis, v. gr. si iuramento promisisti eleemosynam Paulo ceu pauperi, et hic dives fiat (*S. Alphons. Lib. 3. n. 188.*).

(*c*) Notanda sunt haec Suaresii (*De Voto, Lib. 6. Cap. 14. n. 6.*): *Satis probabile est, potestatem delegatam simpliciter ad dispensandum in votis, extendi ad dispensandum in iuramentis piis circa eandem materiam, quando per se stant, suamque solam obligationem producunt. Haec est sententia communis, et sine dubio potest in praxi observari.* Cui doctrinae incaute Salmanticenses (*Tract. 17. Cap. 3. n. 3.*), quos sequutus est S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 190.*), opponunt quosdam Auctores, uti, v. gr. Sanchez, qui reipsa non de solo iuramento agebant, neque etiam de iuratis votis, sed de iuramento, quod non dependeat a voto circa eandem rem emisso.

De quo tamen casu ita idem Suarez (*l. c. n. 19.*): *Etiamsi votum et iuramentum super eandem materiam immediate cadant, et unumquodque per se obliget ad Dei honorem; per facultatem absolutam dispensandi in votis auferri poterit vel votum, vel iuramentum, vel utrumque dispensantis arbitrio. Pro hac assertione possumus allegare omnes Auctores primae* (scil. praec.) *assertionis..., et tenent alii moderni et viri docti.*

** Adversus hanc notam VV. per duodecim columnas (*Pag. 269-275.*) pu-

quoque relaxatione seu remissione obligationis facta ab eo, in cuius favorem promissio iurata emissa est, quia iuri suo quisque cedere potest.

315. **Resolves.** — 1° Nunquam obligatur iuramento, qui rem malam iuravit; imo dupliciter peccat, si iuramentum adimpleat, nempe contra Religionem, et virtutem, cui opponitur materia iuramenti. — *S. Lig. n. 176.*

2° Non obligatur iuramento, qui promissionem prodigam iurando confirmavit, quia promissio illa est saltem leviter mala. — *Ita Suarez, Salmant., et alii communiter* cum *S. Lig.*, qui hoc ut *probabilius* admittit, *n. 185.* (*a*).

gnant, et contra eam directe statuunt hanc thesim (*Pag. 270.*): *Auctores a S. Alphonso cum Salmanticensibus pro sententia negante citati, recte ab ipsis allegantur.* — Resp. In Nota scribitur, *quosdam auctores* abs re allegari, non vero omnes. Hoc praemisso, addendum, thesim a VV. propositam dicendam fore falsam, si vel unum scriptorem perperam allegatum quis deprehendat. Atqui ipsimet VV. concedunt (*Pag. 272.*), Sanchesium non pro negativa sententia cum S. Alphonso, sed pro affirmativa stare. Ergo. Et reipsa Sanchez (*Dec. Lib. 4. C. 53. n. 8-9.*) scribit: *Tertia sententia ait, facultatem delegatam ad dispensationem vel commutationem votorum extendi ad dispensationem et commutationem iuramentorum, quae soli Deo fiunt... Atque haec sententia* HABET VERUM, *quamvis iuramentum non habeat inclusam promissionem, sed absque ea soli Deo fiat.*

Sed deinde Sanchesio addendus est et Bonacina. Ratio est, quia alia est quaestio, de qua Bonacina, alia vero est, de qua tractant Salmanticenses, et post eos S. Alphonsus. Apud Salmanticenses quaestio fit (*Tr. 17. Cap. 3. n. 3.*): *An si alicui.... facultas concedatur dispensandi aut commutandi vota, hoc ipso concessa facultas censeatur dispensandi aut commutandi quaecumque iuramenta soli Deo praestita.* S. Alphonsus vero (*Lib. 3. n. 189.*): *Quaeritur, an qui habet facultatem delegatam dispensandi in votis, possit dispensare in iuramentis:* eundem autem esse utriusque quaestionis sensum, patet tum ex S. Alphonsi contextu, tum ex allegationibus quas S. Doctor ab illis transcribit. Aliter vero Bonacina (*De 2. Praec. Disp. 4. Q. 1. Punct. 17. n. 12.*): *Dubium est, utrum commutantes vota ex facultate sibi delegata possint etiam commutare iuramenta talibus votis annexa.* Atqui posterior haec quaestio ex omnium DD. consensu est plane a priori diversa. Ergo. Et quidem optandum erat, ut in referenda Bonacinae sententia de hac quaestione VV. non omitterent postrema verba. *Utraque sententia,* scribit Bonacina, *probabilis est; sed probabilior mihi videtur prima.* Hic VV. consistunt. Sed Bonacina addit: *praesertim in iuramento promissorio; hoc enim non est votum, cum non fiat Deo, sed homini.* Quae ostendunt, ex alia prorsus ratione Bonacinam id affirmasse.

Caeterum non omnes facile concedent id, quod VV. pro certo habent, invictam nempe esse rationem, propter quam S. Alphonsus, postquam de quaestione a se proposita dixerat, probabilem esse utramque sententiam, tum negantem scilicet tum affirmantem, concludit deinde *primam sententiam negativam omnino esse tenendam*, quia *obligatio iuramenti iam contracta, cum sit certa, et possideat, auferri non valet per dispensationem tantum probabiliter validam.* Quispiam ad hominem posset ratiocinando dicere, tum peccata tum censuras esse certas, incertam autem remissionem aut absolutionem, quando iurisdictio Confessarii est tantum probabilis; ergo etc. etc.; quam conclusionem S. Alphonsus, ut notum est, non admittit.

(*a*) Ne concludas hinc tamen, hunc neque ad id teneri, in quo nulla apparet prodigalitas. Excipe, nisi res promissa sit indivisibilis.

3° Non obligatur iuramento, qui iuratus promisit nuptias puellae diviti, sanae, virgini, bonae famae, si illa inciderit in paupertatem, infirmitatem, infamiam, fornicationem; quia promissio simplex tunc non obligat. — *S. Lig. n. 180.*

4° Non peccat contra iuramentum, qui urbanitatis causa iuravit, se ante alterum non sessurum, bibiturum, ingressurum domum, etc..., si ab altero coactus prius sedeat, bibat vel ingrediatur; quia plerumque eiusmodi iuramentum nullum est ex defectu intentionis iurandi; vel, si valeat, ab altero relaxatur. — *S. Lig. n. 180.*

5° Non peccat, qui secretum iuratum detegit, quando ipsa lex secreti cessat obligare; quia iuramentum, ut diximus, sequitur naturam actus, cui adiungitur (*a*).

6° Raro peccant parentes non adimplentes iuramentum puniendi filios; quia plerumque iuramentum est de re inutili, aut potius de vindicta inordinata; accedit quod delinquentes aut iam emendati sunt, aut saltem emendationem promiserunt. — *S. Lig. n. 180.*

7° Plerumque etiam mercatores non videntur ligari iuramento non vendendi minoris, aut pluris non emendi; vel quia huiusmodi iuramenta ut plurimum sunt de re inutili, vel quia isti homines non habent animum iurandi, aut certe quia iuramento inest tacita conditio, *nisi aliter res melius cedere videantur.* — *Ita communius.* — *V. Casus, n. 296. et seq.*

APPENDIX

DE ADIURATIONE

316. — Definitio. Adiuratio est auctoritativa et deprecativa efflagitatio, interposito nomine Dei, vel Sanctorum, aut rei sacrae, ut inducatur alius ad aliquid agendum vel omittendum.

In eo igitur differt a iuramento, quod non inducat Deum in testem, sed tantum nomen eius interponat ad rem exoptatam efficacius obtinendam ob reverentiam Divinitati vel rebus sacris debitam.

(*a*) Hinc S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 183.*): *Iuramenta de servando secreto, quae praestantur in Congregationibus circa electiones vel alia, obligant graviter vel leviter iuxta nocumentum, quod afferre possunt.* Advertenda insuper sunt, quae idem S. Alphonsus (*ibid. n. 180-181.*) habet de iuramento, quo quis se obliget ad servanda decreta et regulas vel statuta alicuius Congregationis, Universitatis, vel Capituli, etc. Has nimirum regulas post DD. proponit: 1° Iuramentum intelligitur de statutis iam editis, non autem de edendis; 2° Obligare censetur sub gravi vel levi, vel sub poena dumtaxat, vel tantum sub consilio, prouti nimirum obligat statutum; 3° Non obligat ad ea, quorum obligatio ob impossibilitatem vel desuetudinem non viget; idque valet etiamsi iuramentum de quopiam eiusmodi peculiari statuto praestetur; 4° Non obligat demum, quando aliquod statutum a maiori parte communitatis seu Collegii non observatur.

Divisio. Adiuratio distinguitur

1° *Solemnis* vel *privata*, prout fit ab Ecclesiae ministris, et modo ab ea determinato, vel solemnitatibus destituitur, et ab omnibus fieri potest.

2° *Deprecativa* vel *imperativa*, prout fit per preces, vel per imperium. Haec posterior solis competit Superioribus erga subditos, et Exorcistis erga daemones. — *S. Lig. App. de Adiuratione, n. 1. (post. n. 193).*

317. **Principia.** — I. Adiuratio solemnis licita est solis Ecclesiae ministris, quibus ab Episcopo expresse permittitur; caeteris autem in praesenti Ecclesiae disciplina sub gravi prohibetur; imo multis in locis *suspensionis* poenam incurrunt Clerici, qui sine debita Ecclesiae facultate exorcismos facere praesumunt. — *S. Lig. ibid. n. 4.*

II. Adiuratio privata licita est vel illicita in omnibus illis circumstantiis, in quibus iuramentum licitum aut prohibitum est; hinc quae de iuramento dicta sunt, etiam adiurationi sunt applicanda.

III. Solae intellectuales creaturae, homines scilicet et daemones, *directe* adiurari possunt; *indirecte* etiam creaturae irrationales, ut sol, aqua, nubes, locustae, etc..., adiurando scilicet daemones, ne per eas nobis noceant, aut exorando Deum, vel Sanctos, ut iis, qui huiusmodi rebus utentur, assistant. — *S. Lig. ibid. n. 3.*

Adiuratio autem contra daemones fieri debet tantum modo imperativo, et ad amovenda damna et vexationem obsessi, non autem ad vanitatem aut curiositatem. — *S. Lig. n. 5.*

318. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An liceat uti exorcismis in dubio de possessione?*

Resp. Affirm., si Episcopus re plane cognita id approbet; sed a scandalo et Ecclesiae contemptu sedulo cavendum est.

Quaer. 2° *De quibusnam rebus daemon interrogari possit?*

Resp. De omnibus generatim, quae ad eius expulsionem conducunt, v. gr. de tempore et causa possessionis, de signo egressus, etc. — *S. Lig. ibid.*

Quaer. 3° *Quomodo peccet, qui daemonem de iis, quae ad rem non faciunt, curiose interrogat?*

Resp. Per se peccat graviter, si multos sermones inutiles cum daemone obsidente habeat; *a fortiori*, si cum ipso iocetur. Secus, si unam vel alteram tantum quaestionem curiosam modo imperativo interponat. — *S. Lig. ibid.*

Quaer. 4° *Quaenam sint signa verae possessionis?*

Resp. Praecipua sunt: 1° loqui idiomate prorsus ignoto ante tempus possessionis; 2° occulta et distantia manifestare, quae naturaliter ab homine cognosci nequeunt; 3° parere mandato mere interno Sacerdotis, etc.; 4° maiorem apparere daemonis vexationem, aut maiorem pacem ex contactu prorsus ignorato rerum sacrarum, etc. — *V. Casus, n. 303.*

Generatim non facile credendus est aliquis a daemone possideri; quia verae possessiones nostris temporibus rarae sunt, et pleraeque ex iis, quae perhibentur, falsae inveniuntur.

CAPUT III.

DE VOTO

319. — Definitio. Votum est promissio deliberata Deo (*a*) facta *de bono meliori*.

Divisio. Votum distinguitur

1° *Solemne* vel *simplex*, prout fit solemniter et ab Ecclesia acceptatur, seu ratum habetur, aut seclusa solemnitate et Ecclesiae acceptatione emittitur (*b*).

2° *Personale* vel *reale*, prout actio vel omissio, aut res aliqua ab actione personae separabilis, promittitur.

3° *Temporarium* vel *perpetuum*, prout ad certum tempus tantum, aut per totam vitam servandum promittitur.

Agendum 1° de conditionibus ad votum requisitis; 2° de obligatione voti; 3° de eius cessatione.

ARTICULUS I.

DE CONDITIONIBUS AD VOTUM REQUISITIS

Conditiones ad voti validitatem requisitae in ipsa voti definitione continentur, ac duae sunt praecipuae: 1° intentio vera; 2° materia apta.

§. I. *De intentione ad votum requisita.*

320. — Ad voti validitatem requiritur vera et deliberata intentio votum emittendi, seu vera promissio Deo facta, et obligationem inducens; votum enim est instar legis cuiuspiam, quam vovens, capax alioquin perpendendi onus, quod assumit, sibimet imponit. Sufficit autem voluntas et deliberatio, quae ad peccatum mortale requiritur (*c*).

(*a*) Votum est actus latriae soli Deo debitus. Quare dum vovemus quaedam Sanctis, sensus est, voveri ea Deo in honorem simul Sanctorum; sicut templa et altaria aedificamus Deo in eorumdem honorem. *S. Alphonsus Lib. 3. n. 194.*

(*b*) Et hinc est discrimen etiam inter violationem voti simplicis et solemnis, ut tetigimus, ubi de sacrilegio. Alia, quae ad votum solemne spectant, commodius reservantur tractatui de statibus particularibus.

(*c*) Haec nón significant, ad voti cuiuslibet validitatem sufficere eam discretionem ac maturitatem iudicii, quae sufficit ad peccandum mortaliter. Ad grave enim peccatum satis est confuse nosse gravitatem reatus, sicut ad meritum sufficit generalis et confusa notio boni moralis; ad assumen-

Hinc votum essentialiter differt a proposito; quia propositum quantumvis firmum, vinculum obligationis non producit, neque rei propositae omissio est peccatum, nisi forte quandoque per accidens, v. gr. propter inconstantiam, taedium aut negligentiam, quae per se peccatum veniale non excedunt. — *S. Lig. n. 196-199.*

321. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An valeat votum factum cum ignorantia obligationis, aut inadvertentia ad obligationem iam cognitam?*

Resp. ad 1um Non valet votum factum cum omnimoda ignorantia obligationis, quam inducit; quia sine intentione sese obligandi nullum est votum.

Resp. ad 2um Valet, si qui votum emittit, habitualiter illius obligationem clare cognoscat, quamvis actu ad illam non attendat; vel etiam si ille, qui vovet, etsi clare obligationem non cognoscat, in confuso tamen eam apprehendat, aut velit implicite, dum, v. gr., vult vovere hoc vel illud, prout caeteri vovere solent (*a*). Tenendum tamen generaliter est, non maiorem induci obligationem praeter illam, quam quis velit sibi imponere, atque apprehenderit. — *S. Lig. n. 201.*

Quaer. 2° *An valeat votum ex errore emissum?*

Resp. 1° *Neg.*, si error versetur circa substantiam rei, vel circa circumstantias substantiales, seu quae principaliter intenduntur, aut ad substantiam spectant, vel illam notabiliter mutant (*b*); quia tunc

dam vero obligationem non sufficit generalis et confusa notio obligationis, sed requiritur perfectior cognitio oneris, ad quod se quis obligat; quae sane cognitio exigit, ut deliberantis menti obversentur adiuncta ad prudentem deliberationem scitu necessaria. Sic ergo intellige, quod par utrobique sufficiat mentis advertentia, quamquam ad assumendam aut voti aut sponsalium obligationem prudens deliberatio et advertentia sit difficilior, atque adeo maiorem postulet iudicii discretionem.

(*a*) Ad votum sufficere potest promissio implicita. Ita quidam Religiosi vota emittunt mere profitendo *obedientiam iuxta Regulam.* Clarius id patet in susceptione sacrorum ordinum; nam licet non dicatur, *voveo,* vel *promitto* castitatem, votum tamen hoc fit implicite hoc ipso quod sciens, ecclesiam adnexuisse iis ordinibus istud votum, eos suscipis. Quod si quis hoc plane ignoraret, censet S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 809.*), eum probabilius voto non obstringi; idque videri dubium vix potest; obligatio enim voti tota est a voluntate, quae sibi eam obligationem imponit; nulla autem est voluntas, ubi nulla est cognitio. Ecclesia tamen posset hunc adigere, ut vel a sacro ministerio abstineat, vel castitatem, et quidem votum emittendo (ut probabilius habet S. Alphonsus *Lib. 3. n. 200.* post Laymann), servet, aut certe ut *sacrilegii* reus sit, nisi servet, quia eam praecipit ex virtute religionis, ut idem S. Alph. (*Lib. 6. n. 809.*) advertit.

(*b*) Non vitiat votum error circa causam mere impulsivam; quia haec est tantum causa secundaria, qua seposita, actus est sufficienter voluntarius secundum substantiam; v. gr. vovit aliquis peregrinationem Romam studio colendi Deum, et simul etiam habuit causam secundariam impulsivam, ut inviseret fratrem, quem putavit esse Romae: quem etsi intelligat deinde istic non esse, non ideo desinit voto obligari. *S. Alphonsus Lib. 3. n. 198.* Merito tamen advertit Sanchez (*Dec. Lib. 4. Cap. 2. n. 51.*), ob eiusmodi errorem praestari faciliorem dispensandi causam.

res promissa non est satis cognita et volita. — *S. Lig. n. 198, et alii.*

Resp. 2° *Affirm.*, si error versetur circa circumstantias accidentales minoris momenti, quae voto non obstitissent, si secluso errore cognitae fuissent; nam qui vovet, censetur se obligare ad subeunda incommoda mere accidentalia, quae in voto adimplendo occurrere possint. — *Ita S. Lig.* (*a*), *Elbel.*

322. — Quaer. 3° *An valeat votum metu factum?*

Resp. 1° *Neg.*, si metus sit gravis, iniustus et incussus ad extorquendum votum. Ratio est, quia Deo acceptum id esse non potest, quod per iniuriam a quopiam vi extorquetur, quando lex naturae postulat, ut ius in integrum restituatur. Et hoc quidem evincit, eiusmodi vota esse invalida iure naturae. Constat autem ex Iure canonico quoad vota solemnia Religionis, et probabilius etiam quoad caetera vota, iuxta interpretationem communiorem theologorum. — *S. Lig. n. 197.*

Resp. 2° *Affirm.*, si metus oriatur ab intrinseco vel a causa necessaria, nisi voventi usum rationis adimat; ratio, quia eiusmodi vota sunt simpliciter voluntaria. Item si metus proveniat ex causa levi, quia levis metus non censetur efficaciter in actum influere, et est potius occasio, quam causa voti. — *Ita communiter cum Sanchez* (*b*), *Azor, Salm.*; et *S. Lig.* dicit id *probabilius, n. 197.*

Quaer. 4° *An voto teneatur, qui dubitat, utrum votum vel merum propositum emiserit, aut sufficientem habuerit deliberationem?*

Resp. ad 1um *Neg.* Constat ex dictis de probabilismo. Si autem promittendo credidit se peccaturum, si forte rem propositam non

(*a*) S. Alphonsus tamen (*Lib. 3. n. 198.*) non negat esse probabile, quod votum invalidet error etiam in circumstantiis accidentalibus, si hae sint magni momenti, et si ipsis cognitis votum emissum non fuisset.

Excipi tamen debent vota, quae emittuntur post novitiatum in quocumque approbato Ordine; quippe quae irrita non sunt ob ullum errorem, nisi solum substantialem circa substantiam. *S. Alph. l. c. Ratio est* (inquit Lugo *de Iust. et Iur. Disp. 22. n. 88.*), *quia in iis, quae constituunt statum ex natura sua firmum et irrevocabilem, quales sunt professio et matrimonium, voluntas iuxta naturam rei, de qua agitur, accommodat se et consentit sine restrictione vel conditione, sed omnino absolute et independenter ab aliis conditionibus praeter eas, quae sunt de substantia eiusdem contractus. Ex iis enim conditionibus manerent incerta matrimonia et professiones, atque adeo ipse status, quod non est iuxta naturam rei, de qua agitur.* Et, ut adiungit Sanchez (*De Matrim. Lib. 10. Disp. 9. n. 20.*), *ex huiusmodi dependentia sequeretur, plures professiones et pleraque matrimonia censenda esse irrita; quod cederet in grave reipublicae damnum et scandalum.*

(*b*) Sanchez tamen (*In Dec. Lib. 4. Cap. 3. n. 23.*) probabilem censet eorum opinionem, qui tenent, invalida esse vota, quando metus, etiam respective levis, iniustus tamen, et reipsa causa vovendi fuerit; quod isti affirmant tum de votis simplicibus, tum de religiosa professione, saltem quoad *conscientiae forum;* nam in foro externo levis metus non praesumitur causa voti.

exequeretur, iudicari potest eum vere vovisse (*a*). — ***S. Ligorius n. 201.***

Resp. ad 2um *Neg.* ob eandem rationem, quando positive et graviter dubitet de sufficienti deliberatione. Plerumque ex perspectis circumstantiis res definienda est. — ***S. Lig. affirmat n. 196.*** (*b*). — ***V. Casus, n. 305. et seq.***

§. II. *De materia voti.*

323. **Principia.** — I. Materia voti debet esse res *moraliter bona,* imo de *bono meliori.* Ratio, quia Deus non colitur actione indifferenti, vel cuius positio non sit melior, quam omissio. Bonum autem *melius* non solum *absolute* in se, sed etiam *relative* ad circumstantias intelligitur.

II. Materia voti debet esse res *moraliter possibilis;* quia votum est promissio facta Deo cum intentione se obligandi; nemo autem

(*a*) Excipe tamen rudes, qui non raro falso se peccare autumant, dum propositum frangunt, praesertim si de piis quibusdam operibus suo tempore peragendis, v. gr. coronam B. Mariae Virg. recitandi quotidie, aut singulis sabbatis ieiunandi, etc. agatur.

(*b*) Suarez postquam varias causas recensuit, propter quas de sufficientis deliberationis defectu dubium esse potest, nimirum vel ob imbecillem aetatem, vel ob statum ebrietatis aut dementiae, vel ob vehementem aut irae aut timoris affectum, merito concludit, dissidium, si quod est inter DD., non versari circa principia, nempe an validum sit votum, ubi sufficientia deliberationis est incerta, sed quandonam defectus iste supponi debeat vel non supponi. Ita ille (*De Relig. Tract. 6. Lib. 4. Cap. 6. n. 10.*): *Adverto..., aliud esse quaerere, an stante vero dubio de usu rationis actuali et sufficiente ad liberum consensum, nascatur obligatio; aliud vero esse quaerere, quando sit, vel non sit tale dubium. In priori quaesito semper verum est, stante hypothesi quod tale dubium verum sit, votum non obligare, quia est dubium, an sit votum, et ita procedunt omnia supra dicta. Dicti ergo Auctores proprie tractant secundam quaestionem, et in eo sensu dicunt, votum factum ex calore iracundiae, si non constet positive et per iudicium fere certum abstulisse usum rationis, obligare, quia solus calor iracundiae per se non sufficit ad constituendum morale dubium de sufficienti usu rationis, nisi aliae circumstantiae accedant.*

** Salmanticenses (*Tract. 17. Cap. 1. n. 11.*) recte affirmant cum aliis, non esse sufficiens indicium defectus libertatis ac deliberationis, quod statim voti quempiam poeniteat. Id enim ex animi levitate inconstantiaque oriri potest. Verum ipsi (*ibid.*) aliam rationem reddunt, nempe quod *saepe contingat, actus plene deliberatos a nobis statim retractari ob novam difficultatem, considerationem, aut circumstantiam;* ad quae spectare videtur S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 196.*), ubi hunc locum Salmanticensium allegans, dicit, *videndum, an adsint aliae circumstantiae adiunctae.*

Verum ista alicuius idoneae explicationis indigent, ut conciliari possint cum alia doctrina, quam Salmanticenses (*ibid. n. 152.*) habent, et post eos S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 226.*) sic affert: *Ipsimet Salmanticenses C. 1. n. 152. censent, illam esse notabilem mutationem, quae si a principio fuisset cognita, quis non se obligasset. Haec sententia* (scil. quod in casu nulla est voti obligatio) *mihi videtur non minus probabilis, imo forte probabilior, quam prima..... Quia superveniente circumstantia non praevisa, qua votum onerosius redditur, materia voti fit diversa, quam promissa.*

se obligare potest ad aliquid sibi *moraliter impossibile*. Si vero res sit divisibilis et ex parte possibilis sit, pro hac parte valet votum (*a*); non valet autem, si sit moraliter indivisibilis. — *Ita communiter*. — *S. Lig. n. 202.*

324. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An valeat votum de materia iam aliunde praecepta?*

Resp. Affirm., primo quia non repugnat, debitorem diversis titulis obligari; deinde vero votum huiusmodi est de re bona in se, cum praecepta supponatur, et est de bono meliori, cum novum vinculum ad maiorem fidelitatem et devotionem in adimplenda lege conferre possit (*b*). — *Ita communiter*. — *S. Lig. n. 213.* — *Salm.*

QUAER. 2° *An valeat votum rei bonae cum fine pravo, aut conditione mala?*

Resp. Ad 1um *Neg.*, si finis malus se tenet ex parte rei votae, v. gr. si voveas eleemosynam ad impetrandum felicem furti successum, vel in gratiarum actionem pro latrocinio. Ratio, quia datio eleemosynae ad talem finem est actio blasphema, quasi Deus ad peccandum opem ferat. Secus dicendum, iuxta communem sententiam, si mala intentio *accidentaliter* tantum votum comitetur, et finis pravus, uti ait S. Alphonsus, se prorsus teneat ex parte voventis, v. gr. si quis, vovens ob Dei gloriam, ex vana dein ostentatione libentius *externe* voveat. — *S. Lig. n. 206.* (*c*).

(*a*) Excipe tamen, si constaret, voventem *per modum unius se voluisse ad utramque partem obligare, et indivisibiliter utramque prae oculis habuisse. Ratio, quia votum est lex particularis, quae non extenditur ultra intentionem voventis: et ideo si vovens collective promisit utramque partem, atque unam dependentem ab altera, si una sit impossibilis...., totum votum irritum manet.* Ita Salmanticenses (*Tract. 17. Cap. 1. n. 74.*), qui mox plura (*ibid. n. 75-76.*) exempla subiiciunt votorum, quae vel servanda sunt ex parte, quae possibilis manet, vel irrita ob alicuius partis impossibilitatem censentur.

(*b*) Insuper actionibus ex huiusmodi voto positis nobilitas, quae ex virtute Religionis profluit, uberiorisque meriti ratio accedit.

(*c*) Innuit hoc loco S. Alphonsus opinionem quoque Salmanticensium (*Tr. 17. Cap. 1. n. 66-68.*), invalidum nempe esse votum, etiamsi *pravus finis solum sit impulsivus, sed sine quo votum non fieret:* quae quidem pugnantia videri possunt: quando enim causa actus est eiusmodi, sine qua actus non fieret, non dicitur solum *impulsiva*, sed *motiva, principalis, primaria*. Caeterum si finis est mere *impulsivus*, est ergo finis alteri fini principali adiunctus. Ergo hic finis non est totalis nec principalis causa rei votae seu vovendi. Atqui eiusmodi finis principali sic superadditus non corrumpit omnino actum formaliter ex obiecto bonum, sed haberi potest ut quidpiam ex accidenti adveniens et actui extrinsecum. Ergo non tollit voti validitatem.

** Reprehendunt VV. (*Pag. 919.*), quod in Nota pugnantia dicatur loqui, qui *impulsivam* appellet causam, sine qua res non fieret: idque volunt probare exemplo hominis, qui ex desiderio salutis aeternae amplecti vult statum religiosum, et ex desiderio piscium seligit ordinem Carthusianum. — Resp. Quandoquidem secus iste non Carthusianum, sed alium Ordinem religiosum elegisset, desiderium piscium dicetur causa *motiva* eligendi *istum*

Resp. Ad 2um *Affirm.,* si votum fiat ex affectu erga rem bonam, ut bona est, etsi coniuncta cum causa seu conditione mala, ut si quis voveat eleemosynam, si non capiatur in furto. Etsi enim furtum malum sit; non laedi tamen non est malum, sed Dei donum; et votum non cadit super malum, sed super bonum, quatenus in se bonum est. Multo magis autem id valet, si votum fiat ex malae conditionis detestatione; ut si quis voveat eleemosynam, si et quoties blasphemet. — *Laymann, Lib. 4. Tr. 4. Cap. 2. n. 7.*

Quaer. 3° *An valeat votum non peccandi?*

Resp. 1° Non valet votum vitandi omnia peccata etiam levissima, quia hoc impossibile est. — *Trid. sess. 6.*

Resp. 2° Valet autem votum vitandi omnia mortalia, vel omnia venialia plene deliberata, quia hoc est possibile cum divina gratia et sine speciali privilegio, si tamen de personis piis agatur (*a*). Item valet votum non committendi venialia certi generis, v. gr. nunquam mentiendi, quamvis ob nimiam executionis difficultatem eiusmodi vota quoad plerosque non expediant. — *Bouvier, et alii non pauci.*

Ordinem, non secus ac desiderium aeternae salutis dicetur *motiva* eligendi *generatim* religiosum statum; et nonnisi abusive alterutrum desiderium appellabitur mere impulsivum.

(*a*) Intellige personas non utcumque pietatem profitentes, sed (ut habet S. Alphonsus, *Lib. 3. n. 203.*) christianae perfectioni impense studentes. Idem dicito de voto vitandi venialia certi generis; validum enim erit, ut inquit (*ibid.*) S. Alphonsus, *in personis magnae virtutis,* idest in solida virtute diu exercitatis; *in aliis vero modicae virtutis erit materia impossibilis; imo* (pergit S. Alph.) *in aliquibus materiis, puta cogitationum inhonestarum* (intellige quoad subreptionem quamlibet vel levissimam, non vero quoad culpam plane deliberatam), *otiosarum,* etc., *cum sint inevitabiles quoad omnes, votum est nullum.* Et huc pertinet votum vitandi actus impatientiae seu iracundiae. Cum enim passio irae indifferens sit ad bonum et ad malum, irasci aliquando nôn solum rationi consentaneum est, sed plane necessarium; alioquin autem ita tenere medium, ut nec per excessum quis peccet, nec per defectum, difficillimum est, ne moraliter impossibile dicam.

Addunt alii (apud Suarez *De Relig. Tract. 6. Lib. 2. Cap. 3. n. 2.*), validum non esse votum vitandi omnia mortalia, vel mortalia cuiusdam generis, si de persona fragili agatur. Cui sententiae licet Suarez ipse non adhaereat, probat tamen, quod ait Navarrus, eiusmodi vota nec utilia esse nec expedire, et sufficientem adesse causam dispensationis seu commutationis. Qua de re puerile est, quod nonnulli oggerunt, huiusmodi dispensationem aequiparari licentiae peccandi, quae proinde neganda sit. Neque enim petitur aut conceditur haec dispensatio, ut liberius quis peccet, sed ut tollatur vinculum, quod inspecta voventis fragilitate, hunc a peccando non retrahit, et sic potius quam in ipsius spiritualem utilitatem ac Dei gloriam, imo illi in laqueum, Deo autem in graviorem offensam unice cedit.

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONE VOTI

325. **Principia.** — I. Votum obligat *per se*, sicut lex vel praeceptum Ecclesiae, ac proinde graviter in materia gravi, et leviter in levi; votum enim est quasi quaedam lex privata, quam quis sibi imponit.

II. Votum obligat secundum voventis intentionem, si ille obligationis quantitatem in actu vovendi determinet, ita ut sub levi tantum in materia quantumvis gravi se ligare possit. Ratio est, quia sicut legislator vel Superior potest in materia gravi obligare sub levi tantum, ita etiam qui vovet de re gravi, levem tantum obligationem sibi imponere potest. — Non tamen vicissim graviter in re levi potest se obligare, quia materia levis non est gravis obligationis capax (*a*). — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 211. et 213.*

326. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Quaenam materia per se censeatur levis vel gravis in voto?*

Resp. Illa materia gravis censetur, quae cum ab Ecclesia praecipitur, graviter obligat, ut ieiunium, Missa, etc..., vel quae comparata cum alio praecepto gravis videtur, vel notabiliter ad finem voti, aut ad Dei cultum confert. — *Reuter.*

Quaer. 2° *An plures materiae leves coalescant ad materiam gravem efficiendam?*

Resp. Neg., si materiae leves voveantur separatim, ita ut obligatio sit affixa praecise tempori vel diei, seu ad diem illum sanctificandum. — Secus, si materiae leves per modum unius voveantur, ita ut diei determinatio non accedat nisi ad executionem urgendam, ut fere fit in votis realibus; excipe tamen, nisi aliud ex voventis constet intentione, ex qua tota obligatio et ratio obligationis pendet.

327. — Quaer. 3° *An aliquis voto alieno ligari possit?*

(*a*) Ad prudentiam Confessarii pertinet ea de re monere poenitentes, qui sponte voverint; ne scilicet (quod subinde contingit) ex conscientia erronea graviter peccent, etiam ubi voti materia gravem obligationem non admittit. Ad eandem pertinet prudentiam, quod poenitenti vovendi cupido Confessarius suadeat, ut etiamsi gravis sit materia, levem tantum nihilominus assumat voti obligationem; quo scilicet graviter offendendi Deum longissime absit occasio. Quae quidem causa extitit, cur plures sanctissimi et sapientissimi Religiosorum Ordinum Institutores, utut regularis observantiae cupidissimi, attamen ad avertendas divinae offensae occasiones statuerint, ut Regulae Dei instinctu conditae nullam *per se* ac *vi sua* obligationem inducerent, quae violatores peccati reatu constringeret.

Et quidem nihil impedit, quominus votum sub levi obligatione nuncupari possit in illa quoque materia, quae spectato iure naturae sub gravi obligat, v. gr. in materia castitatis.

Resp. Neg., saltem ratione voti; ratio, quia votum est onus personale voluntarie susceptum, et ideo nemo rem vel actionem alienam promittere potest. — Hinc vota parentum filios devoventium cuipiam Religioni, aut ipsis imponentium obligationem, v. gr. certis diebus ieiunandi, etc., istos ligare nequeunt. Licet autem filii non teneantur voto parentum, qui illos Religioni, vel alicui obligationi devoverunt, parentes tamen votum obligat, ut quantum in ipsis est, salva filiorum libertate, hos moveant ad id, quod pro ipsis voverunt, amplectendum, ac multo magis ne filiis id amplecti volentibus obstent (*a*).

Dixi, *saltem ratione voti;* nam ex iustitia heres vota realia defuncti solvere tenetur. — *S. Lig. ibid.* — *Vide* dicenda in *Tract. de Contract.* ubi *de Promissione.*

QUAER. 4° *Quaenam dilatio gravis censenda sit?*

Resp. 1° Gravis est *per se* quaelibet dilatio voti graviter obligantis, quando tempori determinato affixum est, ut est votum ieiunandi in tali vigilia, etc.; quia elapso tempore cessat voti obligatio, quae compensari nequit (*b*).

Resp. 2° Si vero tempus determinatum non fuerit, aut ad urgendam tantum voti executionem praefixum sit, dilatio notabilis in re gravi peccatum grave erit, iuxta *S. Lig. n. 221., et alios.* Tamburinus tamen cum aliis nullam dilationem, quantumvis longam,

(*a*) Vota eiusmodi adnexam habent conditionem, *si filii voluerint.* Ratificatio autem censeri non debet sola filiorum taciturnitas, sed verus et realis accedere debet consensus, cum ad annos discretionis pervenerint: quia taciturnitas in iis, quae sunt oneris ac laboris, non arguit consensum. *Salmant. Tr. 17. Cap. 1. n. 117.*

Haec tamen doctrina (quae scilicet ideo negat quempiam voto alieno ligari, quia votum est lex, quam sibi quisque propria voluntate imponit) nihil obstare debet, quominus votis, quae totius communitatis nomine emiserit aut Magistratus aut Superior Religiosus, obstringantur universi cives seu subditi, neque praesentes solum, sed et ii, qui imposterum membra illius communitatis fiant, et quidem ita obstringantur, ut si votum violent, contra Religionis virtutem peccent. Porro cum ad reddendam horum rationem diversa diversi dixerint (Vid. Suarez, *De Relig. Tr. 6. Lib. 4. Cap. 9.*), praeferenda videtur doctrina, quam Navarro idem Suaresius tribuit (*l. c. n. 6-7.*), nimirum haec vota esse comparanda cum aliis pactis, quibus communitas se ligat, et quorum obligatio ad posteros transit. Magistratus enim, utpote caput communitatis, hanc possunt isto quoque obligationis genere obstringere. Et cum ex natura communitatis profluat, ut membra capiti conformare se debeant obediendo; obedientia autem obligationem transferat ad genus virtutis, cuius intuitu inducitur; exinde obligatio inde orta, ut ipse Suarez inquit, est *obligatio ad acceptandum tale votum quoad voti obligationem.*

(*b*) Tum qui tempus labi sinit, quo votum implendum erat, tum qui vi aut dolo impedit, quominus impleatur conditio, sub qua ad votum reddendum tenebatur, peccato infidelitatis, quae propria est violationis votorum, se obstringit; attamen ad nihil aliud, nisi ad peccati poenitentiam tenetur ex generali principio, quod *transgressio voti* ad compensationem non obligat. Vid. *Laymann, Lib. 4. Tr. 4. Cap. 6. n. 2-4.*

mortalem *per se*, dempto nimirum aut oblivionis aut impotentiae forte superventurae periculo, esse existimat (*a*). Res tamen ex circumstantiis et ex mente voventis definienda videtur.

(*a*) Hanc sententiam S. Alphonsus (*n. 221. in fin.*) tribuit etiam S. Antonino, scilicet moram non esse mortalem, nisi *quando fit dilatio per longa tempora, et ex ipsa dilatione est periculum oblivionis vel impotentiae implendi.* Et sane, ut bene arguit Tamburini (*Decal. Lib. 3. Cap. 12. §. 3. n. 11.*), nemo, cum dat totum, quod promisit, et dilatione nullum creditori damnum, ex promissione sua praecavendum, infert, condemnandus de gravi iniuria videtur, sed de levi solum negligentia. Atqui in casu ita se res habet. Merito igitur Sporer (apud eund. S. Alphons.) probabilem dicit S. Antonini doctrinam; nec ullum, praeter externam aliquam auctoritatem, pondus rationum militat pro opposita, quam primus omnium protulisse videtur Palaus (*De Vot. Disp. 1. Punct. 13. n. 7.*), suam hanc de *gravi duorum aut trium annorum dilatione* opinionem coniectando depromens. Haec tamen non sunt transferenda ad votum, in quo dilatio promissam materiam imminuat, v. gr. si quis vitam religiosam voverit; qua de re diversas DD. sententias videre licet apud S. Alphonsum (*l. c.*). Et huc maxime spectat, quod habet A., *rem ex circumstantiis et ex mente voventis definiendam esse.*

**Interrogant hic VV. (*Pag. 919-920. in Not.*), num Auctor Notae huius oblitus sit effata S. Scripturae, ubi legitur (*Eccle. 5-3.*): *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere;* et (*Deut. 23-21*): *Cum votum voveris..., non tardabis reddere* etc. — Resp. Num oblitus haec effata erat et S. Antoninus, cum scripsit, *non esse moram mortalem nisi quando fit dilatio per longa tempora, et ex ipsa dilatione est periculum oblivionis vel impotentiae implendi,* prout refert etiam S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 221.*)? Contra Ss. Litteras utique affirmaret quispiam, eiusmodi dilationem esse laudabilem. Sed in praesenti non est quaestio, utrum id laudabile sit, sed *utrum sit peccatum mortale.* Quidam affirmarunt; quidam negarunt; et utique suam quisque opinionem censuit probabiliorem. Quid ergo? Revocetur canon, quem toties S. Alphonsus inculcat, *non esse damnandum de mortali, nisi quod certa et evidenti ratione mortale esse constat.*

Primus, ut videtur, affirmantis opinionis auctor Palaus coniectando scripsit: Censerem *dilationem duorum vel trium annorum esse notabilem. Nam licet res promissa exequenda sit, eius tamen executionem tanto tempore contra voluntatem Dei creditoris differre, gravem deordinationem continet; quod probari potest ex dilatione debiti hominibus promissi; quod nullus negabit gravem culpam constituere.*

Ita Palaus, et, ut dixi, *incerte coniectando*, ut patet vel ex sola illa haesitatione *inter duos et tres annos,* quasi leve quid sit unius anni discrimen.

Palai autem argumento alius respondere poterit 1° Nego paritatem cum creditore humano; hic enim indigere et pati damnum ex dilatione potest: non item Deus.

2° Nego, *gravem in casu iniuriam fieri homini.* Si enim tempus non determinasti, et promittendo dixisti Petro: *hic annulus, hoc horologium, hoc palatium tuum a me erit*, nullam omnino iniuriam, neque gravem neque levem illi affers, etiamsi ad horam mortis tuae executionem distuleris.

3° Nego, *dilationem contingere contra voluntatem Dei creditoris.* Nam Deus, qua creditor, nihil exigit, quam quod voto debetur. Nihil autem debetur ex voto praeter id, ad quod se quis propria voluntate obligavit, quia votum est lex, quam quis sibimet imponit. Atqui eo ipso quod vovens tempus non determinat, ad tempus aliquod determinatum semet arctare non vo

328. **Resolves.** — 1° Vota realia de suo solvenda sunt; qui autem nequit de suo solvere, non tenetur ab alio mendicare, ut satisfacere possit. Satisfacit tamen, si alius sive rogatus, sive sponte pro ipso solvere velit, quamvis ipse satisfacere queat; quia quod dat alter, accedente voventis consensu vel ratificatione, fit ipsius proprium. Excipe, si materia voti realis fuerit determinata; tunc enim ea in *individuo* eroganda est (*a*). — *S. Lig. n. 217., cum Busemb.*

2° Vota personalia impleri possunt tantum ab ipso vovente, nec ad heredes transeunt. Hinc qui vovit peregrinationem, non satisfacit, alium ad eam inducendo (*b*).

3° Votum indeterminatum quoad temporis cessationem, v. gr. de rosario diurno, aut ieiunio singulis sabbatis faciendo, obligat perpetuo, nisi aliud ex circumstantiis colligatur. In dubio an votum sit temporaneum vel perpetuum, aut pro mense vel anno, minimum tenendum est. — *S. Lig. n. 221.*

4° Qui vovit aliquid sine certa quantitate, v. gr. eleemosynam, pecuniam, etc..., satisfacit dando id quod voluerit, modo non tam parum tribuat, ut videatur potius Deo illudere, quam votum adimplere.

5° Qui vovit audire Sacrum per mensem vel annum, *probabilius* non tenetur in festis audire duo Sacra, nisi explicite hoc voverit; quia finis voti est, ut singulis diebus fructum sacrificii colligat. Item non tenetur ieiunare die Dominica, qui per mensem, annum, vel totam vitam ieiunare vovit, nisi expresse ad id sese obligaverit; quia censetur vovere ieiunium iuxta morem Ecclesiae. — *S. Lig. n. 224.* (*c*).

luit, sed solum ad rem aliquo tandem tempore exhibendam. Ergo Deus, qua creditor, hoc vel illud tempus non exigit.

Caeterum huic Palai supellectili nemo quidpiam ulterius superaddidit.

(*a*) Intellige, quando peculiaris ratio movit ad rem hanc in individuo vovendam. Secus enim voto satisfiet, si vel ipse vovens vel alius aut parem aut aequivalentem rem tribuat.

(*b*) Eo ipso non tenetur alium sibi substituere; nisi tamen ex voto prorsus in se ita onus aliquod assumpserit, ut grave sequatur incommodum, si aut per se aut per alium illud non impleat.

** (*c*) S. Alphonsus eodem *n. 224. Lib. 3.* resolutionem habet a Salmanticensibus compendiatim sumptam, quae nunc aegre admittenda forte videbitur. Scribit enim: *Si vovens ieiunium, comedit carnes, non tenetur ad ieiunium: ad differentiam ieiunii praecepti ab Ecclesia, quae duplici praecepto imponit et ieiunium et abstinentiam a carnibus iuxta Salmanticenses* (*Cap. 1. n. 137. Tr. 17.*) *cum Sanchez, Azor, Silvest.* etc., et *prout declaravit regnans Pontifex Bened. XIV. Vid. Lib. 3. n. 1013.* Quinimo compendiosissima haec brevitas effecit, ut S. Doctor ne Salmanticensium quidem sat clare sententiam exhibuerit.

Nam Salmanticenses (*l. c.*) uti certum principium praestituunt, *eum qui voto promisit ieiunium, teneri illud observare eo modo, quo alia ieiunia ab Ecclesia praecepta.* Deinde vero iuxta opinionem tunc temporis satis receptam, ieiunii essentiam in unica comestione et abstinentia a carnibus individue ita consistere, ut alterutra sublata nullatenus servaretur ieiunii substantia, hanc subdunt resolutionem: *Qui iam fregit ieiunium, per votum*

6° Qui vovit ieiunium in vigilia alicuius Sancti, si haec in diem Dominicam incidat, die sabbati, iuxta morem Ecclesiae, votum adimplere potest. — *S. Lig. ibid.* — *V. Casus, n. 312. et seq.*

ARTICULUS III.

DE CESSATIONE VOTI

329. — Obligatio voti cessare potest

1° Ob causas intrinsecas, scilicet cessatione finis seu causae motivae, mutatione substantiali materiae, et impossibilitate sive physica, sive morali, ut de legibus supra dictum est, *n. 121.*

2° Ob causas extrinsecas, scilicet irritatione, dispensatione, et commutatione, de quibus singillatim dicendum venit.

promissum, esu carnium, aut repetita comestione, non amplius ad illud tenetur, et potest amplius comedere, quia illi iam est impossibile ieiunium observare. Laymann, Palaus. Et hinc quidem S. Alphonsus suam illam sententiam deduxit, inquiens: *Si vovens ieiunium, comedit carnes, non tenetur ad ieiunium.*

Quod vero addit S. Alphonsus *de duplici praecepto* etc., ad resolutionem penitus diversam pertinet, quam Salmanticenses ex Laymann et Sanchez, sed minus clare et exacte sumpserunt. *Imo* (aiunt) *qui semel per comestionem carnium ieiunium fregit, non peccat postea carnes comedendo, sed solum in illa prima carnium comestione; quia in ieiunio per votum promisso abstinentia a carnibus est accessorium; et sic fracto ieiunio, non amplius obligat, quia, deficiente principali, deficit accessorium.* Mox autem addunt: *Dispar est ratio in lege ecclesiastica, in qua duplici praecepto praecipitur ieiunium et abstinentia a carnibus; et sic potest unum ab alio separari; proindeque qui fregit ieiunium, tenetur abstinere a carnibus, quia fracto uno praecepto, remanet aliud; quod in praesenti* (ieiunio scil. per votum promisso) *non accidit.* Dixi, *minus clare* haec ibi proponi. Debuissent nimirum cum Laymann et Sanchez dicere: qua die Ecclesia praecipit ieiunium, simul abstinentiam a carnibus praecipit tum ieiunantibus, tum non ieiunantibus; ergo si ea die quis esu carnium fregit ieiunium, licet impossibile sit ipsi ieiunium servare, peccat tamen, si iterum carnes manducet; quia Ecclesia etiam non ieiunantibus abstinentiam praecipit ab esu carnium. Porro nimis difficile est hanc resolutionem et haec sensa cernere in S. Alphonsi verbis, quae supra sunt descripta.

Quidquid vero de hoc sit, aegre omnino admitti nunc posset prior illa S. Alphonsi resolutio, nempe: *Si vovens ieiunium, comedit carnes, non tenetur ad ieiunium.* Praestituto enim illo principio, quod omnibus commune est, *ieiunia votiva* (nisi aliter vovens promissionem suam restrinxerit) *servanda eo more esse, quo ieiunia praecepta ab Ecclesia,* profecto postquam Benedictus XIV, ab ipso S. Alphonso allegatus, declaravit, dividuam esse ieiunii materiam seu substantiam, adeo ut ad unicam comestionem teneantur illi quoque, qui utcumque, sive culpate sive inculpate carnes manducaverint, sustineri iam amplius non potest, eum, qui voverit ieiunium, si carnes comederit, ad ieiunium nullo modo teneri. Melius post Apostolicae Sedis declarationes dicendum est, eiusmodi voventem, siquidem ea die finiebatur obligatio voti, saltem ad unicam comestionem servandam teneri; si vero obligatio illi diei non erat affixa, et ideo ea die non finiebatur, illum ad ieiunandum alia die obligatum manere.

§. I. *De irritatione votorum.*

Definitio. Irritatio voti est eius annullatio vel suspensio facta ab eo, cuius potestati subest voluntas voventis, aut materia voti.

Divisio. Est 1° *directa,* si cadat *directe* in personam seu in voluntatem voventis; 2° *indirecta,* si cadat tantum in voti materiam (*a*).

330. **Principia.** — I. Omnis Superior potestate dominativa in voluntatem alterius praeditus (ut Superior Regularis vi voti obedientiae) potest omnia subditorum vota directe irritare; nec semel irritata reviviscunt unquam. Vota igitur inferiorum, quorum voluntas, vi status sui, perfecte Superiori subiacet, semper hanc tacitam involvunt conditionem: *nisi Superior repugnaverit.*

Hinc vota particularia Regularium et Monialium irritari possunt, 1° a summo Pontifice ceu supremo omnium Regularium Praelato; 2° a Superioribus Ordinis vel domus (*b*); 3° ab Episcopo proprio, si Ordines ab eius iurisdictione non sint exempti. — *S. Lig. n. 227.*

II. Omnis Superior vel dominus irritare potest indirecte omnia subditorum vota in iis, in quibus laeditur ipsius potestas; quia quisque ius habet, ne in rebus suo dominio subiectis laedatur; sed vota haec reviviscunt, quando sine alterius praeiudicio adimpleri possint. — *V. Casus, n. 328.*

(*a*) In posteriori hoc casu meram voti suspensionem, in priori autem habes voti annihilationem.

(*b*) Hoc censu comprehendi etiam Abbatissas, vi nempe obedientiae, qua ipsis ex voto subiiciuntur Moniales, probat Suarez (*De Relig. Tr. 6. Lib. 6. Cap. 7. n. 10.*).

Caeterum DD. omnes hic excipiunt votum transeundi ad Religionem strictiorem; quod a Praelato Religioso posse irritari negant ex Cap. *Licet 18. De Regular.* Imo censet S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 233.*), ne ab ipso quidem summo Pontifice, prouti supremus est Religiosi Ordinis Praelatus, irritari tale votum posse, licet ab ipso non solum Papa, sed et Praelatus Regularis possit dispensare.

** Quaerunt hic DD., an Superior irritare possit vota, si dubium sit, num subditus ante professionem ea emiserit, an vero post. Negativam sententiam amplectitur S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 237.*) contra Suarez, Sanchez, Bonac., etc., qui affirmativam tenent. Et quidem quaestio inutilis videri potest, cum vi professionis praecedentia vota facto ipso extinguantur, ut dicitur *C. Scripturae 4. De Voto: Reus fracti voti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur Religionis observantiam commutare.* Verum inutilis reipsa non est quaestio, quia potest quis a statu religioso deficere, ac proinde reviviscere possunt praecedentia vota. Et sane in Constitutionibus Soc. Iesu cautum est, ut si Scholasticus dimittatur, atque adeo auctoritate Praepositi Gen. auferantur vota simplicia, quibus se in Religione obstrinxerat, ipsi simul declaretur, reviviscere exinde obligationes votorum, si quas habebat, cum Religionem ingressus est, aut vota Religionis emisit. Quid itaque ad propositam quaestionem? Resp. Cum Suarez, et Sanchez, aliique rationem pro opposita opinione a S. Alphonso allatam praeoccupaverint, ac sufficienter solverint, tuto eorum sententia teneri posse videtur.

Hinc 1° Maritus irritare potest vota uxoris, quae iuri coniugali, filiorum educationi, vel domus gubernationi praeiudicant.

2° Uxor irritare potest vota mariti, quae matrimonii iura laedunt, ut votum castitatis, longae peregrinationis, induendi habitum eremitae, etc.

3° Herus potest irritare seu suspendere vota famulorum, quae obsequium debitum impediunt vel minuunt, ut votum quotidie Missam audiendi. — *S. Lig. n. 241. et seq.*

III. Omnia vota impuberum, etiam castitatis et Religionis, possunt directe irritari a paterna potestate. Constat ex Iure canonico, *c. Puella, causa 20., qu. 2., c. 2.* (*a*).

Hinc vota impuberum directe irritari possunt a patre, et patris defectu, ab avo paterno, a tutore, et, his deficientibus, a matre, et *probabiliter* etiam praesente patre (*b*) vel tutore. — *S. Lig. n. 229. 230. — V. Casus, n. 330.*

331. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An maritus possit irritare omnia vota uxoris?*

Resp. Controvertitur. Alii *negant,* et dicunt maritum posse tantum irritare *indirecte* ea vota, quae iuribus suis obstant. Quoad alia enim uxor non est subiecta. — *Ita Voit, n. 600. — Laymann,* etc. — Melius tamen alii cum *S. Thoma* (*c*), et *S. Lig. n. 234.,* marito ius tribuunt irritandi etiam *directe* vota stante matrimonio emissa.

Quaer. 2° *An pater directe possit irritare vota filiorum puberum emissa ante pubertatem?*

Resp. Affirm., modo filii pubertatem adepti ea non confirmaverint; imo probabiliter etiamsi illa ratihabuerint, nescientes irritabilia esse. — *S. Lig. n. 238. cum aliis* (*d*).

(*a*) Facultas tamen irritandi directe vota eorum, in quorum voluntatem quis dominativam potestatem habet, non a solo iure positivo, sed etiam a naturali repetenda est, ut advertit S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 227.*). Vide de his Suarez (*De Relig. Tract. 6. Lib. 6. Cap. 6-7.*), ubi quoad vota filiorum observat, iuri positivo deberi, quod paterna haec potestas ad omnia et sola vota ante pubertatem emissa sese porrigat.

(*b*) Limitat tamen S. Alphonsus, quod *potest pater irritare vota filiorum, contradicente matre; sed non sic mater, contradicente patre.*

Eadem facultas, ubi alii desint, tribui solet magistro cum discipulo, et hero cum servo parvulo. *Vid. Suarez, De Relig. Tr. 6. Lib. 6. Cap. 6. n. 23.*

(*c*) S. Thomas (*2. 2. q. 88. art. 8. ad 3.*): *Nullum votum Religiosi est firmum, nisi de consensu Praelati, sicut nec votum puellae existentis in domo, nisi sit de consensu patris, nec uxoris, nisi sit de consensu viri.*

(*d*) Haec quaestio latius extendi debet ad vota quaelibet emissa tempore *subiectionis,* quaecumque demum sit subiectionis ratio. Ad eam autem solvendam prodest duplex generalis regula a Sanchezio (*In Decal. Lib. 4. Cap. 30. n. 7-8.*) proposita: *Prior est: Quando potestas Superioris, cuius tempore votum emissum est, non est omnino extincta aut omnino suspensa, sed quoad aliqua manet, potest irritare votum subiectionis suae tempore emissum, etsi illud iam transierit; dummodo eo transacto non sit denuo confirmatum* (intellige, confirmatum cum scientia infirmitatis voti tempore subiectionis emissi, ut etiam A. innuit). *Posterior regula est: Quan-*

QUAER. 3° *An possit fieri irritatio sine causa?*

Resp. Affirm. quoad validitatem, quia dominus valide disponit de re sua; sed *Neg.* quoad liceitatem, quia irrationabiliter impeditur profectus spiritualis subditi, etc. Non tamen id communiter (*a*) peccatum veniale excedit. — *S. Lig. et alii communiter.*

QUAER. 4° *An Superior irritare possit vota a se ratihabita?*

Resp. Affirm., quia nequit sibi adimere potestatem, quam in subditos habet. — *S. Lig. n. 239.* (*b*). — *V. Casus, n. 326. et seq. ad 331.*

do ea Superioris potestas est omnino extincta aut omnino suspensa, nequit irritare ea vota. Plures quaestiones ope utriusque regulae solutas, vide apud eundem Sanchezium tum *Cap. cit.*, tum *De Matrim. Lib. 9. Disp. 41. n. 3.*

(*a*) Dicitur *communiter,* 1° quia graviter peccaret, qui aut ex prava intentione aut cum gravi subditi nocumento vota irritaret, ut notat Suarez (*De Relig. Tr. 6. Lib. 6. Cap. 1. n. 10.*); ita, v. gr. si pater id faceret ex odio seu invidia profectus spiritualis filiorum, aut ex contemptu religionis; 2° quia (ait S. Alphonsus *Lib. 3. n. 228.*) *de se loquendo verius est, nullum esse peccatum, quia vota subditorum sub conditione consensus Superiorum emittuntur; unde obedientia pro causa sufficit..... dixi* de se loquendo; *quia difficulter aliunde poterit excusari a veniali, vel quia facit actum otiosum, vel quia irrationabiliter profectum alterius impedit.... Sufficit vero quaevis causa rationabilis ad excusandum a veniali.*

Qua de re bene Suarez (*l. c.*): *Considerandum, an irritandi potestas data sit in bonum voventis, uti Praelato Religioso, an in commodum irritantis, ut domino respectu servi, an intuitu utriusque, ut patri respectu filii. Si primum, ut licite irritatio fiat, opus est, ut haec censeatur utilis aut voventi, aut Religioni, aut quod pensatis omnibus censeatur maius Dei obsequium.... Si secundum, nullum erit peccatum id facere intuitu proprii commodi, quia dominus utitur re omnino sua..., et solum oportet, ut adsit finis honestus, et insuper ne fiat contra charitatem, quae etiam servo debetur..... Si tertium, idem dicito ac in secundo: nisi quod maiori obligatione pater tenetur consulere bono filiorum, aut vir uxoris, ut bene sua potestate utatur.*

(*b*) Idcirco non solum valide, sed etiam licite eiusmodi vota irritat, si qua causa rationabilis adsit. Qua de re monet Suarez (*De Relig. Tr. 6. Lib. 6. Cap. 7. n. 16.*), ad irritandum *sufficere minorem causam, quam ad dispensandum.* Unde *ex omnium sententia* infert, subditum, qui petat a suo Praelato irritationem voti, quando non habet causam, quae ad iustam dispensationem sufficiat, *non peccare, quia* (inquit) *utitur iure suo. Item quia votum non fuit absolutum, sed conditionatum, et per illud non se obligavit ad cavendum, ne conditio impediretur, vel ad non praecavendum, ut non poneretur, ut constat ex communi modo vovendi.... Item non est peccatum, se ostendere propensum ad irritationem; quia hoc neque est contra votum, neque contra aliud praeceptum... Tandem qui sentit onera Religionis, sine peccato potest frui commodis illius. Ergo qui se subiecit potestati Superioris, ut ab illo onera recipiat, non peccat procurando licitis mediis aliquod levamen per eiusdem potestatem. Sicut ergo non peccat Praelatus irritando, ita nec subditus petendo.*

Si vero nulla rationabilis adsit causa, communis est sententia, subditum non carere peccato. Sed probabilius levis habenda est culpa (Vid. S. Alphons. *Lib. 3. n. 239.*), et rationes inspice apud Suarez *l. c. Cap. 4. n. 22.*, ubi agit de marito vota uxoris irritante.

Ex praeiactis autem principiis (nempe 1° de potestate viri directe ir-

Contra vero, ut recte habet Busembaum, *qui semel votum irritavit, si postea nolit, non ideo votum revalidatur. Vide Sa (v. Irritatio voti)* (a). — Ratio vero est, quia per irritationem votum extinguitur. Ut extinctum autem reviviscat, nihil confert poenitentia Superioris, qui irritavit, sed requiritur subditi voluntas, qui se iterum voto obliget.

§. II. *De dispensatione votorum.*

Dispensatio voti est absoluta eius condonatio nomine Dei a Superiore legitimo facta.

332. **Principia.** — I. Ecclesia habet veram potestatem dispensandi in votis, sicut et in iuramentis. Constat ex verbis Christi, *Matth. 16. 19: Quodcumque solveris*, etc.; — et ex praxi constanti Ecclesiae. — *Communis.*

II. Soli Praelati, quibus iurisdictio in foro externo data est (b), a votis dispensare possunt, quia haec potestas pertinet ad externam

ritandi vota uxoris, 2° de potestate uxoris indirecte irritandi vota mariti, 3° de potestate irritandi vota etiam a se approbata seu ratihabita) facile concluditur, posse coniuges etiam continentiae votum mutuo consensu emissum invicem irritare. Nam 1° nihil vetat, quominus uxor petat a viro irritationem voti a se emissi, idque vir praestet; 2° nihil item prohibet, quominus uxor voto soluta indirecte votum mariti irritet; 3° nihil demum impedit, quominus ambo voto soluti ius in alterius corpus, cui cesserant invicem ex pacto, rursus invicem sibi restituant. Et hinc patet, cur S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 239.*) dixerit, se certam rationem non invenire, cur hanc sententiam damnet, licet oppositae ceu communiori adhaeserit. Verum cum plerique ex hisce Auctoribus in illam opinionem venerint ducti principiis, quae ne S. Alphonsus quidem admittit, patet externam hanc auctoritatem obstare non posse, quominus praemissam sententiam quis tuto sequatur.

** (a) In textu Busembaum apud S. Alphonsum (*Lib. 3. n. 236.*) non legitur *Vid. Sa*, sed, *ut vult Sa;* quod insinuat, Emmanuelem Sa sensisse cum paucis illis, quos Salmanticenses a S. Alphonso allegati, stare contra doctrinam in textu expositam dicunt. At non ita se res habet. Nam Sa (*l. c. n. 4.*) ita docet: *Irritans votum, si postea consentiat, non ideo revalidat.* Et rursus (*n. 3.*): *Votum impuberis de faciendo aliquid tempore libertatis, semel irritatum, non reviviscit.*

S. Alphonsus verbis Busembaum (*l. c.*) subiicit: *Sic Salmanticenses Cap. 3. n. 70. cum Soto etc. contra aliquos.* At Salmanticenses habent hoc loco aliquid prorsus singulare. *Hanc assertionem* (aiunt) *statuimus contra aliquos, qui, quoad hoc, discrimen ponunt inter vota, quae a patre vel Praelato irritantur, et ea, quae a marito respectu uxoris, vel a domino respectu servi.* Porro doctrinam de potestate domini respectu servi, prouti eam Salmanticenses tradunt (*ibid. n. 62.*), quasi nempe vota *servi puberis directe* irritare possit, nemo adhuc admisit. Quocirca perperam (*ibid. n. 70.*) pro se Sanchesium allegant aliosque, qui non de *servi*, sed utique de *uxoris* votis id docent.

(b) Intellige, *iure proprio et ordinario;* nam alii quoque, licet nulla polleant in foro externo iurisdictione, *ex privilegio* hanc potestatem habent, ut v. gr. *Regulares Mendicantes.*

Ecclesiae gubernationem, sicut potestas ferendi leges et censuras. Hinc solus Papa dispensare potest a votis pro tota Ecclesia (*a*); Episcopi autem vel Praelati regulares pro subditis tantum (*b*) respectivis, et solum in votis Papae non reservatis. — *S. Lig. n. 256.*

III. Ad validitatem dispensationis semper iusta causa requiritur, quia cum vota soli Deo fiant, homo nequit ab iis dispensare nisi tanquam delegatus; sed delegatus nequit dispensare valide sine iusta causa, ut de legibus dictum est. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 250.*

333. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quaenam sint iustae causae huius dispensationis?*

Resp. Bonum Ecclesiae, societatis, familiae, et eius etiam qui voto obstrictus est, v. gr. si scrupulis, vel gravibus tentationibus, voti causa, opprimatur; si difficultatem notabilem in voto adimplendo experiatur, si actus vovendi non fuit perfecte deliberatus (*c*), etc... — *S. Lig. n. 252.*

(*a*) Etiam a votis solemnibus. *Vid. S. Alphons. Lib. 3. n. 256.*

(*b*) Potestne Episcopus in votis dispensare etiam cum peregrinis? S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 158.*) quatuor promit sententias. Cuius dissensionis ratio esse videtur, 1° quod DD. non consentiant, an peregrinus fiat subditus; 2° et rursus dissentiunt, undenam repetenda sit potestas aliqua ad dispensandum cum peregrinis: cui dissensioni aliud accedit incommodum, allegationum scilicet, quas abs re congestas etiam apud S. Alphonsum reperire est.

Caeterum quatuor illae sententiae facile ad duas reducuntur. Nam prima absolute hanc facultatem Episcopis tribuit; tres reliquae in eo conveniunt, ut negent, nisi peregrinus subditus fiat per domicilium aut quasi domicilium, idest nisi peregrinus desinat esse peregrinus. Primam, utut inanibus rationibus, defendit Pontius, cui perperam adiungitur Tanner: alteram plerique omnes; e quibus tamen Suarez (*De Relig. Tr. 6. Lib. 6. Cap. 11. n. 11.*) censet, posse Episcopum, gravi urgente necessitate spirituali, sin minus dispensare, saltem suspendere voti obligationem ad dies aliquot, quousque peregrinis a proprio iudice consuli queat.

De quibus duo occurrunt notanda. 1° Cum Regulares ex privilegio speciali dispensare possint in votis ac iuramentis illorum, quorum excipere possunt confessiones, ideo ubi opus sit, ad ipsos tuto recurri etiam a peregrinis posset. Ita ex communi sententia etiam Barbosa (*De Offic. Episc. Part. 2. Alleg. 36. n. 15.*). 2° Nihil certi et solidi de eiusmodi quaestionibus concludi unquam poterit, nisi inquiratur diligentius, utrum et quousque iurisdictio aliqua exerceri possit in eos, qui subditi non sunt, atque adeo circa quos nulla inest *ordinaria* potestas. Qua de re mirum sane, quantum theologi quidam, recentiores praesertim, a trita veterum via aberrantes, totam hanc materiam inextricabilibus nodis implicaverint. Sed haec commodius *ad Tractatum de Poenitentia,* ubi de potestate absolvendi peregrinos, reservantur.

(*c*) De hac re ita S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 253.*): *Etiamsi absit periculum transgressionis et magna difficultas in executione, sufficit pro causa, quod votum emissum sit immature, scilicet cum nimia facilitate, vel ex imperfecta deliberatione, vel sine perfecta libertate.... Ob hanc rationem vota impuberum sine alia causa possunt absolute dispensari sine aliqua commutatione... Idem dicendum est, si votum sit emissum ob metum levem incussum ab extrinseco.... Idem, quando imperfecta deliberatio aut libertas in vovendo processit ex tristitia, sive ira, sive metu intrinseco*

Quaer. 2° *An Superior possit dispensare in votis ad utilitatem proximi factis?*

Resp. Affirm., si votum non fuerit acceptatum a proximo. Secus *Neg.*, quia tunc intercedit obligatio contractus. — *S. Lig. n. 254.* (*a*).

Quaer. 3° *Quaenam sint vota Papae reservata?*

Resp. Praeter vota emissa in Communitate religiosa, Papae reservantur 1° votum castitatis perfectae et perpetuae, non vero votum virginitatis tantum (*b*); 2° votum ingrediendi Religionem ab Ecclesia approbatam; 3° votum peregrinationis Hierosolymitanae ad sepulchrum Christi; 4° votum peregrinationis Romanae ad limina Apostolorum; 5° votum peregrinationis Compostellanae ad S. Iacobum. Haec autem non sunt reservata, nisi sint absoluta, determinata, perfecta ratione materiae et libertatis. Hinc non sunt reservata vota disiunctiva, poenalia, conditionata, etiam *probabilius* adimpleta conditione; quia votum, ut sit reservatum, procedere debet ex solo et perfecto ad rem promissam affectu. — *S. Lig. n. 258.* (*c*).

Quaer. 4° *An Episcopus possit dispensare coniugem a voto castitatis perpetuae tum ante, tum post matrimonium emisso, in ordine ad debitum petendum?*

Resp. Affirm., iuxta sententiam communem, contra nonnullos;

naufragii, mortis, vel alterius mali, quia tunc immature vota fieri solent, et ideo possunt dispensari sine commutatione. Si autem constaret, tunc maturam adfuisse deliberationem, tunc dispensationi admisceatur aliqua commutatio.

Ad quaestionem autem, quam movet S. Alphons. (*l. c. n. 251.*), *An valeat dispensatio, si bona fide credatur adesse iustam causam, quae revera non adsit,* responde distinguendo iuxta ea, quae in Tract. de Legibus traduntur: scilicet valebit, si error contigit circa *sufficientiam causae,* quae reipsa aliqualis adsit; non valebit, si error sit circa *existentiam alicuius causae,* quando nulla existat.

(*a*) Hoc intellige, si promissio solum aut potissimum in favorem tertii facta fuerit. Nam si promissio sit *gratuita*, et votum principaliter fiat in honorem Dei, ex probabili plurium sententia (apud S. Alphons. *Lib. 3. n. 255.*) etiam sine consensu tertii, qui illud acceptaverit, commutari aut dispensari posset. Ratio est, quia (ut ait S. Alphons.) promissio quamvis fiat personae particulari, fit tamen propter Deum. Deus igitur est tota promissionis causa, et per accidens se habet, quod acceptata sit ab illo tertio, qui, si quid iuris acquisivit, non acquisivit tamen nisi dependenter a beneplacito Dei, cui servanda promissio est.

Dixi, *si promissio sit gratuita;* si enim sit onerosa, cuiusmodi est, v. gr. votum perseverantiae in quibusdam Regularium Congregationibus, quae votum acceptando se invicem ad tirones sustentandos, instruendos, et non dimittendos sine iusta causa obligant, hoc sine consensu eorum, quorum interest, nec commutari nec dispensari potest, prouti sanxit etiam Benedictus XIV Const. *Convocatis,* 25. Nov. 1749. §. 32., et Const. *Inter praeteritos,* 3. Dec. 1749. §. 66.

(*b*) Nimirum si intelligatur mera carnis integritas; secus, si abstinentia ab omni actu venereo et omni etiam actu interno contra eandem virtutem, uti communius fideles eiusmodi votum accipere consuescunt.

(*c*) Licet facultas dispensandi a iuramento aequiparari imo et associari

quia dispensare potest ab omni impedimento exercitium actus coniugalis impediente. — *S. Lig. n. 258., et lib. 6. n. 986. 987.* (*a*). — *V. Casus, n. 332. et seq.*

§. III. *De commutatione votorum.*

334. — Commutatio voti est substitutio alicuius operis loco promissi. Fieri potest triplici modo, scilicet in bonum melius, in aequale, in minus.

Principia. — I. Quicumque habet potestatem etiam simpliciter delegatam dispensandi a votis, habet eo ipso facultatem ea commutandi; qui enim potest plus, potest etiam minus in eodem genere. — Non autem vicissim, quia maior potestas in minore non continetur. — *S. Lig. n. 246.*

II. Quisque potest privata auctoritate, et sine causa speciali, votum suum commutare in opus evidenter melius, modo id Ecclesia in casu particulari non prohibuerit; quia dum quis peragit opus re promissa perfectius, eo ipso id servat quod promiserat, cum perfectum in perfectiori includatur. Constat insuper ex Iure can. *c. 3. de Iureiurando.* Melius autem censetur, quod ad maiorem utilitatem spiritualem voventis, ac maius Dei obsequium conducit. Excipe tamen vota Papae reservata, nisi mutatio fiat in statum religiosum. — *S. Lig. n. 243.*

III. Qui votum emisit, illud in bonum minus propria auctoritate commutare nequit; debet enim Deo dare, quidquid promisit. — *Ita omnes.* — Utrum vero possit mutare votum suum in bonum aequale, *controvertitur.* Communiter tamen conveniunt Doctores, id licere, si mutatio fiat in bonum certe aequale, aut probabiliter melius, licet ad cavendum hallucinationis periculum semper expediat, ut haec de consilio Confessarii fiant.

IV. Sacerdos delegatus ad vota mere commutanda, ea in opus notabiliter minus commutare nequit; quia secus magna ex parte dispensaret, et sic acceptam facultatem excederet. Attamen facultas vota commutandi non adeo stricte est interpretanda, ut ad opus omnino aequale coarctetur, sed latiori sensu accipienda est, adeo ut ad opus aliquanto minus sese porrigat; secus enim innumeris difficultatibus et scrupulis obnoxia foret, cum difficillimum sit ae-

soleat facultati dispensandi a voto; tamen, ut advertit S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 259.*), merum castitatis, Religionis, etc. iuramentum non est reservatum. Dixi, *merum* iuramentum, quod scilicet quis emittit ad confirmandum propositum, non autem ad confirmandum votum; quamquam etiam in posteriori hypothesi reservatum esset quidem votum, non tamen additum iuramentum.

(*a*) Id ipsum posse Confessarios quoque Mendicantes S. Alphonsus tradit utroque loco ab A. allegato, et quidem *tum intra tum extra confessionem,* ut idem S. Alphonsus iuxta sententiam communem habet *l. c. n. 257.*

qualitatem invenire in rebus omnino disparatis. Insuper commutatio fere debet in allevationem eius fieri, qui sese voto obstrinxit. — *S. Lig. ibid.*, etc.

335. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An requiratur causa aliqua ad votum in opus aequale, vel paulo minus commutandum?*

Resp. 1° *Affirm.* quoad *liceitatem,* quia secus delegatus prodige commutaret, in vanum potestate commutandi utendo.

Resp. 2° *Probabiliter* etiam *affirm.* quoad *validitatem,* quia delegatus sine causa commutans, limites suae potestatis videtur excedere. Attamen sententiam oppositam aeque *probabilem* dicit *S. Lig. n. 245*. Minor tamen requiritur causa ad commutandum, quam ad dispensandum; et rursus minor requiritur ad commutandum in aequale, quam in minus: sufficit enim maior personae propensio, vel minus periculum votum transgrediendi. — *S. Lig. n. 244.*

QUAER. 2° *An, facta commutatione, liceat redire ad primum opus?*

Resp. 1° *Affirm.,* si commutatio facta fuerit in minus vel aequale, quia primum opus est aeque gratum Deo, imo et gratius videtur. — *Ita communiter.*

Resp. 2° *Affirm. probabilius,* etiamsi facta fuerit in melius, quia commutatio fit in favorem voventis. — *S. Lig. n. 248.*

336. — QUAER. 3° *An debeas redire ad primum opus, si secundum fiat impossibile?*

Resp. 1° *Neg.,* si mutatio facta sit alterius auctoritate, etiamsi tua culpa impossibile fieret; quia prior obligatio per commutationem ipsam dissoluta est.

Resp. 2° *Affirm.,* si pro tuo arbitrio commutationem feceris, quia tunc non dissolvitur prior obligatio, sed tantum suppleri supponitur per aequalem aut meliorem. — *Ita communissime.* — *S. Lig. n. 249.*

QUAER. 4° *An, commutato voto reservato, etiam materia subrogata reservata maneat?*

Resp. Neg. probabilius, quia materia illa, quae substituitur, non est *per se* reservata, quamvis idem vinculum voti habeat. — *S. Lig. n. 260., et alii communiter.* — *V. Casus, n. 337. et seq.*

Caeterum sedulo adhortandi sunt fideles, praesertim mulieres et adolescentes, ut nunquam vota emittant nisi de consilio vel approbatione Confessarii; praesertim si de voto castitatis agatur. Confessarius autem veniam seu consilium emittendi votum perpetuae castitatis nonnisi difficillime et personis diu probatis atque maturis aetate concedere debet.

DE III. DECALOGI PRAECEPTO

Memento ut diem sabbati sanctifices. Exod. 20. 8.

337. — Tertium Decalogi praeceptum naturale est, quatenus praecipit, ut aliquod tempus publico divino cultui dedicetur; quatenus vero determinate designat diem sabbati, caeremoniale est, et in lege nova abrogatum; siquidem pro die sabbati Ecclesia diem Dominicam in memoriam resurrectionis Domini nostri Iesu Christi substituit.

Praeter diem Dominicam Ecclesia instituit alios dies festos ad recolenda Redemptionis nostrae beneficia, vel Sanctorum merita et exempla, mandatque ut illi, non secus ac dies Dominica, sanctificentur.

Hoc praeceptum quatenus affirmativum est, quaedam opera praecipit, et quatenus negativum, quaedam alia prohibet (*a*); hinc caput duplex.

CAPUT I.

DE IIS QUAE DIEBUS FESTIS PRAECIPIUNTUR

ARTICULUS I.

DE IIS QUAE GENERATIM DIEBUS FESTIS PRAESTANDA SUNT

338. **Principia.** — I. Omnes fideles usum rationis habentes tenentur *sub gravi* singulis Dominicis et festis diebus interesse Sa-

** (*a*) Ad quaestionem, *an hoc praeceptum sit affirmativum, aut negativum,* S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 264.*) post Salmanticenses (*Tr. 23. C. 1. n. 14-15.*) respondet, *esse affirmativum, dum non obligat semper et ad semper. Suar., Sanch., Pal., Leand., Fag. cum Salm. n. 15. contra Caiet. et Fill. etc., qui tuentur esse negativum, cum in eo nihil positivum Iudaeis praecipiebatur; sed hoc negatur. Vid. Catech. Rom. n. 11.*

Verum in hac doctrina tria satis inconcinna Salmanticenses obtrudunt. Primum est in ratione definiendi praeceptum *affirmativum, quia non obligat pro semper,* seu (ut aiunt) *quia multae dantur causae excusantes ab hoc praecepto.* Atqui etiam praecepta negativa causas excusantes admittunt, v. gr. praeceptum abstinentiae.

Alterum est, quod ea permisceant, quae DD. disputabant de hoc praecepto, *prouti Iudaeorum erat,* et exinde doctores doctoribus opponant, qui facile conciliari possunt. Ita Suaresio opponunt Caietanum, quando hunc Suaresius pro se allegat, et optime conciliat aiendo (*De Relig. Tr. 1. Lib. 2. C. 1. n. 7.*): *Formaliter nihil ibi praecipitur, nisi dedicatio quaedam illius temporis ad cultum Dei, quae vocatur sanctificatio illius.... Haec autem dedicatio formaliter fit per cessationem ab opere, quae pertinet ad externum cultum per signum negativum declaratum.*

Tertium est, quod doctoribus affirmantibus, hoc praeceptum, prouti *Iudaeis* proponebatur, esse *negativum,* opponant Catechismum Romanum, ubi loquitur de Christifidelibus.

ero, nisi iusta causa excusentur. Constat 1° ex variis Iuris can. locis, praesertim ex *C. Missas 64. de Consecrat. Dist. 1;* item ex *C. Omnes 63. De Consecr. Dist. 1.;* — 2° ex omnibus Catechismis, in quibus indubium praeceptum de Missa his diebus audienda declaratur.

Dixi *sub gravi;* agitur enim de re gravi tum in se, tum iuxta existimationem communem fidelium, et unanimem consensum theologorum.

339. — II. Praeter istud, nihil aliud, saltem *sub gravi,* praestare vi praecepti fideles tenentur. Ratio est, quia nihil aliud invenitur certo praeceptum. Est doctrina communis theologorum.

Dixi *saltem sub gravi.* Plerique enim theologi addunt, nec *sub levi per se.* Quamvis enim ideo prohibita sint opera servilia, ut fideles facilius rebus divinis vacare possint, hae tamen nulla lege praescribuntur; alioquin autem finis praecepti non cadit sub praeceptum. — *Ita Suarez, de Relig. tom. 1. l. 2. c. 16. n. 4. — Elbel, n. 385. et seq., et alii multi,* ut fatetur etiam *Concina,* qui hanc sententiam communem vocat.

Hinc excusatus die Dominica a Missa, non tenetur ratione praecepti persolvere domi preces, quas tempore Sacri recitasset, vel recitare solet. — *Suarez, ibid.*

III. *Per accidens* tamen teneri possunt fideles ad aliquid aliud, non quidem vi huius praecepti, sed quia ad aliam obligationem implendam necessarium id esse potest. Tenentur enim assistere concionibus seu catechesi diebus festis, si concio sit necessaria ad instructionem christianam vel morum compositionem; quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media in hunc finem necessaria. — *Billuart, et alii communiter.* — Caeterum impense inducendi sunt fideles ad alia pia opera, praeter Missam, exercenda, ad fusiores preces fundendas, etc.

340. — QUAER. *An vel qualis sit obligatio assistendi Officio vespertino, seu Vesperis, diebus Dominicis et festis?*

Resp. 1° Nulla est obligatio urgens *sub gravi;* agnoscunt enim theologi communiter, non dari aliam obligationem *gravem* praeter Missae auditionem et abstinentiam ab operibus servilibus.

Resp. 2° Nec probabilius *sub levi, per se* et *directe.* Etenim si existeret certa obligatio ex universali Ecclesiae lege, non posset ignorari a tot theologis, qui huiusmodi quaestiones perscrutati sunt. Recole auctores modo citatos, scilicet *Suarez, Bonacina,* etc.

In praxi autem sedulo urgendi sunt fideles, ut Officio vespertino, aliisve publicis divini cultus exercitiis studiose interveniant.

ARTICULUS II.

DE AUDITIONE MISSAE IN PARTICULARI

Agendum 1° de iis quae ad Missam rite audiendam requiruntur; 2° de causis ab ea excusantibus.

§. I. *De iis quae ad Missam rite audiendam requiruntur.*

Tria requiruntur: 1° praesentia corporis; 2° attentio mentis; 3° locus debitus.

PUNCTUM I.

Praesentia corporis.

Requiritur praesentia corporis moralis et continua.

341. — I. *Moralis,* scilicet quis ita praesens esse debet, ubi fit Sacrum, ut possit dici unus e numero assistentium et offerentium Sacrificium; ad hoc autem sufficit, ut sit in loco unde Missam sequi possit quoad partes praecipuas, sive videndo, sive audiendo, aut ad signa aliorum assistentium attendendo.

II. *Continua,* id est perseverans ab initio ad finem Missae, ita ut graviter peccet, qui omittit notabilem eius partem, et venialiter qui partem exiguam omittit, nisi iusta causa excusetur.

Resolves. — 1° Missae valide assistit, qui etsi Sacerdotem non videat, nec audiat verba, Sacri partes distinguit sonitu campanulae, cantu chori, motibus assistentium, quibus moraliter iungitur, licet sit extra Ecclesiam, in qua turba contineri non potest. Item qui stat post altare, post columnam, vel post parietem, modo ad partes praecipuas Missae advertere possit.

2° Item *probabilius,* qui est in domo proxima, ex qua per fenestram vel ianuam altare aut assistentes videat, aut partes Missae distinguat, dummodo parvum sit spatium inter Ecclesiam et locum in quo est. Secus autem si magnum spatium aut platea intercedat, ut *communius* docetur. — *S. Lig. n. 312.*

3° Non assistit Sacro, qui multum a longe manet, etsi templum, altare, turbam videat, quia in usu communi dici non potest audire et adesse *moraliter*. Iuxta *Lugo* et alios, spatium triginta passuum a turba assistentium non adeo magnum videtur, ut impediat, quominus quis Sacro adsit (*a*).

(*a*) Hanc resolutionem intellige sicut praecedentem de eo, qui e domo prospiciat, etc., sed longo, v. gr plateae, spatio interiecto. Nam si quis in extremo amplissimae basilicae angulo aut cappella advertere possit, quid agat sacerdos in opposita parte licet dissitissima celebrans, certe satisfacit; quisquis enim intra templum est, satis Missae praesens est.

** Quoad sententiam Card. de Lugo de 30. passuum distantia S. Alphonsus

342. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Quaenam omissio reputanda sit gravis aut levis in Missa?*

Resp. Non facile determinari potest (*a*); quamvis enim iuxta *omnes* tertia pars Missae sit notabilis, non tamen constat, quae sit tertia pars, cum pars notabilis non tantum a diuturnitate diiudicari debeat. Haec tamen iuxta communem sententiam statui posse videntur.

1° Grave est omittere omnia usque ad Offertorium *inclusive*. Leve autem certo est omittere omnia usque ad Epistolam *exclusive*, et *probabilius* etiam *inclusive;* imo *probabiliter* etiam, *iuxta S. Lig. n. 310.*, usque ad Evangelium *inclusive*, licet S. Doctor oppositam sententiam ut *probabiliorem* habeat. Ratio horum est, quia quae praecedunt, proprie ad Sacrificium non pertinent, sed sunt tantum veluti praeparatio ad illud. — *Lugo*, etc.

2° Grave est iuxta *omnes* omittere omnia ante Evangelium et simul omnia post Communionem; non vero omittere illa tantum, quae Communionem sequuntur, imo nec omittere omnia ante Epistolam et omnia post Communionem. — *S. Lig. n. 310.* — *Lacroix, n. 666.*

(*Lib. 3. n. 312.*) scribit, Tamburinium apud Croix (*Lib. 3. P. 1. n. 643.*) *id non admittere.* Atqui Tamburini (*Dec. Lib. 4. Cap. 2.* §. *1. n. 14.*) ita habet: *Infero secundo, a fenestra domus tuae, si parva sit distantia ad altare Ecclesiae, posse te satisfacere praecepto, inde audiendo Sacrum, etiamsi sit intermedia via publica. Ita De Lugo de Euch. Disp. 22. n. 21., quia sic vere praesens es moraliter Sacro: secus erit in magna arbitrio prudentis distantia propter oppositam rationem.* Porro De Lugo non generice ibi indicat parvam distantiam, sed eam solum, quae ad 30. passus extenditur. Ita ille (*l. c.*): *Potest contingere, esse adeo vicinam fenestram altari, ut moralem praesentiam non impediat; prout de facto in hoc nostro Collegio Romano habemus sacellum privatum, cuius altare a fenestris domus adversae non plus quam 30. passus distat, et perinde ab illa fenestra audiri potest vel percipi Missa, licet via publica intercedat.* Ergo Tamburini sententiam de Lugo plane amplectitur.

(*a*) Quod attinet ad iudicium, graviter ne, an leviter poenitens istis omissionibus peccaverit, vix ullius usus haec quaestio est. Fere enim hae omissiones fortuito et involuntarie, aut ex quadam negligentia contingunt. In peccatis autem negligentiae (ut apposite in hanc rem advertit Suarez *De Euch. Disp. 88. Sect. 2.*) non ab eventu seu effectu dimetienda gravitas est, sed ab horum praevisione. Quaestio igitur ad hoc tantum fere deservit, ut definiatur, quandonam quis ad aliam Missam iterum audiendam vi praecepti teneatur, si alterius partem omisit; an omissa (sive culpabiliter sive inculpabiliter) quapiam parte, teneatur quis vi praecepti assistere parti, quae superest, et cui unice potest interesse.

Licet porro vi praecepti integrae Missae adesse ita teneamur, ut nulla voluntaria omissio per se aliqua culpa careat; tamen cum non omnes partes eandem dignitatem habeant; et alia sit ratio Missae *catechumenorum*, alia Missae *fidelium*, quae ab Offertorio ad Sumptionem se protendit, imo cum in hac ipsa aliae sint partes Sacrificii essentiales, aliae vero plus minusve habeant propinquitatis ac necessitatis ad Sacrificii substantiam; hinc ratio patet, cur omissionis gravitas aut satisfactio praecepti quoad substantiam modo a mensura materiali temporis, modo vero a partium dignitate definiri debeat.

3° Gravis habenda est omissio *Canonis* a Consecratione usque ad *Pater exclusive;* quia est pars notabilis diuturnitate et dignitate. Levis autem reputatur omissio *Offertorii;* item omissio *Symboli* (*a*) et *Praefationis,* etiamsi decantentur, quia haec ad essentiam Missae non pertinent. — *S. Lig. ibid.* — Evangelium autem *S. Ioannis* in fine *probabiliter* non est pars Missae, quia ante illud iam dimittitur populus per benedictionem.

4° Grave est omittere Consecrationem et Communionem; imo et solam Consecrationem, quia est pars dignissima, in qua, saltem praecipue, consistit Sacrificii ratio. Quin imo *probabilius* grave est uni tantum Consecrationi non adesse; quia essentia Sacrificii *probabilius* in utraque Consecratione consistit. — *S. Lig. Hom. apost. n. 33.* — Utrum vero solam Communionem praeterire sit grave, *controvertitur;* affirmativa sententia est *S. Alphonso* probabilior, quia existimat, essentiam Sacrificii etiam in Communione consistere. Communior tamen sententia eam in sola Consecratione reponit.

343. — Quaer. 2° *An praecepto satisfaciat audiens duas dimidias Missas a diversis Sacerdotibus tum* simultanee, *tum* successive?

Resp. 1° *Neg.,* si audiat simultanee. Ratio deducitur ex interpretatione communi legis, quae confirmatur propositione 53ª ab *Innoc. XI* damnata, et sic sonat: *Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro, qui duas eius partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.*

Resp. 2° Si vero successive, dist. 1° *Neg.* si Consecratio et Communio non sint in eadem parte. Ratio est, quia Ecclesia praecipit fidelibus, ut intersint integro et perfecto Sacrificio. Illud autem non habetur, nisi tum Consecratio, tum Communio in eadem Missa conveniant. — *S. Lig. Hom. apost. n. 34.* — 2° *Affirm.* autem *probabiliter,* si Consecratio et Communio in eadem Missa reperiantur; quia tunc ratio integra Sacrificii in eadem parte habetur. — *S. Lig. n. 311.* — *Lugo, Azor,* contra *alios.*

Quaer. 3° *An debeat reliqua audire, qui post Consecrationem advenit?*

Resp. Neg. probabiliter, quia iam deest essentia Sacrificii; et cessat proinde obligatio illi assistendi, cum praeceptum per hoc impleri non possit. — *Mazzotta, S. Lig. n. 310., et alii* (*b*).

(*a*) Symboli, sive canatur sive recitetur, utpote partis *non regularis,* rationem habendam non esse censet cum aliis S. Alphonsus, *Lib. 3. n. 310.*

** (*b*) Hic VV. (*Pag. 920.*) obiiciunt S. Alphonsi verba (*Hom. Ap. Tr. 6. n. 33.*): *Dicimus, oppositum tenendum cum Contin. Tournely, et P. Zacharia in Croix. Ratio, quia cum sit satis probabile, quod essentia Sacrificii in sumptione consistat, dicimus illum bene obligari.* — Resp. 1° Tenendum est ceu satis probabile, quod essentia Sacrificii in sumptione consistat, Nego, vel Transeat. Tenendum est, fundamentum, quod mere sit satis probabile, sufficere ad inducendam obligationem, Nego. — Resp. 2° Collet innititur rationi, quae, ut inquit idem S. Alphonsus, *non suadet;* Croix autem (non vero Zacharia, qui ne verbum quidem de hac re habet) cum

QUAER. 4° *An qui omittit levem partem Missae, teneatur supplere, si possit?*

Resp. Affirm. probabilius, quia Missam integram audire tenetur: excipe, nisi de parte valde exigua agatur. — Sic *S. Lig. n. 310.* — *Salm.* contra *alios* (*a*). Caeterum ratio sat levis ab hac supplendi obligatione eximere potest. — *V. Casus, n. 345. et seq.*

PUNCTUM II.

Attentio mentis.

344. — Attentio ad Missam duplex distinguitur: 1° *interna,* qua quis actu advertit et animum applicat ad ea, quae a Sacerdote peraguntur ; 2° *externa,* quae consistit in cavenda quavis actione externa, quae impediat mentis applicationem, v. gr. confabulari, pingere..., etc.

Attentio autem interna triplex est: 1° alia ad verba, et ad actiones Sacerdotis; 2° alia ad sensum verborum et mysteriorum; 3° alia ad Deum ipsum per preces piasve meditationes.

ad praeferendam ceu probabiliorem eiusmodi opinionem inducatur eadem illa ratione, quam in Collet S. Alphonsus reiicit ; concludas, licet, neque Collet, neque Croix minimum quid ponderis isti opinioni addere.

Addunt VV. (*l. c.*) haec alia S. Alphonsi verba (*Lib. 3. n. 310.*): *Sententia haec affirmativa est valde probabilis, et in praxi tenenda, ut ait P. Zacharia* (idest Croix) *ex alia ratione, scilicet quia audiri potest pars notabilis caeremoniae ab Ecclesia praeceptae.* — Resp. 1° Praecipit Ecclesia, ut fideles intersint sacrificio et caeremoniis simul cum sacrificio connexis, Concedo. Praecipit, ut intersint solis sine sacrificio caeremoniis, imo etiam alicui tantum caeremoniarum parti, Nego. — Resp. 2° Sententia haec affirmativa est valde probabilis, Transeat; ergo in praxi tenenda, Distinguo: ut res boni consilii, Concedo; ut res praecepti, Nego. S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 132. in Epistola ad R. Ab. Bartholom. De Marco*) inculcat illud (*Cap. Cum iure 32. De Offic. et Potest. iudic. deleg.*): *Nisi de mandato certus extiteris, exequi non cogeris, quod mandatur.* Et paulo post idem S. Alphonsus: *Hinc sapientissime Benedictus XIV in suo Opere de Synodo in plerisque capitibus nihil aliud episcopos monet, quam ne unquam peccati gravis eas damnent opiniones, quae uti probabiles Doctores utriusque partis defendunt.*

(*a*) Et isti *alii* quidem, ut facile intelligitur, suam opinionem censuerunt *probabiliorem.* E quibus Suarez (*De Euch. Disp. 88. Sect. 2.*) a supplenda omissa parte excusat, sive involuntarius fuerit defectus, sive voluntarius; *quia* (inquit) *praeceptum est iam substantialiter impletum...., illeque modus illum supplendi est valde imperfectus, et non multum conducens ad Missae integritatem...., et quia res morales non sunt adeo rigorose expendendae, praesertim quando leviores sunt.*

Praestat autem hic meminisse, incassum proponi aut urgeri obligationes, quoties probabilitatis finibus res continetur. Probabilis enim aut etiam probabilior obligatio, neque imponi licite potest ceu vera obligatio, quando porbabilis est non obligatio, prouti superius in *Tract. De Consc.* traditum fuit. Quocirca probabilium eiusmodi obligationum mentio ad eruditionem aliquam deservire forte poterit, ad praxim vero et ad praescribenda officia conferre nihil potest.

Missam audire est actus religionis et actus humanus, [illegible] aliquem vel actum humanum facit assistentiam invalidam

Principia. — I. Ad Missam valide audiendam requiritur omnino attentio saltem externa; quia nullo modo dici potest Sacro interesse, qui ponit actiones cum attentione interna incompossibiles; imo ille impudenter Deo et Ecclesiae illudit. — *Ita omnes.*

II. Requiritur insuper attentio aliqua interna, et saltem voluntas audiendi Missam; quia id prorsus exigitur, ut auditio seu praesentia sit humana, moralis et ex obiecto religiosa. — *Suarez, De Euch. Disp. 88. Sect. 3.*

III. Sufficit autem interna quaelibet ex tribus modo expositis, sive scilicet sit ad verba, sive ad sensum, sive utcumque ad Deum. Ratio est, quia per earum quamlibet sufficienter applicatur mens ad cultum divinum, qui per Sacrificium intenditur.

IV. Nulla oratio vocalis absolute requiritur; quia assistentia religiosa Deum honorat, et nihil aliud praescriptum habetur. — *S. Lig. n. 313.* — In praxi tamen fidelibus, praesertim rudibus, suadendum est, ut orationes aliquas recitent, imprimis orationes consuetas pro Missae auditione, vel rosarium beatissimae Virginis, ne nimiis distractionibus exponantur.

345. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An ad implendum hoc praeceptum requiratur sub gravi attentio interna?*

Resp. Controvertitur. Iª Sententia, *ex S. Alphonso communior et probabilior, affirmat.* Etenim ab Ecclesia praecipitur actus quo Deus colatur; atqui per solam praesentiam physicam Deus coli nequit; ergo... Ecclesia igitur praecipiendo directe actum exteriorem auditionis Missae, videtur praecipere indirecte attentionem, saltem aliquam, tanquam conditionem sine qua non consisteret actus externus formalis. — *Ita S. Thomas. — Billuart. — Elbel. — Salm. et alii non pauci.*

IIª Sententia *negat.* Ratio est, quia assistentia cum voluntaria attentione, utut mere externa, est actus sufficienter religiosus, nec constat aliud ab Ecclesia praecipi. — *Ita Lugo,* cum aliis multis, et hoc dicit *probabile S. Lig. n. 313.,* cui assentit *Gousset, n. 553.* (*a*).

Caeterum in praxi non apparet tanta differentia inter utramque sententiam. Etenim iuxta priorem sententiam sufficit omnino attentio in gradu remisso, nempe ad praecipuas Missae partes; iuxta posteriorem vero requiritur 1° pius animae motus, seu vera intentio

(*a*) S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 313.*): *Primam sententiam* (quae hic secunda ponitur), *quam Croix* (*Lib. 4. n. 1341.*) *vocat spectata ratione probabiliorem et* (*Lib. 3. P. 1. n. 658.*) *vocat communem, negari non potest, esse satis probabilem... Et a fortiori quoad Missam audiendam, cui sufficit praestare assistentiam moralem, ut dicunt AA. citati....., quin expresse requiratur oratio. Saltem* (*dico*) *stante auctoritate tot tantorumque Doctorum hanc sententiam tuentium, sat dubia videtur lex, ab AA. contrariis supposita, quae etiam ad attentionem internam ac ad orationem audientes obliget, cum plures graves DD., ut Less., Suar., Med., etc. doceant, ad Missam audiendam non esse opus orare, sed tantum intendere Deum colere.*

(b) Resp. Aff. attentio externa non est attentio, est absentia actionum incompossibilium cum attentione interna. Si quis est ita distractus ut non possit attendere praecipuas Missae partes, [illegible] vel non habet intentionem [illegible] actum religiosum, vel non habet quod dicitur attentio [illegible]

honorandi Deum; 2° attentio talis, ut assistens Missae rationem sibi reddere possit, reapse Sacro se assistere, et consequenter ut saltem in confuso ad praecipuas partes illius advertat. Hinc non facile arguendi sunt fideles de culpa gravi ob defectum attentionis sufficientis in Missa, sed potius amanter adhortandi sunt, ut pie et sedulo ad divina Mysteria animum intendant. Etenim, ait *S. Lig. n. 313.*, post *Elbel, Sporer* et *Tamb.*, nemo anxius esse debet ob scrupulum attentionis non praestitae, quia sufficit habuisse intentionem generalem colendi Deum.

346. — Quaer. 2° *An satisfaciat praecepto, qui tempore Missae peccata confitetur?*

Resp. *Negant* plures. Verum affirmativae sententiae sua non deest probabilitas, eamque admittunt plures Doctores (*a*). Generatim

(*a*) Nonnullos vid. apud S. Alphonsum (*Lib. 3. n. 314.*), qui tamen sic concludit: *Haec secunda sententia non videtur omnino probabilitate destituta, et olim probabilem ipse censui; sed quia postmodum observavi, eam a gravibus DD. reiici, modo non audeo probabilem dicere.*

Verum vix apparet, ubinam sit excessus externae probabilitatis pro negante, cum etiam pro affirmante nec pauciores nec minus graves DD. ipse S. Alphonsus indicet, praesertim quod nonnulli pro negante prorsus abs re afferantur, uti, v. gr. Suarez et Azor, qui reipsa nihil de hac quaestione habent, et mere contendunt, generatim illicite omitti Missam, ut quis confiteatur, sicut illicite Missam quis omitteret, ut audiat concionem.

Adde, quod pro negativa sententia ne ipse quidem S. Alphonsus decretorium ullum reperiat argumentum; quinimo ipsemet advertit, illius opinionis patronos in ratione afferenda sibi non cohaerere, sed alias ab aliis rationes afferri: quod indicio est, solidam aliquam ac manifestam rationem plane deesse.

Tria, quae in brevi hac notula innuuntur, per sexdecim columnas (*Pag. 275-283.*) VV. oppugnant. Sed non multis opus est, ut illis satisfiat.

Primum est, quod in Nota dicitur, nec pauciores nec minus graves Doctores a S. Alphonso (*Lib. 3. n. 314.*) afferri pro sua sententia negante, quam pro opposita affirmante. — Atqui id apud S. Doctorem (*l. c.*) videt, quisquis oculos habet; nam numquid alius, praeter Lugo, gravis auctor ibi allegatus a S. Doctore cernitur? Et cum S. Alphonsus merito censeat invalidam rationem, qua Bonacina se permotum dicit ad mutandam sententiam, nonne etiam huius suffragium per se concidit? Sed et ipsi VV. demum nonnisi duos pro se promunt, quos audeant appellare graves Doctores, Suarez nimirum et Lugo: et reipsa satis aegre venderent ceu graves Doctores Collet, Pontas, Holzmann, Antoine et quosdam alios qualiscumque compendii scriptores, qui suffragio suo per se forte ne ad augendum quidem numerum suffragantium alicui opinioni quidquam conferunt. Porro cum Suarez, ut mox dicemus, perperam pro negante opinione invocetur; unus ergo gravis Doctor superest Lugo. Huic autem apud S. Alphonsum (*l. c.*) videsis oppositos Lessium, Palaum, ac Reginaldum. Atqui, ut videre licet in scriptorum catalogo huic volumini praefixo, S. Alphonsus, teste clarissimo P. Haringer, Palaum ut auctorem omnino gravem, Lessium vero ac Reginaldum ceu *classicos* auctores habet. Non immerito igitur in Nota dicebatur, non pauciores nec minus graves Doctores a S. Alphonso pro negante sua sententia afferri, quam pro opposita. Quod vero spectat ad numerum qualiumcumque scriptorum, si quis plures et pro sententia affirmante, videre cupit praeter S. Alphonsum, Pellizzarium adeat (***Man. Regul. Tr. 5. C. 4. Sect. 2. n. 50.***).

non videntur inquietandi hac de re fideles, neque scrupulus eis iniiciendus, quando Missae aliquo modo attendant. Ergo si etiam confessio ut non attendant? . . .

Ad alterum deveniamus, iurene, an iniuria in Nota dicatur, *abs re pronegante sententia Suarez et Azor produci.* Ut res breviter et clare appareat, distinguantur duae quaestiones cum Pasqualigo. Una est (*Quaest. 1319.*): *An satisfaciat praecepto, qui audiens Missam, simul confitetur peccata;* et haec est quaestio, de qua in praesenti agimus. Altera est (*Quaest. 1343.*): *An maior utilitas spiritualis excuset ab audienda Missa;* et haec, uti patet, diversissima est, et cum praecedenti nihil commune habet. Atqui tum Azor, tum Suarez de hac posteriori agunt, non autem de prima. Et quidem ad id suadendum sufficiunt tituli Capitum, ubi quaestionem proponunt. Apud Azor enim est (*Part. 1. Lib. 7. C. 7.*): *De causis, quibus excusantur, qui rem divinam non audiunt.* Et apud Suarez (*In 3. Part. Disp. 88. Sect. 6.*): *Quibus modis excusari aliquis possit ab audienda Missa in die, quo praecepta est.* Quaestio eorum igitur non est, de eo, qui praesens adstet Missae ita tamen ut dubitetur, an rite et valide assistat, sed de eo, qui aliquam ob causam Missam omittit, seu Missae non adsistit. Proinde alia exempla omittentis Missam Suaresius addit tum in eo, *qui propter concionem audiendam, Sacrum omittit*, tum in eo, *qui Sacrum omittat, ut in suo cubiculo contemplationi Dei vacet.* Nihil mirum igitur, quod Pellizzarius (*l. c.*) moneat, nec Suaresium nec Azorium repugnare A. opinioni; de opposita vero opinione Leander (*De Audit. Miss. Tr. 2. Disp. 1. q. 71.*) scripserit: *Citant hi Auctores pro hac parte Suarium et Azorium;* SED MALE CERTE; itemque Escobar (*Lib. 42. C. 9. Dub. 35. n. 182.*): *Citantur pro hac sententia Suarius et Azorius;* SED IMMERITO. — Arripiunt VV. pro se verba illa Suaresii: *Qui tempore Missae peccata sua confitetur.* Perbelle omnino! At vero, dum vult Suaresius afferre exemplum illius, qui ab audienda Missa *excusatur ob maiorem utilitatem vel necessitatem spiritualem,* numquid hypothesim poterat proponere confessionis quae fieri posset vel ante vel post Missae celebrationem, ita ut utrumque praestare quis commode posset, scil. et Missam audire, et dein confiteri peccata? Illud vero magis displicere merito potest, quod ubi Suaresius (*l. c.*) scribit, *opus praecepti* (scil. Missam) *non esse omittendum propter huiusmodi voluntaria opera, etiamsi utiliora esse fingantur,* ad inflectendam pro se Suaresii sententiam, VV. haec illi prope verba affingant: *non excusari a transgressione praecepti.* S. Alphonsum eiusmodi artibus aliquando usum esse, nuspiam reperire est.

Tertium, quod in Nota dicitur, illud est, S. Alphonsum pro sua sententia decretorium argumentum non reperisse, imo ipsum advertisse, illius sententiae patronos in afferenda ratione non esse concordes. Contra quae VV. (*Pag. 281.*) opponunt, SOLIDISSIMAS ESSE RATIONES, *quibus negativa S. Alphonsi sententia innititur.* — Atqui aperte his obstat etiam iudicium S. Alphonsi. Nam perpensis rationibus ipse utramque sententiam iudicaverat probabilem. Quod si postea dixit, non audere se dicere probabilem affirmantem sententiam, se ad id permotum fatetur utique extrinseca aliqua auctoritate (quae cuiusmodi sit, superius vidimus), non vero vi rationum, quas easdem omnino in postrema editione affert, ac in prima attulerat, et quas demum ex aliis auctoribus ipsi VV. collegerunt. Ergo, iudice S. Alphonso, ingens istud rationum pondus frustra quaeritur, nisi forte ut minus oculatum S. Doctorem habere VV. velint.

Et ut rationes istas paulo inspiciamus, Collet cum Cabass. et Pontas (quos S. Alphonsus in posterioribus editionibus superaddidit prius allegatis), utitur (*Tom. 3. n. 351.*) ratione, quod *attentio debet esse per modum orationis, qualis non est in perscrutandis culpis, earumque circumstantiis.* Atqui S. Alphonsus (*l.c.*) sic iudicat de hac ratione: *Bonac., et Bassaeus*

Quaer. 3° *An satisfaciat praecepto Ecclesiae Clericus recitans Breviarium tempore Missae?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia recitatio Officii divini non impedit, quominus quis possit interesse sacrificio Missae, et moralem praesentiam ipsi exhibere. — *Ita communiter cum S. Lig. n. 309. — Vide de Leg. 106.*

347. **Resolves.** — 1° Satisfaciunt praecepto ministrantes Missae; satis enim attendunt suum exhibentes ministerium, quo actualiter ad Sacrificium cooperantur. Idem dicendum est de sacristis, musicis, organistis, tympanistis, etc.; quia eorum actus ad Dei cultum referuntur, nec necessariam impediunt attentionem ad ea, quae in altari peraguntur. — *S. Lig. n. 317.* (*a*).

2° Satisfaciunt, qui eleemosynas colligunt, modo ad Missam sal-

negant, quia non oraret; sed huic obstat, quod docent Suar., Less., etc., quod sufficit audire Missam colendo Deum, pro quo cultu oratio non est absolute necessaria. Acquiescuntne VV. huic S. Doctoris iudicio? Ergo ista ratio non est *validissima.*

Aliam rationem promit S. Doctor, in quam recidit et ratio a Lugo allata, *quia confitens tunc adesset ut reus, non iam ut offerens sacrificium cum sacerdote.* At enim quid est, quod S. Alphonsus non reiicit dicentes *cum communiori aut cum communi,* satisfacere praecepto audiendi Missam sacerdotem, dum confessiones excipit? Numquid magis persona iudicis, quam persona rei congruit cum persona coofferentis sacrificium, aut externam magis attentionem Confessarius exhibet, quam poenitens, aut minus internae attentionis, seu intentionis (ut aiunt) *virtualis* alter prae altero habere potest? Cur satisfaciet praecepto, ut concedunt, qui genuflexus ad confessionalis cratem, dum sacerdotem opperitur, totus est in perscrutandis culpis earumque circumstantiis ac numero, hisque memoriae ex ordine infigendis, non satisfaciet autem eas Deo in persona ministri confitens? Cur sufficienter audit Missam, ut concedunt, qui extasim patiens vix materialem exhibet praesentiam, aut etiam Missam alterius audit sacerdos, dum ipse Missam celebrat? Ubinam reperis, dempta virtuali intentione, moralem praesentiam, attentionemve, quam requirunt, internam externamve? Quid est, quod et plerique, qui stant pro opinione negante, concedunt, confitentem sacramentaliter posse praecepto satisfacere, si aliqua ratione attendere et Missae possit? Quo abiit iam argumentum petitum a necessitate moralis praesentiae, qua ut offerens cum sacerdote ostendatur?

Concludamus: ubi validissimae adsunt rationes, nec labor in inveniendis nec discordia in iis aestimandis et adhibendis adesse inter probatos auctores solet; et rursus: ubi rationes sunt validissimae, non contingit, ut in simillimis vim illae modo habeant, modo non habeant. Atqui duo haec de rationibus pro negante opinione depromptis evenire, ex dictis satis superque patet. Ergo.

**(*a*) S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 309.*) dum consentit, praecepto satisfacere inservientes Missae, etiamsi recedant allatum necessaria, sic limitat: *Sic tenendum cum Elbel, Palao, et Bonac., si sit per breve tempus,* vel *non exeatur ab Ecclesia* (in edit. autem an. 1748: *si sit per breve tempus* et *non exeatur ab Ecclesia*) *contr. Dic., Leand., et Dian. apud Salmant.* Sed allegati auctores non sic habent. Nam Bonacina (*De Sacr. Disp. 4. q. ult. P. 11. n. 18.*), et Palaus (*Tr. 22. Disp. unic. P. 16. n. 7.*), et Elbel (*Conf. 12. in 3. Praec. n. 356.*) dicunt: *Dummodo ab Ecclesia non recesseris, nisi ad breve tempus,* prout referunt etiam Salmantic. (*Tr. 5. Cap. 6. n. 21.*) a S. Alphonso allegati.

tem confuse attendant. — *S. Lig. ibid.* (*a*); si autem praevideant, se hanc attentionem praestare non posse, aliam Missam audiant, si commode possunt.

3° Satisfaciunt, qui conscientiam tempore Missae discutiunt, ut confiteantur, sacramentalem poenitentiam persolvunt, aut etiam orationem quovis titulo debitam faciunt; quia his mens ad Deum dirigitur, et aliunde duplici praecepto simul satisfieri potest, si res praeceptae possint eodem tempore praestari. — *Ita communiter.* — Item qui legunt librum aliquem spiritualem, non tamen historias sacras animo discendi stilum. — *S. Lig. n. 314.*

4° Satisfaciunt, etiam qui involuntarie distrahuntur, toto licet Sacrificii tempore, nisi alienis cogitationibus ita abripiantur, ut nullatenus attendant; tunc enim non magis satisfaciunt, quam involuntarie dormientes per notabilem Missae partem, licet a peccato excusentur. *Ita communiter.* Dormitans autem interdum inter Sacrum satisfacit, aut saltem non graviter delinquit, modo aliqua ratione advertat ad id quod fit. — *S. Lig. n. 316.*

5° Satisfaciunt, etiam quoad substantiam, seu a gravi culpa excusantur, qui voluntarie etiam toto tempore Sacri distrahuntur, modo simul attendant; hoc enim aliquando fieri potest, si distractiones non sint adeo vehementes, cum homo simul de pluribus cogitare possit. — *Reuter, n. 284.* (*b*).

6° Minime autem satisfaciunt, qui de re seria confabulantur per notabilem Missae partem, vel imagines attente considerant, apparatus templi oculis lustrant, inscriptiones aut alia profana legunt, scientias meditantur, pingunt aut alia similia peragunt, nisi haec fiant interruptim, aut ita ut attentionem non omnino impediant (*c*). — *S. Lig. n. 317.* — *V. Casus, n. 345. et seq.*

(*a*) *Vere* (inquit S. Alphons. *n. 317.*) *talis distractio non videtur esse incompossibilis, scil. cum attentione, quae satis sit.*

(*b*) *Nihil aliud exigit hoc praeceptum, nisi quod quis incipiat audire Missam..... intentione attendendi, seu, quantum in se est, vacandi Deo, et in contrarium animus iste non mutetur... Unde quoties praedictus dedita opera mentem a dicta intentione non dimovet, licet sit inter audiendum Sacrum... distractus, satisfacit praecepto... Et quod plus est, ac pro tollendis multorum scrupulis maxime notandum, licet qui praedicto modo incepit audire Missam..., postea dum audit, ultro et advertenter circa alia mente divagetur, si non advertat, per hoc distrahi a Missa..., satisfacit dicto praecepto, quia hic non voluntarie distrahitur a Missa, et ideo virtute remanet prima attentio.* Ita multis allegatis Salmanticenses (*De Sacrif. Missae Cap. 6. n. 41–42.*).

(*c*) Non facile tamen eiusmodi attentio, quae satis sit, confabulatione solet impediri; quia, ut Auctor in resol. praec. advertit, ad plura simul, licet aliquanto remissius, homo potest attendere. Hinc Salmanticenses (*De Sacrif. Missae Cap. 6. n. 50.*) a mortali excusant, *si confabulatio sit discontinua et per parvam Missae partem, vel non de re seria, sed de levi, quae non impedit attentionem necessariam, sed solum facit remissiorem;* unde concludes, sic peccari quidem irreverentia, sed satisfieri praecepto.

Notandum insuper, quod habet Suarez (*De Eucharist. Disp. 88. Sect. 3.*),

PUNCTUM III.

De loco debito.

Quaestio duplex est circa locum audiendae Missae: 1° An praecepto satisfieri possit in Oratoriis privatis? — 2° An sit obligatio assistendi Missae in parochia, seu Missae parochiali?

I. *Quoad Oratoria privata.*

348. — Oratoria privata sunt Sacella in domo privata erecta ex privilegio a summo Pontifice concesso, ut ibi peragantur divina Mysteria. — Non censentur vero privata, sed publica sunt habenda ea Oratoria, quae legitime erecta sunt in seminariis, monasteriis, seu domibus Religiosorum vel Monialium, aliarumve communitatum, ut in conservatoriis, carceribus, nosocomiis, et etiam in domibus Episcoporum. Imo aliquando Oratorium in domibus privatorum haberi potest ut publicum. Sed ad hoc requiritur, 1° ut ingressus in viam publicam pateat; 2° ut nulli subiaceat servituti Iure canonico reprobatae; 3° ut in perpetuum cultui divino addicatur; 4° ut reditus ad divina Officia sufficientes statuantur. — *V. S. Lig. n. 319.*, etc.

Certum est, satisfacere praecepto audiendae Missae in Oratorio privato omnes, qui in Indulto comprehenduntur, nempe dominum Oratorii cum suis et familiaribus, qui eius servitio addicti sunt (*a*). Excipiuntur dies festorum praecipuorum, nempe Paschatis, Pentecostes, Natalis Domini, Epiphaniae, Ascensionis, Assumptionis, festi S. Petri, et Omnium Sanctorum; item Annuntiationis, Feriae V in Coena Domini (Decr. S. Rit. C. 17 Nov. 1607), et S. Titularis Ecclesiae (Decr. S. C. Conc. in Derthon. 17 Febr. 1685); — et his quidem diebus prorsus interdicitur in eiusmodi oratoriis celebrare. — *S. Lig. de Euch. n. 359.* — *Gardellini.* — Nulla tamen dies excipitur, quando Oratorium a Pontifice infirmitatis causa conceditur.

nimirum *pravam intentionem adiunctam voluntati audiendi Missam, non esse contrariam impletioni huius praecepti, si aliunde non excludat sufficientem attentionem. Itaque quamvis quis eat ad Ecclesiam ex libidinosa intentione videndi feminam, vel etiamsi officio Missae cum eadem intentione assistat, tamen si non excludat voluntatem implendi hoc praeceptum ecclesiasticum, et sufficienter sit attentus, implet illud.* Eadem habes apud Lugo (*De Euch. Disp. 22. n. 23.*).

(*a*) Hoc intellige non de omnibus *familiaribus*, sed de illis tantum, quorum praesentia in oratorio tempore Missae est necessaria; hoc enim clare eruitur ex Indulti formulis, quae videri possunt apud Gatticum (*De Orat. Priv. Cap. 25. n. 23-24.*). In definiendo tamen cuiusmodi esse debeat haec *necessitas*, seu quinam familiares dicendi sint tunc *necessarii*, potiusquam a S. Alphonso, qui paulo severior videri queat, ab ipso Gattico, qui ex professo de hoc argumento scripsit, et cuius opus pluries Romae fuit excusum, licet definias.

Non satisfaciunt autem extranei iuxta communem sententiam cum *S. Lig. n. 319.* — Constat enim ex verbis Indulti, quod ordinarie sic sonat: *Volumus, ut qui de familia non sunt, non censeantur liberi ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia.*

QUAER. *An teneatur dominus uti privilegio, si Ecclesiam adire non possit?*

Resp. Affirm. iuxta *S. Alph.,* si Sacerdotem commode habere valeat; quia (ait) curare tenetur, ut Sacerdos adsit ad celebrandum, quo scilicet tum ipse, tum alii, qui vi privilegii praecepto satisfacere in Oratorio possunt, sacrificio Missae non fraudentur. Alii tamen *negant* ex eo principio, quod nemo privilegio uti tenetur (*a*).

** (*a*) Ipse Gatticus utcumque primae opinioni adhaereat, fatetur tamen (*Cap. 20. n. 36.*), si pluribus Doctorum suffragiis res definienda sit, hanc secundam praevalere. Caeteroqui vero horum Doctorum rationi, scil. *privilegia mere personalia pro lubitu deseri aut usurpari posse,* nihil solidi habet, quod respondeat. Et haec Doctorum ratio a fortiori in praesenti casu valet, cum de privilegio agatur *per se odioso, legi communi adverso, et reverentiae Sacramenti parum conforme, quo nemo uti cogitur,* ut aiunt Salmanticenses (*Tr. 5. C. 6. n. 61.*) post Suaresium (*De Euch. Disp. 88. Sect. 6. §. Secundum caput*), et advertit Gobat (*Tr. 5. n. 350.*), cum *celebrare in loco non sacro repugnet multis Canonibus.* Et hinc facilis se offert responsio ad Card. De Lugo, qui (*De Euchar. Disp. 22. n. 14.*) arguere conatur ex comparatione huius privilegii cum privilegio *Bullae Cruciatae,* vi cuius potest quis Missae adsistere tempore *Interdicti.* Optime observat Diana (*Tom. 4. Tr. 2. Res. 35. Edit. Coord.*) disparem esse rationem casum inter et casum. *Nam in casu Interdicti, sublato impedimento, nulla fit dispensatio in iure communi; nam Missa et dicitur et celebratur, ut debet et solet: at in hoc casu, sublato impedimento, non celebratur Missa, ut regulariter et ordinarie celebratur, quia extra Ecclesiam dicitur.*

S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 319.*) ad quaestionem, *An aliquando teneatur dominus uti privilegio Oratorii etc.,* respondet: *Merito affirmant teneri dominum, si commode sacerdotem habere potest, Pasqual., Gattic., et P. Fortunatus a Brixia.... Hinc, ut etiam recte ait P. a Brixia cum Nugnez, Pasq. et Gattic., tenetur privilegiatus, si commode potest, providere de sacerdote non solum sibi, sed etiam aliis de familia, si quis eorum nequit ad Ecclesiam accedere.*

Melius autem mentem suam S. Doctor explicat (*ibid. n.324.*), ubi scribit: *Recte autem docet Busembaum, et est commune..., quod habens privilegium Oratorii non teneatur sacerdotem conducere, ut Missam ipse audiat.* Ergo quod antea (*n. 319.*) dixerat, *si commode potest,* intelligendum videtur, *nisi sacerdotem debeat conducere.* At enim paulo infra scribit: *Idem* (idest *probabilius teneri*) *dicendum puto cum Collet, si cum modico stipendio possis conducere sacerdotem.* Quae non satis consona videri possent cum eo, quod *recte doceri* et *esse commune* prius dixerat.

Quicquid de hoc sit, facta quaestione (*ibid.*), *quid si Missa iam dicatur gratis, vel facile gratis haberi possit,* respondet: *Probabilius teneri dicunt Collet, et Croix cum Lugo, Tamburini, et communiori, ut asserit,* Et scite S. Doctor addit illud, *ut asserit,* scil. Croix (*Lib. 3. P. 1. n. 756.*); quo enim fundamento Croix sic scripserit, non satis apparet, nisi forte huc accersiverit id, quod alii dicunt de habente *Bullam Cruciatae* tempore interdicti.

Caeterum hoc certum haberi debet, contra communissimam sententiam affirmari, quod ulla adsit obligatio conducendi sacerdotem. Et sane cuinam

— *Alia plura de Oratoriis privatis vide in Tract. de Eucharistia, ubi de loco Missae celebrandae*

II. *Quoad Missam parochialem.*

349. — I. Certum est, exstitisse olim obligationem assistendi Missae parochiali, saltem semel *tribus Dominicis continuis;* constat ex antiquissima et universali consuetudine Ecclesiae, innumeris Decretis Conciliorum particularium confirmata, praesertim Conc. *Eliberitani, can. 21., an. 343; Sardicensis, can. 14. et 15., an. 347;* item, *ex Bened. XIV, de Syn. lib. 11. c. 14. n. 7.*

II. Certum est iuri antiquo derogatum fuisse partialiter per privilegia Regularibus concessa, etiam post Conc. Trid. Constat praesertim ex Constitutione *Pii V (Etsi mendicantium, an. 1567),* ubi dicitur: *Christi fideles audiendo Missam et alia divina Officia in Ecclesiis Fratrum huiusmodi* (mendicantium) *diebus Dominicis et festis, praecepto Ecclesiae satisfecisse censeantur.*

III. Certum est autem eidem iuri antiquo universaliter derogatum esse generali consuetudine contraria dudum legitime praescripta. Constat 1° ex testimonio plerorumque theologorum; 2° praesertim ex *Benedicto XIV, de Synod. dioces. l. 11. c. 14.,* ubi asserit, Decretis Conciliorum et summorum Pontificum obligationem statuentibus derogatum fuisse contraria consuetudine; imo Episcopum poenis adigere non posse subditos ad Missam neque ad concionem in parochia audiendam, sed tantum illos exhortandos esse, et ideo Constitutiones Episcopi Midensis hac de re latas ex sacrae Congregationis Conc. Trident. sententia reformatas fuisse.

350. — Quaer. *An in Gallia urgeat adhuc praedicta obligatio?*
Resp. Neg. Ratio est, quia ius antiquum penitus abrogatum est

unquam venit in mentem, si sermo sit non quidem de Oratorio privilegiato, sed de Ecclesia, ad quam solam quis possit accedere, in qua tamen Missam non habeat, nisi ipse stipendium det celebranti, cuinam (inquam) venit in mentem, istum ad sacerdotem sic inveniendum teneri, ut ipse aut quispiam alius de familia Missam audire possit? Recte de hoc Tamburini (*Lib. 4. C. 2. §. 2. n. 4.*): *Hoc praeceptum obligat solum ad audiendam Missam, non vero ad illam peculiari stipendio procurandam.* Quinimo Gobat (*l. c. n. 552.*) affirmare non dubitat, nec teneri quempiam *ad inducendum precibus Mystam, ut tibi legat Sacrum, quo possis satisfacere legi.*

Etiamsi vero praescindamus a circumstantia alicuius stipendii solvendi, illud sedulo considerandum venit, opinionem, quae obligationem imponit, etiam iuxta suos patronos, finibus mere probabilitatis contineri. Imo Card. De Lugo (*l. c.*) licet de habente Bullam Cruciatae ageret, satis habuit affirmare, opinionem suam non posse improbabilitatis etiam practice notari. Porro ex principio, quod S. Alphonsus tantopere tuetur et inculcat, mera probabilitas ad asserendas et imponendas fidelibus obligationes nullo modo sufficit. Et haec facere satis queant VV., qui (*Pag. 921.*) S. Alphonsi opinionem opinioni A. opponunt.

consuetudine universali, quae constituit quoddam ius commune, contra quod insurgere nequeunt Episcopi, ut declaravit *Benedict. XIV, ibid.*, et proinde si insurgant propria auctoritate, *illicite* et *invalide* agunt, cum potestatem ipsis a Canonibus traditam excedant. — *Ita Gousset, Justification de S. Lig. n. 355., et in Theolog. n. 555.* — *Bouvier, de 3° Praec. art. 3.* — *Rit. Bellicense,* etc. Et sic declaravit Concilium *Remense,* anno 1850 celebratum, *t. 3., c. 6.,* cui plura alia recentiora Concilia Galliae in hoc consenserunt.

Equidem fideles valde adhortandi sunt, ut Missae parochiali et concionibus frequenter intersint; sed sub obligatione ad id non sunt adigendi; attamen a culpa excusari nequeunt fideles cuiusvis regionis aut nationis, qui instructione christiana necessaria carentes, aliisque mediis ad eam curandam destituti, semper aut plerumque Missae parochiali interesse negligunt, in qua tantum instrui possunt.

§. II. *De causis a Missa excusantibus.*

351. — Excusat a Missa audienda quaevis causa mediocriter gravis, seu quae involvit mediocre quoddam incommodum vel damnum in bonis animae vel corporis proprii vel proximi. Constat ex communi interpretatione et consuetudine, quae est optima legum interpres. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 324.*

Resolves. — 1° Excusantur aegroti, infirmi, convalescentes, quibus nocet foras prodire. Item qui infirmos custodire debent. — *S. Lig. n. 325.*

2° Excusantur viatores, quibus non occurrit ubi Sacro intersint, aut qui non possunt iter interrumpere, propterea quod rhedarii publici, vel socii viae, sine quibus iter incommodis aut periculo non careret, sistere abnuunt.

3° Excusantur, qui custodiunt gregem vel domum, aut qui cibos parare debent, aut similia necessaria peragere; si tamen plura fiant Sacra, omnes, quoad fieri potest, Missam successive audire debent. — *S. Lig. n. 326.*

4° Excusantur matres et nutrices, quae neminem habent cui relinquant parvulos, nec eos ad Ecclesiam ducere possunt sine magna adstantium perturbatione. Si sint duo coniuges tantum, alternis vicibus Sacro interesse convenienter poterunt. — *S. Lig. ibid.* (*a*).

5° Excusantur saepe, qui ab Ecclesia longe distant, ita ut ad

** (*a*) Addit S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 330.*): *Excusantur viduae ratione luctus, et etiam filiae et sorores.* Quoad temporis spatium addit, non extendendum usque ad mensem, cum S. Carolus mensem tantum permiserit. Subdit tamen, quod *si alia esset consuetudo in aliquo loco, non esset damnanda de peccato gravi.* Et merito; nam si ratio excusandi est consuetudo, haec pari modo pro mense, ac pro longiori tempore valere debet. Illud unum obscurum est, cur excusationem restringat ad limites *peccati gravis.* Nam si vere viget eiusmodi consuetudo, non apparet, cur etiam a *culpa levi* non excuset.

eam accedere sine magna difficultate praesertim hiemali tempore non possint.

6° Excusantur famuli, si ministerium suum omittere non possint sine gravi detrimento domini, aut si ab eo probibeantur, nec alium dominum facile invenire queant. Sedulo tamen curare debent, ut impedimenta removeant, si possint. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 327.* — *Reuter, n. 288.*

352. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Quaenam distantia excuset a Missa?*

Resp. Non potest absolute assignari, sed ex adiunctis personarum, locorum et temporum determinanda est. Regulariter autem excusat distantia trium milliarium, seu iter pedestre unius horae cum quadrante, atque etiam quid minus, si plueret aut ningeret, aut alia causa adesset. — *S. Lig. n. 329.; Hom. apost. n. 41.*

353. — Quaer. 2° *An excusetur a Missa infirmus in dubio, utrum incommodum sit satis grave?*

Resp. In hoc casu standum est consilio medici, Superioris, Parochi, Confessarii, vel alterius viri prudentis. Imo potest infirmus etiam iudicio proprio acquiescere, si ita prudenter iudicet. Quid vero si, petito consilio, dubius adhuc remaneat? — Absolute ad Missam non tenetur, quia stante periculo gravis damni iudicandum est, matrem Ecclesiam non obligare. — *Ita valde probabiliter* ait *S. Lig. n. 325.* — In praxi satius est, ut dispensatio petatur, si facile peti possit.

Quaer. 3° *An excuset occasio lucri notabilis faciendi?*

Resp. Affirm. probabiliter, quia praecepta Ecclesiae non obligant cum incommodo valde gravi, ut constat ex dictis in *Tract. de Leg. n. 100.* Sed huiusmodi lucrum extraordinarium esse debet.— *S. Lig. n. 332.* — *Elbel, n. 368.* — *V. Casus, n. 347. et seq.*

CAPUT II.

DE IIS QUAE DIEBUS DOMINICIS ET FESTIS PROHIBENTUR

Agendum 1° de operibus diebus festis prohibitis; 2° de causis ob quas aliquando licite exercentur.

ARTICULUS I.

DE OPERIBUS QUAE DIEBUS FESTIS PROHIBENTUR

354. — Triplicis generis opera distinguenda sunt: 1° opera *servilia* seu corporis (*a*), quae a servis seu mercenariis fieri solent,

(*a*) Opera *corporis* intellige, quae et utilitati corporis serviunt, et corporis potius, quam animi viribus exercentur. Opera vero *animi*, quae potius animi viribus peraguntur, et ad animum potius excolendum per-

2° opera *liberalia* seu animi, quae a personis liberis ordinarie exercentur; 3° opera *communia* seu naturalia, quae ab omnibus indiscriminatim fiunt. Distinguuntur etiam opera *forensia*, quae ad forum iudiciale aut mercatum spectant. — *S. Lig. n. 272.*

355. **Principia.** — I. Prohibentur *per se* sub gravi omnibus fidelibus opera servilia proprie dicta diebus festis integris, id est, toto die naturali, de media nocte ad mediam noctem. Constat ex Iure canonico, *c. 3. de Feriis*, ex consuetudine et praxi perpetua Ecclesiae (*a*).

II. Prohibentur etiam opera forensia, nempe actiones forenses, quae cum apparatu iudiciali habentur, ut partes interrogare, testes et advocatos audire, sententiam ferre, etc. Ita ex *Iur. can. ibid.* (*b*). Excipe tamen, si quando causa criminalis iam incepta interrumpi sine gravi incommodo vel damno nequeat. — *S. Lig. n. 284.*

tinent. Quae tamen distinctio ad definiendum, *quid liceat aut non liceat*, non admodum confert. Hac enim in re plurimum deferri debet consuetudini, qua etiam fit, ut quae alicubi licite peraguntur, alibi nota et offensione non careant.

Interim illud generatim praestitui debet, rationem operis *servilis* nec ab intentione desumendam esse, nec a lucro percepto, imo neque a corporis defatigatione. Ita servile erit arare alterius agrum, quamvis ex mera charitate id fiat, et prorsus gratis; contra non erit servilis pulsatio organorum, aut saltatio, utut diuturna et laboriosa, aut transcriptio lucri causa per totum diem protracta.

(*a*) Ecclesia tamen, uti benigna mater, ut divinum cultum cum temporali fidelium utilitate conciliaret, subinde aliquibus locis indulsit, ut quibusdam diebus festis post auditam Missam opera servilia exerceri possent. — *Vid. S. Alphons.* (*Lib. 3. n. 268.*).

(*b*) Imo ex iure canonico (C. *Conquestus 5. De Feriis*) actus iudiciales habiti die festo declarantur irriti.

Excusat porro tum *necessitatis*, ut A. subdit, tum etiam *pietatis* causa. Necessitatis causae habentur 1° Si res vel actio tempore sit peritura; 2° Quando debitor suspectus est de fuga, dilapidatione, vel deterioratione rei, super qua est conveniendus 3° Si partes litigantes, uti fere sunt pauperes et rusticani homines, aliis diebus sine notabili incommodo comparere aut in iudicium vocari nequeant; 4° Si contra latrones sit procedendum, et periculum sit in mora (ex L. *Provinciarum 10.* C. *De Feriis*), *ne sceleratorum* (ut lex habet) *differatur proditio consiliorum;* 5° Si delinquentem propter atrocitatem criminis, ad exemplum et terrorem aliorum, in magno populi concursu plecti publice interesset; 6° Cum periculum est damni publici aut privati, spiritualis aut corporalis; quia huiusmodi damnum imponit necessitatem moralem; necessitas autem legem non habet.

Ratione autem *pietatis* et misericordiae diebus festis expediri possunt 1° Causae alimentorum, carceratorum, pupillorum, viduarum, pauperum et miserabilium; quia in operibus misericordiae dierum distinctio non est habenda, ut habet glossa *ad Cap. fin. h. t. V. Pietas;* 2° Quando alioqui, si causae cognitio differretur, pia causa pateretur incommodum; quia summa ratio est, quae pro Religione facit; 3° Cum hoc exigit pietas et observantia erga patriam; 4° Si causa sit matrimonialis, et periculum adsit incontinentiae, nisi diebus festis iudicetur de valore matrimonii, et impedimenti; 5° Quolibet die feriato expediri possunt, quae pertinent ad pacem et concordiam; unde eodem tempore etiam transactiones et pacta fieri possunt. — *Ita Schmalzgr.* (*Lib. 2. Tit. 9. n. 52-53.*).

III. Eodem iure prohibentur mercatus, nundinae, venditiones publicae, et alia similia, quae cum strepitu fiunt. Excipiuntur tamen, ob consuetudinem generaliter receptam, nundinae ad certum diem constitutae, si in diem festum incidant. — Sic declaravit *Benedict. XIV, Const. Ab eo tempore,* etc. — *Vide S. Lig. n. 286.*

IV. Licita sunt opera *liberalia,* opera *communia,* et opera aliqua quae videntur *servilia,* sed requiruntur ad quotidianum usum, victum, necessitatem et dispositionem corporis, vestium, vel domus, ut coquere cibos, sternere lectos, verrere domum, et alia quae commode differri vel anticipari aut non possunt, aut non solent (*a*). Ita ex praxi communi et omnium sensu.

356. **Resolves.** — 1° Prohibentur diebus festis opera ruralia, ut arare, terram effodere, serere, metere, vineas colere, etc. Item opera artium mechanicarum, v. gr. caementariae, ferrariae, lignariae, sartoriae, sutoriae, tectoriae, etc. Item pleraque opera, quae arti typographicae deserviunt. Excipiunt probabiliter characterum collocationem. — *Elbel, n. 401.* — *Laymann.* — *Sporer.* — *Tambur.* — *S. Lig. n. 282.*

2° Item non licet quaedam facere, quae levem laborem exigunt, et quae a Monialibus confici solent, v. gr. rosaria, scapularia, imagines cereae, flores artificiales, etc.; quia haec in usu communi inter opera servilia adnumerantur. Attamen cum isti labores et alii similes leviusculi sint, nec animum valde occupent, neque corpus admodum defatigent, iuxta plures permitti possunt, modo ultra duas horas non producantur. Similiter iidem DD. excusant ancillas, quae occupantur in decerpendis rosis, decorticandisve pomis, etiam seclusa urgenti necessitate. — Sic *Elbel, n. 408., Bonacina, Filliuccius,* etc. — Sed potius dicendum videtur, in his operibus maius temporis spatium requiri, ut adsit culpa letalis. Ita opinatur *S. Lig. n. 282.* — Non sunt tamen de ulla culpa arguendi, qui in talibus occupationibus exiguo tempore vacant (*b*).

(*a*) Cavenda heic subtilis inquisitio, an in istiusmodi quidpiam forte anticipari, vel differri queat; ne scilicet ad inanes iudaismi observantias declinemus.

(*b*) Exempla hic habes opinionum, quas vix aut ne vix quidem ad communia ac recepta principia reduci posse, non immerito putes. Quid enim ad quaestionem *de opere servili* confert corporis defatigatio, aut occupatio animi? Numquid quia levissime corpus defatigatur, et nihil occupatur animus inter nendum aut tibialia manibus texenda, opus dicetur minus servile? Insuper si opus servile non est, cur ad duas tantum horas permittetur? Si vero est servile, cur vacabit culpa in ipsum incumbere per duas horas? Melius ergo haec ratione consuetudinis explicantur, quae praxim praecepta servandi docet, imo et legitime statuit.

Quod vero ad scapularia seu rosaria attinet, aliud subintrat elementum, pietas nimirum, si gratis hi labores et more ad pietatem fovendam suscipiantur. Qua in re consuetudo et fidelium sensus contradicit principio, quod supra tetigimus, nihil nempe referre, gratis ne quidpiam fiat, an lucri causa. Nam valet hic quod de sacris quoque vestibus aut quibus-

3° Licite ex recepta consuetudine venduntur et emuntur in officinis publicis esculenta, poculenta, calceamenta, candelae, panni ad vestes conficiendas, et alia huiusmodi. Attamen mercatores debent officinas suas claudere (*a*), ut ostendant se diem Dominicum ab aliis diebus distinguere.

4° Licite venduntur et emuntur domus, equi, boves aliaeque merces, sive praesentes, sive absentes, sive in parva, sive in magna quantitate, etiamsi in hoc notabile tempus impendatur, dummodo haec fiant inter privatos (*b*).

5° Tolerantur etiam alicubi publicae venditiones sub hasta, post peracta divina Officia; quia aliis diebus pauciores essent concurrentes, etc. Toleratur itidem, ut mercatores rerum parvi momenti (gallice *petits merciers*) ex uno loco in alium merces deferant, ostendant et vendant. — *Bouvier.*

357. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An liceat scribere vel transcribere die festo?*

Resp. ad 1um *Affirm.*, quia hoc opus omnino liberale est, cum in eo praecipue animus agat. — *Ita omnes.*

Resp. ad 2um *Affirm.*, etiam *probabilius*, quia transcribere, sicut scribere, ordinatur ad mentem instruendam. — *Ita communiter cum S. Lig. n. 279.*, contra *Billuart et alios.*

Hinc 1° licet etiam exarare delineationes artificum et fabrorum, notas musicorum efformare. — *Elbel, n. 400., et alii.*

2° Pariter fas est etiam libros corrigere, sive id fiat delendo lineas, sive superponatur charta conglutinata. Licet enim hoc servile videatur, accessorium tamen est, cum *per accidens* ab ipso corrigente fiat. — *Elbel, n. 401.*, etc.

QUAER. 2° *An liceat sculpere vel pingere?*

Resp. ad 1um *Neg. per se,* quia sculptura inter artes mechanicas communiter habetur. — *S. Lig. n. 281.; Hom. apost. n. 10.* — *Probabiliter* tamen excipiendum, si de sola operis perfectione agitur.

Resp. ad 2um *Controvertitur.*

dam Ecclesiae ornamentis die festo conficiendis ex fidelium sensu admitti debet, licere haec, si gratis et ad Dei honorem; non licere, si ab artifice pro mercede fiant. Et ratio est, quia in altero casu merum opus pietatis apparet, in altero nequaquam.

(*a*) In his quoque plurimum sibi vindicat consuetudo et varia pro variis locis necessitas, et exinde etiam variae necessitatibus loci congruae dioecesanae leges.

(*b*) Praecepto non celebrandi contractus (qua de re S. Alphonsus, *Lib. 3. n. 286.* innuit decretum S. Pii V, et Congr. Rit.) derogatum est consuetudine, ut bene advertit Schmalzgrueber (*Lib. 2. Tit. 9. n. 23.*). Imo notat S. Alphonsus (*l. c.*), ferre consuetudinem, ut contractus non modo private celebrentur, sed etiam per instrumenta, dummodo non requirant strepitum iudicialem, v. gr. testamenta, instrumenta sponsalium, venditionum, etc.; licet advertat, alicubi Notarios solere ad hoc generalem petere licentiam, quae ceterum communiter conceditur. Sed rursus etiam in his spectandae erunt cuiusque loci consuetudines.

I[a] SENTENTIA *affirm.*, quia pictura est ars liberalis, vel saltem media inter liberales et serviles; est enim quid scriptioni simillimum, modo tamen pictura fiat sine magno labore, qualis haberetur colores miscendo, tabulas praeparando, etc. — *Ita Laymann, Azor, Sporer,* etc.

II[a] SENTENTIA *neg.*, quia dici nequit actio liberalis, cum non dirigatur, ut scriptura, ad animum excolendum, et quia pingere fere idem est ac sculpere, quod opus servile est. — *Ita Salmant., Sanchez, Suarez,* etc. — Utramque sententiam merito *probabilem* dicit *S. Lig. n. 280.* (*a*).

358. — QUAER. 3° *An imagines acu pingere liceat?*

Resp. Controvertitur. Excusant multi: id enim magis refertur ad exercendum ingenium, quam ad operandum. — *S. Lig. n. 281.— Sporer, n. 45.*, etc.

QUAER. 4° *An liceat venari et piscari?*

Resp. Affirm. Quia haec non sunt opera servilia, et consuetudine tolerantur, modo non fiant magno cum labore, conatu, strepitu vel apparatu. — *S. Lig. n. 283., et alii communiter* contra *paucos.*

QUAER. 5° *An liceat iter agere pedibus, equo, curru? — Item an liceat ducere currum vel iumenta onusta?*

Resp. ad 1[um] *Affirm.*, ut ex praxi universali aperte constat. Sententia opposita relinquenda est ut antiquata, ait *S. Lig. n. 275.*, post *Roncaglia.* Pariter licet uti lectica ab hominibus portata, ubi viget talis consuetudo. — *S. Lig. ibid.*

Resp. ad 2[um] *Controvertitur,* extra casum necessitatis. Sententia nunc *probabilior affirmat* esse licitum, non solum ad iter inceptum continuandum, sed etiam ad illud inchoandum, dummodo ad currum onerandum ingens ac diuturnus labor non requiratur; a quo tamen labore facile excusat sive gravis damni vitandi, sive publicae utilitatis procurandae causa, sive consuetudo, quae in contrarium alicubi forte invaluerit. — *S. Lig. n. 276.*

QUAER. 6° *An liceat molere die festo?*

Resp. Affirm. probabilius, si mola volvatur aqua vel vento, quia parvus vel fere nullus hominum labor requiritur. Secus autem, si iumentis agatur, nisi exigua sit hominis cooperatio. — *S. Lig. n. 277. — Lacroix, n. 578. — Tambur.*, etc.

359. — QUAER. 7° *An liceat tonsoribus die festivo barbam radere?*

(*a*) Probabilitatem primae sententiae *affirmantis* concedunt ultro etiam illi AA., qui negantem sequuti sunt: atque adeo certum est, non constare, id operis servile esse ac prohibitum.

Aliquid tamen in hoc quoque deferendum videtur sensui communi, qui consuetudinem, optimam legum interpretem, exhibet. Porro communis fidelium sensus dum non damnat generatim pingendi opus ut servile, abhorret tamen ab eo apparatu, qui mercenariam artificis operam, praesertim in parietibus quopiam, ut aiunt, ornatu decorandis, praefert.

Resp. Affirm. Ratio 1° ex generali consuetudine deducitur (*a*); 2° quia plerumque solis diebus festis opifices et praesertim rustici officinas petunt, ut barba eis radatur. Si igitur hi postulantibus operam non praeberent, magno ipsorum detrimento derelinquerentur. — *Ita Viva, Tamburinus, Gousset, Bouvier,* etc.

QUAER. 8° *Quaenam materia sit gravis in opere diebus festis peracto?*

Resp. Requirunt multi saltem tres horas. *S. Lig. n. 305.,* pluribus sententiis allatis, magis accedit sententiae *Lacroix* generaliter concludentis, quod communior et probabilior nunc est sententia, non esse mortale, nisi laboretur saltem multum ultra duas, puta duas horas cum dimidio. — Et *Hom. apost. n. 25.,* addit cum *Mazzotta,* excusari etiam maius temporis spatium ex aliqua necessitate. Addit *n. 307.,* in forensibus et iudicialibus materiae quantitatem desumi non ex quantitate temporis, sed ex qualitate operis.

QUAER. 9° *An peccet graviter, qui die festo mandat sex famulis, ut laborent per horam?*

Resp. Neg. probabilius per se, sive famuli laborent simul, sive successive, quia opera famulorum non uniuntur in unum, et singuli tantum venialiter peccant; ergo venialiter tantum peccat dominus eos ad opus inducens sub veniali culpa vetitum. — *S. Lig. n. 306., et alii communius.*

ARTICULUS II.

DE CAUSIS OB QUAS OPERA SERVILIA DIE FESTO PERMITTI POSSUNT

Tres praecipuae numerantur, scilicet charitas, pietas, necessitas.

360. — I. *Charitas erga proximum.* Hinc licet die festo 1° facere quod est necessarium ad infirmos sublevandos; 2° fodere sepulturam ad mortuum sepeliendum; 3° laborare pro aliquo paupere determinato, cui ratione gravis necessitatis laborare liceret (*b*); non tamen iuxta graves theologos pro pauperibus in genere, nisi agatur de conficiendis vestibus aut aliis eiusmodi, quae usui pauperum deservire debent, non vero ad lucrandam pecuniam, quae pauperibus erogetur (*c*). — *S. Lig. n. 294.; Hom. apost. n. 47.*

** (*a*) Non omittendum hic, quod S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 290.*) habet de hisce consuetudinibus. *Notandum* (inquit) *circa consuetudinem id quod dicit Viva, scilicet, quod ad excusandum sufficit probabilis consuetudo; sufficit enim, ut dicunt Salmanticenses cum Salas, Granad. etc. dictum unius doctoris eximii, etiam moderni, qui consuetudinem afferat. Bene autem advertit Mazzotta, quod in dubio de consuetudine possidet praeceptum, unde petenda est dispensatio; secus, si probabile sit adesse consuetudinem.* Hoc loco igitur videtur discedere a principio illo, quod dicunt *possessionis*, de quo vide et VV. animadversiones supra in Not. ad *Q. 5. n. 79.*

(*b*) Ita, v. gr. cum pauperi liceat pannos sibi resarcire aut eos purgare, licebit et aliis haec illi servitia gratis exhibere.

** (*c*) Hac distinctione conciliantur DD. specie tenus dissidentes, quasi

II. *Pietas erga Deum.* Licet ob pietatem 1° facere omnia opera proxime ad cultum Dei inservientia, ut ornare templum, altare, etc.; 2° verrere Ecclesiam, aliaque praeparare quae ad eius munditiem pertinent. Non autem licet Ecclesiam aedificare, reparare, lapides ad hoc secare, ornamenta facere, etc.; quia haec remotius ad servitium divinum inserviunt. — *S. Lig. n. 292-293.; Hom. apost. n. 17.* (*a*).

361. — III. *Necessitas,* sive propria, sive aliena, tum animae, tum corporis. Hinc

1° Excusantur pauperes, qui aliter se suosque alere non possint, modo privatim, et secluso scandalo laborent.

2° Excusantur omnes, quorum opera incepta interrumpi nequeunt sine magno damno, ut fundentes ferrum, etc.

3° Excusantur pariter pistores, qui panem recentem habere debent, ut ementibus satisfaciant.

4° Item sartores, qui conficiunt vestes funebres aut nuptiales, quas neque per se neque per alios ante festum perficere valent.

5° Item agricolae, qui ob praeteritam, aut imminentem pluviam foenum vel segetes vertunt, ligant, vehunt.

6° Item famuli ad laborandum coacti, si alium dominum facile et cito invenire sine magno incommodo non possint.

7° Excusantur fabri ferrarii, qui equos in via vel a rusticanis adductos calceant, aut vomeres agricolis die sequenti necessarios reducunt; necnon ii qui currus casu fractos, pontes aut vias publicas reficiunt, si opus sine iactura boni publici differri nequeat.

(Vid. S. Alph. *Lib. 3. n. 293.*) ad quaedam pro pauperibus opera suscipienda quidam exigant *extremam* aut certe *gravem* pauperis necessitatem, alii vero *communem* sufficere censeant. Hi scilicet de rebus, v. gr. pannis in eorum usum concedendis agunt; illi vero de conficiendo opere, cuius merces iis in eleemosynam tribuatur. Proinde minus ad rem S. Alphonsus (*l. c.*) ad quaestionem, *An diebus festis liceat conficere vestes pro pauperibus,* scribit: *Dicunt Viva, Tamburini, Sporer, Roncaglia, et Salmanticenses, tunc solum licitum esse laborare, cum pauper actu graviter indiget.* Sed isti DD. non de veste conficienda aut resarcienda pro paupere quaestionem faciunt, sed de eo, qui laboret, ut ex lucro deinde eleemosynam eroget.

(*a*) Prioris generis operibus S. Alphonsus ex aliorum sententia, quam sine nota refert (*Lib. 3. n. 293.*), accenset etiam conficere ornamenta pro Ecclesia *indigente,* quae nempe ad haec pares reditus non habet, uti, v. gr. sericos flores componere, tapetes, mappas, purificatoria, corporalia, planetas et alia eiusmodi consuere, etc.

Quoad posteriora vero licet probabiliorem censeat opinionem, quae licere haec negat, admittit tamen (*l. c.*), licitos eiusmodi labores, si ecclesia pauper sit. Tum ex Salmanticensium aliorumque sententia subdit: *Quia fere ecclesiae et monasteria his temporibus egestate laborant, idcirco pro his et pro hospitalibus, confraternitatibus et similibus posse homines licite laborare, templa extruendo, segetes metendo, agros colendo,* etc.

Duo tamen quoad praxim adverte: 1° reipsa non solere hos labores suscipi, nisi cum loca pia vere paupertate laborant; 2° facultatem ab Ordinario peti consuevisse etiam ad scandalum populi vitandum.

8° Excusantur etiam ii, qui laborant ad utilitatem publicam urgente aliqua necessitate, v. gr. si agatur de celebranda victoria, de festo praeparando in Principis adventum, aut alterius publicae exultationis gratia.

9° Excusantur quoque probabiliter illi, qui laborant ob lucri *notabilis* et *extraordinarii* circumstantiam, quia pro istis tale lucrum omittere idem est ac damnum grave pati (*a*). — *S. Lig. quoad omnia,* a *n. 296.* ad *n. 304.*

Licet autem quotquot hucusque enumerati sunt, dispensatione non indigeant; suadendum tamen fidelibus est, ut si commode possint, veniam a Superiore ecclesiastico postulent, ne scilicet cupiditate decepti absque sufficienti ad excusandum causa cum aliorum scandalo laborent. Superior autem hic intelligitur praesertim Episcopus; qui licet generalem pro subditis omnibus dispensationem tribuere non possit, multoque minus permanentem (quippe id suppressioni festorum aequivaleret); at quoad aliquos actus cum particularibus personis ex rationabili causa dispensare potest; immo hanc facultatem etiam parocho consuetudo concedit.

10° Non autem excusandi, imo severe redarguendi sunt, qui saepius post mediam noctem inceptum laborem in diem festum etiam praetextu necessitatis protrahunt; quia plerumque illa necessitas ipsis voluntaria est, cum saepissime in eam se coniiciant, vel plura assumendo opera ad certum diem perficienda, quam quae explere possint, vel non adhibendo eum operariorum numerum, quem opus requireret, vel intra hebdomadam rebus inutilibus tempus terendo. Facilius illos excusares, quibus traditum die praecedenti fuisset opus perficiendum in diem festum sequentem.

362. — QUAER. *An excuset otii vitandi ratio?*

Resp. Neg., communiter loquendo. Etenim ratio ista prorsus insufficiens est ad legem Ecclesiae adeo gravem posthabendam. Excipiunt *Laymann, Mazzotta,* etc., si otium probabile peccandi periculum inducat; quia (aiunt) si excusat periculum damni temporalis, *a fortiori* periculum damni spiritualis excusare debet. Sed hoc S. Alphonsus (*n. 362.*) libentius restringit ad casum, in quo urgeret tentatio, quae aliter vinci non posset, quod raro accidit. — *V. Casus, n. 354. et seq.*

(*a*) Ratio ex S. Alphonso (*Lib. 3. n. 301.*) est, quia *illi, qui laboribus se sustentant, raras habent occasiones talis magni lucri acquirendi, et existimant magnum damnum sustinere, quando magnum lucrum amittunt; in idem enim coincidunt, aliquid amittere et prohiberi acquirere, quod amplius acquiri non potest.*

DE IV. DECALOGI PRAECEPTO

Honora patrem tuum et matrem tuam. Exod. 20. 12.

Hoc praeceptum *primario* et *directe* respicit obligationes filiorum erga parentes; *secundario* autem et *implicite* spectat obligationes parentum erga filios, necnon obligationes mutuas aliorum Superiorum atque inferiorum.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONIBUS FILIORUM ERGA PARENTES

363. — Filii erga parentes specialissima obstringuntur obligatione. Tria autem officia parentibus a filiis exhibenda sunt titulo pietatis, amor videlicet, reverentia et obedientia (*a*). Triplicem enim respectum habent parentes ad filios, nempe ratione causae, ratione praeeminentiae, et ratione regiminis. Consequenter filii eos amare debent ut suae existentiae auctores, revereri ut Superiores, eisque tamquam rectoribus a Deo legatis obedire.

I. *Amor.*

Filii parentes amare debent amore tum *interno*, ipsos pio et benevolo cordis affectu prosequentes; tum *externo*, omne malum et iniuriam notabilem ab ipsis propulsantes, necnon externae benevolentiae signa eis exhibentes, iisque in necessitate constitutis pro facultate subvenientes. Constat ex iure naturali. Quamvis igitur genitores nostri defectus quantumvis graves habeant, et quovis modo erga nos se gesserint, eis tamen debemus vitam et conservationem, quod omnium sane beneficiorum maximum est. Hinc *Eccli.* 7. *29. 30: Honora patrem tuum, et gemitus matris tuae ne obliviscaris. Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses; et retribue illis, quomodo et illi tibi.*

364. **Resolves.** — 1° Peccant graviter filii contra virtutem pietatis, si parentes interius odio habeant, exterius signa odii ipsis exhibeant; si eos aspere tractent, vel torvis oculis intueantur, perinde ac si odio haberent.

(*a*) Amor, obedientia et obsequium seu reverentia, quae aliis hominibus debentur ex virtute *charitatis*, vel *observantiae*, etc., prouti parentibus exhibentur, pertinent ad aliam virtutem; quia eiusmodi officia specialiter illis debentur tamquam vitae et educationis nostrae post Deum auctoribus; adeoque adaequatio huius debiti pertinet ad specialem virtutem quae *pietas* dicitur; quae tamen pietas erga parentes differt a pietate erga Deum, quae consistit in studio interioris devotionis, et ad virtutem *Religionis* pertinet. *Vid. S. Thom.* (*2. 2. q. 101. art. 1. et 5., et q. 102. art. 1.*).

2° *A fortiori,* si malum eis exoptent, et ipsam mortem, ut liberius vivere, vel hereditate eorum potiri possint, vel ut cura et custodia eorum liberentur; si ipsis coram aliis graviter detrahant; si vi, dolo aliisve iniustis mediis a condendo testamento illos impediant, etc.

3° Item, si eos ad iram provocent, et gravem tristitiam absque iusta et gravi causa ipsis afferant, praesertim si eos contristent usque ad lacrymas. Sic enim in *Prov. 19. 26: Qui affligit patrem et fugat matrem, ignominiosus est et infelix.* Et *Eccli. 3. 18: Est maledictus a Deo, qui exasperat matrem.*

4° Si parentibus graviter indigentibus alimenta et alia necessaria non subministrent, cogentes eos ad mendicandum aut ad exercendam artem ipsorum statui indecoram; si eos infirmos, afflictos aut senio confectos non visitent, vel eis non compatiantur, opemque illis ferre renuant; praesertim vero, si illis non subveniant in necessitatibus spiritualibus, ut nempe ipsis in articulo mortis Sacramenta administrentur, etc. — Tandem si ipsis vita functis non curent, ut exequiae et Ecclesiae caeremoniae modo eorum conditioni congruo persolvantur. — *S. Lig. n. 333.*

II. *Reverentia.*

365. — Filii parentibus exhibere debent reverentiam tum internam, ut illos nimirum agnoscant tanquam Superiores, et ideo timorem quoque reverentialem erga eos habeant; tum externam, quae in verbis et factis sita est. Hinc *Eccli. 3. 9: In opere et sermone, et omni patientia honora patrem tuum.* — Et *ibid. 8: Qui timet Dominum honorat parentes, et quasi dominis serviet his, qui se genuerunt.* — *Deut. 27. 16: Maledictus qui non honorat patrem suum et matrem, et dicet omnis populus: Amen.*

366. **Resolves.** — 1° Graviter peccant filii, si parentes percutiant, etiam leviter, sed iniuriose. Quod crimen vetustis etiam temporibus adeo visum est atrox, ut olim apud Hebraeos morte plecterentur quicumque illud admisissent, *Exod. 21. 15: Qui percusserit patrem suum, aut matrem, morte moriatur.* — Item si voluntatem percutiendi ostendant, v. gr. in eos manum attollendo, vel baculum aut aliud instrumentum ad percutiendum arripiendo. Item si eiusmodi minas ipsis quovis modo intentent, etc.

2° Graviter peccant, si parentibus maledicant, ut patet ex verbis *Exod. 21. 17: Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur:* vel si convicia in eos coniiciant, eosque iniuriis aut verbis contumeliosis, quibus sciunt graviter eos offendendos esse, afficiant; si ipsis graviter illudant risu, subsannationibus, gesticulationibus, improperiis, derisionibus, aspectu torvo, etc., modo tamen haec ex despectu, non vero ex levitate, aut simplici rusticitate fiant. Sic enim

Prov. 30. 17: Oculum, qui subsannat patrem... effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilae.

3° Graviter peccant, *per se loquendo,* si valde superbe et amare eos reprehendant, contradictionibus exasperent, vel asperis verbis alloquantur, vel sine causa moerore gravi eos afficiant; et *a fortiori* si per haec usque ad iram gravem eos provocent; si eis signa reverentiae iuxta morem patriae aut conditionis suae studiose recusent, v. gr. si non assurgant ipsis advenientibus, aut caput non detegant, aut illos non salutent, modo tamen ex his parentes se graviter offensos existiment.

4° Item si eos pauperes, miseros, male vestitos despiciant, aut erubescant, aut agnoscere recusent, aut ut incognitos et extraneos habeant. Excipe tamen, si secluso contemptu ac superbia, iustam ob causam fingant se illos non agnoscere, v. gr. ad vitandum aliquod incommodum, quod incurreret filius, si parentes eius noscerentur, etc.

Quaer. *An graviter peccent filii percutientes, aut male et irreverenter habentes, parentes hebetes, amentes, prae senio delirantes, ebrios,* etc.

Resp. Affirm., si ex malitia aut contemptu agant. Patet exemplo infelicis Cham, filii patriarchae Noe, qui maledictus fuit a patre et a Domino ipso, quod irreverenter erga patrem ebrietate captum egerit. Secus tamen, si obiurgatio vel aliqua paulo severior tractatio sit necessaria ad parentes ratione carentes cohibendos.

III. *Obedientia.*

367. — Filii parentibus obedientiam praestare debent in omnibus licitis et honestis ad eorum curam pertinentibus, dum sub eorum potestate versantur. Constat ex iure naturali et ex Scriptura, *Ephes. 6. 1: Filii, obedite parentibus vestris in Domino; hoc enim iustum est. — Coloss. 3. 20: Filii, obedite parentibus per omnia; hoc enim placitum est Domino.*

368. **Resolves.** — 1° Peccant plus minusve filii, si in re spectante ad mores, animae salutem, et domus gubernationem parentes audire nolint, licet inconsideratio vel aetatis defectus illos ex parte excuset.

2° Item si prava consortia, si aleas aliosve huiusmodi lusus, aut loca periculosa, ut popinas, choreas, theatra, aut alia similia, non obstante seria parentum prohibitione, frequentent; peccant praesertim filiae, quae invitis aut etiam insciis parentibus cum procis conversantur, vel noctu domo egrediuntur, aut solae amasios alloquuntur.

3° Item si neglecto parentum mandato Sacramenta aut alia religionis officia notabiliter omittant; si operam dare nolint litteris

aut artibus statui suo congruentibus, sicque tempus absumant, et expensas pro ipsis factas inutiles reddant.

4° Item si quae ad bonum regimen, pacemque familiae multum spectant, exequi recusent, vel si omnia pro arbitrio suo administrare velint, spreta parentum auctoritate, praesertim si arroganter et superbe respondeant: *Non faciam, age negotia tua.* — *Nihil volo mihi praecipiatur.* — *Taedium et fastidium mihi affers,* etc.

5° Non raro tamen in praxi a peccato gravi excusari potest inobedientia filiorum ob animi levitatem, inadvertentiam, vel ob quamdam negligentiam humanam, et saepissime ob parvitatem materiae. Imo saepe ab omni culpa immunes censeri debent ob defectum praecepti rigorosi ex parte parentum. Ut enim peccatum praesertim grave contra obedientiam committatur, requiritur, ut parentes videantur stricte praecipere, non vero solum suadere, sollicitare, aut mentem suam significare. Dignoscitur autem praeceptum verum iniungi ex modo serio seu severo, quo res praecipitur, et ex aliis adiunctis, v. gr. ex necessitate et magnitudine rei praeceptae, ex poena apposita, etc.

6° In rebus autem pravis, filii nec obedire debent, nec possunt. Patet ex iure naturali. Item ex Scriptura sacra. Sic enim *Act. Apost. 5. 29: Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* — *Matth. 10. 37: Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.*

369. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An filii teneantur obedire parentibus in electione status?*

Resp. Neg. per se, quia quilibet homo quoad modum tendendi ad Deum, ut finem suum ultimum, est omnino independens ab aliis hominibus (*a*); et proinde graviter peccant parentes, qui filios invitos aut directe aut etiam indirecte cogunt ad statum eligendum sive religiosum, sive clericalem, sive coniugalem; vel contra, si eos omnino invitos ab aliquo vitae statu eligendo sine iusta causa impediant.

Dixi *per se.* secus enim dicendum, si parentes ob graves et rationabiles causas filiis contradicant, v. gr. si in gravi necessitate

(*a*) *Modum tendendi in Deum* intellige quoad statum vitae. In Deum enim, uti ultimum finem, tendere est per actus quoslibet: adeo tamen *independentes ab aliis hominibus* non sumus in actibus quibuslibet, ut non modo ecclesiasticis civilibusque legibus constringamur, sed parentum quoque praeceptis etiam in iis, quae ad Dei cultum spectant, uti reipsa ipse A. *sup. n. 368. res. 3.* advertebat.

Ad rem magis faciunt duo principia, quibus S. Thomas utitur, nempe 1° vocanti Deo magis obtemperandum esse, quam contradicentibus hominibus; 2° in iis, quae ad naturam corporis pertinent, hominem homini obedire non teneri, sed solum Deo; quia omnes homines natura sunt pares: *Unde non tenentur... filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda; aut aliquo alio huiusmodi. Vid. 2. 2. q. 104. art. 4., et q. 104. art. 5.*

constituti egeant subsidio filii, nec illis alio modo succurrere hic possit, nisi remanendo cum ipsis. — *S. Lig. n. 335.* — *Elbel.*

QUAER. 2° *An possint filii amplecti statum religiosum insciis parentibus?*

Resp. Per se affirm. Imo aliquando consultius aget filius, si se divinitus vocatum sentiens ad religiosum vel clericalem statum, atque animadvertens sibi a parentibus iniuste aditum interclusum iri, rem eis celet, divinamque voluntatem exequatur. Hoc tamen non est suadendum filiis aetate *minoribus,* quoties res non adeo urget, aut non satis constat de vocatione divina. — *S. Lig. l. 4. n. 68.* In Gallia praesertim, et ubi vigeat eadem legum dispositio, cavendum est a tali consilio filiis minoribus praebendo, cum parentes auxilio brachii saecularis a quocumque loco eos abducere, et ad se revocare possint.

370. — QUAER. 3° *An filii possint, inconsultis parentibus, matrimonium inire?*

Resp. Neg., generatim loquendo, quoad *liceitatem.* Vide dicenda in *Tract. de Matrim. c. 3.*

QUAER. 4° *An possit filius minor nomen dare militiae, invitis parentibus?*

Resp. Potest, *ex Codice civili Gall. art. 374.*, modo aetatem duodeviginti annorum attigerit; hoc tamen videtur valere tantum pro foro externo; excipe, nisi adsint causae sufficientes, v. gr. si filius in domo paterna omnino male tractetur, etc. — *Ita communiter.* — *Vid. Casus, n. 359. et seq.*

CAPUT II.

DE OBLIGATIONIBUS PARENTUM ERGA FILIOS

Filiis parentes debent 1° amorem; 2° educationem.

Ratio huius obligationis in ipsis naturae visceribus et titulo generationis fundatur. Utrumque enim natura docet, imo et bruta ipsa, quae foetus suos diligunt, iisque necessaria ad vitam conservandam conquirunt.

I. *Amor.*

371. — Parentes filios prosequi debent amore interno efficaci et ordinato, ita ut non tantum omne odium animique malevolentiam exuant, sed illos corde diligant, et quantum in ipsis est, ipsorum bonum curent, iisque in omni re prospiciant. Quemadmodum enim quisque seipsum amare debet, ita parentes filios veluti aliquid sui, carnem de carne sua, sincere diligere tenentur, ita ut post Deum nihil ipsis carius habeant.

Hinc plus minusve peccant contra specialem pietatis virtutem parentes,

1° Qui pravo affectu et iniusto odio in filios incenduntur, eosque suo aspectu dedignantur, aut gravia mala eis *serio* imprecantur, iisque, ubi opus sit, non succurrunt.

2° Qui eos nominibus graviter contumeliosis compellant. Sic enim ansam iracundiae ipsis praebent, eosque faciunt morosos et contumaces, contra illud Apostoli, *Ephes. 6. 4: Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros.*

3° Qui occulta eorum delicta sine iusta causa manifestant externis. Possunt tamen sibi invicem parentes ea revelare, quia communicant in potestate puniendi, et expedit saepe, ut utrisque nota sint ad perversionem filiorum praecavendam, etc.

4° Qui affectu inordinato eos diligunt, ita ut omnia ipsis concedant aut permittant, ne eos contristent; vel qui bonitate intempestiva utentes remissius erga illos agunt, et sive ob segnitiem, sive ob benignitatem crudelem, eos praeceptis seriis aut aliis mediis efficacibus a vitiis retrahere negligunt.

5° Qui uni prae aliis magis favent sine iusta ratione, caeterosque indifferenter intuentur, aut etiam sicut adulterinos habent; haec enim unius prae caeteris dilectio fons est et occasio iurgiorum, rixarum, divisionum et infinitorum malorum in familiis.

II. *Educatio.*

A parentibus procurari debet filiorum educatio tum corporalis, tum spiritualis.

I. *Educatio corporalis.*

372. — Educatio corporalis triplicem providentiam a parentibus exigit, scilicet ratione 1° vitae, 2° victus, 3° status.

I. *Ratione vitae.* Tenentur parentes curam prolis sedulam gerere ab ipsa conceptione, avertere omnia, quae ipsi nociva esse possunt, et invigilare, ne ulli vitae periculo exponatur.

Hinc peccant *per se* graviter 1° mulieres, quae non cavent, ne foetus in utero perimatur inordinatis lasciviis, saltationibus, oneribus gravioribus, cursu aut itinere diuturno, nimia iracundia, aut moerore vehementiori; 2° viri, qui praegnantes uxores aspere tractant, gravibus percussionibus afficiunt, aut ipsis ingentes imponunt labores; 3° coniuges, qui non cavent, ne parvuli suffocentur, eos adhuc tenerrimos secum in lecto collocantes sine ullo repagulo, aut non cavent, ne quid mali quomodolibet ipsis eveniat ex aqua, igne, bestiis, ferreis instrumentis, etc...

II. *Ratione victus.* Tenentur parentes filiis procurare quaecumque necessaria sunt ad victum, habitationem, vestitum statui et conditioni suae congruum.

Hinc peccant parentes, 1° qui filiis necessitatem patientibus non

succurrunt (*a*), donec ipsi per laborem vel industriam sibi subvenire valeant; 2° qui filios domo eiiciunt, dum non possunt adhuc sibi ipsis prospicere, vel qui eos cogunt ad mendicandum aut vilem artem ab ipsorum conditione alienam exercendam.

QUAER. *An mater filiolos proprio lacte nutrire debeat?*

Resp. Affirm., cum sententia communi, quia hoc ius naturale postulare videtur. Attamen haec obligatio non urget sub gravi, quia non apparet secus gravis deordinatio. Ab omni autem culpa excusat necessitas, notabilis utilitas, aut consuetudo apud familias nobiles vigens, etc...; sed tunc sub gravi mater bonam quoad mores et valetudinem nutricem sibi substituere debet. — *S. Lig. n. 336.* — *Collet*, etc., *et alii communiter* contra *alios* laxiores vel rigidiores.

373. — III. *Ratione status.* Tenentur tandem parentes filiis procurare statum, in quo honeste iuxta conditionem suam aliquando vivere possint. — Hinc peccant,

1° Qui diligentiam saltem mediocrem non adhibent, ut acquirant bona, ex quibus liberos convenienter sustentent, et futuro statui eorum provideant, iuxta illud Apost. *2. Cor. 12. 14: Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.*

2° Qui artem statui congruentem, aliudve genus decenter vivendi liberos non docent, nec docendos curant.

3° *A fortiori* qui pigritia, negligentia, potationibus, comessationibus, lusibus, negotiis imprudentibus rem familiarem dissipant.

4° Qui absque causa legitima dotem filiae convenientem pro matrimonio ineundo aut ingressu in religionem obstinate denegant. — *S. Lig. n. 335.*

II. *Educatio spiritualis.*

374. — Tenentur praecipue parentes filiis procurare educationem spiritualem. Ratio est, quia homo praeter esse materiale seu corporale, quod cum caeteris animalibus commune habet, donatur a Deo anima rationali ac nobilissima, ad Divinitatis ipsius imaginem creata; et conditus est, ut in Deum ceu ultimum finem supernaturalem tendat. Proinde a parentibus maxime in hunc finem instrui et dirigi debet; ideo enim matrimonium ad dignitatem Sa-

(*a*) Quoad obligationem suppeditandi corporalia subsidia pulchre S. Thomas notat discrimen inter obligationem parentum erga filios, et viceversa filiorum erga parentes. *Pater* (ait) *habet rationem principii; filius autem habet rationem a principio existentis. Ideo per se patri convenit, ut subveniat filio, et propter hoc non solum ad horam debet ei subvenire, sed ad totam suam vitam: quod est thesaurizare. Sed quod filius aliquid conferat patri, hoc est per accidens ratione alicuius necessitatis instantis, in qua tenetur ei subvenire, non autem thesaurizare quasi in longinquum* (*2. 2. q. 101. art. 2. ad 2.*).

cramenti evectum est, ut nata proles in Christo renascatur, et ad vitam aeternam praeparetur. Hinc Apostoli *1. Tim. 5. 8: Si quis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.* — Ad hanc vero educationem requiritur 1° doctrina, 2° correctio, 3° exemplum.

I. *Doctrina.* Tenentur parentes *per se* vel per aptos institutores erudire filios in bonis moribus, in observatione mandatorum Dei, in fide et in omnibus ad salutem necessariis, quia illos erudire debent in via, qua ad Deum perveniant. Hinc *Deut. 11. 19: Docete filios vestros* (verba mea) *ut illa meditentur.* — *Eccli. 7. 25: Filii tibi sunt? erudi illos a pueritia illorum.*

Sedulo igitur parentes curare debent, 1° ut filii quamprimum gratia Baptismatis regenerentur; 2° ut a tenerrima pueritia eos praecipua doctrinae christianae capita doceant, et corda eorum ad Deum inclinent; 3° ut a primis annis eos orationibus matutinis et serotinis, Ecclesiae Officiis et Catechismis assuefaciant, necnon a fallacibus mundi illecebris, pompis et voluptatibus avertant; 4° ut eis praeficiant magistros doctrina et praesertim gravitate morum conspicuos; 5° ut invigilent diu noctuque, ne pravis sociis, colloquiis et lectionibus corrumpantur.

375. — II. *Correctio.* Tenentur parentes filios delinquentes corrigere. Hinc *Prov. 13. 24: Qui parcit virgae, odit filium suum.* — Et *23. 13: Noli subtraherea puero disciplinam; si enim percusseris eum virga, non morietur.* — *Ibid. 14: Tu virga percuties eum, et animam eius de inferno liberabis.* — *Ephes. 6. 4: Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina, et correptione Domini.*

Sed correctio, ut utilis sit, debet esse moderata et prudens. Castigatio enim immoderata plus obesse quam prodesse noscitur, siquidem filios reddit morosos, stupidos, pusillanimes, et quandoque desperatione affectos; imo pro amore parentibus debito contemptum vel etiam exitiale odium parere solet.

III. *Exemplum.* Parentes bonum exemplum filiis debent, quia 1° exempla efficacius, quam verba, ad sequelam quodammodo trahunt, praesertim si a Superioribus praebeantur; 2° quia si parentes ipsi noscantur malis moribus imbuti, parum eorum verba filios ad bonos mores sectandos movebunt.— Unde S. Hieronymus, *epist. 7. ad Laetam,* ait: *Mementote vos, parentes virginis, magis eam exemplis doceri posse, quam voce.*

376. **Resolves.** — 1° Graviter peccant parentes, qui omnem curam ad temporalia tantum impendentes, spiritualium ita obliviscuntur, ut ne ipsi quidem sciant, quae ad salutem assequendam sunt necessaria, multo autem minus liberos suos instruant aut instrui curent.

2° Peccant graviter parentes, qui ut sumptibus parcant, educationem spiritualem suorum liberorum prorsus negligunt.

3° Graviter peccant *per se* parentes, qui nimia indulgentia filios corrigere notabiliter negligunt, quando alioquin id necesse foret; sed non minus peccant, qui gravioribus poenis in filios animadvertunt, v. gr. si eos mutilent, vel eis grave vulnus aut percussiones et verberationes adeo graves infligant, ut vita aut sanitas eorum notabile detrimentum capiat.

4° Duplex pariter peccatum perpetrant parentes, cum verba turpia et obscenos sermones audientibus filiis proferunt, maledicta et imprecationes evomunt, iuramenta et blasphemias eructant. His enim pravis exemplis efficiunt, ut filii haec omnia addiscant, atque eadem imitentur.

5° Graviter peccant saltem generatim parentes, qui mittunt filios ad scholas haereticas vel impias, aut eos magistro haeretico vel impio, moribusve perdito committunt, ut scientias humanas discant. Quot autem incauti et crudeles genitores nostris temporibus tam nefando scelere se obstringunt! Ab eis *animam pro anima* requiret in tremendo iudicio iustissimus Iudex. — *V. Casus, n. 368. et seq.*

377. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quaenam sint obligationes aliorum cognatorum ascendentium et descendentium?*

Resp. Eaedem sunt generatim cum debita proportione, ac parentum respectu filiorum, et vice versa; isti enim omnes, ratione generationis aliorum ab aliis, stricto pietatis vinculo invicem ligantur, praesertim si parentibus deficientibus ascendentes nepotum curam suscipiunt. — *Ita omnes.*

QUAER. 2° *Quaenam sint mutuae fratrum et sororum obligationes?*

Resp. 1° Debent se mutuo amore prosequi, non tantum communi affectu, ut caeteri homines, sed peculiari dilectione ob arctum sanguinis vinculum.

Resp. 2° Debent etiam sibi invicem succurrere quoad necessaria vitae, non tantum in extrema, sed etiam in gravi necessitate. — *Ita omnes. — Vide S. Lig. n. 340.*

CAPUT III.

DE OBLIGATIONIBUS CONIUGUM.

378. — I. Coniuges tenentur

1° Ad mutuum amorem. Cum enim sint caro una, debent etiam esse cor unum. Sic *Ephes. 5. 25: Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam. — Tit. 2. 4:* (Uxores) *Viros suos ament.*

2° Ad societatem coniugalem et cohabitationem. Patet ex natura et finibus matrimonii, et ex verbis Christi, *Matth. 19. 5: Dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.*

3° Ad alimenta et quaecumque ad honestam conditionis suae sustentationem pertinent, sibi mutuo praestanda: *Iam* (enim) *non sunt duo, sed una caro, Matth. 19. 6. — Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam. Ephes. 5. 29.*

4° Ad debitum coniugale sibi invicem reddendum, cum petitur serio, nec legitima adest illud negandi causa; quia ad id se obligarunt. Hinc Apostolus, *1. Cor. 7. 4: Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier* (nempe in ordine ad generationem).

379. — II. Vir tenetur in particulari

1° Studiose rem familiarem gerere, et bona tum communia, tum uxoris propria, debita diligentia administrare.

2° Curare, ut uxor munia christianae professionis impleat, et praecepta legis tum divinae tum ecclesiasticae exequatur. Vir enim est caput mulieris et totius rector familiae; ac proinde ad ipsum spectat tum uxoris tum aliorum familiae membrorum recta gubernatio.

3° Corrigere uxorem delinquentem, ubi opus hoc sit ad eius emendationem et ad scandalum praecavendum. Debet autem correctio procedere ex charitate vel amore iustitiae aut zelo procurandi rectam familiae gubernationem, et esse multo levior quam culpa mereatur, quia uxor est socia viri, non serva. Curandum insuper est, ne pax et amor inter eos pereant.

380. — III. Uxor ex parte sua tenetur

1° Revereri maritum, quia est ipsius Superior, ut constat ex dictis, et ex verbis *Gen. 3. 16: Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.*

2° Praestare ipsi obedientiam; quia obedientia debetur Superiori in iis, quae ad gubernationem pertinent; et Apost. *ad Coloss. 3. 18.* ait: *Mulieres, subditae estote viris, sicut oportet in Domino.*

3° Curam domus gerere in re familiari, et proinde familiae officia obire, ut parare cibos, domum verrere, lintea lavare, vestes discissas resarcire, et alia huiusmodi praestare. Nobilis tamen uxor officia viliora per famulos vel ancillas adimplere potest, modo ipsis invigilet, et curet, ut res domestica bene geratur.

381. **Resolves.** — 1° Maritus graviter peccare potest, si uxorem conviciis prosequatur, v. gr. vocando eam *adulteram, sagam,* etc.; si absque iusta causa eam impediat ab implendis praeceptis divinis vel ecclesiasticis, vel a devotionibus valde utilibus, v. gr. a discreta Sacramentorum frequentia; si eam modo tyrannico tractet instar vilis mancipii; si cum ea non cohabitet; si familiae gubernationem negligat, etc. — *S. Lig. n. 356.*

2° Uxor pariter potest peccare graviter, si maritum soleat irridere, subsannare; si verbis asperis, inobedientia contumaci, vel nimia morositate eum ad iracundiam et blasphemias provocet, etc.

3° Vir ordinarie correctionem uxoris inchoare debet per verba

suaviora, et si haec non prosint, ad graviorem correctionem devenire. Quandoque defectus uxoris dissimulare debet, quando sine peccato id potest, nec nimius esse in corrigendo, aliquando autem correptionem ad tempus differre, ne correctio ex irae aestu videatur procedere, et fructu careat, dum uxor ad eam recipiendam minus est disposita.

4° Confessarius non statim credat coniugi contra coniugem conquerenti, praesertim si uxor in maritum invehat; quia mulieres fere ad mentiendum sunt proclives. Quare melius est, re dissimulata, ipsis commendare orationem, patientiam, mansuetudinem, et maiorem sollicitudinem ad obsequia viro praestanda.

5° Taceat uxor, dum maritus est iratus vel ebrius: si monitio profutura videatur, moneat dum maritus est bene affectus; si irato respondendum sit, respondeat suaviter: responsio enim mollis frangit iram, et dura furorem suscitat. Si haec nihil obtineant, curet, ut per Parochum aut alium prudentem virum maritus admoneatur.

CAPUT IV.

DE OBLIGATIONIBUS ALIORUM SUPERIORUM ET INFERIORUM

Obligationes, quae alios Superiores aut inferiores respiciunt, eaedem servata proportione sunt generatim, ac obligationes parentum et filiorum. Hinc pauca tantum dicemus 1° de obligationibus dominorum et famulorum; 2° magistrorum et discipulorum; 3° civium erga temporalem auctoritatem.

De officiis autem Parochorum et aliorum Superiorum ecclesiasticorum in *Tractatu de statibus particularibus,* ubi de statu clericali agetur.

ARTICULUS I.

DE OBLIGATIONIBUS DOMINORUM ET FAMULORUM

§. I. *De obligationibus dominorum.*

382. — Domini tenentur famulos suos 1° benigne tractare; 2° instruere et corripere; 3° iustum pretium eis solvere.

I. *Benigne tractare,* id est decenter et humane eos alloquendo, eisque praecipiendo, bona et sufficientia alimenta praestando, nimiis operibus eos non gravando, infirmos convenienter curando. Constat ex iure naturali, et ex Scriptura sacra, *Eccli. 33. 31: Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua; quasi fratrem sic eum tracta. — Ephes. 6. 9: Et vos, domini, eadem facite illis* (servis), *remittentes minas; scientes quia et illorum et vester Dominus est in coelis, et personarum acceptio non est apud eum.*

II. *Instruere et corripere:* dominus enim est caput famuli, sicut

totius familiae: ad caput autem spectat dirigere, ubi opus est. Videtur etiam constare ex verbis Pauli, *1. Tim. 5. 8: Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.* Famuli autem inter domesticos reputantur. — *Elbel, n. 590., et alii communiter*

III. *Iustum pretium solvere:* agitur enim de obligatione iustitiae et aequitatis naturalis; unde defraudatio talis mercedis inter peccata in caelum clamantia recensetur.

Resolves. — Peccare, et quidem etiam graviter, possunt domini,

1° Si tempus non concedant famulis ad addiscenda rudimenta Fidei christianae, vel eos ad catechismum et concionem non mittant; si non caveant, ut tempore debito confiteantur et communicent.

2° Si conducant, vel in domo retineant famulos irreligiosos, impios, blasphemantes, turpia loquentes; si peccantes graviter non moneant et corrigant, aut emendationem promittere nolentes non dimittant, nisi forte eorum opera maxime indigeant, et alios invenire non possint.

3° Si curam non habeant, quantum in ipsis est, ut servi a peccatis abstineant; si ipsis occasionem peccandi permittant; si eos pravo exemplo aut sollicitationibus in peccatum inducant vel alliciant.

4° Si stipendium promissum aut iustum non solvant, aut nimis differant; si famulos aegrotos non curent, eosque statim expellant, vel absque iusta causa ante praefixum tempus dimittant.

§. II. *De obligationibus famulorum.*

383. — Tenentur famuli praestare dominis

1° *Reverentiam;* sic enim Apost. *1. Tim. 6. 1: Servi dominos suos omni honore dignos arbitrentur.* Exinde peccare possunt etiam graviter, qui dominos irrident, eos aspernantur, illorum occultos defectus manifestant.

2° *Obsequium* et *obedientiam* in iis omnibus ad quae se obligarunt vi contractus, et in iis quae spectant ad bonos mores; sic *Ephes. 6. 5: Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo.* — Et *1. Petr. 2. 18: Servi, subditi estote in omni timore dominis non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis.*

Hinc ratione materiae peccant plus minusve, qui cum aliquid eis praecipitur, obmurmurant, insolenter respondent, tempus inutiliter terunt, negligunt praeceptum laborem peragere, aut cum damno domini pro se laborant; et uno verbo ii omnes qui obsequium non praestant, quale ordinarie a talibus exigi et praestari solet.

3° *Fidelitatem;* iuxta verba Pauli *ad Tit. 2. 9: Servos dominis*

suis subditos esse..., non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes

Hinc peccant et saepe graviter contra iustitiam, qui rerum sibi creditarum curam non habent, qui ex culpa sua eas deteriores fieri sinunt, qui victualia pretiosa, aut ipsis non dari solita, surripiunt sive ad manducandum sive ad extraneis dandum aut vendendum.

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONIBUS MAGISTRORUM ET DISCIPULORUM

384. — I. Magistri et praeceptores debent discipulis

1° Amorem, 2° exemplum, 3° correctionem, 4° doctrinam. Ratio est, tum quia ad instar parentum quodammodo se habent, tum quia instituuntur ad erudiendos discipulos in sana doctrina morum et litterarum.

Debent igitur 1° sese perficere in scientia, quam docent, ad alios debite erudiendos; 2° promovere profectum discipulorum in litteris, quantum in ipsis est; 3° eos avertere, quantum possunt, ab aliis, qui pravis moribus turpantur, quosque in scholis suis admittere nullo modo debent.

Hinc praeceptores delinquere possunt etiam graviter, cum discipulorum instructionem negligunt, aut eos iniuste vel indiscrete puniunt; sed praesertim si eosdem seducant, ad peccata, v. gr. carnalia impellendo; si non doceant bonos mores; si ex proposito falsa doceant ut vera, vel saluti noxia; si alumnos admittant vel retineant malis moribus imbutos, qui aliis perniciosi sint, etc.

385. — II. Discipuli tenentur exhibere magistris

1° *Amorem* et *reverentiam,* ob superioritatem et curam eorumdem.

2° *Obedientiam,* dum erudiuntur ab eis in bonis moribus et artibus. Ratio patet: hoc enim importat obligatio reciproca discipulorum ad magistros, qui plane frustra obligarentur ad eos erudiendos, vel imbuendos bonis moribus, nisi discipuli pariter obligarentur ad sectanda monita et praecepta magistrorum.

Hinc peccant discipuli, si nedum diligenter studeant, tempus conterant in otio, lusu, aliisve ineptiis contra voluntatem magistrorum suorum; multo autem gravius, si magistris detrahant, eos irrideant, subsannent, maledictis, calumniis, molestiis afficiant, etc.

ARTICULUS III.

DE OBEDIENTIA ET REVERENTIA CIVIUM ERGA TEMPORALEM AUCTORITATEM

386. — Ex iure naturali et divino positivo tenemur titulo *pietatis* reverentiam et obedientiam Superioribus nostris civilibus praestare. Vices enim Dei ipsius in ordine temporali erga nos gerunt.

Sic enim Apost. *ad Rom. 13. 1. et seq.: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit,* NON EST ENIM POTESTAS NISI A DEO; *quae autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt... Dei enim minister est* (Princeps), *vindex in iram ei, qui malum agit. — Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

Quamobrem Catechismus Concilii Tridentini huiusmodi obligationem cum ea comparat et coniungit, qua erga auctoritatem paternam et ecclesiasticam obstringimur. Etenim *part. III. de IV° mandato,* §. 15. postquam docuit, parentes et Superiores ecclesiasticos debito honore colendos esse, subdit: *Item de Regibus, de Principibus, de Magistratibus, et reliquis, quorum potestati subiicimur, dicendum est.* Sic autem id explicat: *Nam si quem eis cultum tribuimus, is ad Deum refertur; habet enim venerationem hominum excellens dignitatis gradus; quia divinae potestatis est instar: in quo etiam Dei providentiam veneramur, qui publici muneris procurationem iis attribuit, quibusque utitur tanquam potestatis suae ministris.* Constat etiam ex Scriptura sacra, praesertim *1. Petri 2. 13,* ubi dicitur: *Subiecti igitur estote omni humanae creaturae propter Deum; sive Regi quasi praecellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis...* Et *ibid. 17... Regem honorificate. — Vide etiam S. Iustini Apol. 1. 17. — S. Theophili Antioch. ad Autol. lib. 1. c. 11. — S. Clem. Const. c. 12. — Tertull. ad Scap. c. 2. — S. Gregorii Naz. Or. 17. — S. Chrys. Hom. 6. ad Ant. — S. Irenaei adv. Haeres. l. V. 24. — S. Augustini in Ps. 124. n. 7.,* et *de Civit. Dei, l. V. 10., 11., 14., 15.* — Confer etiam *Litteras Encyclicas Gregorii XVI et Pii IX.*

387. — QUAER. *An liceat aliquando non obedire auctoritati temporali, et an liceat aliquando rebellare?*

Resp. Doctrina S. Scripturae, Patrum, Conciliorum, SS. Pontificum, Catechismi Concilii Trident., S. Ligorii *Hom. apost. tr. 8,* §. *13.,* et etiam *Encyclicae Gregorii XVI, 15 Aug. 1832,* quae totam catholicam traditionem exprimit, sic paucis verbis circa hanc quaestionem resumi potest.

Ad 1um Sicut evidens est, nunquam obediendum esse auctoritati umanae in iis, quae evidenter contra legem Dei sunt, ita in iis, quae per se licita sunt, est omnino obediendum Principibus ETIAM DYSCOLIS, et illis quoque, *qui auctoritate sua abutuntur.* Ex hisce fontibus purissimis, Scriptura nempe et traditione, ait *Gregorius XVI* in Brevi 9 Iunii 1832, apertissime edocemur obedientiam, quam praestare homines tenentur potestatibus a Deo constitutis, absolutum esse praeceptum, cui nemo contraire potest.

Ad 2um Nunquam omnino licitum est rebellare. *Nimis perniciosum in hac re,* ait S. Ligorius, *fuit principium Ioannis Gersonis, qui ausus est asserere, quod monarcha potest legitime a tota natione*

iudicari, si regnum iniuste regat...: principium, inquio, non tantum falsum, sed perniciosissimum... At quale remedium adest, si regimen Principis esset excessive tyrannicum? Remedium quod suppetit, ait S. Thomas, *est ad Deum recurrere, ut auxilium praebeat.* — Hom. apost. tract. 8. n. 13.

Sed (ait S. Thomas) *ut hoc beneficium populus a Deo consequi mereatur, debet a peccatis cessare, quia in ultionem peccati, divina permissione, impii accipiunt potestatem.* De Reg. princ. lib. 1. c. 6. — Vide praesertim *Epistolam encycl. Gregorii XVI, 15 Aug. 1832* (*a*).

DE V. DECALOGI PRAECEPTO

Non occides. Exod. 20. 13.

388. — Prohibet hoc praeceptum, quatenus *negativum* est, primario quidem homicidium, id est, iniustam hominis occisionem; secundario autem et consequenter omnem iniustam laesionem, vulnerationem aut mutilationem corporis, sive proprii sive alieni (*b*). Quatenus vero virtualiter est *positivum*, praecipit vitae conservationem.

Ea autem, quae de occisione sive licita, sive illicita statuentur, eadem mutilationi vel cuilibet corporis laesioni, servata debita proportione, applicanda erunt.

Agendum 1° de occisione sui; 2° de occisione proximi; 3° de duello; 4° de bello.

(*a*) Confirmantur haec ex artic. LXIII. *Syllabi praecipuorum nostrae aetatis errorum*, a SS. D. N. Pio PP. IX proscriptorum, qui sic legitur: *Legitimis principibus obedientiam detrectare, immo et rebellare licet.*

(*b*) Solent hic tradi quaedam homicidii divisiones, ut aliud sit *casuale*, et aliud *voluntarium*, et hoc quidem vel *directum*, vel *indirectum*. Praesertim vero distinguendum est homicidium *simplex* a *qualificato*, aliam nempe peccati speciem adnexam habente. Huiusmodi est 1° *Sacrilegium* sive ratione personae occisae, sive ratione loci, in quo fit occisio; 2° *Parricidium*, caedes nimirum aut parentum aut filiorum, aut fratris seu sororis, aut coniugis aut etiam Principis; 3° *Latrocinium*, occisio scilicet aut vulneratio ex praedandi voluntate; 4° *Veneficium magicum*, cum nempe ope daemonis malum corporale aut etiam mors alicui infertur.

Homicidiis qualificatis accenseri solent etiam 1° homicidium *proditorium*, scilicet sub amicitiae specie patratum, 2° *assassinium*, tum ex parte conductoris ad occidendum, tum ex parte conducti, 3° *veneficium simplex*. Hae tamen distinctiones, quas incaute quidam quasi ad diversas species morales transtulerunt, mere deserviunt ad metiendam criminis gravitatem in foro externo; nam quoad forum conscientiae circumstantiam mere aggravantem constituunt.

CAPUT I.

DE OCCISIONE SUI SEU DE SUICIDIO

389. **Principia.** — I. Nemini unquam licet se directe, id est ex intentione, et propria (*a*) auctoritate occidere. Constat 1° ex praecepto divino : *Non occides.* Exod. 20. 13. — *Ego occidam, et ego vivere faciam.* Deut. 52. 39. — *Tu enim es, Domine, qui vitae et mortis habes potestatem.* Sap. 16. 13. — 2° Ex lege naturali. Homo enim dominium directum non habet in corpus suum, nec in vitam suam, sed solum dominium utile et administrationem: siquidem haec non habet a se, sed a Deo accepit (*b*), et Deo tantum repetenti reddere debet. Ergo suicida laedit Dei supremum dominium destruendo rem non suam. Laedit quoque societatem, cuius est pars, ut ait *S. Thom. 2. 2. qu. 64. art. 5.* (*c*).

II. Nunquam sine divina auctoritate fas est ponere actum externum, per se immediate tendentem ad suí destructionem, nisi actus ille habeat alium effectum bonum et immediatum, qui solus intendatur, et gravissima ratio effectum illum bonum obtineri urgeat. Ratio est, quia ubi actus physicus etiam per se indifferens non habet alium effectum quam suicidium, iam fit malus, siquidem nulla adest ratio, qua praeceptum conservandi vitam, et cavendi a mortis periculo cesset. Ergo in quocumque casu prohibetur.

(*a*) Nempe seclusa *auctoritate divina.* Excusari tamen hoc crimen posse ignorantia iuxta SS. Patrum sensa innuit Lessius (*De Iust. et Iur. lib. 2. Cap. 9. n. 23.*).

(*b*) Cur homo, qui a Deo et vitam et bona extrinseca accepit, horum quidem dominium habeat, non item vitae suae, egregie explicant Molina (*De Iust. et Iur. Tom. IV. Disp. 1. n. 1.*), et Lugo (*De Iust. et Iur. Disp. 10. n. 9. et 17.*).

Addi ratio potest, quod vita praesens essentialiter est conditio hominis Deo servientis, atque adeo eiusdem legibus subditi, ac praeceptis obsequentis; ex qua deinde conditione vel praemium vel poenam in futura vita sortiatur. Atqui 1° non debet esse in potestate servientis Deo, ut pro suo arbitrio tempus serviendi finiat; ac 2° multo minus debet esse in eius potestate, ut praeceptis Dei forte sibi molestis subtrahere se impune et pro lubitu possit. Utrumque autem eiusmodi incommodum sequeretur, si liberum homini foret vitae suae terminum ponere, quandocumque ipsi libeat. Ergo.

(*c*) Vetant Ecclesiae canones, ne suicidae in loco sacro sepeliantur. Quod tamen non intelligendum de iis est, qui ex furore, amentia vel passione gravissimae tristitiae turbata phantasia se occiderunt, vel qui ante mortem vere de hoc doluerunt (S. Alph. *Lib. 3. n. 375.*). Ratio, quia pia mater Ecclesia hanc poenam infligere non solet, nisi constet, quempiam, dum se occidit, plane sui compotem fuisse. In dubio autem, an suicida pleno polleret iudicio, in favorem eius inclinandum est, licet minori apparatu, v. gr. uno tantum vel altero comitante sacerdote, sepeliri hi consueverint.

Ex iure autem civili communi tum suicidae, tum qui hoc crimen tentant, etiam morte non sequuta, poena infamiae puniuntur.

III. Licet concurrere indirecte ad occisionem sui, seu ponere actionem, ex qua praeter intentionem propria mors certo sequatur; modo ex ista actione sequatur aeque immediate aliquod bonum, quod vitae iacturam compenset, et hoc solum intendatur. Ratio patet ex dictis in *Tract. de Act. hum.* ubi de *voluntario indirecto, n. 9.*

390. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An liceat incendere navim aut turrim, ut hostes grave damnum patiantur, sed cum certa vitae propriae iactura?*

Resp. Affirm. saltem *probabilius;* quia expedit damnum publicum vitari, vel commune bonum procurari etiam cum damno privatorum certissimo. — *Lugo, Lessius...* — *S. Lig. n. 367.* (*a*).

QUAER. 2° *An virgo ad castitatem servandam se exponere mortis periculo possit?*

Resp. Affirm., saltem si mors non sit certo secutura, idque tum ob amorem castitatis, tum ob periculum peccati, quod saepius in tali occasione habetur. — *Ita communiter theologi.* — Imo *probabilius* adhuc affirmandum est, licet mors certo secutura sit, nec adsit proximum consensus periculum; quia etiam sola corporis integritas maximi aestimatur. — *S. Lig. n. 366.; Hom. apost. n. 1.* — *Laymann,* etc.

QUAER. 3° *An virgo teneatur permittere se occidi potius, quam violari* (*b*)?

(*a*) S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 367. q. II.*) de hac re inducit Doctores quasi dissentientes, et pro opinione negante etiam S. Thomam (*2. 2. q. 64. art. 5.*) allegat. Sed reipsa nulla est inter Doctores dissensio; qui ideo solum diversam quaestionis solutionem praeferunt, quia diversam statuunt hypothesim seu quaestionem. S. Thomas itaque, et alii cum eo, licere id negant ad privatum vitandum incommodum, seu *ad alias huius vitae miserias* evadendas, v. gr. captivitatem aut etiam mortem sibi ab aliis inferendam. Hoc autem non pugnat cum aliorum communi sententia, quod id liceat, ubi causa boni publici, aut ratio damni publici avertendi intercedat.

(*b*) Adverte, quaestionem fieri, *an teneatur,* non vero, *an liceat;* nam licere mortem potius, quam pudicitiae iacturam pati, consentiunt omnes. Caeterum *Taberna dicit, puellam non peccare, si ob evidens periculum mortis, vel ingentis infamiae, non adhibeat omnia media ad depellendum stupratorem, v. gr. si hunc, cum posset, non occidat, non inclamet viciniam, sed mere patiatur coitum, tamen secluso omni periculo consensus. Licet vero hanc propositionem editis libris teneant Auctores plures quam quinquaginta..., inter quos sunt S. Antoninus, Silvester, Sotus, Navarrus, Toletus, Lessius, Reginaldus, Gonet, etc.; tamen non expedit eam publice proponere..., quia apta est causare abusus praesertim apud rudes.* Ita Croix, *Lib. 3. Part. 1. n. 916.,* ubi Fr. Ant. Zacharia notam non inutilem subiecit.

Huc facit et sententia Cornelii a Lapide ad Danielis Cap. XIII. v. 23., ubi de Susanna agit a senibus ad peccandum provocata: *Potuisset tamen* (*Susanna*) *in tanto periculo infamiae et mortis negative se habere, ac permittere eorum in se libidinem, modo interno actu in eam non consensisset, sed eam detestata et exsecrata fuisset; quia maius bonum est fama et vita, quam pudicitia, unde hanc pro illa exponere licet... Quod vero exclamavit, ... actus fuit insignis atque heroicae castitatis: talis enim est magis velle mori, quam pollui*

Resp. Neg. probabiliter, saltem speculative loquendo, modo voluntate positive resistat, et proximum absit consensus periculum. Ratio est, quia haec permissio non est *formalis* ad peccatum alterius cooperatio, sed *materialis* tantum; iusta autem adest permissionis causa, mortis scilicet periculum. Haec tamen praxis non videtur consulenda, quando alicuius consensus periculum timeri prudenter possit.

Quaer. 4° *An licitum sit reo se sistere coram iudice, etsi certo morte puniri debeat?*

Resp. Affirm. Quia actio ista *per se* est indifferens, imo et honesta; in casu enim velle mori perinde est, ac velle iustitiae ordinem; et sicuti ob iustam causam mortem alteri desiderare licet, atque etiam legitimo modo procurare, ita et sibi. — *Lugo.* — *Lessius.* — *S. Lig. Hom. apost. n. 2.*

391. **Resolves.** — 1° Quisque tenetur ad vitam conservandam, cum nemo huius vitae donum abiicere sine peccato possit, et perinde sit vitam non conservare, atque eam sibi adimere (*a*).

2° Nunquam licet ponere cum intentione se occidendi actionem, ex qua mors, licet per accidens tantum, secutura sit; quia (*b*) nunquam licet velle rem vetitam, et hanc voluntatem ad actum redigere.

3° Non tenetur quis servare vitam remediis extraordinariis, aut quae maximum dolorem afferant; ratio est, quia non datur obligatio servandae vitae nisi mediis ordinariis, quae nempe nec magna adducunt incommoda, nec sumptus pro varia cuiusque conditione ingentes exposcunt, neque dolores admodum acerbos causant, etc. Sic, v. gr. non teneris vitae servandae causa pati amputationem cruris sive brachii, aut incisionem ventris ad extrahendum calculum. — *S. Lig. n. 372.*

** (*a*) Licet nihilominus ex communissima DD. sententia tabulam amico cedere in naufragio etiam cum certa vitae iactura: quinimo ex S. Thoma id perfectissimae esset virtutis (Vid. Fagundez, *In Dec. Lib. V. Cap. 12. n. 18.*). Consentit et S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 366.*), *etiamsi tabula sit iam capta,* et ad id confirmandum S. Thomae memoratam doctrinam refert. Verum movetur deinde scrupulo Sylvii, qui (*In 2. 2. q. 26. a. 1.*) id non concedit, *nisi propter peritiam natandi absit periculum mortis.* Unde S. Alphonsus subdit: *Recte autem advertit Sylvius, eum non posse, ad tabulam cedendam, se proiicere in mare, quia nemo potest positive se occidere.* Verum haec aegre conciliantur cum praecedentibus; nam si tabulam iam cepit, demissio seu proiectio sui in mare est necessarium tabulae concessae consectarium etiam ex Sylvio qui dicit: *Si iam tabula uti coepit, non videtur posse eam relinquere, nisi se ipsum in mare proiiciat.*

Caeterum, uti Fagundez (*l. c.*) advertit, potes quidem licite, sed non teneris, *caeteris paribus,* tabulam tunc cedere. *Caeteris paribus,* inquam; nam teneri posses, si alterius vitam servari bonum publicum exigeret; et contra non liceret, si ex tuae vitae iactura grave damnum aliis, v. gr. familiae necessario alendae, immineret.

(*b*) Ratio petitur ex resolutione praec., seu etiam ex principio II. (*sup. n. 389.*), cuius hic habes repetitionem.

4° Non tenetur virgo operationem pati per manus medici, etiamsi vita periclitetur, quando ob verecundiam id ei gravissimum accidit, maioremque illi horrorem, quam ipsa mors, ingerit. — *S. Lig. ibid.; Hom. apost. n. 2.*

5° Nunquam licet macerare corpus ad vitam breviandam, neque, etiam secluso tali fine, immoderatis et prorsus indiscretis poenitentiis graviter valetudinem pessumdare. Licet tamen ex virtute poenitentiis ordinarie gravibus uti cum certa quadam vitae abbreviatione; quia ex communi DD. sententia propter meritum, vel naturae pravae mortificationem aliqua longioris vitae iactura contemni potest. — *S. Lig. n. 371; Hom. apost. n. 2.*

6° Non peccant artifices, qui super aedificiorum tecta ascendunt, et variis sese periculis, ubi opus sit, exponunt; nec fabri ferrarii, qui quotidie ignem versando vitam sibi minuunt; ratio est, quia ex causa rationabili id agunt. Contra graviter peccant viri audaces, qui ex temeraria sponsione et vana gloria in gravia discrimina sine causa se iniiciunt, in altum ascendendo, deorsum se demittendo, onera graviora ferendo, etc. etc.

7° Non licet se mutilare, nisi ad conservationem totius corporis sit necessarium, quia homo non est membrorum suorum dominus, sed custos tantum, et quidquid homo est, totum Dei est, nec aliud dominium in corpus suum, nisi utile seu indirectum habet. Attamen *S. Alph.* non reiicit ut improbabilem opinionem affirmantem, id licere ad vocis conservationem, si aliae adsint conditiones (*a*). — *S. Lig. l. 3. n. 374.*

8° Non licet se mutilare pro bono spirituali, aut ad vitandum quodlibet peccatum. Ut enim ait S. Thomas, *saluti spirituali semper potest aliter subveniri, quam per membri praecisionem, quia peccatum subiacet voluntati. Et ideo in nullo casu licet membrum praescindere propter quodcumque peccatum vitandum* (2. 2. q. 65. art. 1. ad 3.) (*b*).

(*a*) Conditiones ex S. Alphonso sunt, ut *absit morale periculum vitae, et non fiat pueris invitis.* Huius opinionis *ratio est* (ait S. Alphonsus), *tum quia eunuchi utiles sunt bono communi ad divinas laudes in ecclesiis suavius canendas; tum quia conservatio vocis non parvi quidem momenti in eis dicendum est bonum, cum per illud conditionem notabiliter in melius mutent..., et ideo tantum bonum iusta esse causa videtur, ut cum illo tale corporis nocumentum resarciri licite possit; tanto magis quod hoc in dies in usum deducitur, et ab Ecclesia toleratur, ut ait Elbel.* Benedictus XIV licet inclinaret in opinionem, quam communiorem dixit, *ultroneam eviratione a peccato* excusandam non esse; tamen auctor est Episcopis, ne eiusmodi cantores a choris musicis eliminando molestias et offensiones sine causa sibi parare velint. *De Synod. Lib. 2. Cap. 7. n. 3-6.*

(*b*) Adde quod eiusmodi mutilatio impotem quidem efficit ad generandum, non tamen eximit a tentationibus carnalibus. *Ecclesiae autem disciplina irregularitatis notam inurit eunucho, qui extra necessitatem salvandae vitae mutilationi suae assensum praebuerit.* Bened. XIV, *De Syn. Lib. 2. Cap. 7. n. 5.*

9° *Probabilius* licet manum catena ligatam sibi abscindere ad vitandam mortem a bellua, vel tyranno, aut incendio impendentem, quia pars bono totius hominis cedere debet. — *Lugo, de Iustitia, disp. 10. n. 22.* — *Lacroix, n. 786.* — *Billuart*, contra *alios.* — *V. Casus, n. 376. et seq.*

CAPUT II.

DE OCCISIONE PROXIMI

Scilicet 1° de occisione rei; 2° aggressoris; 3° innocentis.

ARTICULUS I.

DE OCCISIONE REI SEU MALEFACTORIS

392. **Principia.**— I. Licet malefactores publica auctoritate occidere. Ratio, quia hoc est medium necessarium ad commune totius societatis bonum procurandum, immo ad ipsam societatem servandam; quod quidem plerumque nonnisi morte scelestorum hominum obtineri potest. Deus autem potestatem, sine qua societas stare non posset, contulisse dicendus est. Constat etiam ex praxi cuiusvis legislationis, ex sacra Scriptura, et universali omnium consensu.

II. Non licet autem occidere malefactores auctoritate privata. Quia nemo alium occidere potest sine potestate; át privati nullam eiusmodi potestatem a Deo acceperunt, etenim, ne caedibus omnia impleantur, haec potestas soli totius civilis societatis Superiori data est. Ergo (*a*).

(*a*) Nullatenus huic doctrinae obstat, quod interdum leges civiles servatis quibusdam conditionibus, facultatem fecerint occidendi modo alterutrum, modo utrumque adulterum: quas leges innuit Card. De Lugo (*De Iust. et Iur. Disp. 10. n. 84.*). Etenim, ut habet S. Thomas (*In 4. dist. 37. q. 2. art. 1.*). *Lex civilis quasi licitum computat, quod in ipso actu eam* (*vir*) *interficiat, non quasi praecipiens, sed quasi poenam homicidii non inferens propter maximum incitamentum, quod habet vir in tali facto ad occisionem uxoris. Sed Ecclesia non est adstricta legibus humanis, ut iudicet eum sine reatu poenae aeternae vel poenae ecclesiastico iudicio infligendae ex hoc quod est sine reatu poenae infligendae per iudicium saeculare.*

Quin ipse S. Doctor occurrit difficultati, quae peti poterat ex C. *Si vero 3. De Sent. excomm.*, immunem scilicet esse ab excommunicatione Canonis eum, qui in clericum cum uxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter inventum, manus iniecerit violentas. Respondet enim S. Thomas (*ibid. ad 3.*): *Ex hoc non probatur, quod* (*uxoricidium*) *licitum sit simpliciter, sed quantum ad immunitatem ab aliqua poena: quia etiam excommunicatio quaedam poena est.*

His adde prop. XIX^{am} damnatam ad Alex. VII, quae sic legitur: *Non peccat maritus occidendo propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.*

393. **Resolves.** — 1° Nemini licet aliquem potestati suae non subiectum verberare, nisi accedat consensus saltem tacitus illius, qui potestatem habet, v. gr. patris in filium, magistri in discipulum; verberatio enim est punitio: haec autem supponit potestatem gubernativam. Excipe, nisi id necessarium sit ad avertendam praesentem iniuriam, ut infra dicetur. — *Reuter, n. 369.*

2° Non licet patri proprios filios, nec domino proprios servos correctionis causa mutilare aut occidere; ratio, quia punire per mutilationem et occisionem, quae damnum irreparabile inferunt, requirit sane potestatem perfectam, quam nec pater nec dominus habet. — *Billuart.*

3° Frater natu maior non potest fratres minores verberare, nisi id ipsi sit a patre mandatum, aut nisi, mortuo aut absente patre, familiam ipse regat; quia primogenitura ei tale ius non confert. — *Billuart et alii.*

394. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An milites iussi comprehendere et custodire malefactorem, possint eum aufugientem occidere?*

Resp. Neg. etiamsi iam ad mortem fuerit damnatus; quia vi officii sui, et secluso speciali Principis mandato, satellites reum tantum coercere possunt. — *S. Lig. Hom. apost. n. 9.*

QUAER. 2° *An liceat tyrannum occidere?*

Resp. 1° Certum est non licere occidere tyrannum *regiminis,* seu legitimum Principem tyrannice populum regentem, atque etiam opprimentem: *obedire enim oportet dominis etiam dyscolis.* 1. Petri, 2. 18. — *Ita communiter cum S. Lig. Hom. apost. n. 13.*

Resp. 2° Nec licet occidere tyrannum *usurpationis*, si iam in regni possessionem venerit. Sententia autem opposita dicenda est improbabilis et falsa: quia iuxta *S. Thomam* usurpator ut legitimus haberi debet, saltem in praxi, si postea subditi illum ut talem agnoscant. Praeterea bonum publicum requirit, ut obedientia ei praestetur (*a*) ad Reipublicae perturbationes et eversiones praecavendas. — *S. Lig. ibid.*

(*a*) Peccat sane tyrannus usurpatione auctoritatis sive dum leges fert, sive dum ius dicit, aut tributa imponit, etc. Quippe usurpat sibi auctoritatem principis, cum princeps non sit.

Neque solum peccat rempublicam aut provincias invadendo, sed etiam peccant dein assidue, tum ipse tum heres, oppressas ac sibi subiectas servando; quandoquidem assidue opprimunt et iniuriam inferunt, non secus ac quempiam inique in carcerem compingens non solum peccat ab initio, sed iugiter etiam postea, quamdiu hanc alterius calamitatem continuat.

Accedit et illud, quod tyrannus dum peccat retinendo usurpatam potestatem, aliam simul obligationem habet, prospiciendi scilicet bono communi usurpatae provinciae; atque adeo magis adhuc peccat, si, quando opus est, aut ius non dicat, aut sontes non comprimat, etc. Ratio, quia gravius adhuc civibus nocet, maioremque infert iniuriam; sicut nimirum qui rem retinet alienam, eaque utitur, peccat utendo, et simul peccat non utendo, si usus est rei necessarius, ne pereat aut deterior fiat.

Et plane singularis est ista conditio iniusti usurpatoris publicae aucto-

Resp. 3° Nec licet occidere tyrannum seu iniustum usurpatorem, etiamsi nondum sit in possessione regni, nisi ex auctoritate legitimi Principis, aut ex iusta defensione, aut in actu belli Reipublicae adversus ipsum; nunquam enim licet occidere hominem privata auctoritate. — *Ita communiter,* et certo tenendum est. — *S. Lig. ibid.* — *Recole dicta in fine IV. praec. n. 387.*

ARTICULUS II.

DE OCCISIONE INIUSTI AGGRESSORIS

395. **Principia.** — I. Licitum est unicuique defendere propriam vitam etiam cum occisione iniusti aggressoris; quisque enim habet ius conservandi vitam iniuste oppugnatam: ergo potest illam defendere per media necessaria, et proinde etiam mutilatione aut occisione aggressoris, si alio pacto sese morti eripere nequeat; ex iure enim naturali licet vim vi repellere. Constat etiam Iure canonico, praesertim *C. Si vero, 3. de sent. excomm.,* ubi dicitur: *Vim vi repellere omnes leges et omnia iura permittunt.* — *Vide S. Lig. n. 380.*

II. In iusta defensione contra iniquum aggressorem servari debet moderamen *inculpatae tutelae,* seu nihil fieri debet, nisi id quod absolute necessarium est ad se tuendum; quia quod necessitas non excusat, est contra iustitiam.

ritatis, ut hinc quidem reus sit retinendo usurpatam potestatem, inde vero se novo crimine obstringat, si interim societati, quam tenet oppressam, non satis consulat.

Neque tamen necessitas ista consulendi ordini seu bono communi excusat usurpatorem a reatu tum usurpationis, tum usus inique obtentae potestatis; haec enim necessitas est consequens ad crimen retinendi usurpatam potestatem, quo impedit, ne ordini societatis per legitimum principem prospici queat.

Licet nihilominus incolis usurpatae provinciae ea praestare, quae necessaria sunt ad servandum ordinem, sine quo societas ipsa servari non posset. Neque solum id licite praestare possunt, sed etiam tenentur. Id enim exigit necessitas ipsam communitatem seu societatem servandi. Et huc spectat, quod DD. communiter habent, servandas esse leges et sententias a tyranno latas, si iustae per se sint et honestae, licet iustae non sint, quatenus ab illegitima potestate feruntur. Ratio est, quia societas stare non potest, nisi aliqua potestate, legibus, iudiciis regatur. Atqui eiusmodi leges, sententiae, etc. tunc haberi non queunt, nisi quae a tyranno feruntur. Istae ergo servandae sunt.

Neque vero id ullam infert tyrannidis approbationem. Neque enim subditi leges illas servant, quasi legitimam habeant aut profiteantur usurpatoris potestatem, sed quia lex naturalis ordinem aliquem servari praecipit; et cum ille tantum ordo tunc possibilis sit, hunc lex naturae servandum iubet. Et hunc plane sensum habet, quod aiunt DD., societatem in hunc finem usurpatori conferre potestatem leges ferendi, gubernandi, instituendi iudicia, etc., nequaquam vero quod usurpatori ius aliquod legitimum exinde acquiratur.

396. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An liceat occidere ebrium vel amentem aggressorem* (a)?

Resp. Affirm. probabilius, nisi tibi constet eum in statu peccati mortalis versari. Ratio est, quia quamvis ebrius vel amens non sit aggressor tuus *formaliter* iniustus, est tamen *materialiter* iniustus, et tu ius tuum servas vim vi repellendi. Quod si certo scias, eum in statu peccati letalis versari (b), cum hic in extrema necessitate versetur, charitas exigit, ut salutem eius aeternam vitae tuae temporalis conservationi praeferas. Secus autem, si sui ipsius compos esset; proprium enim malum ipsi foret imputandum.

Quaer. 2° *An liceat defendere proximum innocentem occisione aggressoris?*

Resp. Affirm. in omni casu, quo licet propriam vitam defendere; idque ratione charitatis. — *S. Lig. n. 389.* Raro tamen privatus ad hoc teneri videtur (c). — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 390.*

397. — Quaer. 3° *An liceat occidere iniustum aggressorem etiam pro defensione membrorum?*

Resp. Affirm. cum communi sententia, contra *paucos.* Ratio est, quia quisque ius habet servandi bonum sibi maxime ad vitam necessarium, etiam cum periculo vitae alterius, modo aliud medium desit, nec mors aggressoris intendatur. — *S. Lig. n. 380.*

Quaer. 4° *An liceat defendere bona fortunae magni momenti cum occisione furis, si aliter retineri non possint?*

Resp. Affirm., saltem *probabilius.* Ratio deducitur ex dictis in quaesito praecedenti; quisque enim ius habet conservandi bona magni pro conditione sua momenti, et eo ipso adhibendi media absolute ad id necessaria. Aliunde praeceptum charitatis non obligat, ut quis praeferat bona proximi, licet superioris ordinis, nisi quan-

(a) Haec quaestio potius spectat ad articulum sequentem, ubi de occisione innocentis *indirecte* intenta. Innocens quippe hic dicitur, quisquis te sine crimine aggreditur aut laedere utcumque conatur.

(b) Monet tamen Lugo (*De Iust. et Iur. Disp. 10. n. 143.*), rarissimum fore casum, quo certo id constet. Insuper prudens aliqua spes affulgere debet, aggressorem, v. gr. dementem, si ei parcatur, salutem consecuturum esse. Denique sin minus fuga liceat sese ab invasore subtrahere (nam ebrii aut amentis aggressionem etiam fugiendo vitare nemini indecorum est); non interdicitur aggressorem percutiendo aut feriendo ita laedere, ut et vita ipsi servetur, et simul ad nocendum impos tunc fiat.

(c) Charitatis scilicet praeceptum non obligat cum gravi incommodo; in occisione autem alterius vix unquam evitari potest magnum incommodum ob timorem inimicitiarum, publicae iustitiae, etc. — *Ita S. Alph.*

Caeterum adesse aliquando hanc obligationem, auctor est et S. Ambrosius, e quo S. Thomas (*2. 2. q. 60. art. 6. ad 2.*) haec verba exscribit: *Qui non repellit iniuriam a socio, cum potest, tam est in vitio, quam ille qui facit.* Huc faciunt et Innocentii IV verba relata in C. *Dilecto 6. De Sent. Excomm. in VI: Cum liceat cuilibet suo vicino vel proximo pro repellenda ipsius iniuria suum impertiri auxilium: imo si potest et negligit, videatur iniuriantem fovere, et esse particeps eiusdem culpae, etc.*

do proximus in extrema necessitate versetur; secus vero, quando sponte hic mortis periculo se exponit. — *S. Lig. n. 382.*

398. — Quaer. 5° *An mulieri liceat occidere invasorem pudicitiae?*

Resp. Affirm. probabilius. Ratio est, quia pudicitia est bonum praestantius divitiis: ergo si licet occidere aggressorem iniustum bonorum fortunae, id *a fortiori* licebit ad pudicitiam servandam. — *S. Lig. n. 386, et alii communiter* (*a*).

Quaer. 6° *An liceat alium occidere ad conservationem honoris?*

Resp. Neg. saltem *practice* loquendo: quia honor aliis mediis plerumque servari potest, ideoque aggressio honoris cum aggressione vitae aliorumque bonorum non potest comparari. Innumeris praeterea caedibus aliter pateret aditus (*b*).

Idcirco *Alexander VII* merito damnavit sequentem propositionem numero 18[am]: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, et etiam iudicem, a quo imminet iniusta sententia, si alia via non potest innocens damnum vitare* (*c*). Attende insuper ad propo-

(*a*) Adde 1° nec percussionem, nec mutilationem, nec occisionem ad pudicitiam tuendam, inducere irregularitatem aut poenam excommunicationis, etsi invasor sit clericus.

Adde 2° fas esse occidere invasorem pudicitiae alterius, prout ipsi vim patienti licet. Ita S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 391.*), qui tamen limitat, nisi femina consentiat, *vel saltem si positive non resistat.* Quae postrema verba S. Alphonsi intelligenda plane sunt *de femina, quae non resistit, cum possit,* atque adeo negative se habens interpretative consentire censeatur, uti reipsa intelligunt Salmanticenses (*De Praec. V. Cap. 1. n. 97.*), e quibus haec S. Alphonsus desumpsit. Nam si femina reipsa vim patitur, et iuxta dicta superius (*not. ad q. 3. n. 390.*) ideo solum passive se habet, ut maius malum vitet, haec limitatio locum non habet.

(*b*) Scite S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 381. et 391.*) distinguit, verbisne tantum, an etiam factis invasio honoris fiat. Nam si de verbis agatur, et v. gr. viro honorato contumeliose dicatur, *mentiris,* aliter repelli iniuria potest, debet et solet; et percussio aut vulneratio non defensionis sed vindictae rationem haberet.

Si vero factis honor impetatur, aliter iudicandum est de re post factum, aliter ante factum. Laesio enim aggressoris post factum, nisi agatur de correptione cum pueris et aliis huiusmodi adhibenda, ultio esset, non autem defensio: et huc spectat secunda pars propositionis 50[ae] ab Innoc. XI proscriptae. Si vero res de illo sit, qui factis honorem laedere conaturi, tunc valent quae A. in quinta resolutione subiicit. Nemini enim imponi potest obligatio passive se habendi, dum alter in contemptum conetur, v. g. ei vellicare barbam, aut impingere alapam, aut vestes conspurcare, etc.; sed licebit ei sane, servato moderamine inculpatae tutelae, iniuriam propulsare; et si quidem pervicax aggressor ad praestitutam iniuriam inferendam vim adhibeat, ac repulsus etiam arma arripiat, fas profecto erit alteri vim vi repellere, et armis arma opponere. *Vid. Croix, Lib. 3. p. 1. n. 803.*

(*c*) Huc facit potius prop. XVII[a] ab Alexandro VII damnata, quae sic habet: *Est licitum Religioso et Clerico calumniatorem, gravia crimina de se vel de sua Religione spargere minitantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit; uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi religioso vel eius religioni publice et coram gra-*

sitionem 30^{am} ab *Innoc. XI* damnatam: ***Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec calumnia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat, et post impactam alapam vel fustis ictum fugiat.*** — Vide *S. Lig. n. 381.*

399. **Resolves.** — 1° Non licet occidere furem auferentem rem minoris momenti etiam cum resistentia domini; quia licet talis ablatio fiat cum speciali eius iniuria ob violentiam, eiusmodi tamen iniuria iuxta hominum aestimationem gravis non censetur. — *S. Lig. n. 383.* (*a*). Attamen dominus non tenetur rem dimittere, et servato moderamine inculpatae tutelae, potest se defendere, si alter ad eam auferendam vim personae inferat.

vissimis viris praedicta impingere, nisi occidatur. Nam prop. XVIII^{a} non solum de honoris iactura, sed de aliis damnis tractat.

Ideo autem quidam produxisse in medium videntur Religiosos et clericos, quia in his magis elucebat iactura, quae a calumnia timeri potest. Et hinc quidem alii ansam desumpserant affirmandi, id quidem Religiosis ac clericis esse interdictum, non vero laicis (*Vid. Croix, Lib. 3. p. 1. n. 800.*): cui evasioni aditus praeclusus deinde fuit per prop. XXX^{am} ab Innoc. XI damnatam.

Caeterum haud obscura est damnationis ratio, periculum nempe abusuum, ex hac doctrina imminens; quod cum ipsi doctrinae intrinsecum sit, satis id est, ut illa reprobanda censeatur. Ut enim de simili casu observat Lugo (*De Iust. et Iur. Disp. 10. n. 189.*): *Si haec inconvenientia per se ex illa sententia consequuntur, certe nec speculative erit probabilis; ad probabilitatem enim etiam speculativam rei moralis, oportet, quod materia sit talis, ut in circumstantiis humanis non afferat inconvenientia, quae eam reddant illicitam; si autem ex se talia inconvenientia affert, eo ipso est intrinsece illicita etiam speculative loquendo.* Atqui ita se res habet in praesenti materia. Nam 1° nunquam evidens erit, gravem infamiam declinari aliter non posse, nisi per occisionem calumniatoris, aut iudicis, etc. (*Vid. Viva ad Prop. XVII^{am} Alex. VII. n. 4.*). 2° Cum facile homines passione hallucinentur, ex meris suspicionibus caedes sine causa multiplicarentur. Eiusmodi itaque adversus calumnias remedium, cui tam gravia incommoda necessario connexa sunt, ipso naturae iure interdici debuit.

(*a*) Ut clarius et exactius haec quaestio volvatur, triplex casus est distinguendus.

Primus est, quando non tam rei valor attenditur, quam iniuria domino rei illata, propterea quod ipso praesente, et nequicquam prohibente, clamante, minitante remque retinente, fur eam abstrahat. Et huc spectat sententia S. Alphonsi (*Lib. 3. n. 383.*), quod ratione talis *contemptus ac dehonorationis* non liceat furem occidere.

Secundus est, quando spectatur potius damnum, quod re ablata dominus patitur. Et tunc valet alia eiusdem S. Alphonsi doctrina (*l. c.*): *Certum est ad furem occidendum duo requiri: primo quod res nequeat alia via recuperari; secundo quod res sit magni momenti.* Ubi sapienter monet cum aliis DD., gravitatem damni *relative* esse intelligendam, et generatim *sufficere iacturam illam, quae notabile damnum domino afferret iuxta qualitatem personae;* quamquam nec diffitendum sit, sicut in quantitate furti, ita et in re praesenti admitti oportere aliquam damni gravitatem *absolutam,* quae nempe respectu omnium censeri et dici *magni momenti* possit, ac debeat. Hanc tamen constringendam non esse valore *unius au-*

2° Non licet generatim eum occidere, qui mere aggressionem minitetur; quia magnum et frequens in hoc esse potest hallucinationis periculum. Secus vero, si certo constet de prava aggressoris voluntate, nec periculo alia ratione occurri possit.

3° Non licet occidere aggressorem post factum, quia esset vindicta, non defensio. Excipitur (*a*), quando aggressio *effective*, ut aiunt, in fuga aggressoris rem furtivam auferentis perduraret. — *Ita communiter.*

4° Non licet puellae occidere aggressorem honoris sui post op-

rei seu scutati, patet ex hac prop. 31ª ab Innoc. XI damnata: *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei;* licet et unius aurei valor aliquando in pauperculo *magni momenti* haberi possit.

Tertius demum casus est, quando neque honoris, ut in primo casu, neque gravitatis damni, ut in secundo, causa agitur, sed consideratur vis illata domino rem suam custodienti. Et tunc redit quaestio *sup. ad Q. 6.* mota de eo, *qui factis alterius honorem laedere conatur.* Quando enim fur vim inferat, ut ingrediatur, v. gr. domum seu gallinarium, aut horologium seu baculum e manibus tibi eripiat, non teneris sane passive te habere, et rem ipsi permittere, sed licite potes iniusto aggressori resistere, ac vim vi repellere: quamquam moderamen inculpatae tutelae exigat, ut non maiorem vim adhibeas, quam quae ad vim repellendam sufficiat. Ratio est (ut ait Molina, *Tom. 4. Tr. 3. Disp. 16. n. 4.*), quia *quando quis ita defendit sua, regulariter defendit simul suam propriam personam, quam periculo pro suarum rerum defensione exponit.* Aliam rationem affert Laymann (*Lib. 3. Tr. 3. Cap. 3. Part. 3. n. 4.*) *publici nimirum boni.* Nam alioqui scelerum impunitas improbos ad nocendum audentiores redderet.

** Harum distinctionum defectus efficit, ut valde obscura evadat S. Alphonsi (*l. c.*) resolutio. Quippe ad quaestionem, *An liceat occidere furem auferentem rem modici valoris cum resistentia domini, aut custodis illius,* allata sententia affirmativa, quam tribuit Molinae, Bonac., Lugo, Sporer, Vivae et Ronc., subdit: *Sed multo magis mihi arridet sententia contraria, quam tenent Salmanticenses* (*Tr. 25. C. 1. n. 85.*) *post Dianam id non admittentes. Ratio, quia licet talis ablatio fiat cum speciali iniuria domini ratione violentiae; attamen cum non omnis iniuria dehonorationem afferat, hic mihi videtur per illam ablationem non proprie aut graviter honorem laedi iuxta aestimationem hominum. Quis enim graviter dehonoratus aestimabitur, quia fur violenter ab eo rem aliquam arripuerit?* In quibus et perperam impugnatur cum aliis Molina, qui, ut patet ex dictis et ex Not. sequenti, de alia hypothesi tractat, nec distinguitur causa tuendi honorem a iure resistendi furi rem arripere conanti. Sed nihil mirum, si quando in gravibus quaestionibus agitandis Salmanticenses ut duces assumantur.

(*a*) In hoc casu non honoris aut personae, sed damni tantum causa agitur. In qua hypothesi Molina (*Tom. 4. Tr. 3. Disp. 16. n. 6.*) negat, licite furem occidi, *quando res non esset magni valoris, ut si esset solum trium, quatuor, aut quinque ducatorum:* quae quidem de quantitate damni *absoluta*, non autem de *relativa*, ut advertimus *not. praec.*, accipienda sunt. Et ex his patet, per meram calumniam quosdam Molinae tribuisse doctrinam in prop. 31ª ab Innoc. XI proscripta contentam. Unius enim aurei valorem in re praesenti non produxit Molina ceu *absolutam* damni mensuram, sed quaestionem agitans (*Vid. l. c. n. 7.*) in tertio casu praec. Notae a nobis propositam, cum scilicet non tam de rerum, quam de personae defensione contra iniustum aggressorem agitur.

pressionem; potest tamen illum percutere et male acerbissimeque tractare, praesertim quia, nisi tali modo constantiam suam et displicentiam ostendat, non facile discedet homo nequam, aut facile ad sollicitationem redire poterit. — *S. Lig. n. 386.*

5° Non licet, saltem *practice* loquendo, viro etiam honorato aggressorem volentem alapam impingere occisione praeoccupare; semper enim fuga aut alia via proprio honori consulere potest. Licet tamen aggredientem etiam districto gladio arcere, et se promptum ad propriam defensionem ostendere. — *S. Lig. n. 381. — V. Casus, n. 390. et seq.*

ARTICULUS III.

DE OCCISIONE INNOCENTIS

§. I. *De occisione innocentis in genere.*

400. **Principia.** — I. Nunquam licet *directe* innocentem occidere sive auctoritate privata, sive publica, etiam ad bonum publicum procurandum; est enim actio intrinsece mala et divina lege expresse prohibita. *Exod. 23. 7: Insontem et iustum non occides. — S. Lig. n. 393.*

II. Licet ob gravem causam ponere actionem in se bonam, ex qua praeter intentionem sequatur mors innocentis, iuxta principium *D. Thomae* supra expositum.

III. Non est homicidii reus, qui etiam sine causa, sed adhibita diligentia, ponit actionem, quae mortem *per se* non infert, ex qua tamen *per accidens* homicidium sequitur; quia homicidium illud est omnino fortuitum et involuntarium. Secus vero, si ponat actionem, quae mortem *per se* inferat, seu valde periculosa sit, et ex qua mors saepe sequatur, etiamsi diligentia ad damnum praecavendum adhibeatur. — *S. Lig. n. 398.*

401. **Resolves.** — 1° Non licet occidere letaliter vulneratos, nec alios quoscumque moribundos, ne diutius patiantur; nec rabidos, ne aliis noceant, (dummodo aliter a nocendo cohiberi possint.) Ratio est, quia ex noto effato ad obtinendum bonum non sunt facienda mala.

2° Non licet occidere innocentem ad satisfaciendum tyranno mortem eius postulanti etiam sub poena urbis subvertendae, et etiamsi morti suae ille consentiret; ratio, quia dominium in propriam vitam non habet. Probabilius tamen posset cogi, ut seipsum tyranno pro bono publico traderet, et probabiliter, si nollet, etiam tradi. — *S. Lig. n. 393. cum aliis.*

3° Licet in bello tormenta adversus hostium stationes dirigere, quamvis inde etiam aliqui innocentes mortem passuri sint; quia eorum mors praeter intentionem sequitur. — *S. Lig. ibid.*

4° Non licet legatos aut obsides occidere, etiamsi hostes, qui illos miserunt, fidem datam non servaverint, et obsides vel legatos ad eos missos iniuste interfecerint; quia sunt innocentes. — *Busemb., et alii communiter* cum *S. Lig. ibid.*

5° Peccant graviter medici, obstetrices et custodes infantium et infirmorum, si ex gravi negligentia eorum mortem aut non impediant, aut causent, vel accelerent. Item si ex ignorantia graviter culpabili aegrotis noxia praebeant.

§. II. *De procuratione abortus* (*a*).

Abortus est praematura eiectio foetus ex utero matris.

402. **Principia.** — I. Nunquam licet *directe* procurare abortum, etiamsi foetus supponeretur adhuc inanimatus. Ratio est, quia

(*a*) Ut apte de hoc argumento quaestiones instituantur ac solvantur, principia quidem veterum Theologorum retineri debent; ast illorum applicatio a theoriis quoque pendeat oportet, quas accuratius medicae artis studium lapsu temporis invexit.

Ac 1° quidem quod attinet ad causas abortus, iis praetermissis, quae veteres de pharmacis prolem in utero perimentibus disputabant (nam nulla eiusmodi pharmaca scientia medica modo admittit), ad haec capita revocari illae possunt. 1° Uteri seu potius membranae, qua foedus clauditur, scissio seu disruptio ope instrumenti; qua fit, ut subtracto humore, in quo foetus natat, ibi vivere hic diu nequeat, sed necessario eiiciatur, licet in lucem prodire etiam vivus possit. — 2° Vis extrinsecus illata per percussiones aut compressiones, quae vel natum infantem allideret, ac vita privaret.—3° Succussiones violentae, quae causam habere possunt tum extrinsecam tum etiam intrinsecam, v. gr. convulsiones. — 4° Demum fibrarum relaxatio, qua fit ut foetus suo pondere pressus praemature nascatur; quae quidem relaxatio seu partus acceleratio tum naturales causas habere potest, tum arte obtineri, v. gr. balneis, medicatis potionibus, etc.

2° Plurimum autem proderit distinguere tum causas, quae directe ac positive foetum laedunt, cuiusmodi, v. gr. foret violenta percussio, aut etiam vulnus ope instrumenti ipsi foetui adhuc latenti in utero inflictum, tum causas, quae mere efficiunt, ut a conservanda prolis vita cessetur, cuiusmodi est partus acceleratio ante septimum gestationis mensem, sive haec contingat per meram relaxationem, sive per membranae foetum continentis scissionem.

3° Iam inde ab aetate sua scribebat S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 124.*): *Cum hodie vigeat opinio, non sine plausu a peritis recepta, quod foetus ab initio conceptionis, vel saltem post aliquos dies, anima informetur*, etc.; quos quidem *aliquos dies* in editione anni 1748 dicit *tres vel quatuor*. Haec porro sententia, quatenus nullum foetum inanimatum admittit, cum communius modo, praesertim post accuratiores a physiologis institutas observationes, recepta sit, ac defendatur uti magis consentanea non solum philosophicis, sed etiam theologicis principiis; consequitur, vix causam subesse, cur de hypothesi foetus inanimati quaestio specialis fiat.

4° Cum ars chirurgica modo instrumentum repererit, quo membranae foetum involventes ita scinduntur, ut aqua ope siphunculi iniecta foetum immediate tangere certo possit, atque adeo cum iuxta ea, quae S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 107.*) post Benedictum XIV disserit, de validitate baptismi infantibus utero clausis sic collati prorsus certi esse possimus; proinde fere

si animatus sit foetus, est homicidium proprie dictum; si vero non sit animatus, est homicidium anticipatum. Foetus enim etiam non animatus ordinatur ad hominem formandum ; ergo illius eiectio est homicidium anticipatum. — *S. Lig. n. 394.* — *Lacroix, n. 825.*

cessant difficultates et quaestiones a veteribus DD. motae circa pericula, quae mater subire teneatur, ut aeternae saluti prolis prospiciatur.

5° Cum nihil dubii adesse possit quoad eas causas, quibus ad foetum positive laedendum ac perimendum *directe* tendatur, quippe *directa* occisionis intentio (de *indirecta* enim vid. *sup. n. 396.*) nunquam licita esse quavis ex causa potest; idcirco potior controversiae cardo in eo residebit, num et quando liceat partum accelerare et quidem per illud gestationis tempus, quo utcumque viva in lucem proles prodeat, cito tamen succumbere morti debeat.

6° Haec autem partus acceleratio, prouti doctores tum de abortu tum generatim de proximi occisione loqui solent, considerari potest aut *directe* aut *indirecte* excita seu promota. *Indirecte* excita dicetur, quando ad morbum matris curandum ea remedia adhibenda sint, e quibus praeter intentionem ea fibrarum relaxatio sequatur, propter quam partus praemature sequatur. *Directe* vero, quando media usurpentur, quae per se non ad medendum matris morbo, sed mere ad ipsam per acceleratum partum foetu exonerandam diriguntur. Quod quidem duplici de causa contingere posset, nempe vel ob solam temporalem matris vitam servandam, vel ob spiritualem prolis salutem per baptismum curandam, aut etiam ob utrumque hunc simul finem.

Insuper etiam quando remedium per se non tendat ad morbum matris curandum, sed solum ad partum maturius obtinendum, abortus nihilominus alio sensu *directe* vel *indirecte* quaesitus haberi potest, spectata scilicet non materiali ratione accelerandi partum, sed voluntate seu intentione operantis. Quod enim DD. cum S. Thoma communiter habent, iniusti aggressoris mortem in iusta defensione tantum *indirecte* sequi, propterea quod directa occisoris intentio solum in propriam feratur defensionem, alter vero effectus, mors nempe aggressoris, sit praeter intentionem et per accidens; id ipsum locum habere potest in partus acceleratione, quando scilicet voluntas non in temporale prolis damnum, quod per accidens sequitur et praeter intentionem, sed in alium finem directe tendit.

7° Denique ad faciliorem solutionem propositae quaestionis plurimum proderit illud advertere, quod superius innuimus, controversiam de partus acceleratione (sive hoc per fibrarum relaxationem fiat, sive per membranarum foetum continentium scissionem) non eo spectare, an liceat prolem vita privare, sed potius quousque mater teneatur ad vitam proli custodiendam ac conservandam. Qua in re utique ratio habenda est non solum generalis obligationis, quam ab omnibus charitas exigit circa aliorum vitam tuendam; neque solum specialis obligationis parentum erga filios, sed etiam officii singularis, quod matrem obligat, utpote cui potissimum natura hanc curam commisit. Superest nihilominus inquirendum, quousque haec se obligatio porrigat, non secus ac inquiri potest, quousque urgeri queat obligatio matris, ne infantem, quam ulnis gerit, e manibus dimittat in undas, aut in barathrum aliquod prolapsurum, quod quidem in idem recidit, ac si quaeratur, an et quaenam adesse queat iusta causa, propter quam mater licite a vita prolis custodienda cesset.

Ad hanc porro generatim solvendam quaestionem ea faciunt, quae ceu quoddam principium statuit Card. De Lugo (*De Iust. et Iur. Disp. 10. n. 133.*), ubi scribit: ***Mater non tenetur cum tanto vitae suae periculo et detrimento procurare et conservare foetum: sicut nec natum iam filium tenetur cum vitae discrimine alere et retinere, neque etiam ad eum lactandum con-***

II. Licet aliquando *indirecte* abortum procurare seu melius permittere, subministrando videlicet matri, morbo gravi laboranti, remedia foetui nociva, si conditiones sequentes concurrant, scilicet 1° ut agatur de morbo letali; 2° ut remedia, foetui nociva, sint

servare lac in uberibus, quando ad propriam vitam tuendam necessarium ei esset ubera arefacere. Et plane huc etiam illud spectat, quod subdit ibidem Lugo, diligenter distinguens meram cessationem custodiendi vitam a damno positive illato proli, licet non admittatur modo hypothesis illa veneni prolem inficientis. *Placet tamen* (inquit) *moderatio, quam huic doctrinae addidit postea Vasquez....., dicens hoc intelligi de sanguinis emissione, balneo et eiusmodi remediis, quae non tendunt ad occisionem foetus nisi negative, per subtractionem humoris necessarii ad eius sustentationem, non vero de remediis quae positive concurrerent ad mortem foetus, qualis esset potio, quae per alterationem positivam occideret foetum: hoc enim esset dare positive venenum innocenti, ut te a morte liberes, quod nunquam licet.*

8° Hisce praeiactis, haud aegre variae pro variis hypothesibus solventur quaestiones.

Ac I. Ubi certa sit mors alterutrius, aut matris scilicet, aut prolis, certa autem alterius vita, et quaestio sit de morte dumtaxat temporali, quia, v. gr. baptismus proli nondum natae iuxta praedicta potuit conferri; non tenetur mater mori, ut vitam filio temporalem conservet. Vid. Lugo *l.c.*

Sed hic casus perrarus omnino est; quandoquidem (ut dicit S. Alphonsus, *lib. 3. n. 394.*) *moraliter impossibile est, ut pene miraculum sit, quod pereunte matre proles supervivat... Idque* (subdit) *mihi confirmarunt plures artis medicae periti, quos consului.*

Et hoc quidem valet, etiamsi agatur de caesarea operatione; quae praeterea cum peritissimos requirat medicos, et matrem robustam, raro id locum habet, praesertim cum hoc remedium requiri tunc soleat, quando incassum alia remedia adhibita sunt, atque adeo quando et mater et proles e longa lucta prostratas habent vires.

II. Imo S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 106.*) prae oculis habens illud S Thomae (*3. q. 68. art. 11. ad 3.*): *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona; et ideo homo non debet occidere matrem, ut baptizet puerum;* concludit, matrem, quando mortis periculum sit *proximum aut probabile,* non teneri ad discrimen illud subeundum, ut proles baptizetur, nec chirurgum posse ipsam in hoc discrimen inducere.

III. Si mater morbo correpta, gravi mortis periculo laboret, nisi foetus partum accelerando expellatur; probabilis autem spes sit, ope medicinae effici posse, ut foetus vivus in lucem prodeat, atque adeo sin minus temporalem, saltem aeternam vitam adepturus sit; tunc eiusmodi expulsio non modo licita videtur, sed praecepta. Ratio, quia matris periculum ac mors nihil prodesset vitae temporali prolis, et insuper in gravissimum salutis aeternae discrimen ipsam prolem coniiceret.

Nec obesse debet, quod forte mors prolis paululum acceleretur. Nam primo quidem ex praedictis cum Lugo non tenetur mater cum tanto discrimine vitam prolis ulterius conservare. Deinde vero *in eo casu* (ut inquit S. Alphonsus, (*Lib. 6. n. 106. in fin.*) *negligi potest parva illa vitae iactura, ut infans vitam aeternam consequatur.*

IV. Quando, aegrotante matre, periculum abortus aeque instat, tum si illa remedium ad morbum curandum sumat, tum si non sumat, eo quod vis ipsa morbi (ut subinde contingit) abortum infert, licet medicinam sumi: neque enim prodesset proli abstinentia a remediis, atque adeo mater vitae suae consulit sine maiori prolis detrimento. Atqui si absque maiori prolis detrimento mater potest vitae suae consulere, non solum licite po-

per se ad morbum curandum directa; 3° ut nulla sit spes foetui illi vitam aeternam per Baptismum procurandi. Huiusmodi autem spes in duplici casu abesse potest: nempe ubi moraliter certo constat, foetum nondum esse animatum, ut in prioribus conceptionis diebus; vel ipsum, moriente matre, simul vel ante moriturum. — *S. Lig. ibid.* — *Lacroix, n. 826. et seq.* — *Billuart.*

III. Mulieri gravidae aegrotanti licet porrigere remedia curandis morbis idonea, etsi quandoque abortus sequi possit. Ratio est, quia experientia constat, abortum remediis ordinariis, saltem plerisque, rarissime sequi. — *Ita communiter.*

403. **Resolves.** — 1° Non licet puellae gravidae pharmacum sumere ad foetum expellendum, ne famam amittat, aut ne a patre furioso occidatur, quia directe procuraretur abortus (*a*). Constat etiam ex propositione 34ª ab *Innoc. XI* damnata.

2° Non licet, cum mulier gravida est, foetum occidere (*b*) ad matrem a morte liberandam. — *S. Lig. n. 394.*

test, sed propter obligationem, quam quisque habet vitam suam conservandi per ordinaria remedia, medicinis uti prorsus debet.

V. Si ex vi morbi probabile immineat periculum abortus, simul vero periculum instet, ne, si abortus reipsa ex morbo sequatur, proles in utero moriatur; contra vero probabilis spes affulgeat, quod accelerato per medicinas partu proles in lucem viva prodeat, et sic aeternae eiusdem saluti prospici possit; incerta vitae temporalis spes non videtur praeferenda probabiliori spei salutis aeternae, atque adeo accelerare partum liceret. Quod quidem dicendum est valere, etiamsi morbus nullum vitae matris periculum inferat, sed solum de meliori prolis bono agatur.

VI. Quando habita ratione status tum physici tum moralis matris (quae scilicet non ita incisionem exhorreat, ut proli vel solus hic horror graviter nocere queat), et simul spectatis tum statu prolis tum medici peritia, prudenter existimari queat, per caesaream operationem in grave periculum matrem inductum non iri, prolis vero consuli posse non modo temporali sed etiam aeternae vitae; dicendum est, teneri matrem ad incisionem patiendam, licet saluti aeternae prolis prospici aliter posset. Requiritur tamen ut longe probabilior sit spes salutis prolis simul et matris; nam secus pro incerta spe vitae temporalis filii (aeterna enim curari aliter potest, ut diximus) non tenetur mater probabile periculum vitae suae subire. (S. Alph. *Lib. 6. n. 106.*).

(*a*) Ut licite possis causam ponere mortis (idem dicito de quovis alterius damno), oportet etiam, ut occisionem neque ut finem intendas, neque assumas ut medium ad alium finem (utroque enim modo *directe* eam velles); sed tantum *indirecte* eam inferas, scilicet ponendo causam istius mortis non propter coniunctionem, quam eadem causa habet cum eo effectu seu morte innocentis, sed solum propter coniunctionem, quam habet *aeque immediatam* cum alio effectu. Sic enim id agis atque intendis, quatenus iunctum est cum effectu licite appetibili, non quatenus per accidens nexum est cum alio effectu, quem intendere non potes, licet possis eum ex iusta causa permittere Porro in hypothesi Auctoris abortus assumitur ut medium *directe* electum ad obtinendum alium finem, ad quem insuper abortus per se nequaquam ordinem habet ceu ad suum effectum. In quibus elucet duplex ratio, ob quam damnata fuit ab Innocent. XI propositio (*n. 34*): *Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.*

(*b*) Hanc quoque resolutionem accipe sensu in praec. Nota exposito,

3° Non licet matri gravidae, etiam in certo mortis periculo, sumere, aut etiam ei praebere medicinam ex intentione directe ordinata ad eiectionem foetus. Si tamen mors certo aut fere certo futura sit, si medicina non adhibeatur, et e contrario certo aut probabiliter salvanda sit mater, si adhibeatur, non videtur id illicitum, praesertim cum vel ex partus acceleratione vel alio modo aeternae prolis saluti alias periclitaturae prospici per Baptismum possit (*a*).

4° Licet medico praebere remedium de se ordinatum ad morbum matris curandum, si certo constet, non dato remedio, et matrem alioquin morituram, et foetum sine Baptismo exstinctum iri; sic enim tum mater, tum foetus, quo meliori modo possunt, iuvantur; sed rarissime de utroque constabit. Si vero aequale sit periculum abortus, sive remedium sumatur, sive non, illud adhibere licitum est; quia sine maiori prolis periculo vitae matris consulitur. — *S. Lig. n. 394.*

5° Homicidae sunt, qui percutiunt mulierem praegnantem, vel terrefaciunt, ita ut abortus sequatur. Item mulieres gravidae, quae cum gravi imprudentia variis modis abortus causam proximam ponunt, v. gr. nimiis laboribus operam dando, onera gravia asportando, pedes in aqua frigida lavando, etc...

6° *A fortiori* homicidii reae sunt puellae ex fornicatione gravidae, quae repetitos conatus adhibent ad abortum attentandum, potionibus, saltibus, oneribus, ventris valida percussione et compressione, etc... Quando huiusmodi feminae confitentur, sedulo, sed non abrupte, interrogandae sunt de abortu desiderato vel attentato.

De poenis in procurantes abortum dicetur in Tract. de Censuris. — *Vid. Casus, n. 399. et seq.*

CAPUT III.

DE DUELLO

Duellum in genere est pugna duorum vel paucorum inter se. In sensu strictiori est periculosa duorum pugna ex praecedenti condicto de loco, tempore et armis.

non licere nempe *directe* mortem prolis velle. Nam si alioquin certa instet mors tum matris tum prolis, nullatenus tenetur mater subire mortem, quae prolem a simultanea morte non servat. Et huc sane illud spectat, quod Salmanticenses (*Tr. XIII. Cap. 2. n. 60.*) tribuunt plusquam viginti Doctoribus, foetum in certis quibusdam adiunctis se habere instar innocentis aggressoris, cuius mors iuxta doctrinam S. Thomae sup. memoratam (*in not. ad n. 402*) tantum *indirecte* sequitur.

(*a*) Duas huius resolutionis partes merito dixeris secum invicem pugnantes. Eas conciliabis, si in prima parte potiusquam dicas, *ex intentione directe ordinata,* substituas, *directe per se ordinatam;* sic enim locus superest sensui, quo et secunda pars intelligi debet, mortem prolis tantum *indirecte* sequi, ac permitti.

Duellum est 1° *publicum* vel *privatum*, prout fit auctoritate publica vel non; 2° *solemne* vel *simplex*, prout fit coram testibus, vel iis omissis.

404. **Principia.** — I. Duellum auctoritate publica susceptum est licitum, si fiat ad bonum commune, v. gr. ut bellum conficiatur (*a*); secus, si aliis de causis imperetur aut permittatur (*b*). Ratio utriusque patens est.

II. Duellum auctoritate privata susceptum nunquam licitum esse potest. Ratio est, quia repugnat 1° *iuri naturali*, cum Deus nulli hominum dominium dederit in suam aut alterius vitam, nec in membra extra casum defensionis contra actualem aggressorem; 2° *iuri canonico*, ut constat ex *Trident. sess. 25. cap. 19.*, ubi duellum dicitur: *Detestabilis usus, fabricante diabolo, introductus.* — *S. Lig. n. 399., 400.*

405. **Resolves.** — 1° Non licet acceptare duellum etiam ad avertendam ignominiam; quia repugnat rationi istud medium crudele adhibere cum evidenti suae aut proximi vitae periculo, imo et salutis aeternae ob finem non necessarium vel etiam inutilem. Vera aestimatio, laus et decus posita non sunt in vana opinione huius mundi, cuius sapientia apud Deum stultitia est. — *S. Lig. Hom. apost. n. 27.*

2° Non licet acceptare duellum viro militari, etiamsi cedere idcirco debeat officio ad sustentationem suam et suorum necessario. Ratio sequitur ex dictis: occisio enim alterius privata auctoritate nunquam licita est, nisi contra actualem aggressorem cum *moderamine inculpatae tutelae;* provocans autem ad duellum non est actualis aggressor.

3° Non licet duellum suscipere ea lege, ut uno vulnerato aut certo numero ictuum completo, pugna cesset; 1° quia etiam in hoc maximum adest vulneris ltealis periculum; 2° quia Clemens VIII probibuit etiam duella non fatalia; 3° quia istud duelli genus scandalum creat, et duellis fatalibus occasionem praebet.

4° Non licet duellum suscipere, etiam accedente auctoritate publica, ad noscendam veritatem, ad probandam innocentiam aut ad finiendam litem privatam; quia non est medium ad hos fines ordinatum. Nec cogi rei possunt ad duellandum, spe etiam vitae victori futuro data. — *S. Lig. Hom. apost. ibid.* (*c*).

(*a*) Alium finem indicat Sanchez (*In Dec. Lib. 2. c. 39. n. 13-14.*), nempe ad servandam penes hostes existimationem, et ne exercitus animo concidat. Huiusmodi duella Bonacina (*De Cens. in spec. Disp. 2. q. 3. p. 58. n. 4.*) appellat *partem belli.*

(*b*) Ita, v. gr., si fiat spectaculi et voluptatis causa, vel ad robur militum vane ostentandum (*Sanchez, in Dec. lib. 2. c. 39. n. 12.*).

(*c*) S. Alphonsus citato loco loquitur tantum de prima huius resolutionis parte. Quoad postremam vero (*Theol. moral. lib. 3. n. 400.*) oppositam sententiam sine ulla nota refert; Laymann autem (*Lib. 3. Tr. 3. p. 3. C. 5. n. 2.*) aliis DD. allegatis quoad iudicem haec habet: *Licet secundum se et*

5° Licet autem pugnare in duello ad meram defensionem, etiam arma acceptando ab adversario, si mors ab ipso intentetur, aut amissio bonorum secutura sit, nisi pugna acceptetur, nec adsit alia ratio hoc periculum evadendi; sed non licet se conferre ad alium locum (*a*), aut indicere ad defensionem aliud tempus determinatum; quia tunc duellum proprie dictum haberetur.

speculative rem aestimando, non videatur id alienum a iure naturali, quod id aliud non sit, quam utrumque reum in alterutrum iustitiae ministrum decernere, ut iustam mortis sententiam exequatur; ei autem, qui praevenerit, vita condonetur; attamen ob adiunctas circumstantias non vacat periculo scandali; quare neque expediens neque licitum est. Quoad reos vero subdit: *Postquam princeps eiusmodi facultatem duello decertandi reis concessit, licitum videtur id acceptare, non ex odio, sed tum publicae iustitiae zelo, tum propriae vitae salvandae causa.*

(*a*) Si tamen mors tibi intentetur, nisi continenter in alium locum pergas, ubi te defendere possis, haec circumstantia non videtur resolutionis praecedentis rationem immutare.

S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 400.*) postquam retulit plurium DD. sententiam circa causam *amissionis bonorum*, subdit, eam opinionem non esse amplius probabilem ob primam et quartam e propositionibus a Benedicto XIV proscriptis, et ab A. paulo post relatis. Verum non constat, hunc casum in iis comprehendi. Illae enim de duello etiam *offerendo* loquuntur; hic vero agitur de sola *acceptatione* ad necessariam bonorum (magni momenti) ab actuali invasione defensionem. Norunt porro omnes, damnationem propositionis complexae nequaquam exigere, ut omnia eiusdem membra censeantur falsa, sed satis esse, si falsum reperiatur alterum; quinimo prius illud ad absurdum per se inducit; nam si v. gr. dicas: *SS. Apostolis Petro et Paulo amputatum caput fuit;* concludendum ex damnatione foret, *neque Paulo amputatum caput fuisse;* quod est aperte falsum. Sancte itaque servanda regula illa logicorum est, propositionis damnatae atque adeo falsae veram habendam esse non quidem *contrariam,* sed *contradictoriam* tantummodo. Porro propositionis *copulativae,* cuiusmodi sunt obiectae *prima* et *quarta,* contradictoria erit huiusmodi: *Aut offerre, aut acceptare duellum, etc., illicitum est.* Atqui vi *disiunctivae* istius thesis absurde inferres, illicitum esse utrumque simul ipsius membrum. Ergo ex illarum propositionum damnatione nihil erui certe potest adversus eam opinionem, adeo ut damnata dici queat.

Verisimilius obiici forte posset damnatio Prop. 3^{ae}, quae statuit, *non incurri poenas latas contra duellantes, si dux vel officialis militiae duellum acceptet ex gravi metu amissionis famae vel officii.* Nam mentio tantum *acceptantis* in ipsa fit. At enim, ut caetera modo praetermittamus, alia ratio et quidem duplex se offert, propter quam vis obiectionis plane eliditur. Prima est, quod nihil in ea Propositione dicatur de *actuali bonorum invasione;* quocirca ad praesentem quaestionem nihil haec pertinet. Altera est, quod Propositio damnari merito potuit vel ob illud unum, quod falsissime supponat, eum, qui duellum detrectet, fama graviter periclitari. Frustra igitur et haec Propositio obiicitur. Et reipsa eximius ex Ordine Serv. B. Mariae Virg. theologus Marcus Struggl, postquam diligentissime perpendit has quoque Propositiones a Benedicto XIV proscriptas, nihilominus (*Th. Mor. Tr. 7. Q. 3. art. 6. n. 65.*) statuit, *licitum posse evadere duellum..., si contra iniustum aggressorem ad defensionem vitae vel ingentium bonorum necessario debeat suscipi; ut si quis actualiter intentaret certam mortem, direptionem bonorum, aut incendium domus, nisi cum illo actualiter duellum ineas; nam licitum est se defendere contra*

6° Non ineunt duellum proprie dictum, et proinde non incurrunt excommunicationem Papae reservatam, aliasque poenas a Concilio Trid. in duellantes inflictas, qui ob iniuriam subita ira excandescentes et ad pugnam se provocantes statim congrediuntur; quia verius est rixa, non vero duellum, quod *ex condicto loco et tempore* fieri debet. Eademque de causa ob improvisum eiusmodi congressum praedictae poenae non incurruntur, quamvis pugnantes ex eodem rixae impetu ad locum aliquem idoneum statim se simul conferant. — *S. Congr. 5 Octob. 1744. — Scav. — S. Lig. n. 401. — V. Casus, n. 403. et seq.*

406. — Hic referre iuvat quinque propositiones circa duellum damnatas a *Benedicto XIV*, an. 1752, in Bulla *Detestabilem* (*a*). Sunt autem sequentes:

1° *Vir militaris qui, nisi offerat et acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abiectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitae ac promeritae spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.*

2° *Excusari possunt, etiam honoris tuendi vel humanae vilipensionis vitandae gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.*

3° *Non incurrit ecclesiasticas poenas contra duellantes latas, dux, vel officialis militiae acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae, vel officii.*

iniustum aggressorem vitae, et ingentium bonorum alia via irrecuperabilium. E quibus apparet, hanc doctrinam vix, aut ne vix quidem ab ea distare, quam A. quoque in Resolutionibus quinta et sexta proponit, si quidem huc revocetur quaestio superius (*n. 397. Q. 4.*) agitata de defensione ingentium bonorum etiam cum iniusti aggressoris occisione.

Concludendum igitur, fas utique cuique esse rationes inquirere, quibus eam opinionem, eiusve qualemcumque probabilitatem oppugnet; at rationes huiusmodi plane aliunde, ac ex proscriptis illis Propositionibus, quaeri oportere.

(*a*) Benedictus XIV huius Constitutionis §. 10., principes ac magistratus quoslibet enixe obtestatur, ut duellorum licentiae omni nisu et constantia vehementer obsistant. Tum eosdem monet, ne satis esse putent, quod legibus gravissimisque poenis additis, *horrendum crimen* proscriptum sit, nisi earum executionem naviter urgeant, seque inexorabiles criminis vindices exhibeant. *Nam si delinquentes aut oscitanter ferant, aut molliter puniant, alieno se crimine polluent, omnisque illius sanguinis reos se constituent.*

Ita sapientia plane divina Romanus Pontifex per eam aetatem, qua in universa christiana republica nefarium hoc scelus iustissimis legibus coercebatur. Quod vero decursu temporis apud quasdam gentes contra hoc crimen e codicibus abrasae leges fuerint, quin et alicubi puniatur, qui duellum detrectando hoc se crimine polluere noluerit, hoc palam facit, gentes illas, dum superba insipientia putant, se perfectionis civilis fastigium attigisse, in efferam eam barbariem, e qua ipsas christiana religio eduxerat, corruisse iam, ac porro profundius immergi.

4° *Licitum est in statu hominis naturali acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum iactura propulsari nequit.*

5° *Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatae, in qua nimirum, vel negligentia, vel malitia magistratus, iustitia aperte denegatur.*

CAPUT IV.

DE BELLO

407. — Bellum est pugna multitudinis contra multitudinem extraneam Reipublicae defendendae aut vindicandae causa.

Hinc differt 1° a *rixa*, quae est pugna paucorum contra paucos; 2° a *seditione*, quae est tumultus vel conflictus multitudinis contra politicam societatem, ad quam pertinet.

Distinguitur bellum 1° *offensivum*, si fiat ad iniuriam vindicandam; 2° *defensivum*, si ad vim repellendam sustineatur.

Principia. — I. Bellum *per se* licitum est, sive ad iniuriam repellendam, sive ad ius suum vindicandum. Ratio est, quia societas quaelibet independens ab alia societate, habere debet medium se tuendi contra iniuriam, et ius suum vindicandi; interdum vero non suppetit aliud medium ad hunc finem obtinendum, nisi bellum. Quippe cum altiora desint tribunalia, ad quae Nationes seu Principes recurrere queant, solum superest, ut ad satisfactionem ab alia societate obtinendam bello utantur. — *S. Thom. 2. 2. qu. 40. art. 1., et alii.*

II. Ad bellum iustum et licitum, sequentia necessario requiruntur:

1° *Auctoritas legitima*, id est suprema, nullum alium Superiorem in civilibus agnoscens. Ratio est, quia ubi maior auctoritas habetur, haec de lite iudicare debet.

2° *Causa iusta et gravis*, quae sit praeponderans incommodis ex bello secuturis, v. gr., regnum vel provincia recuperanda, aut iniuria gravis Reipublicae propulsanda, vel subditorum rebellio reprimenda.... etc.

3° *Debitus bellandi modus*, scilicet ut ante bellum a parte adversa requiratur condigna satisfactio; quae si offeratur, ex iustitia acceptari debet; ubi enim bellum desinit esse necessarium, desinit quoque esse iustum. — *S. Thom. ibid.* — *Billuart*, etc.

408. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An liceat bellum gerere cum probabilitate sui iuris?*

Resp. Controvertitur. Sed pars negativa est *longe probabilior*, saltem *intrinsece* et *practice*. Ratio est, 1° quia possessor bonae fidei nequit re possessa expoliari, nisi constet, eum iniuste illam retinere; 2° quia ad ponendam causam gravissimorum malorum, ut

sunt caedes, iniustitiae, morum corruptelae et alia huiusmodi, quae bellum ordinarie subsequuntur, requiri videtur moralis certitudo iuris sui. — *S. Lig. n. 404.*, *Tamburini*, *Billuart*, contra *plures*, quorum *alii maiorem* tantum probabilitatem, *alii* vero *aequalem* sufficere autumant.

Quaer. 2° *An milites belligerare possint cum dubio de iustitia belli?*

Resp. 1° Si agatur de milite subdito, tenetur obedire, ubi bellum non est evidenter iniustum, quia ad ipsum non pertinet rationes Superiorum examinare (*a*).

2° Si agatur de milite conducto ante bellum declaratum, potest obedire; ad hoc enim conducitur: unde fere ac si esset subditus, se gerere debet.

3° Si agatur de milite nondum conducto, tenetur inquirere de belli iustitia, nec in dubio de iustitia se locare potest. Ratio est, quia nemo potest cooperari ad spoliandum alterum re, quam possidet, nisi sit certus, iniuste eam ab illo possideri. — *S. Lig. n. 408.*

Quaer. 3° *An liceat Principibus catholicis in bello iusto advocare in auxilium haereticos et infideles?*

Resp. Affirm. per se, saltem *speculative loquendo*, modo absit scandalum, et Fidei periculum. Sed, ait *S. Lig. n. 406.*, plerumque, per accidens, est illicitum ob damna Religioni imminentia.

Quaer. 4° *An nocentes vel innocentes a victore occidi possint?*

Resp. 1° Occidi aliquando possunt nocentes, seu milites qui pugnaverint, si hoc ad pacem et securitatem stabiliendam aut iniuriam vindicandam necessarium sit, nisi cum pacto vitae servandae se dederint. Sed hoc a moribus nostri temporis prorsus alienum est.

2° Innocentes autem, id est mulieres, senes, peregrini, Clerici, Religiosi, etc...., *directe* occidi non possunt, nisi constet illos fuisse belli socios. Possunt tamen *indirecte* occidi, non adhuc completa pugna, si cum nocentibus sint permixti, ita ut salvis istis reliqua nocentium turba, quam destruere opus sit, interimi non possit. — *S. Lig. n. 409.*

409. **Resolves.** — 1° Milites in bello iniusto ne defensionis quidem causa licite possunt hostes occidere; si fugere nequeant, curare debent, ne ictibus suis feriant. Ipsi enim sunt iniusti aggres-

(*a*) Quod quidam dixerunt, ad probabile iudicium de iustitia belli sufficere auctoritatem principis, merito advertit Lugo (*De Iust. Disp. 18. n. 21.*), non semper et in universum verum esse. *Quando enim* (inquit) *aliunde scio, principem passim pro libito praecipere turpia, et... sine ulla prorsus attentione ad licitum, quomodo possum ex mero praecepto principis credere, quod iustum sit, quod praecipit?* Et paulo post quoad principes, quos fide christiana destitutos novimus: *Cum eorum conscientiae non possit prudenter miles fidere, quippe qui de iustitia belli parum curant, attente considerare et examinare deberet belli iustitiam et causam, ut posset iudicium illud probabile formare.*

sores, et iura contraria in eadem re dari nequeunt. — *Lacroix, et alii communiter* (*a*).

2° Princeps, perspecta belli iniustitia, eam proponere debet parti adversae, nec bellum inchoare potest, si satisfactio competens ei offeratur; imo etiam inceptum bellum, oblata satisfactione adaequata, relinquere tenetur, sin minus ex rigore iustitiae, saltem plerumque ex charitate, modo pars altera omnes expensas iam factas compensare velit, nec ad bonum publicum necesse sit, ut eius petulantia retundatur.

3° Licet in bello insidias parare, stratagemata adhibere, ut hostes fallaciis decipiantur, et in discrimina coniiciantur. Haec enim non reputantur mendacia, quia culpa sua decipiuntur adversarii, cum media illa in bello adhiberi soleant: sic licet fingere fugam, uti vexillis hostium, etc... Illicitae autem sunt fraudes, quae nulla prudentia possunt praecaveri, v. gr. veneno inficere puteos et fontes, etc...; hae enim sensu communi contra iura belli pugnant. — *S. Lig. n. 410.*

4° Licet in bello iusto urbes et arces obsidere, tormenta contra illas explodere, imo aliquando monasteria et Ecclesias destruere aut comburere, in iis spoliare et occidere, si v. gr. hostes Ecclesia ut arce ad se defendendum utantur. — Item licet aliquando urbem captam in praedam dare, sed nonnisi ob gravissimas rationes. — *S. Lig. ibid.*

5° Duces exercitus et milites summopere praecavere debent, ne excedant post victoriam in victis puniendis: sunt enim legitimae ministri vindictae, non vero latrones et sicarii; praesertim vitare debent quidquid crudelitatem aut animum nocendi sapit.

6° Duces et milites laedere nequeunt legatos partis adversae, quia iure Gentium ubique sunt inviolabiles; nec mittere possunt speculatores, qui Principem aut Ducem exercitus vel alios regni Primates occulte trucident; quia hoc ex omnium consensu ad perfidiam pertinet.

(*a*) Effatum illud *non posse dari bellum ex utraque parte iustum,* intellige, nisi per accidens ob aliquam ignorantiam invincibilem, utrimque iustum putetur; quod in militibus, ad quos in dubio non spectat causam definire, saepe contingere potest.

Et quoad resolutionem non negligendum est, quod cum Soto habet Molina. *Si aliquis* (inquit) *in bello, quod bona fide putaverat iustum, in ipso tamen conflictu eius iniustitiam agnovit, et dum fugit, videt adversarium insequentem, quem effugere non potest, nisi eum occidat, posset in sui defensionem eum occidere, quia cum revera innocens sit, non est dignus morte, quam adversarius ei vult inferre, cui si de veritate constaret, deberet eum relinquere.* Apud Lugo (*De Iust. Disp. 10. n. 144.*), cui tamen ista (*ibid. n. 176.*) minus arrident. At non aegre incommoda vitari possunt: quippe in fuga miles se dedere insequentibus potest, et ita mortem effugere.

DE VI. ET IX. DECALOGI PRAECEPTO

Non moechaberis. — Non desiderabis uxorem eius (proximi). Exod. 20. 14.

410. — Iuvat imprimis referre, ac propria nobis facere verba *S. Ligorii* in principio *Tract. de sexto Praecepto:*

Nunc aegre materiam illam tractandam aggredimur, cuius vel solum nomen mentes hominum inficit... Utinam brevius aut obscurius explicare me potuissem! Sed cum haec sit frequentior atque abundantior confessionum materia, propter quam maior animarum numerus ad infernum delabitur, hinc opus mihi fuit, ad instructionem eorum, qui moralem scientiam cupiunt addiscere, ut clare (licet quo castissime fieri potuit) me explicarem, et plurima particularia discuterem. Oro tamen studiosos, qui ad munus audiendarum confessionum se parant, ut hunc tractatum quemadmodum et alium de debito coniugali..., legant ob hunc unice finem, omnem prorsus curiositatem abiicientes, atque eo tempore saepius mentem ad Deum elevent, et Virgini immaculatae *sese commendent, ne, dum aliorum animas Deo student acquirere, ipsi suarum detrimentum patiantur.*

411. — Sextum Decalogi praeceptum prohibet quamlibet luxuriam externam, id est opere patratam. — Nonum vero praeceptum prohibet etiam luxuriam mere internam, impudicas nempe delectationes, ac desideria.

Luxuria est inordinatus appetitus rei venereae, et consistit in delectatione venerea voluntarie admissa extra matrimonium. Delectatio autem venerea est delectatio orta ex commotione spirituum generationi inservientium. Non est igitur confundenda cum delectatione mere sensibili, quae oritur ex proportione obiecti sensibilis ad sensum aliquem, v. gr. obiecti visibilis ad visum, audibilis ad auditum, etc. Alia idcirco est materia seu obiectum luxuriae, alia sensualitatis. Delectatio sensibilis aut culpa vacat, aut veniale, saltem plerumque et *per se*, non excedit (*a*).

(*a*) Diversas apud diversos AA. reperire est in hac re distinctiones. Nam praeter distinctionem venereae delectationis in *veneream sensibilem*, et *veneream spiritualem*, quam post Salmanticenses (*Tr. 26. C. 3. n. 31.*) cum nonnullis admisit (*Tr. 12. Q. 3. p. 295.*) Roncaglia (in praeced. edit. mendose legebatur: *quam post Roncaglia admisit S. Alphonsus;* quod mendum utiliter et VV. *Pag. 286.* adverterunt), quidam rursus veneream distinguunt in *veneream simpliciter*, et *veneream sensibilem* (*Vid. Sanchez, De Matrim. Lib. 9. Disp. 46. n. 4.*); quidam *veneream carnalem*, ac *sensitivam* pro una eademque videntur accipere (*Vid. Laymann, Lib. 1. Tr. 3. cap. 6. n. 6-8.*); alii sensitivam ac sensibilem prorsus a venerea distinguentes, illam rursus partiuntur in *pure sensibilem*, et *carnalem sensibilem* (*Vid. Croix, Lib. 5. n. 93.*); alii demum, uti etiam A., simpliciori bimembri distinctione utuntur in de-

Variae sunt luxuriae species, prout diversa sunt eius obiecta. Sic specie differunt tactus et aspectus impudici; actus solitarii, et actus cum aliis exerciti; actus consummati, et non consummati;

lectationem *veneream*, et *sensibilem*, quam etiam *naturalem* vocant. Quas quidem varias distinctiones, atque adeo varias earumdem penes diversos Auctores definitiones, dum quidam parum advertunt, in illud inciderunt incommodum, ut quibusdam Auctoribus eas sententias affingerent, quas illi ne per somnium quidem cogitaverant.

Interim quod spectat ad delectationem *sensibilem* seu *naturalem*, prouti ab A. aliisque accipitur, quae nempe a proportione obiecti cum organis sensuum exurgit, quaestio de reatu ipsius facile solvitur. Perinde enim est, ac quaerere, quis reatus esse queat in delectatione, quae, v. gr. ex olfactu floris, ex caeli aspectu, aut ex haustu gelidae percipitur. Merito proinde La Croix (*Lib. 5. n. 94*), cui subscribit Viva (*in Prop. 40ª damnata ab Alexandro VII, n. 20.*), postquam dixit, eam in se non esse malam, nec aliam in ea malitiam reperiri posse, nisi quae generatim sit in actu, qui ad finem rationabilem non referatur, lectorem remittit ad *n. 210.* eiusdem libri, ubi generatim de fine agit actus humanos cohonestante; quod tamen argumentum infeliciter versat, confusiones scilicet in hanc materiam a iansenianis inductas non penitus devitans. *Vid. supra n. 32., et not. a, pag. 26.*

Caeterum cum ea delectationis *sensibilis* indoles sit, quam descripsimus, mirum sane videbitur, quod S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 416.*) quaestionem instituat, *An detur parvitas materiae in delectatione sensibili sive naturali*, quodque addat, tenendam esse sententiam *negantem*, advocans in eam suffragium plurium auctorum, quos a Salmanticensibus (*de VI Praec. Cap. 3. n. 40.*) allegatos dicit.

At enim aegre quis verum S. Alphonsi sensum assequetur, nisi Salmanticenses adeat, quorum doctrinam compendio exhibet. Salmanticenses itaque non de qualibet sensibili delectatione tractant, sed expresse quaestionem agitant de ea, quae quaeratur et percipiatur ex osculis, tactibus, et amplexibus etiam personae adultae ac diversi sexus (*Vid. l. c. n. 34.*). Et licet (*ibid. n. 41.*) asserant, *speculative veram et probabilem opinionem* esse, quod eiusmodi actus, *si fiant praecise ob delectationem naturalem et pure sensitivam, quae sensui tactus correspondet ob proportionem cum suo obiecto sensibili, qualis est quae datur in tactu rei lenis et suavis, sistendo ibi et secluso ulterioris periculo delectationis carnalis et venereae, vacant culpa mortali; quia talis delectatio ex se non est moraliter mala, sed indifferens, non secus ac ipse tactus, qui ratione sui nominat actum indifferentem, ut docent S. Thomas 2. 2. q. 154. art. 4., et communiter Thh., et sic fieri potest ob aliquem finem honestum;* attamen merito subdunt (*ibid. n. 48.*), quod cum propter corruptionem humanae naturae eiusmodi actus vix deduci in praxim ob delectationem sensitivam possint, quin coniungatur delectatio carnalis ac venerea; idcirco fere suberit occasio ac periculum peccati mortalis, nisi iusta causa haec fiant, ut *not. seq.* dicetur. Et quidem (*ibid. n. 40.*) expresse monent, auctores, qui gravis culpae hosce actus damnant (quos nimirum S. Alphonsus dein quasi pro sensibilis delectationis reatu allegavit), non de delectatione mere sensibili loqui, sed de carnali ac venerea, atque adeo in quaestione de delectatione pure sensibili prorsus abs re allegari.

Huc igitur revocatur doctrina proposita a S. Alphonso; qui praeterea scite ibidem advertit, aliud esse agere *propter delectationem*, aliud agere *cum delectatione*. Nam hypothesis de osculis, amplexibus et tactibus, qui habeantur ob meram delectationem sensibilem ex ipsis praecise exurgentem, in praxi vix locum habere videtur. Quippe et praecisio illa nimis est difficilis; et reipsa qui studiose delectationes quaerit ex huiusmodi tacti-

item actus consummati iuxta naturam, et actus consummati contra naturam. Hae autem species alias etiam subordinatas seu inferiores species sub se continent, ut ex dicendis patebit.

Luxuria alia est *directe* quaesita, alia *indirecte*. Prior habetur, quando voluptas carnalis praecise in se intenditur; posterior vero

bus, etc., profecto et interiori animo, et saepe exterioribus quoque actibus ad ulteriora provehetur. Si vero huiusmodi delectationes non quaerantur, ut plurimum quaestio redibit de actibus, qui non *propter delectationem* (saltem advertenter et expresse quaesitam), sed *cum delectatione* fiant. Tunc autem iudicium de reatu ex inspectis tum natura causae, quae ad hos actus inducit, tum periculo consensus in effectus ferendum erit, ut in nota proxime sequenti dicetur.

** Per sex et viginti columnas (*Pag. 283–296.*) VV. circa hanc Notam versantur, ita tamen ut vix appareat, quid sibi voluerint, nisi forte aliqualem confutationis speciem seu umbram lectorum oculis subiicere. Quandoquidem post tot circuitus, demum quae in Nota innuuntur, concedunt, dum videntur eadem reprehendere ac negare. Satis itaque sit, nonnullis eorum querelis breviter respondisse.

Reprehendunt itaque 1° quod in Nota dicatur, mirum esse, quod S. Alphonsus talem quaestionem proponat, et addunt (*Pag. 287.*), sic S. Doctori tribui ineptam sententiam.

Resp. Salmanticenses (*Tr. 25. Cap. 5. n. 34*), e quibus S. Alphonsus compendiario ista desumpsit, quaestionem expresse instituunt de *delectatione sensitiva ac naturali,* quae ex *tactibus, amplexibus,* et *osculis* capiatur. Contra S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 416.*) nihil *de osculis* etc. quaerens, verbis maxime genericis, quae latissime extenduntur, quaerit: *An detur parvitas materiae in delectatione sensibili sive naturali, nempe si quis delectetur de contactu manus feminae, prout de contactu rei lenis, puta rosae, panni serici, et similis.* Idcirco subditur in Nota, ad assequendum S. Alphonsi sensum adeundos esse Salmanticenses, quorum doctrinam compendio exhibet. Ceterum nonne per se mirum aliquid praefert, quod quaestione sic generice proposita addatur, *non dari materiae parvitatem?*

2° Contra ac in Nota dicitur, VV. (*Pag. 287.*) statuunt, S. Doctorem *rectissime citare auctores pro sua sententia allegatos.*

Resp. Salmanticenses postquam (*l. c. n. 34–37.*) et rationes et auctoritates attulerunt pro opinione, quae gravis culpae expertem delectationem illam sensitivam ac naturalem tuetur, deinde (*n. 38–40.*) et rationes et auctores exponunt, gravis culpae eiusmodi delectationem damnantes; quae quidem prope omnia ipsi transcripserunt ex Sanchez (*De Matrim. Lib. 9. Disp. 46. n. 7.*). At vero ipsi Salmanticenses (*n. 34.*) expresse monent, quod Sanchez (*l. c.*) *loquitur de delectatione venerea, non vero de naturali;* et rursus (*n. 40.*) monent, quod, excepto Abulensi, *reliqui* (*auctores*) *loquuntur de tactibus ob delectationem veneream.* Porro S. Alphonsus eundem *n. 40.*, et auctores ibi relatos, qui loquuntur de *delectatione venerea,* allegat, ut gravis peccati damnet delectationem, non quidem *veneream,* de qua illi agunt, sed delectationem *mere sensibilem ac naturalem.* Quomodo ergo VV. suadere volunt, S. Alphonsum *rectissime eos auctores allegasse?*

3° Notant VV. (*Pag. 293–294.*), in postrema parte Notae *proponi regulam non admittendam.* Quippe ibi dicitur, quod *si delectationes illae non quaerantur, ut plurimum quaestio redibit de actibus etc.* Atqui (inquiunt) *delectatio sensitiva ex osculis, amplexibus, et tactibus exsurgens, regulariter cum periculo proximo in libidinosam incidendi coniuncta est.* Unde concludunt, iudicium de reatu non a periculo desumendum, *quod semper adesse supponendum est, sed a sola natura causae,* quae, si gravis sit, licitum potest reddere actum, quo *quis se exponit periculo letalis culpae,*

quando aliud intenditur, ex quo voluptas carnalis praeter intentionem suboriatur, ut fit in aspectibus vel lectionibus minus castis ex curiositate vel alio fine habitis.

412. **Principia generalia.** — I. Luxuria cuiusvis generis, vel speciei, est *per se* grave peccatum. Ratio est, 1° quia graviter pugnat contra naturam. Usus enim rei venereae ex natura sua institutus et necessarius est ad solam conservationem et propagationem generis humani; non potest igitur usurpari extra matrimonium (imo ne in matrimonio quidem nisi debito modo) sine gravi recti ordinis perturbatione; 2° quia sub gravi a Deo naturae Auctore prohibetur, ut ex innumeris S. Scripturae locis constat; sic *Galat. 5. 19: Opera carnis quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria..., quae praedico vobis sicut praedixi; quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

II. Luxuria *directe* voluntaria in quovis genere nunquam parvitatem materiae admittit. Ratio est, quia quaevis delectatio directe quaesita subversionem naturalis ordinis a Creatore stabiliti necessario inducit. Constat etiam ex propositione 40ª ab *Alexand. VII* damnata, quae sic iacet: *Est probabilis opinio quae dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis.*

III. Luxuria autem *indirecte* voluntaria admittit parvitatem materiae; quia nullus tunc est consensus seu directa intentio in voluptatem veneream, sed tantum in causam, quae leviter vel graviter est peccaminosa, prout leviter vel graviter in delectationem influit (*a*). — *Ita omnes.*

et quo alias graviter peccaret. Si quis medicus v. gr. feminam tangit medendi causa etc. Et in eam rem afferunt, quae S. Alphonsus habet (*Lib. 5. n. 63.*) *de chirurgi periculo in medendis feminis.*.

Resp. Peccat igitur regula, quia dicitur *ut plurimum,* cum dicendum esset *regulariter* aut *communiter.* Aliorum enimvero iudicio committatur, an seriam disputandi materiam per quatuor columnas haec quaestio apta sit praebere. Melius reponi debet 1° *Nego suppositum.* Particula *ut plurimum* in generalissima ista quaestione removet casus, de quibus nulla controversia institui quoad reatum solet, v. gr. de osculis, quae mater filiolo infigat; ergo abs re sunt tot illa in quatuor columnas congesta. Sed reponi 2° potest: Nego, in quavis occasione delectationis alicuius sensibilis non quaesitae adesse periculum incidendi (adde et *consentiendi*) in libidinosam delectationem. 3° Scitor a VV., probent nec ne, hoc ratiocinium: Periculum adest quoad chirurgos in medendis feminis (addi deberet ob delectationem mere sensibilem non quaesitam); ergo delectatio quaevis mere sensibilis etiam ex apprehensa pueri manu inducit periculum, quod *sub gravi* cavere tenemur?

4° Denique reprehendunt VV. (*Pag. 287.*), quod dicatur in Nota, infeliciter La Croix egisse de relatione operum in finem; et remittunt ad ea, quae ipsi scripserant *Pag. 133. et 146.*

Resp. Quae VV. scripserunt *pag. 146.*, nihil huc pertinent. Quae vero scripserant *pag. 133.*, responsum habent in iis, quae habentur sup. *Not. b, pag. 29.*

(*a*) De causis motuum carnalium, connexaeque delectationis (qui qui-

Agendum nobis hic est de peccatis *externis* tantum; de *internis* enim, seu de *morosa delectatione* et *pravo desiderio*, iam dictum est in *Tract. de Peccatis*, *n. 167. et seq.* Hinc 1° de peccatis non consummatis; 2° de peccatis consummatis dicemus.

dem motus etiam ad ultimum usque pollutionis effectum pertingere possunt) triplex hypothesis fieri claritatis gratia debet.

Prima erit, quando quis apposite et de industria hosce motus intendens, causas ipsorum ponit, ut delectatione eorum propria fruatur. Et tunc iam habes luxuriam *directe* voluntariam, de cuius reatu nihil est ambigendum.

Secunda hypothesis plane opposita erit, quando eiusmodi motus ultro ac naturaliter excitentur, nulla iis causa voluntaria ab eo data, qui illos tunc mere patitur. Et tunc nulla ratio est, cur quaeramus reatum in voluntate tamquam eorum causa.

Tertia demum inter praecedentes media erit, quando voluntarie actio quaepiam ponitur, quae excitandis iis motibus causam aliquam, proximam vel remotam, praebeat; neque tamen eo fine seu intentione actionem quis ponit, ut motus eiusmodi in se excitet, aut iis perfruatur. Tunc autem valet principium, quod ex S. Alphonso alias (*not. ad n. 176.*) retulimus, nempe hisce effectibus, utpote voluntariis solum in causa, tantum reatus inesse, quantum inest ipsi causae. Unde S. Alphonsus concludit (*Lib. 3. n. 484.*): *Communis et probabilior sententia docet, pollutionem non esse mortalem, nisi proveniat ex causa per se mortali in genere luxuriae.... Ratio est, quia cum pollutio non sit volita nisi in causa, eo gradu mala erit, quo mala est ipsa causa.* Et quidem vigilanter dicit, *ex causa per se mortali in genere luxuriae;* si enim causa, utut graviter in se culpabilis, sit extra luxuriae genus, uti v. gr. ebrietas aut esus carnium die Veneris, vel in genere quidem luxuriae sit, sed leviter culpabilis, ut v. gr. curiosa lectio venialiter turpis, tunc deest efficacia causalitatis, et (ut ait S. Alphonsus *l. c.*) *cum causa leviter ad pollutionem concurrat, non est gravis obligatio causam illam vitandi ob pollutionem, quae praeter intentionem accidit.*

Quinimo cum non omnes actiones, quae gravem culpam inferunt in genere luxuriae, per se habeant illam efficaciam, nec etiam pari efficacia polleant quoad omnes homines, sed diversa plane pro diversa personarum infirmitate; hinc ratione effectus abesse gravis culpa poterit, etiam quando gravis culpa affuerit in actu, qui occasionem motibus praebuit, qui propterea *per accidens* subsequi tunc censentur. Unde Salmanticenses concludunt (*Tr. 26. Cap. 7. n. 41.*): *Si in aliquo corpore ratione infirmitatis.... vel alterius causae, sit positive indispositio ad Venerem, esto illi applicentur causae, quae alias ex se graviter in pollutionem aut carnalem delectationem influunt respectu aliorum...; respectu tamen illius.... non erunt graviter influentes, sed solum leviter aut etiam nullo modo, seu erunt causae materialiter tantum de genere luxuriae; quapropter communiter... ratione eorum influxus in pollutionem mortaliter non peccabit.*

Omnis vero culpa abesse poterit, quando actio per se licita sit et honesta, licet praevideantur sequuturi pravi motus, quos tamen nullo modo quis velit nec intendat. Unde S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 483.*): *Si praefatae actiones* (quas alioquin *n. 482.* dixerat esse causas graviter influentes) *ponantur ex causa necessaria, vel utili, vel convenienti animae aut corpori, tunc... pollutiones ex ipsis provenientes, adhuc praevisae, non sunt peccata, dummodo absit consensus periculum. Ita communiter Sylvius, Croix, et alii cum communi et S. Thoma.* Et reipsa ita Doctor angelicus (*3. q. 80. art. 7.*): *Praecedentes cogitationes lascivae quandoque possunt esse omnino sine peccato, puta cum aliquis causa lectionis vel disputationis cogitur*

CAPUT I.

DE PECCATIS LUXURIAE NON CONSUMMATIS

Peccata huius generis sunt oscula, tactus, aspectus, sermones et lectiones turpes.

ARTICULUS I.

DE OSCULIS ET TACTIBUS IMPUDICIS

413. **Statuenda.** — I. Oscula (*a*) et tactus vere impudici, id-est habiti sine causa in partibus inhonestis alterius, vix unquam a peccato mortali excusari possunt, etiam secluso affectu venereo,

de talibus cogitare. Et si hoc sit sine concupiscentia et delectatione, non erunt cogitationes immundae, sed honestae; ex quibus tamen pollutio sequi potest, sicut patet ex auctoritate Augustini... Verba autem Augustini (*De Gen. ad litt. Lib. 12. cap. 15.*) sunt: *cum hoc tam sine peccato fiat, quam sine peccato a vigilantibus dicitur.*

Actuum autem, qui *ratione necessitatis* sint sine culpa, S. Alphonsus haec exempla subdit (*Lib. 3. n. 483.*): *Hinc etiam praevisa pollutione* (et a fortiori haec valere debent de pravis motibus minoris momenti) *involuntaria licet parochis et etiam aliis confessariis audire confessiones mulierum, ac legere tractatus de rebus turpibus, chirurgis aspicere et tangere partes feminae aegrotantis, ac studere rebus medicis... servire in balneis... Licet alicui, qui magnum pruritum patitur in verendis, illum tactu abigere, etiamsi pollutio sequatur.* Exempla vero actionum culpae expertium ratione cuiusdam decentiae haec habet (*ibid.*): *Licet aliis alloqui, osculari, aut amplexari mulieres iuxta morem patriae... et similia.* Denique (*ibid.*) quoad actiones, quae non obstante praevisa pollutione, licite exercentur utpote *convenientes animae vel corpori,* tria haec exempla addit; quod nempe liceat 1° equitare non modo necessitatis et utilitatis, sed etiam recreationis gratia; 2° decumbere certo quodam corporis situ ad commodius quiescendum; 3° cibos calidos aut potus moderate sumere, et honestas choreas ducere. — Et quidem ad haec omnia et singula advertit S. Alphonsus, eiusmodi sententias ad doctrinam communiter receptam pertinere.

Prae oculis tamen habenda est limitatio, quam ex communi sententia S. Alphonsus (*l. c.*) apponit, *dummodo absit periculum consensus,* in pravos scilicet motus, subortamque delectationem. Quippe obligatio cavendi periculum peccandi sufficit, ut illicita evadat actio, quae alioquin nec ratione sui nec praecise ratione motuum, quos inducit, inhonesta foret.

Quod si quaeratur, cuiusmodi esse debeat periculum, quod *graviter* illicitam efficiat motuum causam; illud sufficiat in praesens innuisse, normam desumi ex iis posse, quae *in Tractatu de Poenitentia* tradi solent de proxima peccandi occasione, quippe quae idcirco removenda seu fugienda est, quia nimirum peccandi periculum inducit. Illa itaque lapsuum frequentia, caeteraque adiuncta, quae ex communi doctrina occasionem *proximam,* et necessario auferendam constituunt, haec eadem constituent illud periculum, propter quod a ponenda motuum carnalium causa abstinere quis obligetur.

(*a*) Hoc loco Auctor denotat oscula, quae partibus inhonestis infigun-

ob gravem indecentiam, et imminens libidinis periculum, quod inducunt. Facilius tamen excusantur a mortali, si in eiusdem, quam si in diversi sexus persona fiant. — *S. Lig. n. 419. 420.*

II. Oscula et tactus in partibus honestis vel minus honestis (*a*) constituunt peccata mortalia, si ex delectatione venerea fiant; sunt venialia, si fiant ex levitate, ioco, curiositate, etc...; carent vero omni culpa, si fiant iuxta morem patriae, urbanitatis aut honestae benevolentiae causa (*b*). Ratio horum *per se* patet. — *S. Lig. n. 417.*

tur. Hoc autem discrimen inter huiusmodi oscula et tactus est, quod adhibendi illos tactus iusta aliquando causa subesse possit, v. gr. ad medendum; non item vero deosculandi.

(*a*) Sedulo adverte distinctionem inter corporis partes *minus honestas*, et *inhonestas*. Dicuntur *inhonestae* seu etiam *turpes* aut *obscenae* partes genitales, iisque proximae; *minus honestae* vero et *non turpes* dicuntur pectus, brachia, crura, etc. Ita S. Alph. (*Lib. 3. n. 422.*). Quod vero A. dicit de iis, quae venialem culpam habeant, si fiant circa *partes minus honestas* ex levitate, ioco, curiositate, etc., hoc de tactu aliquo accipi poterit, non vero ad oscula, ut res ipsa per se loquitur, est transferendum, quod infra *in 3. Resol.* etiam A. advertit.

Item quae A. dicit carere omni culpa, *si fiant iuxta morem patriae, aut causa urbanitatis, etc.*, accipiendum est de partibus *honestis*, non autem *ad minus honestas* extendendum est.

** (*b*) [*N. B.* Haec et quae proxime Nota sequitur, materiam suppeditarunt VV. scribendi per septuaginta et sex columnas (*Pag. 296-334*). Omnia eiusdem prorsus ponderis semet exhibent, ac ea, quae in antecessum obiici ab ipsis iam pluries vidimus. Potiusquam ad harum Notarum calcem subiiciamus, si quid videatur responso aliquo dignum, visum est opportunius, suis id locis in Notarum decursu uncis inclusum interserere. Ferat patienter Lector, quod hac de causa contextus sermonis abruptus plus aliquid laboris ad nexum rerum retinendum exigat.]

Huc spectat communis DD. sententia, urbanitatis ac benevolentiae gratia et in amoris ostensionem sponsis de futuro licere pudicos tactus, v. gr. manus apprehensionem, amplexus et oscula. [VV. postquam (*Pag. 297.*) dixerunt, in Nota quaestionis statum *potius obnubilari, quam dilucidari*, incusant, quod dicatur, licere tactus pudicos, non solum urbanitatis, *sed etiam benevolentiae gratia et in amoris ostensionem;* quod (*Pag. 299.*) dicunt *subtiliter in Nota additum:* et pergunt (*ibid.*): *haec sententia, scilicet sponsis tactus pudicos* IN BENEVOLENTIAE ET AMORIS OSTENSIONEM *licere* PRAETER MOREM PATRIAE, *nec communis est, nec testes adducti id testantur.* Ita illi. — Resp. 1° Videat oculis suis Lector in subiectis textibus, num verba *benevolentiae gratia* et *in ostensionem amoris* sint subtile additamentum P. B., an sint allegatorum Auctorum verba. — Resp. 2° Videat iterum Lector, an in verbis P. B. reperiatur illud, PRAETER MOREM. Et nihilominus adversus phantasticam hanc umbram, nempe quod in Nota asserantur et defendantur, ceu licita, oscula, tactus, etc. *praeter morem patriae*, serio pugnare VV. etiam *Pag. 300. et 301.* pergunt. — Caeterum DD. verbis illis « *secundum morem, secundum patriae consuetudinem* » duplex sensus, rectus uterque, intelligi potest: unus, ut indicetur mos exhibendi post sponsalia ista benevolentiae signa; alter, ut in modo ea signa exhibendi mos patriae servetur: quem sensum habent et verba S. Alphonsi, ut *permittantur non aliter, quam solutis permittuntur, ubi vigeat usus.*] Dixi *communis;* sic enim Lucius Ferraris (*V. Luxuria, n.90.*): *Omnes tactus, oscula, amplexus..., quae fiunt inter sponsos..., si pudice fiant, ex recto fine, secundum consuetudinem patriae, sunt licita.* COMMUNIS. — Ita et Giribaldi

414. — **III.** Tactus et oscula etiam in partes honestas subinde gravi culpa non carebunt, si saepius vel morose exerceantur a iu-

e Clericis Regularibus Barnab. (*De Matrim. cap. 19. dub. 15. n. 114.*): *Quaeres 5°, an sponsis de futuro liceant oscula, tactus, et amplexus?* Communis *sententia negat, licere tactus inhonestos in partibus impudicis et occultis... Sed concedit, licere tactus alioquin honestos, amplexus, oscula...; quae quidem erunt peccatum veniale, si fiant ob solam delectationem captandam; et sine omni culpa, si fiant in signum amoris et benevolentiae iuxta morem consuetum.* — Nec aliter Reiffenstuel (*Th. mor. Tr. IX. Dist. 4. Q. 7. n. 77.*): *Num autem inter sponsos de futuro liceant tactus et oscula, alia difficultas est. Et quidem tactus impudicos inter sponsos non excusari a mortali, passim fatentur DD.... Quod si oscula et amplexus de se non sint impudici, simulque fiant.... intuitu honesti amoris ac benevolentiae, culpa vacant.* [Reiffenstuel (inquiunt VV. *Pag. 299.*) allegat Navarrum: hic autem commendat, ne matres sinant, ut filiae versentur solae et secreto cum sponsis. — Resp. Id et infra in hac Nota commendatum videre ipsi posuerunt. — Addunt VV. (*Pag. 300.*), quod in novissima editione Theologiae Reiffenstuel Flavianus Ricci addit sententiam *Pontas*, quod praeferenda sit opinio damnans *gravis peccati in sponsis oscula* etc., quia haec sententia *est tuta.* — Resp. Theoriam damnandi quidpiam gravis culpae, quia hoc sit tutum, sibi habeat Pontas. S. Antoninus, cui S. Alphonsus subscribit, dicit, perinde hoc esse, ac aedificare ad gehennam.] — Et Salmanticenses (*De Matrim. Cap. 15. n. 91.*): *Ultima difficultas est, utrum inter sponsos de futuro sint licita oscula, amplexus, tactus..? Respondetur, quod si tales actus ob captandam voluptatem fiant, erunt peccata venialia.... Si ob signum amoris, nullum erit peccatum.* [Obiiciunt hic VV. (*Pag. 299.*), quod Salmantic. haec (*Tract. 26. C. 3. n. 56–61.*) retractaverint. — Resp. Hoc tamen inter utrumque locum intercedit discrimen, quod in priori, hic relato, Salmanticenses *communem* sequuntur sententiam, eamque auctoritatibus, quae valent aliquid, confirmant: in posteriori vero novam sententiam (*l. c. n. 60.*) falsarum allegationum cumulo communiunt, adeo ut non dubitent pro ipsa allegare Busembaum, et Caietanum, quem sui obliti (*ibid. n. 56.*) allegaverant etiam pro opposita, et quem ipsi VV. (*Pag. 304.*) traducunt quasi excusantem delectationes venereas! Et quidem hoc quoque loco Salm. mere concludunt, novissimam hanc opinionem *sibi videri in praxi probabiliorem!* Huiusmodi suffragia si qui captent, iis libenter ea relinquimus.]

Et hanc quidem doctrinam non reiecisse S. Alphonsum, inde patet, quod relatis istis ex Busembaum (*Lib. 6. n. 854.*): *Sponsis non licent tactus impudici, etsi liceant amplexus et oscula in signum amoris:* nihil reperit, quod reprehendat. [Subdunt hic VV. (*Pag. 301.*): *Cl. Pr.* (idest P. Ballerini) *hic aut oculorum hallucinatione, aut mentis distractione laborasse videtur.*—Resp. En verba S. Alphonsi (*Lib. 6. n. 584*), quae et ipsi VV. (*Pag. 297.*) describunt: *Concedunt Croix et Viva cum aliis auctoribus ab ipsis adductis, quod oscula et amplexus iuxta morem patriae aliquando sponsis permitti possunt, sed non aliter quam solutis permittuntur. Et* hoc est probabile, *modo tales actus non sint pressi et per aliquod tempus protracti, ut bene advertit Roncaglia, qui etiam eos admittit ad* benevolentiae demonstrationem: *sed ego non admitterem, nisi ubi talis vigeret usus, ut etiam ait Mazzotta.* Num S. Alphonsus vel tantillum distat a sententia Auctorum, qui sup. in Nota referuntur? Numquid non concedit, ubi hic usus vigeat, *licere oscula et amplexus etiam ad benevolentiae demonstrationem,* quod tamen VV. paulo ante traducebant, tamquam subtile P. B. additamentum?]

Illud unum movere quosdam potest, quod eiusmodi actus ad carnales

venibus potissimum diversi sexus absque ulla necessitate, aut alia iusta causa, quamvis ob solam voluptatem organicam. Ratio est,

pravosque motus ciendos conferant. At valere hic debet generalis regula, quam sup. (*not. ad n. 412.*) tetigimus, nimirum tunc solum hosce motus esse culpabiles, cum vel mala est causa, vel periculum subest consentiendi. Itaque ad Confessarium in casu pertinet inspicere, non quidem an causa sit rea, nam cum iusta sit, eo ipso est honesta, sed utrum adsit periculum consensus in malum, proque sua prudentia remedia poenitenti praebere. Qua in re cavere sane debet, ne desiderium removendi a peccati periculo ipsum eo usque impellat, ut de peccato praesertim gravi ea damnet, quae ex communi DD. sententia aut nullum aut dumtaxat levem habent reatum. Huiusmodi enim zelus, non sane secundum scientiam, hunc unice effectum demum sortiatur oportet, ut forte perpaucos quidem ab iis actibus absterreat, plerosque vero ex falsa iniecta conscientia in peccati laqueos reipsa impellat; unde facile fiet praeterea, ut conculcato semel propter Confessarii imprudentiam timore Dei, et amisso peccati horrore, in veras deinde et graviores turpitudines prolabantur.

Quod idem sane etiam de aspectibus et colloquiis inter sponsos est observandum, quando et ex istis motus illi, et interdum ad pollutionem usque, subsequantur. Iusta enim est causa, cur sponsus sponsam invisat, atque alloquia cum ipsa habeat. Tota ergo quaestio vertetur in illo consentiendi periculo, de quo sup. *in not. ad n. 412.* dictum est.

Qua in re non levis profecto difficultas videbitur se offerre, quando ex lapsuum frequentia periculum consentiendi eiusmodi appareat, ut instar proximae peccandi occasionis haberi debeat. Verumtamen hic non maior adest reipsa difficultas, quam si agatur de occasione proxima necessaria: *necessaria,* inquam; spectatis enim omnibus adiunctis, quidpiam moraliter impossibile exigeret Confessarius, si sponsum ab adeunda et alloquenda sponsa, vel (ut post Sanchez *De Matrim. Lib. 9. Disp. 46. n. 48–50.*, aliosque plures ab eodem allegatos, advertit Diana *Tom. 1. Tr. 4. Res. 37.;* et *Tom. 2. Tr. 6. Res. 37.*) a consuetis benevolentiae signis exhibendis arcere vellet. Aliis itaque mediis ad removendum periculum uti debet. Quae si poenitens non abnuat, valebit quod iuxta principia communiter recepta habet Giribaldi (*De Poenit. Cap. 10. dub. 3. n. 31.*). Qui ad quaestionem, *An possit absolvi sponsus, qui frequenter visitat sponsam, cuius occasione peccat,* respondet, *Posse absolvi, quando visitationes sunt secundum morem patriae, a quibus non potest sine nota et dedecore abstinere, quia putaret sponsa se contemni, eo quod illam non visitaret, sicut alii sponsi faciunt; quod idem valet de sponsa, quae ex locutione et aspectu sponsi patitur distillationem et pollutionem; non enim tenetur fugere aspectum sponsi, si alias non habet iustam causam et excusationem, cum aspectus et verba sint honesta et secundum morem patriae, ac sine nota et dedecore non possint vitari.* Media autem Confessarius suggeret non modo generalia, sed ad rem specialia; et pro prudentia sua opus est ut absterreat, prouti potest, ab exhibendis iis benevolentiae signis, quibus concupiscentiae fomes excitari facilius potest, aut certe eum modum ac frequentiam proponat, quae necessitatem non excedat. Modus autem ac mensura, quae facile ab omnibus intelligi possit, haec esto, ut non plus praestetur, quam quod praestari hac in re sine cuiusquam offensione coram aliis, v. gr. parentibus queat. Tum vero maxime exigendum, ut nunquam solus cum sola praesertim secreto loco versetur. Quod quidem potissime et ad eos pertinet, qui eorum curam gerunt. Cum parentibus itaque et praesertim cum matribus severissime agendum est, gravisque obligatio urgenda huius vigilis custodiae et cautelae; ad quam impellere debet non modo conscien-

quia ab huiusmodi actibus repetitis vel morosis commotio carnalis et delectatio venerea raro aberit. — *S. Lig. n. 416.* (*a*).

tia, sed etiam timor, ne filiae semel corruptae in paterna domo dehonestatae consenescant.

Quod si remedia a Confessario proposita optatum fructum non sortiantur, illud unum superest, ut cum istis agatur non secus ac agendum cum recidivis in Tractatu de Poenitentia traditur.

** (*a*) Voluptatem organicam heic A. illam appellat, quam sup. (*not. ad n. 411.*) diximus *pure sensibilem;* ubi etiam innuimus, in praxi eam *praecise talem*, si de adultis agatur, qui apposite eam quaerant, vix locum habere.

Quod autem A. a regula, quam tradit, excipere videatur casum *necessitatis* vel *iustae causae,* id non est extendendum ad oscula morosiora ac pressiora, a quibus sunt deterrendi vel ipsi sponsi, cum vix quoad ista excogitari iusta aliqua causa queat. [VV. (*Pag. 304.*) ad haec Notae verba: *non extendendum id ad morosiora ac pressiora,* sic arguunt: *P. B. dicit, sponsos deterrendos ab osculis morosioribus ac pressioribus: ergo non omnino a simpliciter morosis et pressis.* — Resp. *Nego consequentiam.* Satis notum est, penes Latinos *comparativam* formam, ubi deest comparationis terminus, subinde minus significare, quam formam *positivam;* est nimirum locutio elliptica, et subintelligitur, *quam par sit,* aut, *quam res,* vel *persona,* vel *tempus, aliave circumstantia ferat, aut exigat* etc.]

Aliam tamen quaestionem DD. moverunt de sponsis, utrum scilicet licita ipsis sit delectatio quaepiam, quam ex osculis amplexibusve, aut pudicis tactibus voluntarie capiant. Dixi 1° *delectatio quaepiam;* nam hic prorsus excluditur delectatio venerea proprie dicta ac partium genitalium propria. Dixi 2° *quam voluntarie capiant;* nam de oborta praeter intentionem, nulloque consensu admissa, nulla est controversia, etsi venerea foret.

Quaestionem sic propositam tractat etiam S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 854.*) ita tamen (hoc unum enim de hac re per modum mere historicum attigisse iuverit), ut ex ibi disputatis vix intelligi queat, quo loco vere se res habeat. Et sane pro sententia, quae eam delectationem sponsis aut licitam aut nonnisi leviter malam esse tenet (quam tamen non satis accurate exponere videtur), ipse quinque tantum auctores affert, *Sanchez* nimirum, *Salmanticenses, Aversa, Diana,* et *Azor.* [Queruntur VV. (*Pag. 305.*), quod heic dicatur, *vix intelligi apud S. Alphonsum, quo loco se res habeat.* — Resp. 1° S. Alph. (*Lib. 6. n. 854.*) ponit quaestionem sic: *Quaeritur, an inter sponsos sint peccata mortalia oscula, et tactus pudici, si fiant ad captandam voluptatem;* tacetur autem, *de qua voluptate* sit quaestio; 2° Pro prima sententia stantes *quinque* solum S. Alph. allegat, cum pro ipsa stent plurimi alii, hic indicati, quibus et alii tres a Diana (*l. c. infr. Res. 38.*) adduntur. Atqui quaestione sic proposita profecto non facile intelligitur, quo loco se res habeat. Ergo. — Subsumunt (*l. c.*) VV., si numerentur tredecim Auctores, quos pro sua sententia (*l. c.*) S. Doctor allegat, iisque addantur alii septem apud Sanchez, quindecim alii apud Diana, et alii sexdecim apud Salmanticenses, iam numerum exsurgere, qui summam citatorum in hac Nota exaequet. — Resp. 1° Septem apud Sanchez transcripti sunt a Salmanticensibus: ergo ne bis computentur, demi debent. 2° Quindecim apud Diana sunt contra opinionem S. Alphonsi, non pro ipsa; quatuor tamen et pro ea allegantur (*l. c. infr. n. 1.*); sed cum isti repetiti inveniantur a Salmanticensibus, computari non possunt. 3° Allegationes Salmanticensium iam diximus esse falsas, quarum aliquas cernimus et apud S. Alphonsum. Cuius roboris sint allegationes apud S. Alphonsum relatae, in seqq. ostenditur. Ergo.] Atqui Sanchez (*De Matr. Lib. 9. Disp. 46. n. 48.*) pro eadem allegaverat alios septem-

IV. Oscula, tactus et amplexus ob delectationem veneream exercita contrahunt malitiam specie diversam pro variis personarum

decim; Diana vero (*Tom. 2. Tract. 6. Res. 36. n. 2. 3.*) alios novem hisce addiderat, adeo ut iam habeamus triginta et unum, in quibus videas nomina *Soti, Caietani, Toleti, Navarri, Valentiae, Sayri, Reginaldi*, etc.; adiungi autem his poterant Laymann (*Lib. 3. Sect. 4. n. 11.*), Palaus (*De Sponsalibus Disp. 3. punct. 4.§.2.n.7.*), Sporer (*Theol. Sacram. P. 4. C. 2. Sect. 4. n. 430.*), Escobar (*Lib. 26, Sect. 2. Dub. 26.*), Filliuccius (*Tr. 10. Part. 1. Cap. IX. n. 357.*), Tamburini (*In Decal. Lib. 7. Cap. 3. §. 5. n. 61.*), Ioann. Henriquez (*apud Mendo Disp. 5. q. 12. n. 4.*) et Giribaldi, qui (*De Matrim. Cap. 19. Dub. 15. n. 114.*) asserit eam esse doctrinam *communem*.

Pro sententia vero, quae ceu graviter illicitam sponsis eam delectationem propugnat, allegari videbis penes eundem S. Alphonsum (*l. c.*) *Lessium, Mazzotta, Roncaglia, Concina, Bonacina* cum *Henriquez* et *Rebello, Croix* cum *Mendo*, ac *Viva* cum *Suarez, Perez* et *Hurtado:* quae quidem allegationes fere ex Croix, Mazzotta, et Viva corrogatae videntur. Atqui 1° *Lessius* (*De Iust. et Iur. Lib. 4. Cap. 3. n. 59.*) utique gravis culpae hos actus damnat in *personis omnino solutis;* sed (*ibid. n. 58.*) oppositum de *sponsis* sic tradiderat: *Sponsis de futuro conceditur ea voluptas, quae praecise ex osculo et contactu manus vel faciei percipitur, ita ut nec venialiter quidem in ea peccent.* [Obiiciunt VV. (*Pag. 313.*) haec Lessii verba esse argumentum, quo utuntur *adversarii*, et quorum sententiam Lessius reprobat. — Resp. C. Ant., et N. consequentiam. Nempe isti *adversarii* sunt, qui non de sponsis, sed de solutis agunt. Lessius porro reprobat eorum sententiam, sed non negat argumenti antecedens. Et revera ipsi VV. (*l. c.*) scribunt: *Lessius concedit, sponsis ratione matrimonii inchoati oscula licere, etiam propter delectationem, quae praecise ex ipsis nascitur.* — Subsumunt VV. (*ibid.*), Lessium id concedere *speculative* loquendo, sed *practice* non iudicare hanc sententiam probabilem; et subdunt haec Lessii verba: *Itaque sententiam illam non dixerim probabilem.* — Resp. Ista verba Lessii spectant sententiam adversariorum *de solutis*, nec intellectu facile est, quomodo VV. Lessium, auctorem classicum, traducant sibi eodem loco contradicentem. Ad sponsos ea pertinent, quibus in fine eiusdem *n. 59.* Lessius respondet argumento, quod ex osculis licitis quoad sponsos adversarii sumebant: *Sponsis conceditur, quia est signum copulae futurae, in quam ratione matrimonii inchoati consentire possunt.* Unde patet, quod Lessius antecedens illud adversariorum plane concedit.]

2° Idem dicito de *Perez*, qui dum (*De Matrim. Disp. 8. Sect. 6. n. 7.*) de gravi damnat *delectationem libidinosam, quae est quaedam copulae inchoatio, delectationem tamen ex osculis perceptam* (*ib. n. 4.*) sponsis ceu licitam concedit. [Contendunt VV. (*Pag. 314.*) Perez docere, *sponsis nihil licere, nisi id quod caeteris non coniugatis liceret.* — Resp. N. omnino. En verba Perez (*l. c.*) quae et VV. referunt: *Dico primo, certum esse apud omnes Doctores, oscula praedicta, amplexus et tactus non impudicos licite fieri inter sponsos de futuro, quando fiunt in signum benevolentiae secundum consuetudinem patriae, ad conciliandum et fovendum mutuum amorem in ordine ad matrimonium contrahendum... Unde colligo cum praedictis DD., delectationem ex ipsis sequentem esse licitam et honestam.* Imo (quod VV. omittunt) Perez (*ibid. n. 5.*) addit: *Adde, praedicta oscula, complexus, et tactus esse etiam licita ob finem praedictum, etiamsi adsit periculum pollutionis, modo non adsit periculum consensus in delectationem sensualem ac veneream.* — Praemissa autem a VV. obiectio distorquet Perez in sensum non suum. Perez (*n. 8.*) respondet obiicientibus, sponsalia nullum ius dare ad ea, quae *castitati opponuntur.* Respondet autem id ultro concedendo. Et cum (*n. 7.*) praemisisset, peccari per oscula et

circumstantiis; censentur enim eiusdem naturae, ac actus consummatus, in quem natura sua tendunt. Hinc in confessione explican-

tactus etiam non impudicos, *si fiant causa delectationis libidinosae,* infert (*n. 8.*), *sponsalia non excusare in sponsis de futuro a culpa mortali vel veniali oscula, amplexus, et tactus etiam non impudicos, qui in ipsis, si soluti essent, vere essent mortales vel veniales,* idest qui *causa delectationis sensualis ac libidinosae* fierent.]

3° *Bonacina* autem (*De Matr. Q. 4. punct. 9. n.6.*), et *Mazzotta* (*Tr. VII. Disp. II. Q. 2. Cap. 2. q. 1.*) utramque sententiam dicunt *probabilem.* [Obiiciunt VV. (*Pag. 315.*), Bonacinam dixisse oppositam sententiam *tutiorem et probabiliorem.* — Resp. Quod concedat alteram esse *probabilem,* id sufficit ad dictamen de actus liceitate. Quod vero oppositam dicat *probabiliorem,* id non sufficit ad iniiciendam fidelibus conscientiam gravis peccati. Haec ex communibus principiis a S. Alphonso probatis et inculcatis. — Quoad Mazzotta, VV. obiiciunt, quod *longe probabilius* dixerit oppositum. — Resp. Id dixit Mazzotta *de delectatione carnali et* (ut dein explicat) *venerea,* C., et valde benigne sic locutus de ista est: id dixit de delectatione, de qua nunc quaestio, N. En verba Mazzottae (*l. c.*), quae VV. nimis hinc inde detruncant: *Respondeo cum Perez, et aliis, tunc licere, quando fiant in signum benevolentiae secundum consuetudinem patriae, ad conciliandum et fovendum mutuum amorem in ordine ad matrimonium contrahendum; quia sic non solum non apparet turpitudo, verum etiam adest finis honestus. Quod verum est, inquit Perez, etiamsi in casu praeter intentionem sequatur commotio spirituum, aut etiam pollutio, modo non adsit periculum consensus in illam. At si fiant ob delectationem carnalem... quae sonat delectationem veneream...., longe probabilius contradicunt,* etc.]

4° *Suarez* (*De Pecc. Disp. 5. Sect. 7. n. 12.*), et *Henr. Henriquez* (*Lib. XI. Cap. 19. n. 4.*) nihil prorsus habent, quod ad rem faciat. [Fatentur VV. (*Pag. 315–316.*), Suaresium nihil de sponsis habere. Sed melius poterat adverti, istam *Suaresii* allegationem spectare ad alium Suaresium, cuius mentio apud Dianam (*Tom. 2. Tr. 6. Reg. 38. n. 1.*), et de hoc nihil curandum. — Quoad Henriquez vero, hic mere dicit (*l. c.*), quod *honesti amplexus et oscula ad benevolentiam concedebantur a viris doctis; sed permitti non deberent, cum iam sponsalia per copulam affectu maritali non transeant in matrimonium.* Quaero: cur non dicit *debent,* sed *deberent?* Ratio redditur ibi in nota sic: *inest enim periculum copulae, dum absque arbitris se impudice tangunt.* Ergo mere id dicit ad praecavenda pericula; quod consonum est illi paragrapho, ubi agit de matris officio in filiarum custodia. Quos vero allegat in Nota, Caiet., Navarr., Angel., et Silvestr., notum est, haec benevolentiae signa sponsis non interdicere: quamquam Silvester (*V. Matrim. 5. §. 8.*) duplex osculorum distinguit genus: alterum, quod *irreprehensibiliter fieret solum cum uxoribus* et *sponsis de praesenti,* quod sufficeret, *ut sponsalia transirent in matrimonium;* alterum, *quod solent etiam sponsis de futuro exhiberi in aliquibus locis* etc. Ex quibus allegationibus diiudicare licet de VV. sententia, ubi dicunt (*Pag. 305.*), usque ad saeculum 16. nullum reperiri, qui sponsis id concederet.]

5° *Rebellus* (*De oblig. Iust. Part. 2. Lib. 3. Q. XIX. Sect. 2.*), et Gaspar Hurtado (*De Matr. Disp. 10. diffic. 10. n. 48.*) disserunt alter quidem de *delectatione libidinosa,* seu de osculis, *per quae inchoatur voluptas venerea;* alter vero *de tactibus libidinosis,* et delectatione inde percepta; quae itidem non sunt ad rem. [Concedunt VV. (*Pag. 316.*), Rebellum et Hurtadum agere de *delectatione libidinosa seu venerea;* sed negant eos allegari *abs re,* quia aliqui Auctores reipsa aliquam eiusmodi delectationem saltem non damnant de mortali. — Resp. Utrum aliquis auctor excusaverit saltem

dum est, an habiti sint cum eodem vel diverso sexu, cum persona coniugata, etc. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 417.* — *Lessius*, etc.

a mortali delectationem veneream, nihil nunc interest. Hoc modo interest, quod S. Alphonsus auctores *secundae* sententiae allegat ceu contradicentes auctoribus *primae.* Atqui nemo e quinque, quos affert pro *prima* sententia, loquitur de delectatione *venerea;* ergo *abs re* contra istos allegantur Rebellus et Hurtadus, qui mere veneream impugnant.]

6° *Croix* (*Lib. 6. p. 3. n. 151.*) communi sententiae mere opponit falsas allegationes *Lessii, Suaresii, Henriquez, et Hurtadi,* quibus addit *Comitolum;* sed et hunc perperam, quia *Paulus Comitolus,* utut vir ingenii anomali, et zeli ad strictiora propensi, tamen a communi sententia in hac re non recessit, ut patet ex hisce (*Resp. mor. Lib. 4. q. 20. n. 4.*): *Quapropter puellae et virgines, quae aut ex osculis et amplexibus castorum iuvenum, quos amant, voluptatem capiunt honestam, sive cum eos tactus cogitant, sive etiam corpore eos admittunt ; aut non peccant, aut leviter peccant, ut inquit Sylvester V. Delectatio n. 7. Non mortifere peccare affirmat Rosella V. Cogitatio morosa n. 4. Secus dicendum, si animo obscenam aut corpore turpem voluptatem haurirent.* [Advertunt VV. (*Pag. 317.*), quod, etiamsi nutet vis allegationum, quas Croix promit, adest tamen suffragium ipsius Croix. — Resp. Suffragium eiusmodi tantam vim habet, quantam habet consequentia, quae ducitur ex falsis praemissis, idest nullam. Ratio autem a Croix (*Lib. 3. P. 1. n. 894.*) adducta, nempe quod delectationem istam sensibilem, praesertim si quaeratur, posset subsequi venerea; et si forte venerea accedat, periculum adesse potest in eam consentiendi, haec (inquam) ratio nimis probat, nec Logica consentit, ut ex casu particulari probabili argumentum sumatur ad grave peccatum pro quibuslibet casibus asserendum.—Circa Comitolum VV. (*Pag. 318–319.*) per tres columnas disputant, et quaerunt, num allegare merito potuerit Paludanum, et Summas Silvestrinam, et Rosellam. — Resp. Ista ad rem nihil faciunt. Quaestio haec est, utrum Croix recte et iure allegaverit *Comitolum* contra illos viginti auctores, qui (ut ipse ait *Lib. 3. P. 1. n. 894.*) dicunt *non esse mortalem delectationem tantum sensibilem, quae oritur in osculis vel tactibus.* Iudicet, quisquis oculis suis praemissa Comitoli verba legerit.]

7° Denique *Viva* (*De Matr. Q. 1. art. 7. n. 6.*) licet pugnare videatur contra Sanchezii communem sententiam, tamen ambigue loquitur de *delectatione* modo *sensibili* modo *carnali ;* remque magis implicat, dum hoc loco dicit, se *communiorem* doctrinam contra Sanchezium sequi, dum alibi (*In Prop. 40ª damn. ab Alex. VII, n. 23.*) Sanchezii sententiam tribuit *plurimis:* quae duo plane forent contradictoria. [Contendunt VV. per tres columnas (*Pag. 319–320.*) Vivam prorsus eximere a quavis tum confusionis tum contradictionis nota. — Resp. Viva (*l. c.*) impugnat non modo *Sanchez, Caietanum,* et *Navarrum,* uti VV. fingunt, sed et *Toletum, Fagundez, Bonacin., Salas, Valent.,* et *alios apud Diana,* impugnat nimirum illos quindecim, quos VV., ut vidimus, citare voluerunt pro S. Alphonsi sententia ! Hos autem Viva impugnat, quod a mortali excusent sponsos, etiamsi intendant *delectationem sensitivam et carnalem.* Nunc vero quaeramus: cuiusmodi est delectatio, quam Viva reprobat? Nam si est mere *sensitiva seu sensibilis,* qualem asserit Sanchez (*Lib. 9. Disp. 46. n. 49.*), eam vocans *delectationem sensitivam, quae ex osculis oritur,* quomodo subdit, eam *communius* peccati mortalis damnari? Quomodo obiicit illis auctoribus *Rebellum* et *Hurtadum,* qui pugnant solum, ut vidimus, contra veneream? Imo quomodo cum his opponit et *Perez,* qui, ut supra vidimus, sensibilem hanc delectationem ut licitam admittit? Si vero Viva vult pugnare contra *veneream,* quomodo hanc opinionem tribuit quindecim illis Scriptoribus cum Diana, qui eos sequitur? Quomodo ipsam *plurimis* illis

415. **Resolves.** — 1° Culpa vacant oscula, quae matres aut nutrices infantibus solent infigere. Idemque saltem ordinarie dicito

attribuit, quorum causam (*In Prop. 40. Alex. VII. n. 23.*) communem cum Sanchez facit? Quaero: estne hic modus aptissimus clare, distincte, et cohaerenter quaestiones pertractandi?]

Ex allegatis igitur supererunt *Mendo, Concina,* et *Roncaglia,* quorum postremus (*Tract. XII. Cap. 1. q. 6.*) dicit, *mirari se,* quod *quidam oscula admittant ut licita inter sponsos*, et *nunquam se satis percepisse, quomodo dici possit, sponsalia tribuere sponsis ius ad mutua oscula.* Ad quae alii illud forte reponerent, rationem, quae Roncagliae oculis non affulsit, affulsisse tamen communiter aliorum, quos innuimus, Doctorum intellectui; neque enim alia tam communis sententiae causa sufficiens assignari potest, nisi ratio quaepiam satis spectabilis, quae diversissima ingenia in unam sententiam compellat. Quod idem ad *Mendo* reponendum est, qui (*Statera Opin. Diss. V. q. 12. n. 118.*) *tot* (ut ait) *atque adeo gravium* Auctorum doctrinam veritus est sequi, quod eiusdem fundamentum non pervideret.

[Notant VV. (*Pag. 323.*), *intactum in Nota Concinae testimonium relinqui.* — Resp. Nonne ipsi (*Pag. 324.*) expresse fatentur, Concinam a S. Doctore Alphonso *rigidissimum* vocari? Porro auctoris *rigidi* suffragium utique plusquam mediocriter valet, quando absolvit; non item quando damnat. In casu itaque eum sibi habeant. — Reponunt VV. (*Pag. 324.*): *S. Alphonsus plurimas Concinae sententias eo reprobat, quod iusto rigidiores, aut rigidissimae sint; in hac vero quaestione... rigidum non existimat.*—Resp. Si ita est, vis ergo suffragii non a Concinae, sed a S. Alphonsi auctoritate repetitur. Porro suffragium, quod vim non habet nisi ab auctoritate idem suffragium allegantis, citra damnum causae omitti potest, utpote nihil opis ad causam per se conferens. — Addunt VV. (*Pag. 321–323.*), *Roncaglia et Mendo non sistere in mera admiratione, sed gravissimis* (!) *argumentis sententiam adversam profligare.* — Resp. Rationes a Mendo allatae sunt adeo validae ut damnent illud etiam, quod S. Alphonsus ut licitum (*Vid. Not. praec.*) probat in illa generali thesi Sanchesii (*l. c. n. 47.*): *Oscula et amplexus, aliique tactus non impudici, excusantur a culpa mortali inter sponsos de futuro.* Neque vero hoc mirum; est enim Mendo ex iis, quorum nomen vix alias inter allegationes apparet, quam ubi anomala quaepiam opinio producitur. — Quod vero attinet ad Roncaglia, advertendum in primis est, quaestionem ab eo restringi non solum *ad oscula pressa et aliquo tempore protracta,* sed insuper ad *facta ob captandam sensibilem delectationem.* Porro Logica non permittit, ut exinde concludatur de omnibus osculis, et posthabita S. Alphonsi distinctione inter agentem *propter delectationem,* et agentem *cum delectatione.* Argumentum autem iam inde a *Rebello* productum, et dein a caeteris etiam prorsus abs re repetitum, nimirum quod sponsalia non dent ius in corpus alterius, additis deinde ad rem illustrandam exemplis tum ementis vineam, qui nondum *ius in re* habeat, et viri destinati ad iudicis officium, quod tamen nondum acceperit, hoc, inquam, argumentum nihil est, nisi putum sophisma. Et sane num ius in corpus alterius tribuimus, cum dicimus amicitiam ius tribuere amplexandi aut osculandi amicum, aut idem ius inesse parentibus erga filios etc.? Significatur videlicet, eam esse conditionem amici ad amicum, parentum ad filios etc., atque etiam sponsorum invicem, ut istiusmodi affectus et benevolentiae ostensiones damnari non possint ceu statui eorum incongruae. Quippe cum amor iste legitimus sit, atque honestus adeo, ut S. Thomas (*Vid. sup. Not. ad q. 7. n. 32.*) ceu *actum virtutis ac vitae aeternae meritorium* habeat, quod *mulier decenter se ornet, ut placeat viro, quem accipere debet,* honestum itidem est eiusmodi signis istum amorem fovere. Sed nec omittendum hic aliud sophisma, a quo non satis qui-

de aliis, qui infantes tenerae aetatis, etiam diversi sexus, secluso pravo quovis affectu, deosculantur.

dam in hac quaestione tractanda cavent. Ita nimirum delectationem mere *sensibilem,* quae v. gr. ex tactu panni serici hauritur, distinguunt a venerea, ut si quidem delectatio ex amplexu percepto non sit illa mere sensibilis, iam habenda sit ut venerea graviter damnabilis, perinde scilicet ac si de animalibus brutis ageretur. Atqui in homine rationali non negligendum est aliud elementum, unde delectatio est, quae neque ad mere sensibilem illam revocari possit, neque iterum ceu venerea sit damnanda. Et re quidem vera num aliquid cum tactu floris commune habet delectatio, quam mater experitur in amplexu filii e bello reversi? quae quidem ita in eiusmodi haeret amplexu, ut centies filium osculetur, nec diu sinat a suis ulnis illum avelli? Ergone, si non sensibilis, ista erit delectatio venerea? Sua nimirum atque indolis omnino diversae voluptas ac delectatio inest, quando ardens cordis affectus per eiusmodi signa seu ostensiones semet effundit, inque iisdem satisfacere sibi ac veluti quiescere videtur. Quoties autem hic affectus legitimus sit et honestus, in sese effundendo autem limites honestatis ac decentiae servet, quid est, in quo damnetur, aut quorsum huc arcessitur theoria illa de delectatione mere sensibili, ac propria contactus panni serici? Exinde vero intelligitur, cur Auctores ad amplexus et oscula huiusmodi cohonestanda ostensionem amoris ac benevolentiae, eiusdemque fomentum ceu finem quodammodo operis intrinsecum proferant; quaestionem autem de delectatione, quae vel actum comitetur, vel etiam quae forte intendatur, addant quasi de re, quae per accidens actui accedit. Et quidem haud penitus absurde quis forte putaverit, graviores Auctores, dum *sensibilem* seu *sensitivam* delectationem hic nominant, nequaquam indicare mere voluisse sensum ex rei lenis tactu exurgentem. Alia nimirum est sensitivi appetitus affectio, eaque modo suavis, modo insuavis, quae rationalis appetitus affectum, e quo oritur, fere comitatur, adiunctamque habet aliquam etiam corporis, ac praecipue motuum cordis modo suavem modo insuavem mutationem: unde vulgo cor dilatari, aut premi dicitur. Quae tamen affectio, corporisque immutatio adeo per se nihil commune habet cum delectatione venerea, ut imo vel piissimos in Deum affectus comitetur: ac propterea moneamur, ne nimis inter spirituales exercitationes delectationi huic sensibili inhaereamus. Porro quo aptiori nomine, quam *sensitivae delectationis,* Auctores designarent hanc sensitivam affectionem, quae sponte exsurgit, et comitatur actus illos, quibus in casu exeritur, et effectu aliquo ostenditur? Atque hinc quidem sensus erui potest quarundam locutionum, quas VV. pertrahere omnino ad significandam veneream delectationem conantur; unde et Navarrum, et Caietanum, atque etiam Sanchez incusant, quasi licitam sponsis delectationem veneream, aut saltem non graviter culpabilem in casu asseruerint. Atqui in his etiam rigidum *Mendo,* cuius ipsi (*Pag. 322.*) verba referunt, contrarium habent. Ansam accusandi Navarrum sumunt VV. ex illis Navarri verbis (*Man. C. 16. n. 12.*): *Sponsalia enim, quae initium matrimonii sunt, faciunt facultatem fruendi voluptate praeambula voluptati matrimoniali, quae singularis est eiusdem Caietani determinatio in 2. 2. q. 154. art. 4.* Atqui haec verba potius oppositum suadent. Si enim iuxta Navarrum ita se habet voluptas sponsis concessa ad voluptatem matrimonialem, sicut ad matrimonium se habent sponsalia, concludendum est, voluptatem illam praeambulam nihil esse aliud, quam dispositionem quandam alteri praeviam. Quocirca sicut sponsalia ita sunt dispositio ad matrimonium, ut nihilominus de natura matrimonii nihil participent, ita et voluptas illa praeambula intelligenda est prorsus expers naturae illius voluptatis, quae exclusive maritalis est. Et hinc datur melius nosse, quid sibi velint illae locutiones Caietani a Navarro

2° Non statim arguendi sunt de peccato ac multo minus de gravi iuvenes utriusque sexus, qui in nonnullis iocis decenter et

allegati, ubi (*l. c.*) scribit: *Videtur autem, quod sicut sponsalitium inchoatio quaedam est coniugii; ita et huiusmodi actus* (scil. osculum) *inchoatio quaedam est carnalis copulae;* seu (ut habet in Sum. V. *Sponsalitia*): *Sicut sponsa inchoative est sponsi, ita delectatio venerea coniunctionis carnalis inter eos inchoative permittitur inter eosdem; constat autem oscula..... non nisi inchoationem venereae delectationis importare.* Idem porro, ac supra, redit argumentum. Nam ita delectatio osculandi est inchoatio delectationis venereae, sicut sponsalitium est inchoatio coniugii. Atqui sponsalitium est mera praevia ad coniugium dispositio. Apposite Filliuccius (*Tr. 10. C. 9. n. 357.*) sensum horum Auctorum reddens, sic habet: *Si non sint impudici, hoc est, sint in partibus honestis, ut oscula, amplexus, tactus manuum, et similes, licent, etiamsi intendant (sponsi) de iis captare delectationem sensitivam, non autem veneream. Ratio est, quia ut matrimonium de praesenti cohonestat copulam, sic sponsalia, quae sunt inchoatio quaedam remota matrimonii, cohonestant tactus illos, qui sunt inchoatio remota ad copulam. Caiet. Navarr. Lopez et alii cum Sanchez.* Ex quibus apparet, inchoationem utique appellari, ita tamen ut ipsam veneream delectationem excludat.]

Illud etiam hic omittendum non est, S. Alphonsum in hac quaestione nullatenus propositionem XL ex proscriptis ab Alexandro VII obiecisse, quae sic sonat: *Est probabilis opinio, quae dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis.* Duplici autem ex causa repetendum id videtur. Nam primo quidem ea propositio loquitur de delectatione *carnali seu venerea,* de qua quaestio non est (*Vid. Duarte ad hanc Propos. n. 489., et Viva ad eandem Prop. n. 3.*); hinc S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 415.*) ista propositione utitur, ut parvitatem materiae in re venerea non dari evincat. Deinde vero (etiam abstrahendo a delectationis specie) propositio ista exceptiones admittit, uti patet ex coniugatis. Exceptiones autem non ex ipsa propositione quaerendae sunt, cum nullas praeferat, sed ex sensu scholarum catholicarum. Atqui catholicae scholae quaestionem, de qua agimus circa sponsos, ea propositione contineri ne suspicatae quidem sunt.

Et haec quidem, ut praemissum est, mere historice dicta fuerint. Ad quae hoc solum addidisse iuverit, in eiusmodi quaestionibus plurimum prodesse distinctionem, qua et S. Alphonsus alibi (*Lib. 3. n. 416.*) utitur, nimirum aliud esse agere propter delectationem, aliud agere cum delectatione. Uti enim superius (*not. ad n. 411.*) advertimus, prior agendi ratio facillime ad ulteriora adducet.

Interrogant hic VV. (*Pag. 331.*): *Quid sibi volunt verba ista: Et haec quidem mere historice dicta fuerint?* — Resp. Significant, ea, quae dicta fuerint, locum tenere *Praemissarum*, e quibus alii aptam conclusionem possint elicere. Ipsi VV. aliquando sermonem claudunt illis verbis: *Iudicet Lector.*

Quin et mere historice iuvat hic subiicere, quo pacto ipsi VV. alios Auctores pro thesi S. Alphonsi collegerint (*Pag. 324–330.*).

1° Allegant Potestas sic (*Pag. 327.*): *Oscula et amplexus ob delectationem naturalem et sensibilem... sunt mortalia sponsis de futuro* (*Tom. 1. n. 2237.*): sed omittunt hanc eiusdem Potestas explicationem (*ibid. n. 2203.*): *Delectatio naturalis sensibilis est formaliter et intrinsece venerea.*

2° Afferunt ista ex Antoine (*De Pecc. C. 7. q. 13.*): *Cum sponsalia sint solum promissio futuri matrimonii, non traditio corporum, nullum tribuunt ius praesens in corpus alterius in ordine ad copulam hic et nunc exercendam, nec proinde ad actus, qui ad illam ordinantur.* Sed omit-

sine prava intentione se invicem amplexantur, quamvis ab eiusmodi ludis ob periculum eis adnexum avertendi sint.

3° Mortalia vero haberi fere debent oscula minus usitatis corporis partibus impressa, praesertim inter personas diversi sexus, v. gr. pectori, etc., vel etiam si fiant morose, lingua praesertim in os introducta; item si sint diuturna, repetita, etc. — *S. Lig. n. 417.*

416. — 4° Non peccant *per se,* qui se tangunt ad abstergendas corporis sordes, vel ad pruritum sedandum, aut ad infirmitates curandas; si tamen sit tolerabilis pruritus, insinuandum est, ut a tactibus, quatenus possint sine gravi molestia, abstineant. Magna tamen in his discretione Confessarius utatur, oportet. Huiusmodi enim dubia personas praesertim conscientiae timoratae vexare solent. Suasiones autem, si paulo vehementiores sint, nec condiantur aperta declaratione de absentia alioquin cuiusvis reatus, saepius et facile conscientias molestissimis scrupulis implicabunt. — *S. Lig. Hom. apost. n. 3.* — Si vero tactus proprii corporis sine causa fiant, veniale non excedunt, quando, secluso affectu venereo, obiter tan-

tunt, quinam sint actus, de quibus agit Antoine; sic autem in thesi ipse eos exprimit: *Omnis delectatio venerea, aspectus, et tactus turpis seu partium pudendarum, et quivis actus luxuriae, sunt mortale.*

3° Referunt haec verba ex Candido (*Disp. 11. art. 1. Dub. 5.*): *Verius tamen et probabilius mihi videtur, huiusmodi oscula et tactus inter sponsos de futuro, si finis solum sit delectatio* SENSUALIS, *non esse licita, sed mortalia.* Sed omittunt notare haec non opponi praecedenti eiusdem Candidi thesi, ubi agit non de *sensuali*, sed de sola *sensitiva* delectatione, inter quas voces tamen etiam Potestas (*l. c.*) advertit multum differre. Dixi *thesi Candidi ;* nam sic incipit: *Dico septimo* etc.; non bene ergo VV. simulant, ibi *referri aliorum sententiam.* Sic autem se thesis habet: *Si finis horum osculorum etc. inter sponsos de futuro sit delectatio sola sensitiva, erunt culpa venialis, quia ut sic* (scil. ob defectum recti finis) *etiam inter coniuges sunt similis culpa.*

4° Afferunt VV. haec verba Cardenas (*Tr. 5. Disp. 45. n. 205.*): *Et ita nego eam sententiam esse ab intrinseco probabilem, et post damnationem Alex. VII puto non esse etiam ab extrinseco.* Haec autem volunt VV. responsum continere ad obiicientes, *Inter sponsos de futuro non esse illicita mortaliter oscula et delectationem ex illis praecise consurgentem.* Sed omittunt ea, quae manifestant, eam responsionem spectare solum ad delectationem veneream. Haec enim praemittit Cardenas eodem *n. 205.: Respondeo secundo et praecipue, iuxta meam sententiam,... sponsis de futuro licita esse amplexus et oscula pudica, non autem amplexus et oscula libidinosa : licita esse amplexus et oscula, dummodo resistant delectationi venereae et commotioni ex illis consurgenti. Nam.... non licet illis consensum praebere delectationi venereae, quae ad copulam ordinatur, nondum illis licitam.*

5° Allegant VV. Mastrium ; qui tamen mere refert diversas sententias; suffragium autem pro causa VV. tanti valet, quanti valet cum Mastrio tres falsas allegationes Lessii, Rebelli, et Henriquez opposuisse *pluribus,* ut fatetur ipse Mastrius, Doctoribus.

6° Allegant Ioannem Conradum, Ant. Fernandez de Moure, et Babenstuber. Sed in textibus, quos ipsi VV. allegant, cernis auctores istos de delectatione venerea, carnali, libidinosa inibi disputare. Et ex his quidem Lector et de nonnullis aliis allegationibus, eiusdem ponderis, iudicet.

tum, et ex mera levitate aut curiositate habeantur, quia libidinis non sunt admodum incentivi. — *S. Lig. n. 419.*

5° Tactus in verendis eiusdem sexus aut partibus vicinis, etiam super vestes, ordinarie non excusantur a peccato gravi, nisi forte ex petulantia, ioco, levitate, et obiter fiant. — *S. Lig. n. 420.*

6° *A fortiori*, excluso necessitatis casu, excusari nequeunt a peccato mortali tactus in verendis diversi sexus, etiam brevi tempore habiti; quippe vix ab alia praeter libidinem causa procedere queunt, et, praeterquam quod maxime indecentes sunt, proximum per se pollutionis aut venereae delectationis periculum creant. — *S. Lig. n. 420. Probabiliter* tamen arguendae non sunt de peccato gravi ancillae, quae forte tangant pudenda infantium, dum eos vestiunt, nisi cum mora aut carnali delectatione hoc agant. — *Lacroix, n. 902.* — *S. Lig. ibid.*

7° Veniale non excedit, *per se* loquendo, tangere leviter et absque mora digitos, manus, vultum personae diversi sexus, secluso pravo fine, atque omni affectu et periculo libidinis, si haec, v. gr. ex mera levitate fiant, nec periculum speciale ratione propriae vel alterius fragilitatis adnexum habeant.

Caeterum cum in materia tam lubrica non semper facile pateat, quid veniale sit, aut mortale, et aliunde cum non raro proximum adsit periculum graviter delinquendi etiam in iis, quae leve peccatum *per se* non excedunt, v. gr. si crebro et cum mora fiant inter personas ad libidines proclives; quam maxime Confessario satagendum est, ut poenitentes praesertim iuniores a quibusvis tactibus cum diverso sexu removeat.

ARTICULUS II.

DE ASPECTIBUS OBSCENIS

417. **Statuenda.** — I. Aspectus turpes sine causa sufficienti sunt graviter aut leviter peccaminosi iuxta intentionem agentis, turpitudinis gradum, et consensus venerei periculum. Facilius a gravi reatu excusantur in se quam in aliis, quia propria minus movent, quam aliena. Item facilius excusantur, si agatur de persona eiusdem sexus, quam sexus diversi, quia minus ad libidinem provocant.

II. Aspectus graviter impudici sine gravi causa praesertim quoad personas diversi sexus, a peccato mortali non sunt *per se* excusandi, licet affectus venereus absit; quia fere proximum libidinis periculum procreant, ut supra de tactibus pravis dictum est. — *S. Lig. n. 421.* — Generatim tamen facilius a gravi peccato excusantur aspectus quam tactus turpes, quia minus in libidinem influunt.

Quaer. *An aspectus, non secus ac tactus, induant malitiam circumstantiarum personae, quae turpiter aspicitur?*

Resp. Neg. probabilius, si absque ullo desiderio fiant. Ratio est,

quia non censentur proprie natura sua in actum consummatum tendere. — *S. Lig. ibid.* — *Lacroix, ibid.* — Hinc aspectus personae consanguineae vel coniugatae, aut sacrae, non induit malitiam incestus, adulterii, aut sacrilegii.

418. **Resolves.** — 1° Excusantur *per se* a mortali personae eiusdem sexus, quae se nudas leviter aspiciunt simul natantes aut se lavantes, praesertim si impuberes sint. — *Ita communiter.*

2° Aspectus in verenda diversi sexus aut in partes vicinas ordinarie sunt peccata mortalia, nisi forte visio fiat a longinquo et per brevissimum tempus; quia aspectus huiusmodi aut a libidine oritur, aut certo proximum periculum peccandi inducit. Nec excusaris a gravi, si partes turpes velo tenuissimo et perlucido aspicias, quia fere talis aspectus libidinem auget, nedum minuat. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 421.* — Excipiunt, 1° si aspiciens sit puer vel valde senex, aut valde frigidus, quia isti parum moventur; 2° si oculi defigantur in infantulum, quia parum movet. Unde non censentur graviter peccare ancillae et nutrices, quae pueros sibi commissos sic aspiciunt, nisi morose vel iteratis vicibus pravoque affectu id faciant.

3° Aspectus in partes honestas personae diversi sexus, etiam pulchrae, *per se* non sunt peccata; si autem ex curiositate vel cum morositate aliqua fiant, peccata venialia *ordinarie* erunt; a mortali vero non excusabuntur aspectus diuturni, si proximum periculum involvant turpis concupiscentiae vel morosae delectationis; praesertim si commotio spirituum insurgat, et *a fortiori* si persona inordinato amore diligatur. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 422.*

4° Aspectus in partes minus honestas sed non turpes mulieris, scilicet pectus, brachia, crura, non sunt *per se* peccata mortalia, secluso tamen proximo pravi consensus periculo, quod alioquin facile aderit, si aspectus sit diuturnus. — *S. Lig. n. 423.* — Nec graviter peccant, qui secluso speciali periculo matres aut nutrices infantulos lactantes aspiciunt, aut in denudatum pectus mulieris vetulae aut iunioris non adhuc formatae oculos figunt.

5° Aspectus picturarum obscenarum ex mera curiositate ut mortalia non habentur, si delectatio turpis aut eius proximum periculum absit. — In praxi tamen vix a mortali posset excusari vir aspiciens pudenda mulieris depictae, quia difficulter cavere poterit a delectatione turpi, nisi forte per brevissimum tempus aut in magna distantia fiat, aut nisi picturae vetustas vim artificii imminuerit. — *S. Lig. n. 424.* — *Billuart* autem cum *aliis* excusat a mortali, si aspectus fiant ex levitate, obiter, ex curiositate, aut si picturae infantes tantum repraesentent: quia picta non commovent sicut naturalia; et hoc improbabile non videtur, nisi forte ob aspicientis fragilitatem aliter iudicandum sit.

ARTICULUS III.

DE SERMONIBUS ET LECTIONIBUS IMPUDICIS

419. **Principia.** — I. Turpia loqui, canere, scribere, audire delectationis venereae causa vel cum proximo periculo consensus in illam, est grave peccatum. Si vero absit prava intentio et periculum consensus, simulque adsit legitima causa talia proferendi, scribendi, audiendi, nullum est peccatum.

II. Libros omnino obscenos legere absque iusta causa est peccatum mortale, etiamsi ex curiositate vel recreationis gratia fieri id videatur; quia *per se* haec lectio valde ad libidinem provocat. Excipe forte, nisi legentes ex sola curiositate ob aetatem provectam et frigidam complexionem aut consuetudinem de rebus venereis tractandi grave libidinis periculum non incurrant.— *S. Lig. n. 426.*

III. Libros amatorios et leviter obscenos legere *per se* non est mortale, quamvis in praxi sit valde periculosum praesertim iunioribus. Libros autem quadantenus obscenos, de scientiis alioquin tractantes, ex solo scientiae vel utilitatis propriae vel alienae intuitu legere, *per se* non est peccatum, secluso tamen consensus venerei periculo, quod alioquin in iunioribus raro aberit.

420. **Resolves.** — 1° Graviter peccant generatim, qui sermones permiscent etiam ex levitate de actu coniugali, de licitis et illicitis inter coniuges, de modis impediendi generationem, procurandi pollutionem..., praesertim si inter iuvenes diversi sexus id fiat.

2° Graviter peccant, qui etiam sola verba turpia proferunt, si id faciant ob delectationem captam ex ipsa rerum turpium cogitatione. Nec a gravi excusantur, qui iocandi praetextu verbis aequivocis, sed satis notis, eadem ob eam delectationem exprimunt. — *S. Lig. n. 426.*

3° Graviter etiam peccant, qui ob iactantiam narrant propria peccata turpia, et quidem ordinarie tripliciter, peccato nempe complacentiae, scandali et iactantiae de peccato commisso.

4° Non est *per se* mortale proferre turpia quidem, sed non graviter obscena, si fiat breviter, per iocum aut vanum solatium, nisi audientes ita debiles sint spiritu, ut grave scandalum patiantur. Hinc communiter non sunt gravia dicteria turpia, quae proferuntur a messoribus, vindemiatoribus, mulionibus, quia ad merum iocum ordinarie dicuntur et audiuntur. — *S. Lig. n. 426.*

5° Non semper ut mortalia sunt habenda tenera colloquia cum personis diversi sexus, quamvis periculis plena sint, praesertim si sint diuturna, saepe repetita, aut in locis solitariis fiant. — *S. Lig. n. 422. 426.* Quid ergo iudicandum de amoribus, ut vocant, praesertim inter iuniores? — Non sunt indiscriminatim omnes culpae

mortalis damnandi; quamquam saepe occasio proxima letaliter peccandi difficulter aberit, saltem in progressu et accedentibus quibusdam adiunctis, ut si adamantes omnino soli praesertim per longius tempus aut noctu, etc. conveniunt. — *S. Lig. Praxis Conf. n. 63.*

6° Non peccant graviter, qui ex mera curiositate legunt libros lepidos, quia ad libidinem non graviter excitant, nec magno periculo exponunt, ut sunt multae comoediae vel poemata. — Si vero ob causam legitimam, v. gr. ad discendum aut ad acquirendam eloquentiam id faciant, nullatenus peccant.

CAPUT II.

DE PECCATIS LUXURIAE CONSUMMATIS

ARTICULUS I.

DE PECCATIS CONSUMMATIS IUXTA NATURAM

§. I. *De fornicatione.*

421. — Fornicatio est copula soluti cum soluta ex mutuo consensu.

Fornicatio est graviter prohibita iure naturali et divino positivo, ita ut a peccato gravi excusari nunquam possit. Constat 1° ex Scriptura, *1. Corinth. 6. 9: Neque fornicarii regnum Dei possidebunt.* — *Ephes. 5. 5: Omnis fornicator aut immundus... non habet hereditatem in regno Christi.* — 2° Ex ratione: nam si fornicatio permitteretur, plerumque homines a matrimonio contrahendo recederent, prolesque ex fornicatione suscepta absque ulla educatione derelinqueretur, unde et subversio ordinis socialis necessario sequeretur.

Ad fornicationem referuntur 1° concubinatus, qui est commercium habituale soluti cum soluta; — 2° meretricium, quod est status mulieris omnibus prostitutae.

Circumstantia concubinatus aut meretricii non est necessario in confessione declaranda, cum *per se* speciem peccati non mutet. *Per accidens* autem saepius est explicanda ad statum et genus occasionum manifestandum, semperque Confessario interroganti aperienda est. — *S. Lig. n. 432.*

§. II. *De adulterio.*

422. — 1° Adulterium est copula cum alterius coniuge, seu est accessus ad *torum* non suum.

2° Adulterium praeter peccatum contra castitatem aliud inclu-

dit contra iustitiam. Patet ex ratione, constatque ex variis sanctae Scripturae locis.

3° Adulterium committitur, etiamsi alter coniux consentiat; quia in omni casu violantur iura Sacramenti et contractus indissolubilis; quae quidem iura natura ipsa exigit, ut prorsus inalienabilia sint.

4° Adulterium inter duos coniugatos duplex est, et duplicis tori violatio, ac proinde circumstantia haec in confessione exponenda est. — *S. Lig. n. 445.*

§. III. *De incestu.*

423. — Incestus est concubitus cum consanguineis aut affinibus intra gradus ab Ecclesia pro matrimonio prohibitos.

Incestus specie differt ab aliis luxuriae peccatis, quia graviter repugnat reverentiae naturali debitae parentibus, et consequenter personis, quae proxima coniunctione sanguinis aut affinitatis eis devinctae sunt. — *S. Lig. n. 448.*

Utrum specie differat incestus cum consanguineis et incestus cum affinibus, et rursus utrum specie differat incestus pro vario affinitatis et consanguinitatis gradu, atque adeo utrum gradus necessario in confessione exprimendus sit, in *Tractatu de Poenitentia*, ubi de circumstantiis peccatorum aggravantibus, dicemus.

§. IV. *De sacrilegio.*

424. — Sacrilegium, quatenus est luxuriae peccatum, est violatio personae vel loci sacri per actum venereum.

Sacrilegium, praeter peccatum contra castitatem, complectitur etiam peccatum contra Religionem seu contra reverentiam Deo, atque adeo locis sacris debitam.

Resolves. — 1° Duplex sacrilegium committit persona Deo consecrata cum alia eiusdem conditionis peccans; quia dupliciter Religionem offendit. — *S. Lig. n. 456.*

2° Sacerdos simul et Religiosus, qui contra castitatem peccet, *probabilius* non committit duplex sacrilegium; quia quamvis ex duplici titulo maneat obstrictus voto castitatis, tamen contra idem praeceptum formale seu ex eodem motivo impositum peccat. — *S. Lig. n. 455.*

3° Sacrilegus est, qui personam sacram ad peccatum luxuriae consilio inducit, licet ipse cum ea non peccet; quia eius peccato cooperatur.

4° Pollutio voluntaria in Ecclesia est sacrilegium, quamvis secreta sit, et quamvis Ecclesia reconciliatione non indigeat, prout in pollutione notoria indiget.

5° Tactus leviter turpes in Ecclesia iuxta communiorem senten

tiam non sunt gravia (*a*), quia ex eis non resultat magna irreverentia in locum sacrum. Secus vero, si sint enormiter graves. — Si autem sint simpliciter graves, duplex datur sententia: ut *absolute probabilius* affirmat *S. Lig.,* quia tactus inhonesti eamdem malitiam habent quam ipsa copula, et licet his actibus non violetur Ecclesia, ipsi tamen gravis irreverentia irrogatur. Idem dicit de verbis et aspectibus graviter obscenis *S. Auctor n. 459-461.;* et *Hom. apost. n. 22.* — Actus vero interni, seu cogitationes, vel desideria prava habita in Ecclesia non sunt gravia sacrilegia, si desideria peccandi externe in ipsa Ecclesia excipias. — *S. Alph. n. 462.* et *Hom. apost. ibid.*

§. V. *De stupro.*

425. — Stuprum est violatio, seu oppressio mulieris, ipsa invita. *Ita communiter* (*b*). — Iuxta alios sub nomine stupri venit tantum defloratio *virginis* non consentientis. Dicitur etiam stuprum lato sensu quivis concubitus illicitus.

Stuprum, praeter peccatum grave contra castitatem, involvit etiam culpam gravem contra iustitiam, in confessione necessario aperiendam. — *S. Lig. n. 443.*

(*a*) Dicitur, *non esse gravia sacrilegia,* quia aliqua sacrilegii malitia, si in ecclesia peccetur, nunquam non adest; quae tamen non semper est gravis, et exprimenda in confessione. *Vide quae sup. adnotantur ad n.286. Q. 2. Resp. 2.*

(*b*) Auctor hoc loco stuprum accipit non sensu theologico, sed potius ex norma iuris civilis, imo et latiori quadam significatione. Nam ius civile nomine stupri, prouti est delictum ab aliis distinctum et speciali poena plectendum, intelligit *violentam virginis aut viduae honeste viventis oppressionem;* Auctor vero comprehendit oppressionem mulieris cuiuslibet etiam non honestae, aut etiam matrimonio iunctae, ut patet ex secunda resolutione; stuprum scilicet extendit ad casus omnes, in quibus vis mulieri inferatur, atque adeo impudicitiae peccato accedat iniustitiae crimen.

At non sic Theologi et Canonistae; qui licet advertant, stuprum lato quodam sensu accipi pro quovis illicito concubitu, tamen proprio et stricto sensu sumunt pro illicita virginis violatione iuxta *C. Lex illa 2. §. fin. caus. 36. q. 1.,* ubi dicitur: *Stuprum autem proprie virginum est illicita defloratio;* speciemque *stupri* in confessione exprimendam reperiunt solum *in defloratione iniusta virginis.* Hoc ipsum tamen duplex distinguunt, *violentum* nempe et *voluntarium. Violentum* quidem, quando vi et violentia physica subigitur et opprimitur. *Voluntarium* vero, non quidem quando virgo ultro et sponte sua consentit (quo in casu ex communiori DD. sententia quoad speciem in confessione exprimendam mera fornicatio censetur), sed quando virgo dolo aut alia iniusta ratione inducta consentit in deflorationem, ut fit 1° per metum reverentialem, 2° per metum cadentem in constantem puellam, 3° per fraudulentam matrimonii, aut magnae dotis ad aliud matrimonium promissionem, 4° per repetitas importunas preces, saltem si his adiungantur minae. *Vid. Struggl, Th. moral. Tr. 7. q. 4. n. 28.*

Porro cum agitur vel de reservatione casuum vel de poenis per sacros canones in stupratorem infligendis, stuprum semper accipitur stricto illo sensu, quem a Theologis receptum diximus, nec aliud habet S. Alphonsus ab A. hic allegatus.

426. **Resolves.** — 1° Stuprum est fornicari cum muliere amente, ebria aut dormiente, quia violatur sine eius consensu, et proinde gravis ei infertur iniuria.

2° Stuprum est vim inferre etiam mulieri iam corruptae aut viduae; quia consistit in violentia et iniuria, quae mulieri infertur, eam invitam opprimendo. Consequenter si quis mulierem coniugatam opprimat, adulterium et stuprum simul committit.

3° Non est stuprum fornicari cum virgine plane consentiente, etsi prima vice corrumpatur; quia domina est sui corporis, et libere iuri suo cedit.

4° Circumstantia virginitatis puellae, quae violata est, si ipsa in rem consenserit, non est necessario *per se* in confessione declaranda, quia stuprum *probabilius* consistit tantum in violentia mulieri illata, non vero in violatione integritatis virginalis.

§. VI. *De raptu.*

427. — Raptus est personae abductio libidinis causa e loco *tuto* ad locum *non tutum* per vim vel metum gravem ipsi aut iis illatam, quorum potestati subest. — *S. Lig. n. 443.*

Quoad raptum haec teneto :

1° Raptus est peccatum speciale, quamvis pravus actus libidinis non sequatur (*a*); quia consistit praecipue in iniuria, quae infertur in violenta abductione libidinis causa.

2° Si post raptum desiderium libidinis expleatur, speciem luxuriae diversam constituit, quae in confessione declaranda est (*b*).

3° Non est censendus raptus, si mulier plene consentiens abducatur, nisi tamen sit *minor*, et simul eius parentes seu tutores aut curatores invite hoc patiantur (*c*). — *Vide dicenda in Tractatu de Matrimonio* (*d*). — *S. Lig. n. 444.*

(*a*) Nihilominus in ipso raptu duplex est peccatum; nam ex parte *finis* et *intentionis* est peccatum luxuriae, et ex parte *actionis* adest peccatum iniustitiae.

(*b*) Declarandum scilicet simul est crimen raptus.

(*c*) Nimirum crimen raptus habetur, sive vis inferatur soli personae raptae, sive solum iis, sub quorum potestate est, sive utrisque.

(*d*) In tractatu tamen *de Matrimonio* non agitur de raptu, prouti est luxuriae species, qui fiat nempe causa libidinis, sed prouti est impedimentum matrimonii, et persona non exercendae libidinis, sed matrimonii contrahendi causa abducitur.

De raptu vero animadvertenda est declaratio nupera S. Congreg. Concilii, ex qua statui debet, ad crimen raptus revocandum esse non solum si per vim et metum, sed etiam si per dolum ac fraudem persona abducatur.

ARTICULUS II.

DE PECCATIS CONSUMMATIS CONTRA NATURAM

Triplex eorum species datur: 1° pollutio; 2° sodomia; 3° bestialitas. His adnumerandus est etiam *onanismus,* seu peccatum *Onan,* quod est copula incepta, sed exterius consummata vitandae generationis gratia, sive inter coniugatos id contingat, sive inter alios. Sed de nefario hoc peccato dicemus in *Tract. de Matrim.,* ubi de coniugali debito.

§. I. *De pollutione.*

428. — Pollutio est seminis effusio sine congressu cum alio. Pollutio voluntaria, de qua sola agimus, est vel directe vel indirecte quaesita. Dicitur etiam mollities. Differt autem a distillatione, quae est effusio levis alterius humoris subtilioris. In pollutione semen ordinarie cum vehementi delectatione magnaque commotione eiaculatur; distillatio autem cum nulla ordinarie aut levi admodum delectatione et commotione habetur.

429. **Principia.** — I. Pollutio *directe* et *perfecte* voluntaria est semper peccatum mortale, ita ut nunquam illam procurare liceat. Ratio est, 1° quia pollutio intrinsecam habet repugnantiam cum natura, quae seminis effusionem unice ad generationem ordinavit (*a*);

** (*a*) Interest sane nosse accurate, in quo resideat specialis malitia huius peccati, ut inde normam aliquam sumat Confessarius, qua circa interrogandos poenitentes a molestis scrupulis semet facilius eximat. Propria itaque huius peccati notio petatur oportet ex indole peccati *contra naturam.* De qua generatim ita Filliuccius (*Tr. 30. n. 137.*): *Dicitur hoc peccatum contra naturam, quia non modo repugnat ordini rationali, id enim est commune cuicumque peccato luxuriae, quod est contra rationem, et repugnat ordini rationali; verum etiam quia repugnat ordini naturali actus venerei in humana specie; naturalis enim ordo talis actus debet esse eiusmodi, ut ex illo sequi possit hominis generatio; haec enim est finis illius; si ergo non possit sequi, erit talis actus contra ordinem naturalem, ideoque dicetur peccatum contra naturam.* Brevius autem et disertius Elbel (*Pa t. 4. Conf. 9. n. 254.*) de huius peccati speciali malitia: *Ratio est, quia semen humanum a natura ordinatur ad generationem; ergo illud effundere ob alium finem* (voluptatem) *repugnat ordini naturae.* Cum itaque specialis haec malitia consistat in frustranea seminis effusione contra naturae ordinem, iam palam est, cur hoc peccatum specie differat a quovis tactu impudico, quem utique venerea voluptas, nulla tamen seminis effusio sequatur; atque adeo cur Confessarius (cum iis sane cautelis, quas DD. omnes merito exigunt) de hoc ceu peculiaris speciei obiecto non imprudenter interroget.

Sed rursus cum specialis haec inordinatio sita sit in frustranea effusione seminis, quod est a natura institutum unice ad coniugalem copulam, ut proles inde suscipiatur, iam ratio patet, cur DD. diversimode iudicent de hac turpitudine quoad eos, qui aut nullum semen emittere possunt, aut certe non verum. Exinde quod habet Sporer (*Theol. Sacr. P. 4. C. 2. n. 39.*)

2° quia si aliquando permissa, aut tantum sub veniali prohibita foret, facillime ob tantam naturae corruptae in luxuriam proclivita-

de impuberibus: *Si pueri vel puellae, qui nondum possunt seminare, se ipsos turpiter contrectent..., utique est peccatum mortale;... attamen videtur specie differre a vera pollutione, per quam seminatur, in specie proprie reducendum ad impudicitiam tactus.* Itemque Holzmann (*Part. 2. Tr. 2. n. 686.*): *Si impuberes, sive pueri, sive puellae, conentur impudico motu semen elicere, cum nondum possint, committunt peccatum specie diversum a vera pollutione, reipsa pertinens ad impudicitiam tactus.... Ratio est, quia.... cum semen non effundant, non committunt peccatum verae pollutionis, sed aliud specie diversum. Idem cogita de eunuchis semine ad generationem apto destitutis.* Nec aliter Babenstuber (*Tr. 5. Disp. 7. art. 2. n. 71.*): *Impuberes...., qui conantur impudico motu semen effundere, cum nondum possint, peccant quidem mortaliter.....; istud tamen eorum peccatum specie differt a vera et proprie dicta pollutione. Ratio est, quia de ratione verae pollutionis est effundere semen contra finem humanae generationis; sed nulla est in eiusmodi personis seminis effusio. Ergo. Hoc igitur peccatum reipsa ac proprie pertinet ad impudicitiam tactus..... Quod de impuberibus dictum est, etiam de eunuchis intelligi debet. In his enim non est semen utile ad generationem.* Et praeiverat Tamburini (*De 2. Eccl. Praec. C. 17. n. 13.*) inquiens: *Qui ex defectu aetatis, vel ex alia causa (quales sunt impuberes, ut item eunuchi) non possunt motu impudico semen effundere, vel effundunt semen inutile, peccant mortaliter...; sed certe haec species peccati differt a vera pollutione, cuius est proiicere semen contra generationis finem, quae proiectio non est in praedictis eiusmodi; ergo peccatum in impuberibus reducitur reipsa ad tactum impudicum.* Hinc vero rationibus, quas sapienter afferre solent Doctores, cur cautissimus esse Confessarius debeat in interrogandis de hoc argumento huiusmodi poenitentibus, haec peremptoria accedit, quod simul ac satis scrutati prudenter fuerint, num malitiose peracta haec fuerint, nullus locus ulterioribus interrogationibus superest.

Ex his autem occasio eiusdem prope quaestionis quoad idem peccatum, si de feminis agatur. Utcumque enim theologi de muliebri semine sermonem, et pluribus quidem de causis, iniiciant; attamen ubi de ipsius natura deinde quaerunt, nihil nisi quid prorsus incerti communiter habent. Instar omnium sit Bonacina (*De Matr. Q. 4. p. 6. n. 13.*), qui scribit: *Secundum probabilissimam sententiam semen feminae nec active, nec passive concurrit ad generationem.* Et Sanchez (*Lib. 9. Disp. 17. n. 9*): *Femineum semen nec esse necessarium, nec active ad generationem concurrere, docent Galenus sibi contrarius, Aristoteles, Avicenna, Albertus M., Hugo Senensis, et multi alii, et universa theologorum schola cum S. Thoma 3. q. 31. art. 4. ad 3. Quod inde constat, quia, experientia teste, feminae omnino invitae... semen virile recipientes concipiunt; tunc autem minime seminant. Ergo cum absque eo semine..... generatio sequatur,* etc. Quamquam vero antiqui asseclae Scoti, ut innuit Sanchez (*l. c.*), et dein Elbel (*Part. 4. Conf. 9. n. 252.*), post Hippocratem censerent, *semen mulieris active concurrere ad generationem,* ipse tamen Elbel (*ibid. n. 253.*) dein fatetur, *hodie a doctis Medicis communiter negari, dari in mulieribus verum semen, aut veros testiculos, sed potius ovaria quibusdam parvulis (ab aliis vocantur vesiculae) referta. Ita Georgius Francus apud Paulum Zachiam in Quaest. medic. legal.* Qua veluti hypothesi ex praemissis principiis recte idem (*l. c.*) concludit: *Quidquid tamen de hoc sit, apud theologos certum et indubitatum manet, mulieribus aeque parum ac impuberibus vel spadonibus permissum esse, ut vel proprio vel alterius tactu ad venerem sese provocent.* Porro cum modo res sit non iam incerta aut hypothetica, sed

tem habitus pollutionis contraheretur, et proinde ordo naturae brevi subverteretur; 3° constat ex variis sacrae Scripturae textibus, v. gr. *1. Cor. 6. 10: Neque molles... regnum Dei possidebunt*; 4° constat etiam ex proposit. 49ª ab *Innoc. XI* damnata, quae sic se habet: *Mollities iure naturae prohibita non est; unde si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona... — Vide S. Lig. n. 476.*

II. Pollutio *indirecte* seu in causa tantum voluntaria est peccatum grave, quoties causa proxima, id est per se directe et natura sua ad pollutionem tendens, v. gr. cogitationes morosae de rebus valde libidinosis, etc., sine iusta ratione ponitur *(Scav. — S. Lig. n. 482.)*; est autem veniale, quoties causa, quae ponitur, est remota tantum, seu talis, ut ipsi periculum *per accidens* vel raro adiungatur. — *Ita communiter.* — Ratio utriusque patet. — *S. Lig. n. 484.*

III. Pollutio *indirecte* voluntaria omni peccato caret, quoties habetur ratio sufficiens causam eius ponendi, consensu seu affectu voluntatis in consequentem voluptatem secluso. Ratio est, quia ubi sequuntur duo effectus ex eadem causa ex se indifferenti, unus malus et bonus alter aut aequivalens, licet ponere causam intendendo bonum et permittendo malum (*a*). Maior autem ratio pro maiori periculo requiritur. — *Recole dicta de Act. hum. n. 9. — Vide S. Lig. n. 483.*

430. **Resolves.** — 1° Pollutio omnino involuntaria nullo modo est peccaminosa, ut patet. Hinc omni culpa vacat pollutio, quam

certa et apud Medicos seu physiologiae peritos exploratissima, id, quod femineum semen appellari consuevit, a veri seminis natura penitus diversum esse, nec alium eiusmodi humoribus finem a natura praestitutum esse, quam ut opus coniugii facilius efficiant; ex positis antea principiis ratio suppetit graviter ambigendi, num aliter quoad hoc sit nunc iudicandum de feminis, quam de impuberibus aut eunuchis iudicari iam vidimus. Unde sequeretur, quod cum alias iam causas DD. afferre consueverint, ob quas parcendum sit interrogationibus de qualicumque feminea hac pollutione, multo nunc magis parcendum videretur, dum satis iam constat, in mulieribus, utcumque graviter peccent, tamen non adesse rationem illius specialis malitiae, quae pollutionis verae ac presse dictae propria est. Sed de tota hac re iudicent peritiores.

(*a*) In hisce adiunctis neque malus effectus reipsa dici debet *voluntarius,* neque agens *proprie* dicetur illius *causa.* Quando enim mere agitur de obligatione abstinendi a quapiam actione ratione effectus, qui sequatur praeter intentionem, ratio causalitatis non ab influxu physico, sed a morali desumitur, atque adeo agitur de causalitate, quae inducat moralem imputationem effectus sequuti, ita ut causalitas idem prope sonet ac quid culpabile. Idcirco tunc quispiam *proprie* dicetur esse in causa, quando ideo tenebatur ab actione abstinere, ne effectus ille sequeretur; non censebitur vero esse in causa, quando non ideo tenebatur ab opere abstinere, sed illud licite ac pro iure suo exercebat. Et hoc omnino sensu effectus dicitur sequi *per accidens,* non quasi scilicet effectus ipse non sponte sequatur a quapiam actione, sed quia agenti imputari non potest ceu causae morali; et hoc ipso, quod dicimus effectum sequi *praeter intentionem,* iam dicimus effectum non esse *voluntarium,* ea nempe voluntate, cui moraliter ille imputari debeat.

pati potest medicus, chirurgus, vel Confessarius munera officii sui obeundo, modo pura agat intentione (*a*), nec consensum ullum delectationi praebeat.

2° Pariter culpa vacat pollutio nocturna, quia a voluntate libera non oritur, nec ullus ei praebetur assensus, ut supponitur, sed nec animum quidem libidinosum semper denotat, cum ex multis causis naturalibus possit provenire, v. gr., ex superfluitate naturae, ex imbecillitate organorum aut dispositione nervorum. Mortalis autem erit vel venialis, si ante cubitum fuerit causata et praevisa pro maiori vel minori advertentia et causae influxu. Sic pravae cogitationes voluntariae, prava colloquia, et alia eiusmodi somnum praecedentia illam mortalem facile reddent. Venialem autem tantum efficiet ordinarie intemperantia in cibo vel in potu, etc. Pariter censeri non debet mortalis pollutio nocturna, quae fit cum imperfecta voluntate et libertate, ut quandoque in semisopitis accidit; iudicandum autem est, nullum consensum affuisse, vel ad summum valde imperfectum, quando ordinarie in statu vigiliae displicet; quia ex ordinarie contingentibus iudicandum est. Idem etiam de tactibus nocturnis teneto.

431. — 3° Pollutio, quae subsequitur ex tactu, aspectu, vel lectione graviter turpi, est peccatum mortale etiam secluso actuali consensu, nisi iusta causa excuset. Ratio est, quia tunc pollutio est voluntaria saltem in causa, cum haec *per se* grave pollutionis periculum inducant. Peccatum autem veniale erit tantum, si haec leviter turpia sint, modo pollutio praeter agentis intentionem et contra eius voluntatem saltem directam sequatur; quia tunc in his non datur periculum proximum consensus neque in pollutionem, neque in veneream delectationem. Attamen periculum *in se* remotum potest *per accidens* alicui ratione propriae infirmitatis proximum evadere. — *S. Lig. n. 482-485.*

4° Omnis deliberata seminis effusio, quantumvis parva, est pollutio et proinde peccatum mortale. — *Lacroix, de Poenit. n. 1034.* — Item mortale est acquiescere delectationi pollutionis etiam brevissimo tempore, et etiam si praeter intentionem et sponte ex quacumque causa accidat. — *S. Lig. n. 477. A fortiori* si pollutio incepta conatu aliquo promoveatur.

5° Qui causavit pollutionem in altero, debet explicare in confessione, an hic sit persona sacra, cognata, etc...; quia malitiam sacrilegii contraxit, vel incestus, etc. — *S. Lig. n. 476.*

6° Peccatum non est *per se* equitare rationabilis recreationis causa, certo situ in lecto cubare, temperate sumere cibos calefactivos, ex honesta causa loqui cum altero sexu, infirmis inservire, eos in balneis adiuvare, artem chirurgicam exercere, et similia; quamvis praevideatur *per accidens* secutura pollutio, modo non intenda-

(*a*) Idest effectum illum non intendat.

tur, et firmum adsit propositum ei non assentiendi, si accidat, et absit proximum consensus periculum. — *S. Lig. n. 483.*

432. — 7° Distillatio voluntaria, etiam tantum indirecte, si notabilis sit seu cum notabili spirituum genitalium commotione fiat, peccatum mortale esse potest (*a*); quia est gravis deordinatio, et proximum pollutionis periculum inducit. Si vero parva sit et absque notabili commotione, distinguendum est: 1° Si *directe* voluntaria sit, nec a mortali potest excusari; quia quaecumque distillatio semper, vel ut plurimum, secum fert commotionem et aliquam seminis effusionem. 2° Si *indirecte* tantum voluntaria sit, facile etiam ab omni peccato excusabitur; quia de tali fluxu non est magis curandum, quam de emissione cuiuscumque alterius excrementi, quo natura se exonerare solet. — Ita expresse *S. Lig. n. 477.*

8° Motus inordinati cum venerea delectatione, sive *graves* sive *leves*, sunt peccata mortalia, quoties sunt *directe* voluntarii, vel etiam quoties sponte obortis adhaeret voluntas; quia tunc adest venerea delectatio in se quaesita, quae materiae parvitatem nunquam admittit. — Si autem a voluntate non pendeant neque in se neque in causa, ut saepe contingit, nullusque consensus eis praebeatur, ab omni peccato sunt immunes. — Denique, si eorum causa libere ponatur, quin intendantur, de iis sicut de pollutione *indirecte* voluntaria, data tamen debita proportione, dicendum est. Hinc causa levis motuum facile excusabit a gravi peccato, cum id asserant communiter DD. de ipsa pollutione cum *S. Lig. n. 484.* — Facilius enim poni potest causa talium motuum, quam pollutionis, ut patet.

9° Licet alicui pruritum magnum patienti in verendis illum tactu abigere, etiamsi pollutio sequatur, dummodo pruritus ille ex sanguinis acrimonia, ut ordinarie evenit, non vero ex libidinis ardore proveniat. Si enim accidat pollutio, secluso consensus periculo, *per accidens* et proinde iuculpabiliter accidit. Caeterum adhortandi sunt poenitentes, ut in quantum fieri sine gravi molestia potest, ab huiusmodi tactibus temperent. — *S. Lig. n. 483.*

§. II. *De sodomia.*

433. — Horrendum sodomiae crimen est concubitus cum persona eiusdem sexus vel diversi, sed in vase indebito.

Hinc duplex sodomia distinguitur: 1° *perfecta,* quae est concubitus cum persona eiusdem sexus; 2° *imperfecta,* quae est concubitus cum persona diversi sexus extra vas naturale, vel cum affectu ad vas innaturale.

(*a*) Saepius iam adnotatum est, quidpiam hic dici *indirecte voluntarium,* quod praeter intentionem accidit: atque adeo etiam de distillatione *indirecte voluntaria* valere ea, quae in *not. ad n. 412.* de pravis motibus, et ab A. *n. 429.* de pollutione indirecte voluntaria dicta sunt: quae quidem etiam A. paulo post innuit.

Sodomia est crimen multo gravius pollutione simplici. Constat ex horrore, quem apud omnes excitat, tum etiam inauditis poenis a Deo inflictis Sodomae et aliis civitatibus hoc peccato inquinatis.

434. **Resolves.** — 1° Sodomia perfecta specie differt ab imperfecta, quia per illam homo inordinate fertur in sexum et vas indebitum (*a*), dum e contrario per istam fertur tantum inordinate in vas indebitum.

2° Coitus viri in vase indebito mulieris est sodomia imperfecta, specie tamen distincta a perfecta.

3° Non tamen sodomia dicenda esset, si fieret tantum applicatio manus, aut pedis ad partes genitales alterius, quia nullus esset concubitus.

4° Probabilius *per se* non est declarandum, quis fuerit agens aut patiens, quia species peccati eadem est. — *Billuart, cum aliis.* — Circumstantia tamen pollutionis, si adfuit, quod facilius in agente contingit, omnino aperienda est. — *S. Lig. n. 468.*

§. III. *De bestialitate.*

435. — Infandum et execrandum bestialitatis crimen est concubitus cum bestia. Gravissimum est inter luxuriae peccata, quia naturae rationali maxime repugnat. Morte puniebatur in lege Mosaica: *Qui cum iumento aut pecore coierit, morte moriatur; pecus quoque occidite. Exod. 22. 19.* Peccatum istud est etiam horribilius ipsa sodomia, et specialis eius deformitas in accessu ad speciem diversam consistit. — *S. Lig. n. 474.*

436. — Tactus impudici cum bestiis, quamvis non sint peccata bestialitatis proprie dicta, sunt tamen declarandi, quando aliqua ve-

(*a*) Communissime Theologi (*Vide S. Alph. Lib. 3. n. 466.*), atque etiam Canonistae (*Vid. Reiffenst. Lib. 5. Tit. 16. n. 88., Schmalzgrueb. eod. tit. n. 112. et Pirhing. eod. tit. n. 69.*) perfectam huius criminis rationem constituunt in sola inordinatione sexus indebiti, contra ac affirmare videantur quidam interpretes iuris civilis (*Vid. S. Alph. l. c.*), dum eam in inordinatione praesertim indebiti vasis reponunt; qui tamen in hac re rationem potius habuisse videntur poenarum, quas in eodem civili foro huic quoque posteriori inordinationi infligendas censuerunt. Videri idcirco poterit Auctor ab utraque sententia discessisse; dum utramque inordinationem ad id postulat. Verum haud ita se res habet; nam reipsa inordinationem posteriorem addidit, non quasi in ea huius criminis essentia resideat, sed quia ad rationem *actus seu concubitus consummati* pertinet; ex quo etiam factum est, ut inter sequioris sexus personas (prouti aliqui apud S. Alph. *l. c.* notarunt) *impropria* tantum sodomia detur, quod consummatio illa in his locum nullum habeat.

Haec porro notanda erant propter casuum reservationem. Quando enim absolute et simpliciter sodomia reservatur, iuxta generalia principia intelligi debet crimen perfectum atque in genere suo consummatum. Necesse ergo est designasse, quisnam actus ad perfectam consummatamque sodomiam requiratur.

nerea delectatio ex eis quaeritur. Non autem videtur circumstantia necessario declaranda, si quis mediante lingua iumenti, aut alterius bestiae, voluptatem veneream aut pollutionem in se excitet. Nec est necesse explicare in confessione, cuius speciei fuerit bestia, neque utrum fuerit mas aut femella. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 474.*

Hic autem adverte, valde cautum, prudentem et parcum debere esse Confessarium in interrogandis poenitentibus de luxuriae peccatis, imprimis de iis quae magis horrenda et inconsueta videntur. Vide regulas infra tradendas in *Tract. de Poenitentia,* ubi de Confessarii muneribus.

DE VII. ET X. DECALOGI PRAECEPTO

Non furtum facies. — Non concupisces domum proximi tui, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quae illius sunt. Exod. 20. 15. 17.

Septimum Decalogi praeceptum prohibet omnem iniustitiam externam in bonis fortunae proximi. — Decimum vero etiam peccata *interna* concupiscentiae, id est desiderii bonorum proximi et actionis iniustae vetat. De variis iniustitiae peccatis circa bona fortunae dicemus in *Tractatu particulari de Iustitia et Iure.*

DE VIII. DECALOGI PRAECEPTO

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Exod. 20. 16. — *Non falsum testimonium dices.* Matth. 18. 19.

437.— Hoc praeceptum quatenus est negativum, prohibet 1° *praecipue* et *primario*, ne dicatur falsum testimonium tum in iudicio tum extra iudicium; 2° *indirecte* et *secundario,* ne laedatur fama et honor proximi.

Quatenus autem affirmativum est, iubet, ut qualibet sublata simulatione et fallacia, simplex et nuda veritas dicatur (*a*).

Hinc prohibet 1° periurium in proximum; 2° mendacium; 3° de-

(*a*) Ita Catechismus romanus (*De VIII. Praec. n. 2.*): *In hoc praecepto... animadvertantur duae leges, altera prohibens, ne falsum dicatur testimonium; iubens altera, ut simulatione fallaciisque sublatis, dicta et facta nostra simplici veritate metiamur.* Ideo autem ad *affirmativum* praeceptum haec pars pertrahitur, ut innuatur id, quod omnibus affirmativis praeceptis est commune, nempe ea semper, sed non *pro semper* obligare, cum contra saepius veritatem occultare necesse sit.

tractionem; 4° contumeliam; 5° iudicium temerarium et suspicionem iniuriosam. De singulis dicendum, excepto periurio, de quo satis in secundo praecepto.

CAPUT I.

DE MENDACIO

ARTICULUS I.

DE MENDACIO IN GENERE

438. — Mendacium est locutio vel significatio contra mentem cum voluntate fallendi. Si fiat nutibus vel aliquo facto, *simulatio* vocatur. *Scav.* — Triplex distinguitur mendacii genus: 1° *damnosum,* quo mediante iniustum damnum alicui infertur; 2° *officiosum,* quod utilitatis suae vel alienae gratia profertur; 3° *iocosum,* quod fit ex ioco et sola nugandi causa.

439. **Principia.** — I. Mendacium proprie dictum est semper intrinsece malum. Ratio est, 1° quia rectae rationi repugnat vocibus uti contra earum naturalem finem et institutionem; 2° quia si alios in loquendo decipere liceret, ordo societatis, qui mutuo hominum commercio nititur, omnino subverteretur. Hinc, *Coloss. 2. 9: Nolite mentiri invicem. — S. Thom. 2. 2. qu. 110. art. 3. — S. Aug. lib. de Mendacio et contra Mendacium.*

II. Mendacium *damnosum* grave est pro ratione damni, quod proximo infertur; idcirco obligatio damnum reparandi ex eo sequitur. — *Ita omnes. — S. Thom. ibid. art. 4.*

III. Mendacium *officiosum* peccatum veniale est *per se,* quia in eo gravis deordinatio non apprehenditur. — *Ita omnes. — A fortiori* mendacium *iocosum per se* veniale peccatum non excedit. Imo interdum id, quod mendacium iocosum dicitur, omni prorsus culpa vacat; quia non est mendacium *proprie* dictum, sed iocus recreationis causa adhibitus absque ulla intentione alium decipiendi, et proinde non ipsi convenit nostra definitio. Hoc autem tantum admitti potest, quando talia sunt rerum adiuncta, ut audientes facile intelligere possint, loquentem tantum iocari velle. — *Ita communiter.*

440. **Resolves.** — 1° Non mentiuntur, qui asserunt falsum quod credunt verum, sed errant tantum. E contrario mentiuntur, qui verum dicunt, quod falsum reputant, quia contra mentem loquuntur.

2° Non sunt mendacia locutiones tropicae, ironicae, hyperbolicae, quae ut tales facile ab audientibus accipi possunt, et solent. Multo minus parabolae, quibus tam frequenter ipse Christus utebatur. — Nec sunt mendacia aequivocationes, si non impediant, quominus sensus loquentis cognosci queat.

3° Non mentiuntur, qui fabulas conscribunt, vel ex ioco dicunt aperte falsa, ut manifestum est.

4° Ad mendacium referuntur simulatio, hypocrisis, adulatio et inanis iactantia, quae peccatum veniale *per se* non excedunt; mortale tamen evadere possunt, seu potius mortale accedere iis potest ob aliam peccati speciem, quae superveniat.

ARTICULUS II.

DE RESTRICTIONE MENTALI

441. — Restrictio *mentalis* est actus mentis verba alicuius propositionis ad alium sensum, quam naturalem et obvium, detorquentis vel restringentis.

Restrictio mentalis est 1° *pure* seu *stricte mentalis,* si sensus loquentis percipi nullo modo possit, et haec *proprie mentalis* dicitur; 2° *late* seu *improprie mentalis,* si sensus propositionis ex adiunctis possit colligi.

Ad restrictionem mentalem revocantur aequivocationes seu amphibologiae, quae sunt locutiones habentes duplicem sensum, sed unum magis obvium et alterum litteralem.

442. **Principia.** — I. Nunquam licet uti restrictione *pure* seu *proprie mentali,* nec amphibologia humano modo non perceptibili; *a fortiori* non licet cum iisdem iurare, quia est simpliciter mendacium. Constat etiam ex propositionibus 26ª, 27ª et 28ª ab *Innocentio XI* damnatis. — *S. Lig. de II Praec. n. 152.*

443. — II. Licet aliquando *ex iusta causa* uti restrictione *late* id est *improprie mentali,* et verbis aequivocis, quando sensus a loquente intentus *intelligi* possit. Ratio est, quia hoc non est malum *in se,* cum proximus non *proprie* decipiatur, sed ex iusta causa tantum permittatur eius deceptio; aliunde ad bonum societatis requiritur, ut medium adsit licite celandi secretum; aliquando autem aliud medium non suppetit praeter aequivocationem, aut restrictionem *late* seu *improprie* mentalem. — Dixi, *ex iusta causa;* quia si usus talium restrictionum absque *proportionata* causa permitteretur, nemo posset aut vellet alteri credere; hoc autem in maximum humanae societatis damnum cederet. — *Ita communissime theologi.* — *S. Lig. de II Praecepto, n. 151-152.* — *Lacroix, lib. 3. n. 287.* — *Suarez, Lugo, Laymann, Sporer, Elbel et alii innumeri,* teste *S. Lig. ibid.*

Licet vero uti eiusmodi lata restrictione etiam cum iuramento; quamquam maior causa tunc requiratur, cum divinum testimonium non sit sine iudicio usurpandum. — *S. Lig. n. 151.*

444. **Resolves.** — 1° Culpa non caret, qui utitur restrictione etiam non pure mentali, aut aequivocatione aliquo modo perceptibili, 1° si id faciat absque ratione, sed ex sola intentione decipien-

di, quia est abusus signorum; 2° si interrogans habeat ius inquirendi aut imperandi veritatis confessionem, quia iuri illi respondet *regulariter* in subdito obligatio fatendi veritatem sine ambiguitate. — *S. Lig. n. 154.* Adde 3° si exinde damnum proximi emergeret contra praeceptum charitatis; 4° quando contractus mutui celebrantur; quo in casu iustitia postulat, ut verba nude ad mentem contrahentis proferantur. — *Scav. de Actib. relig. extern. c. 2. art. 2.*

2° Confessarius interrogatus a tyranno, an Titius confessus sit homicidium, respondere potest et debet: *Nescio;* quia Confessarius id nescit scientia communicabili. Imo etiamsi instaret tyrannus et diceret: *An hoc nescis scientia communicabili?* respondere adhuc posset: *Nescio.* Ratio est, quia tyrannus bene cognoscit, se ius non habere de hoc interrogandi, nec Confessarius ut homo intelligit se scire, sed uti vicarius Dei ac proinde scientia incommunicabili.

3° Reus a iudice non *iuridice* aut non *legitime* interrogatus potest respondere se crimen non patrasse, subintelligendo, de quo possit inquiri, seu quod fateri teneatur. — *S. Lig. l. 3. n. 154.*

4° Possunt uti huiusmodi restrictione omnes personae publicae interrogatae de rebus suae fidei commissis, ut sunt secretarii, legati principum, duces exercituum, magistratus, advocati, medici, chirurgi, obstetrices, et quisquis officium et rationem habet veritatem aliquam occultandi. Si enim secreta his personis commissa violarentur, gravissima inde sequerentur incommoda in societate.

5° Potest famulus iussu domini negare, ipsum esse domi, quamvis adsit; quia talis locutio generatim usu recepta est ad significandum, eum non esse domi, quatenus videri aut visitari possit. Attende tamen ad locorum consuetudinem. — *S. Lig. n. 165.* — *V. Casus, n. 114. et seq.*

CAPUT II.

DE DETRACTIONE

1° De vitio detractionis; 2° de restitutione famae.

ARTICULUS I.

DE VITIO DETRACTIONIS

445. — Detractio est occulta et iniusta violatio famae alienae, seu denigratio iniusta famae proximi absentis. Fama autem est bona aestimatio, quam alii habent de vita et moribus alicuius (*a*).

** (*a*) Nimis forte A. detractionis materiam coarctat. Quippe excellentia, cuius laedi potest aestimatio, non solum est virtus et honestas, sed etiam sapientia, doctrina, ingenium, eloquentia, indoles egregia etc., imo sunt et

Detractio dicitur *simpliciter talis,* si fama proximi violetur revelatione criminis veri; *calumnia* autem denominatur, si famae violatio ex appositione criminis falsi sequatur.

Detractio variis modis fieri potest: 1° *directe,* si falsum crimen imponatur, si verum amplificetur, si occultum manifestetur, si opus bonum sinistre accipiatur; 2° *indirecte,* negando nempe bona opera proximi, vel illa minuendo, vel etiam quandoque tacendo aliis laudantibus, vel frigide laudando.

446. **Principia.** — I. Omnis detractio *directa,* sive sit *calumnia,* sive detractio *simpliciter,* est mortalis ex genere suo, quia est contra iustitiam; et quidem gravius est peccatum, quam furtum, quia maiori bono proximum iniuste privat, ut constat ex sensu communi et ex Scriptura sacra, *Prov. 22. 1,* ubi dicitur: *Melius est nomen bonum, quam divitiae multae;* et *ibidem, 24. 9: Abominatio hominum detractor.*

II. Gravitas vel levitas detractionis desumenda est praecipue ex gravitate vel levitate damni, quod proximus ex ea pati potest, et non tantum ex gravitate defectus seu criminis, quod de proximo narratur. Hinc ad cognoscendam in casu particulari detractionis gravitatem attendendum est ad qualitatem 1° personae *detrahentis,* scilicet an sit gravis et discreta, an garrula et levis; 2° personae *laesae,* an sit bonae vel malae famae, etc... Ratio est, quia maior fides praestabitur pro maiori vel minori loquentis auctoritate; item maius vel minus sequetur famae detrimentum pro ratione maioris vel minoris aestimationis, qua persona laesa gaudet. — *S. Lig. n. 967.*

447. — III. Nunquam licet falsum crimen alteri apponere, ut constat ex propositione 44ª ab *Innoc. XI* damnata. Licet tamen iusta de causa crimen alterius occultum etiam cum iactura famae ipsius manifestare; quia aliquando bonum publicum vel privatum hoc requirit, et tunc ius proximi ad famam conservandam a potiori iure eliditur. — *S. Lig. n. 972.*

IV. Causae autem, propter quas licite crimen alterius revelari potest, sunt sequentes: 1° utilitas notabilis revelantis ipsius, verbi gratia ad consilium vel auxilium in re gravi petendum, secluso tamen quocumque affectu ad detractionem; 2° utilitas delinquentis, nempe ad ipsius instructionem vel correctionem, etc.; 3° utilitas publica, uti ad impedienda mala Reipublicae vel Religioni aut alicui Communitati imminentia; — 4° utilitas gravis etiam privata sive audientium, sive aliorum, v. gr. ut a malis, damnis aut incommodis certe aut probabiliter eventuris liberentur.

Ratio horum est, quia tunc peccata alterius manifestans non laedit iustitiam nec charitatem. 1° *Non laedit iustitiam,* quia proxi-

bona corporis, vel fortunae, ut vires, pulchritudo (qua commendantur feminae), valetudo, nobilitas, opes, natales legitimi etc. Haec et eiusmodi A. tangit infr. *n. 456. Res. 9.*

mus non habet ius ita strictum ad suam famam, ut alii obligentur ad tegendam veritatem, quando eius manifestatio necessaria est ad grave damnum sive proprium sive aliorum vitandum; 2° *Non laedit charitatem,* quia charitas non obligat cum gravi incommodo; et sicut non teneris impedire damnum proximi tui quantumvis magnum cum gravi tuo damno, ita nec teneris in casu occultum crimen proximi celare (*a*). — *S. Lig. n. 968.*

448. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An peccet graviter, qui revelat unicum peccatum mortale alterius?*

Resp. 1° Non est semper peccatum grave revelare peccatum alterius, etiamsi pluribus manifestetur. Attendendum igitur est ad rerum et personarum adiuncta, ex quibus colliges, an aliquis gravem famae iacturam ex peccati revelatione patiatur.

Resp. 2° Si peccatum graviter dedecoret sive in se sive relative ad infamatum, certo detractor graviter delinquit, quoties huiusmodi peccatum licet unicum pluribus manifestat, quia grave famae damnum proximo infertur.

Resp. 3° An vero sit mortale huiusmodi peccatum unico viro prudenti et discreto revelare seclusa speciali malitia, *controvertitur.*

I^a^ Sententia *communior* et *probabilior* dicit, graviter peccari, nisi inadvertentia aut magna levitas excuset. Ratio est, 1° quia laesio famae etiam apud unam personam gravem gravis censetur, ut patet ex iudicio temerario, quod *per se* grave est; 2° quia saepe homines aegrius ferunt, se laedi apud unam personam gravem, quam apud tres vel quatuor alias.

II^a^ Sententia satis *probabilis negat.* Ratio est, quia cum fama consistat in communi aestimatione hominum, non censetur absolute diffamatus, qui apud unum vel alterum dumtaxat bonum nomen amisit. — *S. Lig. ut probabile* habet *n. 973.* (*b*).

(*a*) Imo charitas in hisce adiunctis postulat, ut ne veritas occultetur. Charitas enim ordinata esse debet: ordinata autem charitas exigit, ut innocenti potius faveatur, quam reo. Proinde perversissime agit, qui, ne quid mali obveniat latroni, aut furi, pravis sociis, aut honestatis insidiatori, etc., silentio suo committit, ut vita, vel fortunae, vel innocentia, aut honestas aliorum periclitentur.

** (*b*) In hanc rem affert S. Alphonsus (*l. c.*) haec verba S.Thomae (*Quodlib. 11. art. 13. ad 3.*): *Si aliquis referat praelato culpam proximi, intendens vel cautelam in futurum, vel aliquid eiusmodi, quod ad emendam proximi videret expedire, non peccat. Si autem hoc sive praelato sive alicui amico suo ex malitia referat, tunc peccat mortaliter. Quod si ex incautela alicui dixerit hoc, ita tamen quod non proveniat inde aliud, vel infamia vel vituperium proximo delinquenti, tunc non peccat mortaliter, licet incaute agat.* Quibus postremis verbis S. Alphonsus hoc subiicit commentarium: *Nec dicas, verbum illud,* ex incautela, *intelligi pro inadvertentia; ex hac enim nunquam peccatur mortaliter; sed omnino intelligitur imprudentia sive levitas animi, quae tantum est venialis; et tunc tantum erit mortalis, cum ex ea inde provenit delinquenti infamia aut vituperium.* Verum eiusmodi commentarium est paulo obscurum.

Equidem ut suus verbis S. Thomae sensus tribuatur, duplex statui

449. — Quaer. 2° *An specie differant detractiones in materiis specie diversis?*

Resp. Duplex datur sententia probabilis.

I[a] Sententia *affirmat.* Ratio est, quia alia est fama, quam quis possidet, v. gr. de castitate, et alia quam habet de iustitia; siquidem non est diffamatus in fornicatione, quamvis sit dedecoratus in furto.

II[a] Sententia *negat.* Ratio est, quia licet tales detractiones materialiter specie distinguantur, moraliter tamen unam hominis famam laedunt, eo quod tendunt in unicum obiectum formale, sicut contumeliae sunt eiusdem speciei propter unitatem honoris, contra quem tendunt. — *Lugo, de Poenit. D. 16. n. 265.,* etc. (*a*).

potest hypothesis: prima est, quod qui crimen revelat, noscat, nullum aliud damnum inde eventurum; tamen rationabilem causam non habeat revelandi crimen; et tunc locum habet, quod S. Alphonsus dicit, peccari venialiter levitate animi, unde diffamatio sequitur probabiliter levis. Alia hypothesis est, quod qui crimen revelat, non habeat prae oculis damnum proximi, quod sequi inde potest; et tunc quid a mortali culpa potest illum excusare, nisi inadvertentia? Etenim palam est, non posse nos S. Thomae eiusmodi sensum affingere, ut venialis vel mortalis diiudicetur detractio tantum ex eventu, de quo revelans crimen nihil cogitaverit. Sic itaque intelligenda sunt etiam S. Alphonsi verba.

(*a*) Imprudenter ergo Confessarius exigeret a poenitente, ut detractionis materiam exprimat; tum quia iniuste certam imponeret obligationem, quam, utpote incertam, poenitens non habet; tum etiam quia non raro ipsa confessio a detractionis vitio non esset immunis, cum exinde et personae et personarum crimina innotescere Confessario queant.

** Duo advertunt hic VV. (*Pag. 921.*) circa hanc quaestionem ac Notam. Ac primo dicunt, Gury in eo convenire cum S. Alphonso, quod contumeliae illae non differant *specie:* sed in eo discrepare, quod ille *unum* numero peccatum ibi agnoscat, cum *plura* S. Doctor adesse doceat.— Resp. Gury neque *unum,* neque *plura* peccata dicit. Quod si VV. *unum* peccatum a Gury asseri inde arguunt ceu necessarium consectarium, quia *unam* dicit speciem, quomodo S. Doctor potuisset *unam* speciem et simul plura esse peccata affirmare?

2° Carpunt VV. Notam, quia dicit, imprudenter Confessarium exigere a poenitente, ut detractionis materiam exprimat; et subdunt *prudentissime agere confessarium, inquirendo a poenitente, quotnam diversa crimina proximi revelaverit.*— Resp. 1° Etiamsi daretur, exprimendum esse, *quotnam diversa crimina* quis revelaverit, non inde sequeretur, necessario exprimendam materiam horum criminum; ergo manet, quod Confessarius imprudenter id a poenitente exigeret.— Resp. 2° Obligatio, quam defendunt VV., exprimendi numerum istum criminum, demum non est, etiam ipsis fatentibus, nisi probabilis. Atqui, docente S. Alphonso, iniustum est imponere obligationem, quae certa non sit, praesertim vero quando periculum adest proximi famam apud confessarium laedendi. Ergo.

Caeterum opportunius sane fuisset, ut VV. hanc quaestionem nullo modo attigissent. Nam paragraphus illa, quam ex Croix (*Lib. 5.n. 161.*) dein exscripserunt Holzmann, et Concina, et dein S. Alphonsus, profecto nihil praefert, nisi idearum confusionem. Et sane si auctores inspicias, contra quos pugnat, reperies eos contendentes, has contumelias *in una infima specie convenire,* et idcirco (ut ipse Croix ex eorum sententia refert) eas *conflare unam infamiam maiorem.* Pari modo si inspicias eos, quos illis

Quaer. 3° *An crimen publicum revelari possit illud ignorantibus?*

Resp. Affirm., quia hoc nec contra iustitiam videtur esse, nec contra charitatem, sive sit publicum publicitate iuris sive publicitate facti. — *S. Lig. n. 974.*

Croix opponit, cernes contra *pro specie multiplici* eos stare. Ita v. gr. Navarrus (*Sum. Cap. 6. n. 18.*) plura adesse peccata tenet, quia illa *verba iniuriosa* non sunt *unius speciei;* nec aliter Azor (*P. 1. Lib. 4. Cap. 4. q. 5.*): *Respondeo, specie fieri multa, et augeri numero, quando sermo refertur ad obiecta specie diversa, veluti si Titius contumeliose Caium compellet haereticum, latronem, adulterum, tria peccata committit specie diversa.* Post haec vero Croix, quasi ex allegatorum auctorum sensu disputaret, primum quidem aequivocis phrasibus utitur *diversitatum vel famae vel obiectorum;* et concludit deinde, has famas non magis *posse conflare unicam numero famam, quam tria ieiunia unum ieiunium,* quasi insuper transgressio triplex ieiunii comparanda foret cum pluribus contumeliis *uno actu* prolatis, ut fert quaestio ab ipso proposita, aut dubium moveri posset, an tria ieiunia *specie* differant. Et ita quidem tenebris obvolvitur, tum cur auctores allegaverit, tum quibus principiis innixus eam resolutionem depromat. Verum nihilo forte clarior evadit haec quaestio apud S. Alphonsum (*Lib. 5. n. 48.*). Nam auctores, a quibus recedit, eosdem cernis, ac apud Croix, nisi quod Azorium coniungit cum Lugo, cum tamen Azorius (ut patet ex allegatis sup. eius verbis) oppositam, ac Lugo, sententiam teneat. His autem illos opponit, quos opposuit et Croix. Porro lis inter istos est, ut vidimus, num multiplices illae contumeliae unius eiusdem speciei sint, an multiplicis ac diversae. Auctoribus a Croix allegatis S. Doctor addit Collet, Holzmann, et Concinam. At Holzmann et Concina, non secus ac Croix, aequivocis formulis utuntur; Collet vero multiplex peccatum in iis contumeliis asserit, quia, inquit (*De Pecc. P. 1. C. 3. art. 2.*), *diversa sunt specie peccata.* Ergone S. Alphonsus multiplex adesse peccatum defendit, quia contumeliae specie differunt? Sed contradicunt VV., qui (ut sup. vidimus) affirmant, Gury hic consentire cum S. Alphonso in asserenda speciei unitate. Quaenam ergo ratio superest, ob quam S. Alphonsus doceat, plura inibi esse peccata? Utique S. Doctor ex Holzmann (*P. 1. n. 674.*) affert rationem, quod *laedantur diversa iura ad famam vel honorem; per hoc enim quod aliquis sit diffamatus in uno crimine, non ideo est diffamatus in alio.* Ast hoc argumentum potius evinceret, eas contumelias esse diversas specie, prouti reipsa sic arguebant multiplicis speciei patroni. Contra quos sic disserit Lugo (*De Poenit. D. 16. n. 265.*): *Optimam rationem reddit* (*Molina*), *quia scilicet omnes contumeliae accipiunt malitiam ex eo, quod laedant honorem, sicut furta laedunt fortunas: ergo sicut furta sunt eiusdem speciei in ratione furti, sive hoc modo fiant sive illo; sic de ablatione honoris dicendum est. Unde idem dicendum est de detractione, non variari specie pro diversitate materiae, in qua aufertur fama; quia fama semper est eiusdem speciei in genere moris. Similiter in iudicio temerario non oportet explicare materiam, in qua iudicatur, sed sufficit dicere: toties in materia gravi temere iudicavi de aliquibus: quia bona etiam existimatio, quae per iudicium temerarium aufertur, eiusdem speciei est in genere moris.*

Et hinc obvium fit responsum ad ea, quae habet Croix (*l. c.*), scilicet *tria esse peccata, quia laeduntur iura ad tres diversas famas; nam per hoc, quod quis est laudabilis in virtute iustitiae, non fit laudabilis in virtute castitatis, et per hoc, quod sciatur esse fur, non ideo scitur esse impudicus, sed retinet ius ad hanc famam; ergo hae famae sunt diversa obiecta.* Nam alius facile regeret: tria esse peccata, quia laeduntur iura ad tres diversas fortunas (finge bovem, equum et currum); nam per hoc quod quis sit iustus possessor

450. — Quaer. 4° *An crimen publicum in uno loco possit revelari in alio loco, ubi ignoratur?*

Resp. 1° *Affirm. probabilius per se,* saltem absque peccato gravi, si agatur de loco vicino, seu de loco ubi facile et brevi publicandum est. Ratio est, quia fama brevi et necessario amittenda nullius aut certe non magnae aestimationis est, et moraliter loquendo iam abiecta est.

Resp. 2° Si agatur de locis, ad quae divulgatio non est perventura, aut non nisi post diuturnum tempus, *distinguendum est:*

1° *Quoad notorietatem iuris,* 1° Non est contra iustitiam, quia iudex, quando publice aliquem condemnat, intendit reum spoliare fama, ut caeteris ubique sit in exemplum. *Ita communiter.* — 2° Nec *probabilius* est contra charitatem, saltem graviter, quia ad bonum commune magnopere confert, sententiam ubique vulgari, ut efficacior sit poena, ac reus cognoscatur etiam ab incolis regionis remotae, qui cum illo negotia tractanda habere possent. — *Ita communius* cum *Lugo, Salmant., S. Lig. n. 974.*

2° *Quoad notorietatem facti, controvertitur inter theologos.*

I^a Sententia valde *probabilis* dicit, non esse *per se* illicitum, quia neque contra iustitiam peccatur, neque contra charitatem, saltem graviter, modo agatur de criminibus, quae reddunt hominem perniciosum. Ratio est, quia bono publico conducit, facinorosos homines

bovis, non ideo fit iustus possessor equi aut currus; et per hoc quod male possideat equum, non ideo est iniustus possessor bovis, sed in hunc retinet ius suum; ergo hae fortunae seu substantiae sunt diversa obiecta. Hoc utique nec Croix, nec eius asseclae possunt aut volunt admittere; sed quaenam disparitas assignari potest? S. Alphonsus, ut occurreret difficultati, (*l. c.*) scribebat: *Nec obstat, quod is, qui aufert plures res diversas, unicum committit furtum; nam tunc unicum laeditur ius illius ad bona sua; sed quando diffamatur in pluribus materiis, plura eius iura laeduntur iuxta plures respectus, quos fama habet ad diversas virtutes.* Verum alius eodem modo poterit sic ratiocinari, ut evincat plura esse ibi furta. Nec obstat, quod is, qui diffamat in pluribus diversis materiis, unicam committit detractionem; nam tunc unicum laeditur ius illius ad famam suam. *Quoniam* (ut inquit Molina *Tom. 5. Disp. 19. n. 3.*) *iniustitia detractionis non consistit in eo, quo tamquam medio et instrumento iniuste famae proximi praeiudicatur...., sed consistit in praeiudicio famae proximi illato; quare cum obiectum detractionis late sumptae sit fama quoad praeiudicium, quod iniuste illi infertur, non vero diversa media, quibus id praeiudicium infertur, praeiudiciumque iniuste illatum semper sit eiusdem rationis, quocumque medio id praeiudicium inferatur...., consequens est, quod unicum laeditur alterius ius ad famam. Sed quando laeditur quis in pluribus diversis bonis fortunae, plura eius iura laeduntur iuxta plures respectus, quos ius proprietatis habet ad diversa fortunae bona.* Numquid vero minus roboris habet haec ratiocinatio, ac praecedens S. Alphonsi? Nimirum diversae contumeliae seu detractiones, non secus ac diversa furti obiecta, diversitatem habent solum in esse *physico,* non vero in *morali.* Quocirca bene concludit Bonacina (*De Pecc. Disp. 2. Q. 4. P. 2. n. 13.*), opinionem, quae plurium iniuriarum diversitatem in confessione exprimendam esse contendit, eodem loco esse habendam, ac quae tenet, in confessione aperiendam esse prorsus determinatam furti quantitatem.

dignosci, ut ab eis cavere omnes possint. — *S. Lig. n. 964.; Hom. apost. n. 12.; in Retr. n. 12.*

II^a SENTENTIA e contrario dicit, esse peccatum tum contra iustitiam, tum contra charitatem: 1° *contra iustitiam* quidem, quia infamatus in uno loco, non amisit ius ad famam in alio remoto, quo fama criminis non est brevi perventura: ergo ipsi facit iniuriam, qui eum ibi diffamat; 2° *contra charitatem*, quia diffamans nocet proximo in re gravi seu in fama, quam alibi sine illius iniuria possidere pergit. — *Billuart, Antoine.*

451. — QUAER. 5° *Quandonam crimen seu factum dici possit publicum seu notorium?*

Resp. 1° Dicitur omnino *publicum* seu *famosum*, quando innotuit maiori parti communitatis seu civitatis, oppidi, pagi, etc.

Resp. 2° Dicitur *simpliciter publicum* seu *notorium*, quando innotuit tot personis, ut nulla tergiversatione celari possit, et moraliter sit impossibile, quod in notitiam communitatis non deveniat. Valde autem difficile est determinare, quot personarum requiratur cognitio, ut crimen publicum censeri debeat. Varias regulas assignaverunt theologi pro vario numero personarum, quae communitatem componunt. Iuxta communiorem sententiam dici potest publicum crimen, si quindecim sciant ex communitate centum personarum; aut viginti diversarum familiarum in communitate mille personarum; aut quadraginta dispersi in oppido quinque millium personarum. — *Ita S. Lig. n. 975.* Sed, ut melius inquit *Billuart, de Iustitia, diss. 15. art. 2. §. 5.*, hoc remittitur iudicio prudentis, qui attento communitatis numero, hominum garrulitate et aliis circumstantiis, iudicet, an possibile sit, ut res secreta maneat.

452. — QUAER. 6° *An peccet graviter referens tantum gravia peccata alterius, ut ab aliis audita, v. gr. si dicat: Fertur, narrant, audivi de tali hoc vel illud?*

Resp. 1° Peccat graviter contra charitatem et iustitiam, si ita referat, ut alii sint verisimilius et merito id credituri, v. gr. si asserat se, quae narrat, audivisse a persona fide digna, quia tunc causam sufficientem credendi malum praebet; secus, si probabiliter fides dictis non adhibeatur, quia nulla infamia inde orietur. Multo autem facilius peccabit graviter referens, etiam ut mere dubium, peccatum enorme alterius, v. gr. haeresis, sodomiae, etc.

Resp. 2° Peccat graviter contra charitatem, si audita referat coram iis, qui probabiliter ea credent ex levitate aut malitia propria; quia sub gravi quisque tenetur ex charitate tollere occasionem damni alterius, cum facile potest. Non tamen videtur peccare contra iustitiam, quia non est causa efficax damni. — *S. Lig. n. 978. — Billuart, ibid. art. 2. §. 4., et alii communiter.*

453. — QUAER. 7° *Quomodo peccet audiens detractionem?*

Resp. 1° Peccat certe graviter contra *iustitiam*, qui efficaciter inducit alium ad detrahendum.

Resp. 2° Peccat graviter contra *charitatem*, qui gaudet de detractione gravi ab alio facta, quia gaudet de damno gravi proximi. Excipe, si gauderet tantum de auditione rei novae vel curiosae, non vero de ipsa detractione.

Resp. 3° Superior peccat contra charitatem, si detractionem non impediat in quantum commode potest, etiamsi de ea non gaudeat; quia illi specialis obligatio incumbit corrigendi detrahentem, aut damno subditi infamati obviandi. *Probabilius* autem non peccat contra iustitiam 1° Superior detrahentis, quia non tenetur invigilare bono alterius non subditi; 2° Superior infamati, quia ipsi non incumbit ex iustitia bono temporali subditi attendere. — *S. Lig. n. 979.*

Resp. 4° Persona particularis plerumque aut omnino aut saltem a gravi peccato excusatur, si detractionem non impediat, sive ex verecundia aut timore vel etiam negligentia, etiamsi commode possit, modo de illa non gaudeat, nec praeter infamiam aliud damnum accedat. Ratio est, quia in hac materia saepe constare nequit correctionem esse profuturam; imo saepe periculosum est, et merito timeri potest, ne detractio potius augeatur vel producatur. Culpa tamen aliqua non carebit, si facile correctionem efficacem adhibere possit. — *S. Lig. n. 979.*

Excusantur autem etiam a veniali, qui ubi advertunt detractionem, discedunt, sermonem expungunt, aut faciem avertunt, atque tristes se ostendunt iuxta illud *Prov. 25. 23: Dissipat facies tristis linguam detrahentem.*

454. — QUAER. 8° *An liceat seipsum infamare?*

Resp. Affirm. per se, si recta intentione fiat, secluso scandalo, et aliorum damno. Ratio est, quia non est contra iustitiam, cum quisque sit famae suae dominus; nec contra charitatem, quia haec non obligat ad bona externa conservanda, nisi quantum id exigat salus propria vel proximi.

Per accidens autem peccabis, et etiam graviter, si fama tua necessaria sit muneri tuo, vel si tibi damnum vitae, vel aliis infamiae ex hoc oriri possit. — *S. Lig. n. 985.*

455. **Resolves.** — 1° Grave est peccatum etiam mortuis detrahere in re gravi; iure enim ad famam non spoliantur, licet e vivis excesserint. Unde historiographi ignominiae notam memoriae defunctorum sine causa sufficienti inurentes, occulta manifestando, cognita exaggerando, actam poenitentiam non referendo, graviter peccare possunt. — *S. Lig. n. 978.*

2° Letale esse potest de aliquo in conspicua dignitate constituto tam multa, etsi non singula gravia, revelare, ut notabiliter laedatur eius fama, licet intra longum tempus id peragatur.

3° Mortale est, si dicas, aliquem esse adulterum, licet de hoc probabilia habeas indicia; quia eius famae grave nocumentum affers. Imo idem tenendum, etiamsi diceres probabile, eum esse talem.

4° Grave est dicere de Sacerdote, quod duellum commiserit, aut sit amans puellarum, aliaque id genus. Saepe autem letale non est id asserere de milite, aut etiam de iuvene mediocris famae; nec dicere de puella quod sit garrula, superba, etc. — *S. Lig. n. 967.*

5° Non est mortale de aliquo ignoto vel indeterminato male loqui, v. gr. in tali loco esse multos improbos, ebriosos, impudicos; quia nemini gravis iniuria irrogatur. Item non est grave, crimen aliquod referre de aliquo, quem audientes non noverunt, nec unquam agnituri sunt, etiamsi nominetur. Imo hoc *per se* omni culpa vacat.

6° Letale tamen est, saltem communiter loquendo, graviter detrahere alicui Monasterio, licet nullus Religiosus nominetur, v. gr. si dicatur, in eo pravam duci vitam, grave peccatum fuisse patratum. Ratio est, quia Religiosi eiusdem Communitatis adeo inter se coniuncti sunt, ut coram externis velut solidarii alii pro aliis censeantur. Hinc tota Communitas apud imprudentes et simplices maculari solet. — *S. Lig. n. 979.*

456. — 7° Non est mortale dicere de publico ebrioso, eum hac die *inebriatum esse, etsi occulte fecerit;* imo quandoque nullum adest peccatum, si quis omnem famam quoad aliquid amiserit, v. gr. si dicas de meretrice, quod fornicata fuerit. Nec est mortale infamem in uno crimine de altero valde affini dedecorare, v. gr. si de adultero dicas, eum litteras amatorias misisse, vel de ebrioso, eum cum uxore rixatum esse; quia talis revelatio non est nova infamia, aut saltem non gravis. De disparato tamen et non connexo crimine aliquem infamare potest esse mortale, quia ille, qui dedecorus est in uno vitii genere, non ideo amisit ius famae quoad reliqua. — *S. Lig. Hom. apost. n. 14., et alii communiter.*

8° Non peccat, saltem graviter, qui solatii causa tantum, seclusa detrahendi intentione, alicui amico narrat iniuriam ab alio sibi factam, etsi inde aliqua infamia auctori proveniat. Hinc probabiliter excusantur, saltem a mortali, famuli detegentes iniurias sibi illatas a dominis, uxores a viris, filii a patre, Religiosi a Praelato, etc.; quia auctor iniuriae non potest esse rationabiliter invitus, remque tam difficilem exigere, ut laesus solatio vel consilio necessario careat. Cavendum est tamen, ne dicatur pluribus, atque apertius nominetur persona, quam necesse sit ad consilium vel solatium. — *S. Lig. n. 973.*

9° Non peccat graviter, generatim loquendo, qui revelat defectus naturales animi vel corporis alterius, dicendo, v. gr. quod sit stupidus, ignarus, etc.; quia tales defectus non sunt morales, nec famam notabiliter minuunt. Excipe, nisi grave damnum inde secuturum sit. Hoc autem maxime ex circumstantiis pendet. — *S. Lig. n. 967.* — *V. Casus, n. 420. et seq.*

ARTICULUS II.

DE RESTITUTIONE FAMAE

457. **Principia.** — I. Detractor tenetur ex iustitia, quantum fieri potest, 1° ad reparandam famam iniuste ablatam; 2° ad compensanda omnia damna temporalia ex diffamatione provenientia et aliquo modo praevisa.

Ratio primi est, quia per ablationem famae irrogata est iniuria damnosa; ius enim, quod quisque habet ad famam, auferri privata auctoritate nequit: cum itaque necessaria sit boni iniuste ablati restitutio, propterea iniuria illa resarciri debet. — *Ita omnes.* — *S. Lig. n. 991.; et lib. 3. n. 613.*

Ratio secundi est, quia omnia damna provenientia ex detractione tribuenda sunt detractori, ut causae eorum efficaci, sive crimen revelatum sit falsum, sive verum, cum in utroque casu famam iniuste detractor laeserit. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 996.*

Obligatio restituendi famam est personalis. Obligatio vero reparandi damna, quae ex diffamatione orta sunt, est realis, et proinde ad heredes transit.

458. — II. Restitutio famae alio modo facienda est a calumniatore, ac a detractore simplici. Hinc

1° *Calumniator* tenetur dicta retractare, et quidem *per se* etiam cum iactura propriae famae, si aliter reparatio fieri nequeat: ratio, quia melior est conditio innocentis quam nocentis, et malitiae suae imputare debet, quidquid propterea est passurus.

2° *Detractor simplex* dicta retractare nequit, quia sic mentiretur, sed alio modo, quantum in ipso est, famam restituere debet, dicendo, v. gr. se male locutum fuisse, se erravisse, aut quid simile; non enim hi solum errant qui a veritate, sed etiam qui a rectitudine recedunt iuxta illud *Prov. 14. 22: Errant, qui operantur malum.* — *S. Lig. n. 992.* Sed saepe modus ille non sufficit apud intelligentes et astutos, qui potius ex his formulis coniiciunt, verum esse crimen, quod non asseritur aperte esse falsum. Tunc igitur detractor tacendo de dictis, data occasione, cum dexteritate et veritate laudare et honorare debet eum, cui detraxit.

459. **Resolves.** — 1° Qui alium iniuste diffamavit verum crimen manifestando, tenetur ad integrum damnum inde proveniens reparandum; quia iniusta illius revelatio est causa vera et unica damni. — *S. Lig. n. 994.*

2° Qui detraxerit per libellum famosum, tenetur, ut efficax sit restitutio, eam facere contrariis scriptis vel publica revocatione. Item innotescere debet reparatio, si cognoscatur, diffamationem ad multos pervasisse, sed ignoretur ad quos pervenerit. — *S. Lig. n. 995.*

3° Item in defectu diffamatoris ad reparationem famae tenentur,

qui ad diffamationem propagandam cooperati sunt, iique omnes pariter tenentur de damnis fortunae, si quae acciderint.

Diffamator non tenetur ad veniae petitionem, si famam reparare non possit, nisi famam simul et honorem laeserit: quia per veniae petitionem fàma perdita non restituitur; nec ille magis urgetur obligatione veniae petendae, quam qui non potest restituere bona fortunae, in quibus aliquem laeserit. — *Ita communiter.*

460. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quaenam sint causae a restitutione famae excusantes?*

Resp. Sequentes communiter admittuntur:

1° Si delictum, quod uni vel pluribus revelasti, ex alia via publicum evaserit, aut si fama alio modo reparata sit, v. gr. per sententiam iudicis, etc.

2° Si prudenter iudicetur, criminis memoriam temporis decursu oblivione deletam esse.

3° Si restitutio famae fieri nequeat sine vitae periculo; quia vita est bonum ordinis superioris, ac fama; item si restitutio famae sit multo minoris valoris, ac iactura, quam pati deberet diffamator, v. gr. si esset homo honoratus et praesertim bono publico vel Religioni valde utilis.

4° Si reparatio sit moraliter impossibilis ob nimiam locorum distantiam aut alias speciales difficultates, quae praesertim in reparatione detractionis simplicis reperiuntur; v. gr. si qui audierunt detrahentem, a praeoccupata opinione revocari non possint.

5° Si iudicetur, detractioni fidem adhibitam non fuisse ab audientibus, ut fit saepius, quando in irae calore detrahitur.

6° Si infamatus obligationem expresse vel tacite remiserit, modo remittere possit; imo quandoque sufficit condonatio praesumpta. — *S. Lig. n. 1003.* Eam autem remittere non potest, quando ex eius infamia sequitur scandalum, aut damnum vel commune vel suorum, etc.; v. gr. si agatur de infamia Sacerdotis, magistratus, etc. — *S. Lig. n. 997. et seq.*

QUAER. 2° *An detur obligatio restituendi famam sine formali iniustitia laesam, v. gr., si quis detrahat ex inadvertentia?*

Resp. Affirm., quia quisque tenetur reparare damnum ex sua actione proveniens, si commode possit, ut dicemus in *Tractatu de Iustitia et Iure.* — *S. Lig. n. 994.*

461. — QUAER. 3° *An infamans teneatur famam restituere etiam coram iis, qui crimen a se revelatum mediate acceperint?*

Resp. Affirm. probabilius, imo et verius, si famam violasti apud audientes, quos praevidebas facile infamiam evulgaturos; quia tunc es vera causa damni; secus non teneris. — *S. Lig. n. 991.*

QUAER. 4° *An excuseris a restitutione famae, si etiam laesus tuam famam violaverit, nec restituere velit?*

Resp. Negant Navarrus, Sporer, et quidam alii; sed probabilius affirmandum cum *S. Alph. n. 999.;* quia non teneris alteri ius suum reddere, si ille recusat tibi reddere tuum.

Quaer. 5° *An tenearis famam pecunia compensare, si eam restituere non possis?*

Resp. Neg. saltem *probabilius,* quia iustitia obligat tantum ad reddendum ablatum, aut aequivalens; sed pecunia non fuit ablata per detractionem, neque ipsa est famae aequivalens, cum sit alterius ordinis. — *S. Lig. n. 1000.,* etc.

CAPUT III.

DE CONTUMELIA

462. — Contumelia est iniusta honoris laesio praesenti et scienti irrogata. Honor autem est externa testificatio aestimationis, quae de alicuius excellentia interne habetur. Praesens vero aliquis esse potest, vel personaliter seu physice, vel moraliter per imaginem, perque aliud in quo aliquatenus repraesentetur.

Contumelia autem fieri potest 1° *negative,* per omissionem honoris hic et nunc debiti; 2° *positive,* tum verbis tum factis aut signis contemptus.

Ad contumeliam referuntur 1° *irrisio,* qua quis verbis et risu contemnitur; 2° *subsannatio,* qua quis gestibus ridiculis irridetur; 3° *improperium,* quo alicui inopia, defectus, vel ortus obscuritas exprobratur.

463. — *Dico* I. Contumelia est peccatum mortale ex genere suo. Est enim quid gravius detractione, quae *per se* est gravis. Constat praeterea ex verbis Scripturae, *Matth. 5. 22: Qui autem dixerit fratri suo. Raca, reus erit concilio; qui autem dixerit: Fatue, reus erit gehennae ignis.*

Dico II. Contumelia *per se* strictam inducit obligationem restituendi honorem et reparandi damna, si qua subsecuta fuerint, saltem si in confuso fuerint praevisa, ut patet ex dictis de restitutione famae. — *S. Lig. n. 966.*

Licet autem teneamur contumelias tolerare, animum vindictae abiiciendo; quandoque tamen expediet contumelias repellere, quando nempe tolerantia obesse posset bono communi, v. gr. si Praelatus tolerando redderetur contemptibilis, et sic subditorum petulantia adaugeretur, etc. — *S. Lig. n. 966.*

464. **Resolves.** — 1° Honor publice per contumeliam ablatus, publice est restituendus coram illis, qui dehonorationis testes fuerunt, vel saltem ita, ut satisfactio ad ipsorum notitiam pervenire possit. Sufficit autem, ut satisfactio fiat per aliam personam, quae nomine dehonorantis veniam petat. — *S. Lig. n. 984.*

2° Restitui pariter debet honor laesus per contumeliam occultam, quia verum honoris damnum proximo fuit illatum; reparatio tamen occulte fieri potest. — *S. Lig. n. 985.*

3° Ea honoris restitutio requiritur, quae censeatur sufficiens ad

manifestandam aestimationem iuxta personae offensae conditionem. Si enim qui dehonoravit fuerit Superior, sufficiet si dehonoratum salutet, domi invisat, aut ei benevolentiam ostendat. Si autem fuerit aequalis, vel *a fortiori* inferior, maior requiritur satisfactio, nempe ut praeveniat in salutando, cedat locum, veniam petat etc., si alio modo sufficienter satisfacere nequeat. — *S. Lig. n. 986.*

4° Si inhonoratus vindictam sumpsit, v. gr. alterum percutiendo, vulnerando..., plerumque pro honore non requiritur ulterior satisfactio; quia ille pro satisfactione videtur acceptare vindictam, alter vero non resistendo videtur fateri suam culpam et aestimationem de altero. — *S. Lig. n. 989.* — Item a restitutione honoris eximuntur rustici, si inter ipsos impacta mutuo fuerint aequalia convicia aut improperia, quia eo ipso fit compensatio.

5° In praxi multoties expedit, ut Confessarius omittat monere poenitentem in bona fide existentem circa satisfactionis obligationem, maxime si praevideat, monitionem non profuturam esse; vel si putet eum, qui dehonoratus fuit, facile id condonare, aut recusaturum esse reparationem praesertim publicam, ne memoria iniuriae apud alios redeat, aut ne ipse rubore magis afficiatur, etc... — *S. Lig. n. 988.* — *V. Cas. n. 434.*

CAPUT IV.

DE IUDICIO TEMERARIO, SUSPICIONE, ET DUBITATIONE TEMERARIA

465. — 1° *Iudicium temerarium* est firmus assensus ex levibus indiciis conceptus de aliquo peccato vel defectu proximi: distingui debet ab opinione, quae est assensus minus firmus et cum formidine de opposito.

2° *Suspicio temeraria* est quaedam inclinatio ad assensum de malo proximi ex insufficienti ratione.

3° *Dubitatio* est suspensio animi in neutram partem se determinantis.

466. **Principia.** — I. Iudicium *temerarium* de culpa proximi est peccatum mortale *ex genere suo* contra iustitiam; quisque enim ius habet ad bonam sui existimationem apud singulos, nec malus praesumi quisquam debet, donec probetur: proinde iniuriam gravem proximo infert, qui contra eum in re gravi temere iudicat. Saepius tamen veniale est ob materiae parvitatem aut actus imperfectionem.

II. Ad gravitatem iudicii temerarii requiritur 1° ut sit firmum, seu citra dubium; 2° ut sit plene deliberatum et voluntarium; 3° ut sit in re gravi de persona determinata et cognita; 4° ut innixum sit indiciis, quae uti levia et inepta ad iudicandum cognoscantur. Ratio horum est, quia alias non esset verum iudicium, neque vero

temerarium, neque graviter proximo iniuriosum. Saepe autem leve est ob defectum alicuius ex commemoratis conditionibus. — *S. Lig. n. 962.*

III. Suspicio *temeraria,* et dubitatio de labe proximi sunt venialia tantum ex genere suo. Ratio est, quia ob debilem et facile mobilem adhaesionem ordinarie leve tantum damnum proximo afferunt, cum famam non tollant, sed tantum minuant et dubiam reddant. — *S. Lig. n. 963.* — Si quis vero sine ratione, sed ex malevolentia in suspicione vel dubio de re admodum gravi persistat, mortale vix effugiet. — *S. Lig. n. 963.*

467. **Resolves.** — 1° Non peccat graviter, qui de proximo sinistre iudicat, si iudicium innititur indiciis ad prudentem probabilitatem sufficientibus, quia moralis certitudo et vera probabilitas non adeo distant, ut censeatur gravis iniuria habere quasi certum, quod est valde probabile. — *S. Lig. n. 962.*

2° Non peccat graviter, qui iudicando non advertit plene ad motivorum insufficientiam, quamvis advertat se minus prudenter iudicare, vel si negligentiam tantum levem admittat in repellendo iudicio. — *S. Lig. ibid.; Hom. apost. n. 1.*

3° Non peccat graviter, qui temere iudicat de aliquo indeterminato inter plures, v. gr. alicuius coetus vel communitatis, vel etiam de aliquo determinato quidem, sed sibi ignoto. — *S. Lig. ibid.*

4° Non temere iudicares, si audiens aliquid a viro probo et fide digno contra proximum, illud crederes. Multo minus, si suspicareris aut dubitares tantum, cum multo minus requiratur ad prudentem suspicionem aut dubitationem, quam ad prudens iudicium; secus autem, si audires aliquid ab homine perverso aut erga alterum male affecto.

5° Suspicio vel etiam dubitatio plane temeraria, nulli scilicet innixa rationi, peccatum mortale esse potest, si versetur circa peccata valde extraordinaria et gravia ratione conditionis personarum, quas respicit; quia huiusmodi suspicio aut dubitatio maior iniuria est, quam iudicium etiam firmum circa peccata minus gravia. — *S. Lig. n. 964.*

6° Licet damna praecavere ex timore non omnino imprudenti; atque ita, v. gr. potes res tuas sub custodia servare, ne surripiantur a peregrino domi tuae commorante; quia etsi non possis positive iudicare, hunc vel illum esse furem, potes tamen optime tibi consulere, cum certo scias, inter homines esse aliquando fures, quamvis a furto alieni existimentur.

APPENDIX

DE VIOLATIONE SECRETI

468. — Secretum in genere dicitur quidquid occultum est: quoad rem nostram attinet, secretum vocamus, quidquid vel ex natura sua, vel ex speciali contractu, occultum servari debet.

Triplex distinguitur secretum

1° *Naturale,* si ab ipsa natura imponatur, v. gr. si quid scias quod manifestare nequeas sine gravi alterius laesione sive in aestimatione, sive in bonis, etc.

2° *Promissum,* si quis arcanum ab alio audiens vel casu discens, promittat, se id non revelaturum.

3° *Commissum,* si quis alteri quidpiam manifestet, et simul ab ipso silentium circa illud tacite vel expresse exigat.

469. **Principia.** — I. Secretum *naturale* in re gravi obligat *per se* sub gravi, et quidem ex iustitia, nisi iusta causa excuset. Ratio est, quia ex revelatione secreti sequitur *per se* damnum proximi, qui ius habet, ne sine causa rationabili laedatur. — *S. Lig. n. 970.* — *Salm.,* etc.

II. Secretum *promissum* obligat *per se* graviter vel leviter pro qualitate materiae et natura susceptae obligationis, quae plerumque est ex sola fidelitate. Ratio est, quia contractus continetur simplici promissione, quae *per se* obligat solum ex fidelitate et iuxta intentionem promittentis, ut de voto dictum est (*a*). — *S. Lig. ibid. et alii communiter.*

III. Secretum *commissum* seu *communicatum*, quod dicitur etiam rigorosum, obligat *per se* sub gravi ex iustitia, et quidem strictius ac secretum mere naturale, atque etiam promissum; quia praeter obligationem naturalem urget etiam obligatio ex contractu expresse vel tacite suscepta (*b*). — *S. Lig. n. 970.*

(*a*) Quando materia secreti promissi etiam citra quamlibet promissionem suapte natura exigit, ut occulta servetur, quia scilicet est materia naturalis quoque secreti, facile intelligitur, legem secreti *promissi* posse etiam *graviter* obligare. Non item, si totam secreti obligationem repetas ex promissione; promissionem vero generatim statuas ex mera *fidelitate* obligare; quippe obligatio fidelitatis iuxta communem doctrinam ex genere suo levis est. Clarius itaque rem compones, quando advertas cum Card. De Lugo (*De Iust. Disp. 23. n. 14. et 90–91.*), vi promissionis posse quempiam se obligare vel ex mera *fidelitate* vel ex *iustitia*, et a promittentis intentione ac libera voluntate pendere, utro modo se obliget; quo revocari possunt et verba Auctoris aientis: *et iuxta intentionem promittentis.* Sub levi ergo obligabit promissio, si ex mera fidelitate quis promittat; si vero ex iustitia, pro ratione materiae poterit et sub gravi obligare.

(*b*) Contractus intercedit etiam in secreto *promisso;* sed a contractu secreti *commissi* differt, quod ille sit contractus *gratuitus*, hic vero sit

470. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quaenam sint causae iustae secretum manifestandi?*

Resp. 1° Consensus recte praesumptus illius, cuius interest secretum occultari. — 2° Divulgatio rei aliunde profecta. — 3° Damnum ex secreto secuturum Reipublicae vel privatis. Attamen si agatur de damno iam illato, non potes licite secretum commissum revelare, quousque damnificator ipse se prodere non tenetur (*a*). — *S. Lig. n. 971., Lugo, Sanchez,* etc.

QUAER. 2° *An possis revelare secretum, si promiseris illud servare etiam cum vitae iactura?*

Resp. 1° *Affirm.,* si illud exigat bonum commune, quia promissio facta contra bonum commune nulla est.

Resp. 2° *Neg.,* si agatur de tuo proprio damno simpliciter gravi, quia praestat servare secretum hoc speciali contractu promissum. *Neg.* etiam *probabilius,* si agatur de damno tuo extremo, quia iuri tuo expresse renuntiasti, nec illicitum est omittere vitae conservationem, ut promissum serves (*b*). — *Ita Lugo, Lacroix, et S. Lig. n. 971.* — Attamen S. Auctor oppositum satis probabile merito dicit.

471. — QUAER. 3° *An peccet graviter, qui revelat secretum uni vel alteri viro probo sub eodem secreto?*

Resp. Neg. probabiliter per se; quia in hoc casu gravis iniuria erga alium committi non videtur. Excipe, dummodo non reveletur personae, cui secretum tibi committens specialiter voluisse illud celari merito praesumitur. — *S. Lig. n. 971., et alii.*

Dixi, *per se;* quia in praxi ob circumstantias secreti revelatio facile gravis evadet, quando scilicet personas, quibus acceptum secretum committis, nimis leviter supponis ita discretas, ut illud sint certo servaturae, praesertim si cum mulieribus agatur. Etenim tibi commissum est secretum, quia discretus putabaris; si vero illud

onerosus; neque enim tibi notitiam rei alter committeret, nisi promissionem secreti a te reciperet.

(*a*) Et in hoc differt secretum *commissum* a mere *promisso,* quod in hoc postremo promittens non accepit rei notitiam vi promissionis suae, sed notitiae utcumque acceptae secretum gratuito promittit. Porro dum hoc deinde promittit, etiam addito iuramento, non potest per promissionem suam se eximere ab obligatione, qua iam teneatur. Cum ergo quisque iudici legitime interroganti teneatur veritatem aperire, promissio secreti ad casum iudicis legitime interrogantis extendi non potest. Contra vero accidit in secreto *commisso.* Nam bonum commune postulat, ut ne metu revelationis homines priventur commodo consilii aut auxilii necessarii quaerendi, quod tamen quaererent nunquam, nisi certi de secreto servando forent. Postulat ergo bonum commune, ut quousque *committens* licite potest suum secretum servare, ius retineat, ne alter illud prodat. Hinc ratio, cur medici, advocati, obstetrices, theologi consulti, etc. ne iudici quidem interroganti rem commisso secreto cognitam aperire teneantur, imo cur teneantur non aperire.

(*b*) Ut ista opinio probabilis haberi possit, necessarium insuper foret, ut negotium secreto servandum gravissimi momenti esset. Secus enim promissio foret prodiga, quam servare non tenemur.

violes, putasne alium, cui confidis, te ipso discretiorem futurum esse?

QUAER. 4° *An graviter peccet aperiens aut legens alterius litteras?*

Resp. Affirm. per se, seu *ex genere suo.* Ratio est, quia iure naturali, et iure gentium obligatio inest secreta litterarum illaesa relinquendi; secus commercium humanum pessumdaretur. — *S. Lig. Hom. apost. Tr. 11., de 8° Praec. n. 5; et alii communiter.*

Excipe casus sequentes: 1° si adsit consensus tacitus aut praesumptus illius qui scribit, vel illius ad quem litterae mittuntur; 2° si cognoscatur vel praesumatur, litteras continere res levis momenti; 3° si iusta de causa fiat, v. gr. ad damnum publicum aut privatum avertendum, modo ad malum istud propulsandum quis ius habeat litteras aperiendi, nec plus legat, quam ad hunc finem necessarium est (*a*); — *Scav.* — 4° si litterae ex levitate aut ex aliqua inadvertentia aperiantur. — *S. Lig. l. 5. n. 70.*

472. **Resolves.**— 1° Secretum *promissum* nullo modo obligat, quoties alias tenebaris rem manifestare, v. gr. si interrogeris a Superiore vel a iudice. — *S. Lig. n. 970.*

2° Secretum *commissum* a te servandum est generatim, etiamsi interrogeris a Superiore vel iudice, etc.; respondere autem debes, te de hoc nihil scire; quippe eiusmodi notitiam perinde habes, ac si eam non haberes. — *S. Lig. n. 970.*

3° Eodem modo servandum est secretum *implicite* vel *tacite* tantum *commissum,* ac si *expresse* commissum esset. Sic ad secretum stricte obligantur consiliarii Principum, duces belli, advocati, medici, theologi de aliqua quaestione consulti, omnesque universim, quibus vel consilii vel solatii vel auxilii causa secretum committitur.

**(*a*) Huc revocari potest quaestio, quam S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 969.*) *magnam* appellat, *An ad vitandum grave tuum damnum, possis crimen occultum alterius revelare, si notitiam acceperis iniuste per vim, aut fraudem, puta aperiendo literas* etc. Relatis autem aliorum opinionibus subdit: *Inter has tam varias sententias, mihi magis arridet sententia Lugonis* (*de Iust. Disp. 14. n. 101.*). *Docet hic magnus theologus, te non posse, generaliter loquendo, uti notitia illa iniuste accepta cum alterius damno, ob quodcumque damnum tuum effugiendum... Tunc tantum recte admittit Lugo, te posse crimen manifestare, quando esset tibi permissum etiam per vim et fraudem illud exquirere, et litteras aperire.* Ita S. Alphonsus.

Suam vero hanc doctrinam Lugo sic exemplo declarat (*l. c.*): *Ut explicetur et probetur haec distinctio, uti possumus exemplo illo ex bonis fortunae, quae quilibet, ut suppono, usurpare potest etiam per dolum et vim, ut se ab extremo periculo liberet: quare licet eiusmodi bona per iniuriam et furtum antea usurpasses, si tamen postea iis extreme indigeas, poteris iam licite ea retinere, et consumere, quia es reductus ad statum, in quo posses denuo illa quomodocumque accipere et consumere. Sic ergo licet alieni criminis notitiam iniuste accepisses, si tamen reductus es ad statum, in quo propter necessitatem posses illam quocumque modo procurare, licite poteris illa notitia uti, perinde ac si licite eam ab initio habuisses.*

4° Superior religiosus litteras suorum subditorum aliorumve ad ipsos missas licite aperit sive ex Religionis statuto, sive ex consuetudine, aut ex prudenti suspicione, quod aliquid minus recti contineant. — *S. Lig. l. 5. n. 70.*

5° Superior tamen aperire et legere nequit litteras, quas subditi Superioribus mediatis ac vicissim isti Superiores subditis mittunt; recta enim gubernandi ratio postulat, ut supremi Moderatores cum omnibus subditis libere communicare possint. — *S. Lig. ibid.* — *V. Casus, n. 436. et seq.*

FINIS TRACTATUS DE PRAECEPTIS DECALOGI.

TRACTATUS

DE PRAECEPTIS ECCLESIAE

473. — Ecclesia gaudet facultate statuendi praecepta fideles sub gravi obligantia. Christus enim legislativam potestatem ei contulit, ut dictum est in *Tract. de Leg. n. 83.*

Multa existunt Ecclesiae praecepta, ut ex Iure canonico constat; praecipua vero, quae universos respiciunt fideles cuiuscumque status aut conditionis, ad sex sequentia reducuntur, scilicet 1° ut festa auctoritate Ecclesiae instituta fideles colant; — 2° ut saltem diebus Dominicis et festis Sacro intersint; — 3° ut saltem semel singulis annis peccata confiteantur; — 4° ut saltem tempore Paschatis ad S. Eucharistiae Sacramentum accedant; — 5° ut certis diebus a carnibus abstineant; — 6° ut ieiunia statutis temporibus servent.

DE I. ET II. ECCLESIAE PRAECEPTO

SEU

DE OBSERVATIONE FESTORUM

474. — Sancta mater Ecclesia gaudet potestate festa instituendi, eorumque sanctificationem sub gravi omnibus fidelibus praecipiendi, utpote quae accepit a Christo omnem potestatem in ordine ad bonum spirituale filiorum. Nulla de hoc inter catholicos controversia agitatur.

Praeceptum festa celebrandi, si obligationem respicias, qua aliquo cultu venerari Deum interdum tenemur, divinum sane ac naturale est; quod autem spectat ad tempus diesque huic cultui consecrandos, id in veteri lege per *caeremoniale* praeceptum, in nova per *ecclesiasticum* sancitur. — *S. Lig. l. 3. n. 263.*

Solus Papa universae Ecclesiae festa indicere potest, quia solus in Ecclesiam universam iurisdictione gaudet. Episcopi quoque festos dies instituere in propria dioecesi possunt; habent enim facultatem leges in sua dioecesi condendi. Attamen ex praesenti disciplina, ne nimia Ordinariorum facilitate ultra modum dies festi multiplicen-

tur, vetantur Episcopi, ne Clero fidelibusque inconsultis, festa statuant. — *Ita communiter ex C. Conquestus, de Festis.* — *S. Lig. n. 266.* Votum celebrandi nonnulla festa de praecepto cum vigilia et processione, licet ab Episcopo confirmatum, non obligat nisi voventes. — *S. R. C. 19. Nov. 1650.* — *Gardellini.*

Multa olim instituta sunt festa, quae decursu temporum, refrigescente fidelium fervore (*a*), in desuetudinem abierunt, vel auctoritate ipsa Ecclesiastica abolita sunt.

475. — *Urbanus VIII*, Const. *Universa* (13 Sept. 1642), multa festa suppressit, novumque dierum festorum elenchum statuit, ut sequitur:

« Apostolica auctoritate decernimus et declaramus, infrascriptos » dumtaxat dies pro festis ex praecepto colendos esse... Dominicos scilicet dies totius anni; — Nativitatis D. N. J. C.; — Circumcisionis; — Epiphaniae; — Resurrectionis cum duabus sequentibus feriis; — Ascensionis; — Pentecostes cum duabus pariter sequentibus feriis; — Sanctissimae Trinitatis; — Solemnitatis Corporis Christi, et Inventionis S. Crucis; — necnon festivitatum Purificationis, — Annuntiationis, — Assumptionis, — et Nativitatis » Deiparae Virginis; — Dedicationis S. Michaelis Archangeli ; — » Nativitatis S. Ioannis Baptistae; — SS. Petri et Pauli, — S. Andreae, — S. Iacobi, — S. Ioannis, — S. Thomae, — SS. Philippi et » Iacobi, — S. Bartholomaei, — S. Matthaei, — SS. Simonis et Iudae, — et S. Mathiae; — item S. Stephani protomart.; — SS. Innocentium; — S. Laurentii martyris; — S. Silvestri Papae et » Conf.; — S. Iosephi etiam Conf., — et S. Annae Deiparae Genitricis; — Solemnitatis omnium Sanctorum; atque unius ex principalioribus Patronis in quocumque regno sive provincia, et alterius pariter principalioris in quacumque civitate, oppido vel » pago, ubi hos Patronos haberi et venerari contigerit. »

Huic catalogo addendum est festum *Immaculatae Conceptionis B. M. V.* quod de praecepto haberi voluit *Clemens XI*, per Constit. *Commissi Nobis* (6 Decembr. 1708).

(*a*) Auctor dum festorum imminutionem adscribit frigescenti fidelium charitati, potissimum forte prae oculis habuit miserrimam Galliarum conditionem, quando efferata quorundam, qui publicae rei potiti fuerant, barbaries eo usque dementiae ac furoris provecta est, ut quemlibet Dei cultum exterminandum et sanxerit et curaverit: quo e coeno ut omnino nobilis gens emergeret, nondum sivit temporum hominumque, qui sceptrum ibi arripuere aut tenuere, improbitas partim, partim ignavia.

At Romani Pontifices aliam omnino causam imminuti festorum numeri attulerunt. Nam Urbanus VIII (Const. *Universa*, §. 1.) motum se dicit, quod *clamor pauperum frequens ascendit ad Nos, eandem* (*festorum dierum*) *multitudinem ob quotidiani victus laboribus suis comparandi necessitatem, sibi valde damnosam conquerentium.* Et Pius VI (Const. *Ex quo divina*, 7. Iun. 1780, §. 5.): *Dum populorum conscientiae consulimus, et eorum, qui in sudore vultus sui panem comedunt indigentiae providemus*, etc.

Nullo modo est confundendus Patronus cum Titulari. Itaque non colendum est de praecepto festum alicuius Sancti, Titularis utique Ecclesiae cuiusdam, sed quem canonice in Patronum, servatis omnibus *Urbani VIII* de hac re praescriptionibus, electum fuisse non constat.

Pius VI, propter temporum calamitatem, fidelibus romanis condonavit obligationem quaedam festa celebrandi. Haec autem sequentia sunt, scilicet, festa SS. Apostolorum praeter SS. Petri et Pauli solemnitatem; duae feriae quae Pascha et Pentecosten sequuntur; Inventio S. Crucis; festa S. Annae, S. Laurentii, S. Stephani, SS. Innocentium, S. Silvestri, Nativitatis S. Ioannis Baptistae, S. Michaelis, et S. Iosephi; quae tamen tria postrema postea restituta sunt. Caeterum quoad alia nihil per hoc immutatum fuit quoad obligationem Pastoribus impositam Missam *pro populo* celebrandi; ideoque standum est adhuc catalogo Urbani VIII. Ita solemniter a Pio IX fuit declaratum per Constitut. *Amantissimi,* 3 Maii 1858.

In Gallia autem post Indultum *Card. Caprarae,* 9 Apr. 1802, ex concessione Summi Pontificis *Pii VII,* quatuor tantum festa praeter dies dominicos de praecepto supersunt pro fidelibus, nempe 1° *Festum Nativitatis Domini;* 2° *Ascensionis eiusdem;* 3° *Assumptionis B. M. Virginis;* 4° *Festum omnium Sanctorum.* Ex eodem Indulto ad Dominicam proxime occurrentem transferenda sunt festa *Epiphaniae Domini, Sacratissimi Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et SS. Patronorum cuiuslibet dioecesis et paroeciae.* Reliqua festa, olim praecepta, celebrantur nunc iisdem ac antea diebus, sed abque ulla pro fidelibus obligatione.

De requisitis ad dies festos colendos, nempe de audienda Missa, etc., vide quae supra diximus, ubi de tertio Decalogi praecepto.

476. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Utrum, praeter obligationem abstinendi ab operibus servilibus nec non Missam audiendi, sublata fuerit etiam solemnitas liturgica festorum suppressorum aut translatorum?*

Resp. Neg. Nam S. C. Rit. pluries respondit: *Quoad chorum et ecclesiasticas functiones peragi solitas,* nihil omnino innovandum *relative ad festa in quibus populus solutus est a praecepto audiendi Sacrum.* 18 Oct. 1818, in *Alifana,* in *Aquilana,* in *Tarentina.*

Quaer. 2° *Utrum eadem decisio applicanda sit Galliae?*

Resp. Affirm. Etenim clara sunt haec verba Cardinalis Legati: *Eam tamen legem adiectam esse voluit (Pius VII), ut in diebus festis, vigiliisque, quae suppressae decernuntur, in omnibus Ecclesiis nihil de consueto divinorum officiorum, sacrarumque caeremoniarum ordine ac ritu innovetur, sed omnia ea prorsus ratione peragantur, qua hactenus consueverant.*

Quaer. 3° *Utrum idem dicendum sit de festis, quorum solemnitas ad Dominicam proxime sequentem translata fuit, v. gr. Epiphaniae, Corporis Christi, etc.?*

Resp. Affirm. Nam S. C. Rituum ad quaestionem: ***An in festis,***

Pro Anglia Nativitas. Circumcisio. Epiphania. ascensio D. N. J. C. — Festum Corporis Xi — SS Apost. Petri et Pauli — Assumptio B. M. V. Festum Omnium SS.

Hibernia insuper annuntiatio B. M. V. Festum S Patritii.

quorum solemnitas differtur in occurrentem proximam Dominicam, Officium publicum tam matutinum quam vespertinum peragendum sit sicut ante reductionem? — respondit: *Affirmative.* — 23 Maii 1835. in *Namurcen.* — Idem decreverat S. C. in *Cenomanen.* 29 Nov. 1831.

DE III. ECCLESIAE PRAECEPTO

SEU

DE ANNUA CONFESSIONE

477. — Praeceptum hoc continetur in Concilio Later. IV, sub Innocentio III habito ann. 1218, canone 21., qui sic se habet: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata solus confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti*, scilicet Papae, Episcopo, Parocho vel Sacerdoti ab Episcopo approbato. — *Bened. XIV, de Syn. l. XI c. 14. n. 2-6.*

478. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Quandonam pueri censeantur annos discretionis attigisse, ut praecepto annuae confessionis adstringantur?*

Resp. Quando sunt capaces peccati mortalis; quod non ex aetate solum, sed praecipue ex gradu ingenii vel boni malique discretione iudicandum est. Satis autem discretionis inesse censetur in iis, qui iam apprehendunt, malum esse mendacium aut inobedientiam, aut de impuris quibusdam actionibus erubescunt, etc.

Hinc Pastores animarum tenentur puerulos etiam septennes ad confessionem sensim praeparare, et eos, in quibus animadvertunt mortale peccatum etiam dubium, absolvere (*a*), saltem intra annum vi Concilii Lateranen. — *S. Lig. l. 6. n. 662-666.; l. 3. n. 270.* In dubio de discretione, absolvantur sub conditione. — *S. Lig. de Poenit. n. 666.*

Graviter igitur *errant* neque excusari possunt Confessarii, qui pueros sibi commissos nunquam ante primae Communionis aetatem absolvere volunt. — *S. Lig. ibid.*

(*a*) Sed et insipientissime quis putaret, puerulos dimittendos esse sine absolutione, utut constet, nulla mortali labe, ne dubia quidem, inquinatos esse. Numquid enim dubitet quis, sacramentum in his quoque vim suam habere, et gratiam ex opere operato conferre? Aut cur Dei minister hasce animas Deo apprime caras gratia illa privabit, quae et ipsas Deo cariores efficit, iisque plurimum praesidii ac roboris tribuit ad statum gratiae servandum? Videndus omnino de hoc argumento est Iosephus Frassinetti in egregio opere cui titulus, *Manuale del Parroco novello, Part. II. Cap. III.* §. *6*, ubi anxietates quasdam, quibus nonnulli premuntur circa sufficientem puerorum ad hoc sacramentum suscipiendum dispositionem, opportune dispellit.

QUAER. 2° *An ille, qui non gravatur mortalibus, teneatur confiteri venialia, ratione praecepti annuae confessionis?*

Resp. Neg.; quia Ecclesia illam tantum confessionem praecipit, quae est ex Christi institutione. Christus autem nullam aliam praecepit confessionem nisi peccatorum mortalium, ut explicat *Conc. Trid. Sess. 14. — S. Lig. l. 6. n. 667., et alii communiter.*

Caeterum quoad praxim quaestio haec minimi est momenti; quis enim fidelis venialibus tantum gravatus omittit semel saltem in anno confiteri, vel ad sacram Synaxim ab anno inconfessus accedere solet?

QUAER. 3° *An teneatur confiteri quamprimum, qui integro anno non est confessus?*

Resp. Affirm. Quia terminus anni non fuit ab Ecclesia appositus ad finiendam obligationem, sed tantum ad illam urgendam. — *S. Lig. l. 6. n. 668.*

479. — QUAER. 4° *An confessio annua, quae Parocho aut alteri ex Parochi venia non fit, valida censenda sit?*

Resp. Affirm. — Ita communiter; et hodie, inquit *S. Ligorius*, certum est ex universali consuetudine. Confer quae dicenda sunt *de Sacram. Poenit. c. 2. — V. Casus, n. 443. et seq.*

Vide plura de confessione in Tractatu de Sacramento Poenitentiae.

DE IV. ECCLESIAE PRAECEPTO

SEU

DE COMMUNIONE PASCHALI

480. — I. Praeceptum Communionis Paschalis, non secus ac praeceptum annuae confessionis, divinum est quoad substantiam, ecclesiasticum vero quoad temporis determinationem. Constat de hoc praecepto ex perpetua Ecclesiae praxi, ex innumeris Conciliis, et Constitutionibus pontificiis, et praesertim ex *Conc. Trid. sess. 13. can. 9: Si quis negaverit, omnes fideles teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, iuxta praeceptum matris Ecclesiae, anathema sit.* — Tempus Paschale ex declaratione *Eugenii IV* incipit a Dominica Palmarum et terminatur Dominica in Albis. Episcopi tamen ex consuetudine (*a*) possunt hoc tempus anticipare vel etiam prorogare. Annus obligationis iuxta communem consuetudinem a Pascha computari solet. — *S. Lig. l. 6. n. 295.*

II. Communio Paschalis in propria paroecia sumenda est, ut

(*a*) Consuetudo nimirum est, ut Sedes Apostolica petentibus Episcopis facultatem concedat tempus in iure statutum plus minusve extendendi pro varia diversorum locorum necessitate. Nam alioqui notum est, e iure communi posse quidem Episcopos cum his vel illis subditis suis in particulari dispensare, non item cum tota communitate posse.

In Anglia ex consuetudine tempus paschale currit a die Cinerum ad Dominicam in albis — in Hibernia (ex Paulo V) a die Cinerum usque ad ascensionem inclusive. Pius IX 1850 extendit usque ad octavam SS. Petri et Pauli inclusive.

aperte colligitur tum ex variis SS. Pontificum Constitutionibus, tum etiam ex generali Ecclesiae praxi.

Hinc praeceptum Eucharistiae suscipiendae triplex est: 1um ad ipsam Communionem, 2um ad tempus, 3um ad locum spectat: ubi autem vel postremum vel secundum impleri nequit, duobus aliis, vel certe primo satisfaciendum est. — *Conc. Rhemense, an. 1850., tit. 7. c. 1.*

481. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An qui tempore praescripto omisit Communionem, teneatur, quamprimum potest, communicare?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia tempus minime determinatum est ad finiendam obligationem, sed ad eam urgendam. Ex dictis enim praeceptum communicandi est divinum *in se:* ergo cum Ecclesia praeceptum hoc Paschali tempore adimplendum iubet, ab ipso dispensare non censetur. Constat etiam ex ipsa Ecclesiae praxi, quae Romae fideles censuris ad satisfaciendum praecepto, Paschali tempore elapso, compellit. — *S. Lig. l. 6. n. 297., et alii communius.*

Nondum autem coepto tempore Paschali, nemo tenetur huic praecepto parere, etsi praevideat se postea impeditum fore; sed incepto tempore illo, tenetur quamprimum obligationi huic satisfacere, si impedimentum praevideat, imo auferre impedimenta etiam gravia, cum sit praeceptum divinum et grave, et iterum communicare, etsi S. Communionem, ob impedimentum futurum praevisum, iam anticipaverit. — *S. Lig. n. 297.*

QUAER. 2° *An praeceptum communicandi in paroecia obliget sub gravi?*

Resp. Affirm. saltem *per se.* Ratio est, quia videtur res in se gravis; quorsum enim tot Constitutiones et Decreta SS. Pontificum ab obligationem levem adstruendam? — *Ita communiter.*

482. — QUAER. 3° *An urgeat adhuc praeceptum communicandi in paroecia, cum tempus Paschale elapsum est, et praecepto non fuit satisfactum?*

Resp. Affirm. cum sententia communi. Ratio est, quia semper remanet finis legis obtinendus. Aliunde Episcopi, legis interpretes, communiter requirunt, ut dispensatio in eo casu petatur, qua Communio alio in loco fieri possit. Excipe tamen, nisi Parochi licentia praesumi possit.

QUAER. 4° *An peccet graviter, qui differt Communionem ad I^{am} vel II^{am} diem post elapsum tempus Paschale?*

Resp. Affirm. per se. Ratio est, quia licet huiusmodi dilatio *in se* parva videri possit, prae tempore tamen paschali est satis notabilis. Nec excusandi sunt a peccato mortali, qui ex gravi negligentia accedunt indispositi (*a*) ultima die temporis Paschalis, ita ut a Con-

(*a*) Haec vera sunt, si *indispositos* hic intelligas eos, qui licet ad Confessarium accedant, scienter tamen peccato adhaerent, nec voluntatem praestandi ea, quae ad reconciliationem cum Deo necessaria sunt, ullatenus

fessario ad aliud tempus remitti debeant. *Per accidens* excusantur, qui bona fide existimant satis esse, si ad Confessarium tunc accedant inchoandae confessionis gratia; sed de obligatione communicandi intra Paschale tempus instruendi sunt.

483. — Quaer. 5° *An satisfaciat praecepto Ecclesiae, qui communicat in Ecclesia cathedrali, vel de manu Episcopi extra paroeciam?*

Resp. Neg., quia non communicavit in propria paroecia. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 300.* — *Salmant.* — *Gousset, n. 224.*, contra *alios.*

Quaer. 6° *Quis possit dispensare ab hoc praecepto communicandi in paroecia?*

Resp. 1° Episcopus cum dioecesanis; 2° Vicarii generales pariter pro dioecesi; 3° Parochus ipse, cum lex in ipsius favorem lata fuerit, et insuper ex consuetudine constet. — *S. Lig. l. 6. n. 300.*

484. — Quaer. 7° *Ubinam peregrini, vagi, milites et famuli praecepto Communionis Paschalis satisfacere possint?*

Resp. 1° Peregrini et vagi possunt communicare in qualibet Ecclesia, nec tenentur adire paroeciam loci, ubi versantur; quia non habent proprium Parochum, qui eos agnoscere debeat. — *S. Lig. l. 6. n. 300.*

2° Milites in statione, vel domicilium in civitate habentes, communicare debent in paroecia, in qua commorantur; secus in quacumque Ecclesia praeceptum adimplere possunt.

3° Famuli et alii omnes quasi domicilium habentes eadem lege ac incolae loci ligantur.

Quaer. 8° *An teneatur iterum communicare in paroecia, qui ibidem sacrilege communicavit?*

Resp. Neg., quia adimplevit finem praecepti quoad circumstantiam loci; sufficit igitur, ut alicubi communicet ad satisfaciendum praecepto Communionis Paschalis, quod non adimplevit per Communionem sacrilegam. Nec tenetur ad Communionem Paschalem in paroecia sumendam, si quis tempore Paschali sacrum Viaticum suscepit; nam finis legis fuit sufficienter adimpletus. — *V. Casus, n. 488.*

Vide plura de Communione in Tractatu de S. Eucharistiae Sacramento.

habent; et hi quidem facto ipso declarant, praecepto sumendi paschatis se satisfacere nolle; perindeque est sive ultima temporis paschalis die, sive ante eam accedant. At si *indispositos* illos hic dicas, qui non carent bona voluntate, causa tamen aliqua subsit, ob quam Communio in aliud tempus remittatur; valebit quoad istos exceptio, quam lex ipsa expresse apponit (*C. Omnis utriusque sexus 12. De Poenit. et Remiss.*), per ea verba : *Nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum.*

DE V. ECCLESIAE PRAECEPTO

SEU

DE ABSTINENTIA A CARNE EXTRA IEIUNIUM

485. **Principia.** — I. Exstat praeceptum Ecclesiasticum omnibus fidelibus impositum, certis diebus a carnibus abstinendi. Constat ex variis SS. Pontificum Constitutionibus, Catechismis, et universali consuetudine, et omnium theologorum consensu. Immo praeceptum abstinentiae apostolicum reputatur, non secus ac praeceptum ieiunii, a quo primis Ecclesiae saeculis non separabatur.

II. Praeceptum hoc praeter tempus ieiunii urget 1° die Veneris cuiuslibet hebdomadae in universo orbe christiano, nisi in hanc diem incidat Nativitas Domini; 2° die Sabbati, nisi legitima consuetudo alicubi per aliquod anni tempus aliter praescripserit.

In plerisque autem Galliae dioecesibus, peculiari ex consuetudine, viget obligatio abstinentiae tribus Rogationum diebus ac vigilia S. Marci. Attende igitur ad specialem locorum consuetudinem.

III. Praeceptum abstinentiae obligat *per se* sub gravi, quia materia est *per se* gravis; in eo tamen iuxta communen theologorum sententiam admittitur materiae parvitas. — *S. Lig. n. 1030.*

Quemadmodum autem ab aliis positivis legibus, sic etiam ab obligatione ista dantur causae excusantes, scilicet impotentia, tum *physica*, tum *moralis* seu magna difficultas, quae in legis observatione reperitur. — *Ita omnes theologi* cum *S. Lig. ibid.*

486. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An parvulis possint dari carnes illis diebus, quibus prohibentur?*

Resp. Affirm., si usum rationis non sint adepti; secus, *nego.* — Si autem usu rationis potiantur ante septennium, *controvertitur;* probabilius *negat S. Lig. de Leg. n. 155.* Expedit tamen, ut pueri eiusmodi abstinentiae, etiam antequam obligentur, assuescant. — *Recole dicta in Tract. de Leg. n. 93.*

Quaer. 2° *Quaenam quantitas carnis requiratur ad peccatum grave?*

Resp. Valde controvertitur. Omnes conveniunt gravem esse materiam, quae notabiliter nutrit; sed ea vix determinari potest. Iuxta plures materia gravis excedere debet dimidiam unciam; sed hanc sententiam reiicit *S. Lig. n. 1029.*, ubi refert et videtur approbare, quod dicunt *Salm.*, materiam parvam esse tantum octavam unciae partem. Hoc tamen dicunt de diebus, in quibus praeterea ieiunium servandum est (*a*).

(*a*) Idcirco quae hoc loco afferuntur ex S. Alphonso aut Salmanticensibus, ad rem non faciunt, quia disserunt de quantitate cibi, quae graviter

QUAER. 3° *An sit peccatum mortale vesci offa, lactucis, etc., carne vel sagimine conditis?*

Resp. Affirm., si ille cibus sit notabiliter iurulentus; secus veniale tantum erit. Hinc mortale est, si ius offae cum magna carnis quantitate decoctum fuerit, et sic de aliis. Facilius autem excusantur a gravi, vel etiam levi peccato pauperes, qui cum butyrum emere non valeant, exigua sagiminis quantitate ad condiendam offam utuntur.

487. — QUAER. 4° *Quinam a lege abstinentiae excusari censeantur?*

Resp. 1° Pauperes mendicantes; manducare enim possunt quidquid eleemosynae accipiunt, *ut communiter sentiunt theologi.*

2° Pauperes operarii, qui nihil aliud habent nisi frustulum sagiminis aut laridi ad offam aut lactucas condiendas. — *S.Lig.n.1008.*

3° Aegrotantes, v. gr. febri laborantes, etc.; ii etiam, qui stomacho ita debiles sunt, ut cibos licitos digerere nequeant; sed ab hallucinatione cavendum est, et medici religiosi et timorati consulendi sunt, si facile fieri possit. — *S. Lig. ibid.*

4° Qui quotidie operam dant laboribus adeo arduis et stomachum defatigantibus, ut aegrotantium instar famem non experiantur, cibosque respuant; cuiusmodi sunt qui in fodinis, vel in officinis vitreis et ferrariis vitam degunt. Horum etiam in numero censendi videntur aurigae, qui plurium dierum spatio diu noctuque publicos currus ducentes, vix unum vel alterum frustulum cibi deglutire possunt; non autem ii, qui currus, equos vel mulos lente ducunt, et in cauponis nocte feriantur.

5° Viatores, qui praeter cibos vetitos nihil in cauponis reperiunt, neque alio facile divertere possunt. Serio tamen et instanter cibos licitos petere tenentur. Sola enim ratio itineris nullo modo a lege abstinentiae eximit, etiamsi a ieiunio ob nimiam defatigationem forte dispenset. Hinc viatores excusari nequeunt ob humanum timorem, ob metum displicendi sociis, ob irrisiones, aliasque huius generis difficultates; secus enim omnes fere iter agentes ab hac lege eximerentur.

6° Excipiuntur denique milites in castris vel contuberniis versantes, et expensis Gubernii in communi nutriti.

violet legem ieiunii, quatenus plures comestiones interdicit: quibus autem diebus sola abstinentia a carnibus, non vero ieiunium praecipitur, eorum ratiocinationes de cibis, quae parum aut multum nutriant, sunt prorsus abs re, quia lex abstinentiae non impedit, quominus se quisque nutriat quoties et quantum libuerit.

Caeterum etiamsi de ieiunio sermo sit, opiniones hic ab A. relatae haud facile componentur cum iis, quae *infr. n. 494.* dicuntur de materia gravi in cibo, qui die ieiunii sumatur extra refectionem et coenulam. Numquid enim dimidia uncia carnis plus nutriet, quam duae tresve alterius cibi, v. gr. panis unciae nutriant?

DE VI. ECCLESIAE PRAECEPTO

SEU

DE IEIUNIO ECCLESIASTICO

488. — Ieiunium Ecclesiasticum situm est in abstinentia a cibis et a certa ciborum qualitate, quae iuxta formam ab Ecclesia praescriptam servanda est tempore praesertim Quadragesimae, quatuor Temporum, et quarumdam vigiliarum, scilicet Pentecostes, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis Beatae Mariae Virginis, Omnium Sanctorum, et Nativitatis Domini Nostri.

Agendum 1° de essentia et obligatione ieiunii; 2° de causis a ieiunio excusantibus.

CAPUT I.

DE ESSENTIA ET OBLIGATIONE IEIUNII

489. — I. *Fideles omnes,* a vigesimo primo aetatis anno completo, teneantur *sub gravi* ad servandum statutis diebus ieiunium, nisi legitime excusentur, vel a Superioribus dispensentur. Est antiquissima obligatio, quae dicitur ab ipsis Apostolis tradita. Caeterum de hac obligatione constat ex variis SS. Pontificum Constitutionibus, et ex omnibus Provinciarum ecclesiasticarum Catechismis.

Dixi 1° *sub gravi,* quia lex respicit materiam gravem, quippe quae ad salutem animarum admodum conducit. Constat insuper ex Propos. 23ª ab *Alex. VII* damnata, quae sic iacet: *Frangens ieiunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia faciat, puta, quia non vult se subiicere praecepto.*

Dixi 2° *a vigesimo primo anno expleto;* quia Ecclesia, pia mater, non vult imponere pueris et adolescentibus legem, eorum vires superantem. Constat ex consuetudine universali, et ex omnibus Catechismis.

II. Ieiunium ecclesiasticum tribus tanquam partibus constat, scilicet 1° unica comestione per 24 diei horas, vespertina refectiuncula adiecta; — 2° abstinentia a carnibus et lacticiniis (*a*); — 3° tempore ad refectionem sumendam determinato. — Animadverte tamen, consuetudinem locorum ac temporum maxime conferre ad determinandam, vel modificandam, vel coarctandam ieiunii naturam et obligationem.

(*a*) Hoc est coarctandum iuxta ea, quae *infr. n. 503.* dicenda sunt.

ARTICULUS I.

DE UNICA REFECTIONE ET REFECTIUNCULA.

§. I. *De unica refectione.*

490. **Principia.** — I. Refectio unica est primaria ieiunii conditio: in hoc enim praecipue sita est eius essentia, qua quidem sublata, nemo unquam ieiunare dicitur, dum e contrario ieiunium sine abstinentia a carnibus et lacticiniis concipitur.

II. Parvae autem comestiones, quae praeterea fiant, venialia peccata erunt seorsim sumptae, et saepius eodem die repetitae in gravem materiam coalescere possunt, ut constat ex Propositione 29ª damnata ab *Alexandro VII,* quae sic iacet: *In die ieiunii qui saepius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit ieiunium;* merito autem damnata est haec Propositio. Secus enim de ieiunio actum esset.

III. Ieiunium non frangitur haustu aquae, vini, aliarumque potionum, quae de se ordinantur et communiter adhibentur ad sitim sedandam, quamvis iuxta primam Ecclesiae disciplinam Christiani a vino et a similibus liquoribus prorsus abstinuerint. Hinc axioma: *Liquidum non frangit ieiunium.* — Sic *S. Lig. n. 1022.* Per *liquidum* autem id solum intelligitur, quod *ex communi usu* sumitur per modum potus, non vero per modum cibi, ut lac, etc. — *S. Lig. n. 1021.*

491. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An vinum ad famem sedandam haustum frangat ieiunium?*

Resp. Neg. probabilius. Ratio est, quia lex ieiunii praecipit tantum abstinentiam a cibo, non autem a potu, et iuxta S. Thomam, *4. Dist. 15. Q. 3. a. 4. q. 1, Statutum legis positivae non attendit intentionem observantis, sed ipsum actum, eo quod modus virtutis non cadat in praecepto, sed est finis praecepti.* — *S. Lig. n. 1022., et alii communiter.*

Quaer. 2° *An frangat ieiunium potus* cafaei *et* theae?

Resp. Neg. probabilius, nisi nimia sacchari copia admisceatur; quia haec non habent naturam cibi, sed potus vel medicinae. — *Ita communius.* — *S. Lig. n. 1022.,* loquens tantum de thea dicit, eam posita restrictione modo allata *probabilius* rationem potus habere. Videtur idem de cafaeo tenendum esse.

492. — Quaer. 3° *An frangat ieiunium potus aquae saccharo immixtae vel e succis aureorum aut citreorum malorum effectae?*

Resp. Neg. per se, idest nisi magnam eorum substantiae copiam immisceas, quae rationem cibi habere censeatur. — *Ita communiter*

cum *S. Ligor. ibid.* — Ratio est, quia haec omnia ex communi aestimatione tamquam potiones habentur (*a*).

Quaer. 4° *An potio chocolati frangat ieiunium?*

Resp. Affirm., si pinguem, uti mos est extra tempus ieiunii, tibi praebeat nutritionem. — *Neg.* vero, si modica chocolati quantitas sumatur, et semel tantum in die fiat. Ratio ex generali consuetudine deducitur. — *Ita S. Lig. n. 1023.* — Quaenam quantitas sumi potest? Dicit S. Auctor, non minus quam unciam cum dimidia chocolati in cyathis ordinariis immitti solere; sic enim ex more ab Ecclesia tolerato, et a piis fidelibus servato communiter fieri solet. Non pauci autem, imminuta chocolati praedicta quantitate, panem pro rata substituunt. At vero totalis cibi illius quantitas duarum unciarum pondus, praecisa aqua, excedere non deberet.

493. — Quaer. 5° *An liceat die ieiunii degustare aliquid cibi ante potum, ne hic noceat?*

Resp. Id sane non licet *toties quoties,* ut aiunt, quamvis *Diana, Leander, aliique* id quoque concedant; tunc enim irrisibilis foret lex ieiunii. Permitti itaque tantum potest semel aut iterum in die. — *S. Lig. n. 1018.*

Quaer. 6° *An electuaria frangant ieiunium?*

Resp. Electuaria dicuntur ea, quae ex electis rebus, v. gr. ex saccharo et iunipero, etc. conficiuntur. Non censentur autem illicita diebus ieiunii, si per modum medicinae, et in modica quantitate sumantur. Sufficit autem quaelibet causa rationabilis ad excusandum ab omni culpa, v. gr. ad ciborum digestionem, stomachum confortandum, oris foetorem tollendum, vocem conservandam, et similia. — *S. Thom. 2. 2. qu. 147. art. 6.* — *Sporer.* — *Elbel.* — *S. Ligor. n. 1010.,* addit, probabiliter eos quoque excusari, qui aliquid sumunt ne vires deficiant, quando prandium ultra horam communem differre debent. Imo urgebit obligatio aliquid sumendi, si ad ieiunium servandum hoc sit necessarium (*b*).

494. — Quaer. 7° *Quaenam quantitas cibi censeatur materia gravis, si extra refectionem et coenulam sumatur?*

Resp. Controvertitur. Gravis procul dubio censenda est materia, quae vespertinae coenulae addita alteram efficeret refectionem. Certo autem quantitas duarum unciarum ut materia levis habenda est (*c*).

(*a*) S. Alphonsus (*n. 1022. Q. II.*) licere idipsum concedit, etiamsi haec gelu concreta sint.

(*b*) Nimirum si adhibito hoc praesidio potes ferre ieiunium, quod aliter non ferres, ipsa ieiunii obligatio a te exigit, ut illud praesidium adhibeas. *Vid. Croix Lib. 3. Part. II. n. 1324.* Exinde patet, quosdam prorsus male-mereri de ieiunio, dum vel praetextu consuetudinis, quae nondum in propria provincia invaluerit, fidelibus interdicunt, ne quid mane sumant, vel hoc ipsum ad meram potiunculam, crustula interdicta, restringunt. Sic enim hoc unum efficiunt, ut plures, qui alioquin ieiunii iugum ferrent, illud omnino abiiciant.

(*c*) Ita S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 1025.*): *Cum censeant Salmantic. cum*

Non pauci materiam gravem existimant quantitatem dimidiae coenulae aequivalentem, seu quatuor uncias.

QUAER. 8° *An qui culpabiliter duplicem sumpsit refectionem, graviter peccet, si tertiam superaddat?*

Resp. Neg., saltem *probabilius.* Ratio est, quia praeceptum ieiunii urget modo indivisibili, durante die praecepti; proinde qui semel illud violavit, non peccat iterum atque iterum comedendo. Ergo patrato semel peccato mortali per ieiunii violationem, tota lex tali die urgens violata est. Ergo, etc. — *S. Lig. n. 1030.* (*a*). — *Mazzotta, Ronc., et alii communiter.*

Qui tamen frangit ieiunium pluries comedens carnes aut lacticinia vetita, toties peccat, quoties comedit. — *S. Lig. Hom. apost. n. 20.*

495. — QUAER. 9° *An qui inculpabiliter duplicem in die refectionem sumpsit, errore detecto, aut ablata causa excusante, teneatur sub gravi a tertia abstinere?*

Resp. Quidam *affirmant.* Ratio est, quia ieiunium *materialiter* tantum, non *formaliter* laesit: quare cum primum ad legem ieiunii advertit vel causam excusantem cessare videt, eidem legi subiicitur, eamque, ut caeteri, servare tenetur; secus enim eam formaliter vio-

Sanchez, etc. *duas uncias in refectiuncula non reputari excessum gravem*, etc.

** (*a*) Ita S. Alphonsus (*l. c.*): *Negat secunda communis et probabilior sententia:* idque S. Doctor merito dicit contra Croix (*Lib. 3. p. 2. n. 1265.*, quem deinde exscripsit Ferraris *V. Ieiunium art. 1. n. 37.*) rigidius aientem, *valde probabiliter peccari mortaliter.* Ex Croix tamen S. Doctor sumpsit (quod sumpserat et Ferraris *l. c.*), *communissimam* esse sententiam, quod saltem venialiter peccetur. Ita ipse (*l. c.*): *Lessius, Filliuccius, et Croix cum communissima dicunt, id esse veniale.* At enim divinare vix aliquis posset, undenam et quo fundamento Croix prodierit in absolutam illam assertionem. *Tenendum est* (inquit) *cum communissima sententia, peccari saltem venialiter.* Nam Filliuccius (*Tr. 27. C. 2. n. 24.*), prouti refert etiam Sporer (*Append. ad 3. Praec. Sect. 1. n. 18.*), mere dicit: *probabile est, peccari saltem venialiter.* Et Lessius (*Lib. 4. C. 2. n. 17.*): *Credibile est, in tertia et quarta comestione esse aliquod peccatum saltem veniale.* At praebetne haec supellex fundamentum absolutae illi sententiae, ut insuper dicatur *communissima?* Equidem Reiffenstuel (*Tr. 10. Dist. 1. Q. 2. n. 20.*) oppositam dicit *communiorem,* licet concedat, posse quempiam *per plures comestiones peccare contra temperantiam,* quod ad rem non pertinet. Ita et Mazzotta (*Tr. 2. Disp. 1. Q. 4. §. 2.*): *Communiter Doctores affirmant, quod si post duplicem comestionem quis tertio comedat, non ultra peccat contra legem unicae comestionis.* Quod idem videsis et apud Laymann (*Lib. 4. Tr. 8. C. 1. n. 13.*). Numquid alioquin Croix suspicari potuit, idcirco putandos esse Doctores peccatum *veniale* admisisse, quia contra paucos quosdam thesim ponunt, non peccari *mortaliter?* Atqui hanc antithesim ratio adversae thesis postulabat. Eo minus autem necesse illis erat, ut quaestionem moverent de aliqua saltem levi culpa, quod argumenta ab iis allata omnem culpam excluderent. Bene concludit Palaus (*Tom. 7. Tr. 1. Disp. 3. P. 2. §. 2. n. 8.*): *Si lex vetat alias comestiones, totidem erunt peccata gravia; si non vetat, nullum est peccatum. Peccari igitur poterit contra temperantiam, quod ad rem non facit, non vero contra ieiunium.*

laret. — *Ita probabiliter Reuter, de Leg. n. 176.* — *S. Lig. Hom. apost. n. 20.* Alii tamen *probabilius negant*, quia cum essentia ieiunii in unica comestione sita sit, post binam refectionem ieiunium impossibile evadit. — *Recole dicta de Leg. n. 95.*

496. — QUAER. 10° *Quid si die ieiunii inadvertenter ientatus fueris?*

Resp. 1° Si parum quid sumpseris, v. gr. duas, tres vel quatuor cibi uncias, deberes quidem ex more ieiunare, quin refectionem ac coenulam consuetis horis deseras; non enim fuit *substantialiter* laesum ieiunium (*a*).

2° Si quantitatem sumpseris coenulae aequivalentem, transferre debes prandium ad vespertinum tempus, vel a coenula ipsa abstinere, nisi in grave incommodum hoc tibi cedat.

3° Si tamen eiusmodi quantitas vel duplici fere coenulae vel consuetae refectioni par fuerit, deberes, omisso prandio, vespertinam tantum coenulam sumere, eam tamen maturius, si absque gravi difficultate exspectare nequeas. Hanc insuper coenulam pro necessitatis ratione augere posses.

§. II. *De collatione serotina.*

Praeter consuetam refectionem licet, ex consuetudine universali a multis saeculis introducta, et ab Ecclesia tolerata, imo tacite etiam approbata, sumere sub vesperam refectiunculam ex levioribus cibis. — *Ita omnes.*

497. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quaenam cibi quantitas in coenula sumi possit?*

Resp. Ex hodierna et communi consuetudine *octo circiter cibi unciae*, saltem ordinarie loquendo, sumi possunt. — *Ita S. Lig. n. 1025.* — Alii vero permittendam aiunt quartam coenae partem (*b*). Verum haec doctrina nimis vaga vel scrupulis obnoxia est.

(*a*) Cum A. (*sup. q. 7.*) fateatur, **iuxta** plurium sententiam (quae alioquin prorsus tenenda videtur) quantitatem quatuor unciarum constituere materiam gravem, vix enimvero apparet, quomodo *substantialiter* ab eo servetur ieiunium, qui quatuor cibi uncias sumpserit: quippe duo haec, scilicet peccare graviter contra legem ieiunii, et servare quoad substantiam ieiunium, parum cohaerere videntur. Quispiam fortasse melius dixerit, coenulam quoque tibi non negari ratione cuiusdam necessitatis, non vero quasi ieiunii substantiam haec nihil per se laedat.

** (*b*) Sedulo advertendum hic est, nomine coenae apud Auctores, ubi de ieiunio agunt, venire prandium, seu unicam illam comestionem, quae a ieiunantibus servatur. Unde Azor (*Lib. 7. c. 8. q. 3.*): *Vult Ecclesia, ut certo tempore et non antea prandeamus, seu potius coenemus.* Et (*Cap. 21. q. 5.*): *Ieiunii dies coena constat, non prandio.* Et Struggl (*Tr. q. 2. art. 2. n. 25.*) idcirco refectionem istam vocat *coenam meridianam;* quia scilicet (*ibid. n. 27.*) *olim hora refectionis in quadragesima fuit vesperi;* itidem *coenam meridianam* appellat Holzmann (*Part. 3. Tr. 1. n. 23.*). Vid. etiam Lessium (*Lib. 4. Cap. 2. n. 11.*), Reiffenstuel (*Tr. 10. Dist. 1. q. 2. n. 27.*),

— Quantitas octo unciarum nemini deneganda videtur, maior autem concedenda iis, quibus haec non sufficeret. — *S. Lig. ibid.* —

Ferraris (*V. Ieiunium, art. 1. n. 46.*), Sporer (*App. ad 3. Praec. Sect. 1. n. 20.*), Giribaldi (*Tr. 8. Cap. 3. n. 58.*), Sanchez (*Consil. Lib. 5. C. 1. Dub. 25. n. 2.*), Valentia (*Tom. 3. Disp. 9. Q. 2. P. 3.*), Tamburini (*Lib. 4. C. 5. §. 3. n. 1.*), Croix (*Lib. 3. P. 2. n. 1277.*) etc. etc. Exinde quae apud A. dicitur *quarta* pars coenae, solet etiam quarta pars *prandii*, seu *comestionis*, seu *refectionis* appellari. Ita v. gr. Pichler (*Lib. 3. Tit. 46. n. 6.*): *Plurimi permittunt quartam partem iusti prandii vel coenae integrae ac plenae.* Ita et Reuter (*Part. 2. Tr. 3. q. 3. n. 174.*): *Ut cuilibet liceat quarta vel quinta pars prandii, seu refectionis iustae.* Et Gobat (*Quin. Tr. 3. Cap. 28. n. 208.*): *Consuetudo permittit, saltem in Germania, practicari doctrinam Filliuccii, Reginaldi, Laymann tradentium, posse libere pro refectiuncula vespertina tantum comedi ex rebus permissis, quantum aequat quartam partem iusti prandii.*

Caeterum, si Reginaldum audias (*Lib. 4. n. 185.*), coena seu prandium, cuius pars quarta conceditur, intelligitur coena seu prandium *ieiunantis.* Ita ille: *Caveat excessum, quem dixerim ordinarie contingere, quando id, quod sumitur, notabiliter maius est quarta parte eorum, quae ieiunanti sufficerent ad ordinariam suam coenam.* Qua de re addunt generatim, rationem habendam esse regionum. *Sunt enim* (inquit Reginaldus *l. c.*) *regiones aliae aliis calidiores aut frigidiores; ubi* (subdit Wagemann *Part. 2. Tr. 2. Cap. 4. n. 51.*) *ex aeris rigore maior cibi appetentia, et homines magis laboriosi, nec tanta cibi potusque fortitudo.* De quo et Salmanticenses (*Tr. 23. Cap. 2. n. 71.*): *Alii plus provincias frigidas habitantibus, quam degentibus in regionibus temperatis concedunt.*

Exinde vero haec regula ipsis Salmanticensibus (*ibid.*), et post eos etiam S. Alphonso (*Lib. 3. n. 1025.*) visa est relaxationibus exposita. Et reipsa, ut notat Tamburini (*l. c.*) sequitur ex hac regula, quod *si viginti uncias assumere in coena soles, possis assumere quinque; si quadraginta, decem. Sed quia* (subdit) *communiter vix ad triginta duas uncias hominum coena solet ascendere, ideo qui octo uncias concedunt, non longe ab hac regula videntur recedere.* Attamen et Diana postquam (*Tom. 4. Tr. 6. Res. 116. n. 3.*) de hac sententia dixit: *Quintam sententiam nimis laxam existimo;* rationem reddit (*ibid. Res. 119. n. 1.*) inquiens: *Neque est tuta in praxi, quia per comestionem intelligit meridianam coenam; et quidquid intelligat, est falsissimum, quia in his comestionibus communiter homines ita magnam quantitatem assumunt, ut quarta pars sit quantitas notabilis: testes appello Hispanos, Gallos, Flandros, Germanos.* Alioquin Diana octo uncias concedebat. At enim reponet Holzmann (*l. c.*): *Ego conscendo in sententiam Laymanni, Filliuccii, Reginaldi, Sporeri, aliorumque plurimorum, iudicantium, quartam partem coenae ordinariae... recte statui pro quantitate modica, hac non mathematice, sed moraliter diiudicata,... pro quali etiam habita fuit communi theologorum consensu in celebri quadam Academia desuper consultorum, ut testatur Filliuccius.* Et cum Gobat simul testetur (ut sup. hic vidimus) hanc Germaniae esse consuetudinem, Holzmann concludit (*l. c.*), *quod consuetudo, quae refectiunculam vespertinam introduxit, praeter quantitatem etiam qualitatem cibi in illa licite sumendi introduxit; cui proinde ad ieiunia obligati se accommodare possunt, et respective debent.* Qua de re et S. Alphonsus (*l. c.*): *Sed hic ante omnia animadvertendum, praecipue in his attendendam esse consuetudinem locorum, ut bene advertunt Caietanus, et alii passim: certum enim est, quod ubi agitur de consuetudine tam circa ieiunium, quam circa omnes alias Ecclesiae leges, quibus nemo negat per consuetudinem derogari posse, auctoritas Doctorum recentiorum, licet pauciorum, qui*

Elbel, Lacroix. — Sane statui nequit regula omnino fixa, cum etiam ad complectionem, munera obeunda, durationem ieiunii, etc. attendi debeat. Licet in genere sumere quantum necessarium quis ducit ad evitandam indispositionem, quae ipsum impediat, quominus officia sua convenienter obeat. — *Scav., Gousset.* Habenda etiam est ratio propriae regionis, sicubi maior cibi quantitas necessaria est.

498. — QUAER. 2° *Qualis excessus censeatur gravis in coenula?*

Resp. Omnes conveniunt excessum duarum unciarum esse materiam levem. — *S. Lig. ibid.* — Severiores cum *Concina* gravem esse docent excessum *duas uncias superantem.* Non pauci requirunt excessum supra coenulam alteri dimidiae coenulae aequivalentem; alii tenent cum *Billuart* requiri excessum, qui seorsim sumptus coenulae integre aequivaleat (*a*).

Variis in locis ex inducta consuetudine in vigilia Nativitatis, aut in coena Domini sumere licet quantitatem duplo maiorem; sed haec consuetudo non ubique viget.

QUAER. 3° *Quaenam ciborum qualitas adhiberi possit in coenula?*

Resp. Panis, fructus quilibet, olera etiam quaelibet, et dulciaria varii generis. Sed imprimis servanda est locorum consuetudo. Plura enim permittuntur in variis dioecesibus, vel provinciis, quae alibi interdicuntur: sic, v. gr. in Gallia et alibi generatim caseo vesci licet.

499. — QUAER. 4° *An liceat comedere ova et butyrum in coenula vespertina?*

Resp. Neg., generatim, licet habeatur dispensatio pro lacticiniis, ut constat ex Decreto *Bened. XIV* et *Clem. XIII.* Attamen quibusdam in locis, ut diximus, ex hodierna consuetudine licet sumere aliquid butyri, aut casei; minime autem ova permittuntur, quia sunt maximae substantiae, et ideo a consuetudine reiiciuntur, ait *S. Lig. ibid.* (*b*). — *Vide dicenda n. 504.* — *S. Lig. n. 1027.*

soli de posteriori moderna consuetudine testari possunt, pluris facienda est, et sine dubio praeferenda auctoritati, etsi communiori, auctorum antiquorum, qui nihil de consuetudine imposterum introducenda scire poterant. Cum autem auctores de aliqua consuetudine testantur, id non temere et sine sufficienti fundamento asseruisse credendum est. Dianae autem sic Sporer (*App. ad 3. Praec. Dec. Sect. 2. n. 26.*) respondet: *Haec est recepta opinio Doctorum in Germania: quamvis Auctores citati Diana, Turrianus, et alii nimis laxam, improbabilem, et minus tutam in praxi proclament. Mittant illi Germanis tempore ieiunii suum calidum caelum, cibum et vina pinguia, fructus, et confecta etc., et ieiunabimus cum ipsis.*

(*a*) Hanc opinionem forte haud prorsus immerito dixeris paulo laxiorem.

** (*b*) Sed etiam hoc pendere a consuetudine pro locorum diversitate patet ex iis, quae habet Sporer quoad Germaniam (*Append. ad 3. Praec. Dec. Sect. 2. n.52.*): *Spectata* (inquit) *moderna consuetudine, praesertim in nostra Germania iamdiu tolerata, et plane invalescente, censeo.... omnino probabilem et tutam esse sententiam,..... in collatione vespertina ieiunii non esse attendendam qualitatem ciborum, sed quantitatem tantum: adeo ut ex omnibus cibis, qui die ieiunii licite possunt sumi in prandio, etiam*

Quaer. 5° *An in coenula permittantur pisces?*

Resp. Affirm., si agatur de pisciculis, praesertim exsiccatis, et probabiliter etiam de piscibus maioribus; putat tamen *S. Lig. n. 1208*, ex hisce duarum vel trium unciarum pondus non esse excedendum. — *S. Lig. n. 1208.*

500. — Quaer. 6° *An liceat in coenula uti iusculo ex herbis coctis cum aqua, aceto, oleo, aut vino decocto?*

Resp. Affirm. probabiliter, nisi certo adversetur consuetudo (*a*): tum vero nec aqua, nec vinum in pondus computanda sunt; computandum autem est, iuxta *Vivam*, quod non habet rationem potus, v. gr. oleum. — *S. Lig. n. 1209., et alii.*

Quaer. 7° *An liceat sumere in coenula panem cum aqua et oleo decoctum, sive panem iurulentum* (gallice: *potage*)?

Resp. Affirm., ex hodierna consuetudine, quam sequuntur etiam timorati, approbantque communiter recentiores theologi. — Attamen, iuxta *S. Lig. n. 1209,* non licet sumere octo uncias panis decocti cum aqua, hac praecisa. Ratio est, quia panis per decoctionem et fermentationem cum aqua aliam naturam acquirit, ita ut ex iis quid unum fiat, et evadat una substantia maior.

Concedi autem potest, ait *S. Ligorius,* ut inter ipsam refectionem quis panem aqua aut vino intingat, et sic etiam octo uncias panis vino madefacti sumat; quippe nulla hic intervenit fermentatio; et liquor, cum inserviat tantum ad vehiculum, non computatur.

501. — Quaer. 8° *Quaenam huiusmodi panis decocti quantitas permitti possit, aqua praecisa?*

Resp. Dissentiunt theologi; alii enim, *severius,* negant licitum esse octo uncias excedere. *Severius,* inquam; etenim si una uncia panis in decem aquae unciis decocti cum altera uncia olei liceret,

piscibus, leguminibus, placentis, ovis, lacticiniis, etc., *etiam licere sumere in coena. Id expresse docent Caietanus, Bonacina, et noster Petrus Marchant, qui expresse ait: Respondeo ego, in collatiuncula vespertina de qualitate cibi non esse altercandum, sed de quantitate dumtaxat.* Neque aliter Holzmann (*Part. 3. n. 23.*): *In regionibus frigidioribus, praesertim nostrae Germaniae, hodierna consuetudo obtinet, ut non attendatur ad qualitatem ciborum esurialium, sed solum ad quantitatem, ita ut quoslibet cibos in collatione verpertina licite sumamus, quos licite sumimus in coena meridiana, modo servetur debita quantitatis discretio. Unde licite apponuntur et comeduntur iuscula cocta ex vino, vel cerevisia, pane, herbis, fructibus etc. oleo, vel butyro condita: item pisces, legumina, ova, placentae* etc., *sive frigida sint, sive calida.*

Et huc quidem spectat, quod Sporer (*l. c.*) amice conqueritur de Laymann, eo quod a regula Germanis consueta discesserit. *Ego* (inquit) *miror, P. Paulum Laymann, alias tam bonum Germanum, in hac sola materia patriotis suis fuisse tam austerum.*

(*a*) Vix reipsa apparet, cur de hisce ambigendum sit; et cum olei modicissima pars adiungatur, Vivae animadversio, aliaeque id genus, leviores videntur, quam ut vel theologus iis serio immoretur, vel Confessarius scrupulose inquirat, eo vel magis, quod minutae eiusmodi disquisitiones iudaicum potius quam Ecclesiae spiritum redoleant.

quid scrupuli esset duodecim has uncias permittere? Alii vero laxiores concedunt octo uncias decocti panis, aqua praecisa. Atqui ob huiusmodi decoctionem atque fermentationem habes quid unum cibi, quod magis, quam solus panis, certe nutrit; ergo ab aqua saltem omnino praescindi non potest. Mediam nos sententiam eligimus, permitti scilicet posse quinque vel saltem quatuor uncias panis decocti, non computata aqua, neque oleo. — *Ita probabiliter.* — *Salmant. c. 2. n. 77.* Dicit autem *S. Lig. n. 1029.*, se hanc sententiam non improbare. Idem pariter dicendum erit de aliis decoctionibus, quae itidem in coenula apponi solent, v. gr. ex farre, oryza, etc.

ARTICULUS II.

DE ABSTINENTIA CARNIS IN IEIUNIO

502. **Principia.** — I. Omnibus fidelibus ratione utentibus, praecepto Ecclesiae interdicitur esus carnis singulis ieiunii diebus. Hinc duplex lege ieiunii imponitur praeceptum, ut etiam definit *Bened. XIV*, nempe abstinendi a pluribus refectionibus, et abstinendi a carnibus; contra igitur ac plures antiquiores habent, dispensatus vel impotens quoad unum, non ideo ab altero excusandus est. — *S. Lig. n. 1005.*

Nomine autem carnis veniunt omnia animalia in terra viventia ac respirantia, ut admittunt communiter theologi ex regula a *S. Thoma* tradita; non igitur prohibentur pisces, ranae, limaces, testudines, etc. — *S. Lig. n. 1011.*

II. Tempore quadragesimali prohibentur etiam ova et lacticinia, ea scilicet omnia, quae originem ex carne ducunt. Constat ex praxi Ecclesiae, ex eius dispensationibus et ex propositione 32ª ab *Alexand. VII* damnata, quae sic sonat: *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in Quadragesima obliget.* Nunc tamen plerisque in locis conceditur fidelibus generalis dispensatio ab illa lege, si pauci dies excipiantur. Imo in multis dioecesibus Episcopi, ex delegata a Romano Pontifice facultate, quoad esum quoque carnis pro praecipua parte Quadragesimae dispensationem concedunt.

Caeterum quamvis esus ovorum et lacticiniorum a peccato gravi, *per se*, excusari non possit iuxta communem sententiam, facilius tamen materiae parvitas in his, quam in esu carnis admittenda videtur.

503. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An abstinentia a lacticiniis servari debeat etiam in ieiunio extra tempus quadragesimale?*

Resp. Neg. Quia huiusmodi obligatio nulla generali lege imponitur. Est sententia communis, ait *S. Lig. n. 1009.* Alicubi tamen, v. gr. Romae, invaluit consuetudo, habens vim legis, ut etiam qui-

busdam aliis diebus, v. gr. quatuor Temporibus, eiusmodi abstinentia servetur.

QUAER. 2° *An abstinentia a lacticiniis servari debeat in Dominicis Quadragesimae?*

Resp. Affirm., quia diem Dominicam neque lex neque consuetudo excipit. — *S. Lig. n. 1007., et alii communiter* contra nonnullos, quorum sententia non est probabilis iuxta *S. Lig. ibid.*

504. — QUAER. 3° *An tempore Quadragesimae liceat in refectione comedere panes ovis confectos?*

Resp. Neg., nisi ova fuerint permissa; ratio est, quia eorum substantia non deperditur ex eo quod farinae misceatur. — *S. Lig. n. 1009.*, etc.

QUAER. 4° *An dispensati ad lacticinia censeantur eo ipso etiam dispensati pro ovis?*

Resp. Affirm., quia haec *ex consuetudine aequiparantur*, nisi distinctio clare in dispensatione exprimatur.

QUAER. 5° *An dispensati ad carnes diebus ieiunii possint comedere etiam pisces?*

Resp. Neg. Si agatur de comedendis piscibus in eadem refectione. Constat ex Constit. *Bened. XIV: Non ambigimus.*

ARTICULUS III.

DE HORA REFECTIONIS

Nostris his temporibus, ex *universali consuetudine,* licite refectio fere sub meridie sumitur. — *S. Lig. n. 1016.* — *Hom. apost. n. 9.*

505. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An hora refectionis pertineat ad essentiam ieiunii, ita ut graviter peccet, qui notabiliter eam anticipet?*

Resp. Controvertitur. Duplex est *sententia probabilis.* Affirmat *S. Lig. Hom. apost. n. 21., et alii multi.* Negant vero *Laymann, Elbel, aliique non pauci.* Praxis primae sententiae consona videtur praeferenda, nisi legitima locorum consuetudo aliud permittat (*a*).

QUAER. 2° *An frangatur ieiunium, si coenula meridie, refectio autem vespere sumatur?*

Resp. Non frangitur essentialiter, et proinde si fiat sine causa, non excedit peccatum veniale. Verum etiam ab hoc veniali excusat causa rationabilis, et loci aut conditionis consuetudo. Imo multis in locis ex consuetudine hodierna fieri potest coenula hora decima matutina, et refectio vespere.

QUAER. 3° *Quamdiu prandium protrahi possit?*

Resp. Nihil absolute circa hoc determinari potest; non videtur

(*a*) Habes in hisce verbis opinionem Auctoris; quae tamen probabilitati secundae sententiae etiam quoad praxim nihil detrahit.

autem absque alia culpa protrahi posse ultra duas horas (*a*). — *S. Lig. n. 1020., Hom. apost. n. 10. — Lacroix. — Billuart, etc.*

506. — QUAER. 4° *An frangat ieiunium, qui refectionem interrumpit, et elapso intervallo ad eam rursus accedit?*

Resp. 1° Si interruptio sit levis, v. gr. unius quadrantis, omni culpa caret, etiamsi absque ratione fiat. — *S. Lig. ibid.*

2° Si interruptio sit unius fere horae sine ratione, non caret aliqua culpa levi, ut videtur.

3° Si interruptio sit valde notabilis, v. gr. duarum horarum, non potest excusari a peccato gravi, quia dici nequit unica refectio, nisi iusta causa excuset.

Si autem interruptio gravi de causa habeatur, nullum est peccatum ad mensam redire, etiam mora notabili interposita, quando praesens refectio sufficiens non fuerit; quia Ecclesia nunquam intendit obligare ad diem sine sufficienti refectione transigendam. — *S. Lig. n. 1020.*

QUAER. 5° *An ille, qui a mensa surrexit cum animo non amplius comedendi, possit iterum mensae accumbere?*

Resp. Affirm., probabiliter, si convivae adhuc comedant, vel si in mensa apponatur novum ferculum, quod ipse ignorabat apponendum. Ratio est, quia adhuc moraliter idem prandium censetur. — *S. Lig. n. 1020.*

QUAER. 6° *Si quis mane, itineris causa, ientaculum sumpserit, an teneatur ieiunare, si postea non proficiscatur?*

Resp. Affirm. per se. Ratio est, quia cum essentia ieiunii non sit adhuc destructa, pergit urgere illius obligatio. Excipe tamen, si per unicam illam comestionem non possit ille commode reliquo die ieiunare. — *S. Lig. ibid. — Vide Casus, de ieiunio et abstinentia,* a *n. 458.* ad *n. 467.*

CAPUT II.

DE CAUSIS A IEIUNIO EXCUSANTIBUS

Causae excusantes a ieiunio ad tres praecipue revocari solent, scilicet 1° ad impossibilitatem sive physicam, sive moralem; 2° ad pietatem vel charitatem; 3° ad dispensationem, sicut de aliis praeceptis dictum est.

507. **Resolves.** — 1° Excusantur a ieiunio pauperes ostiatim mendicantes, aliique omnes, qui nec habent, nec sibi providere possunt, unde aequam refectionem comparent. Ad hanc vero non suf-

(*a*) Addit S. Alphonsus (*Lib.3. n.1020. q. V.*): *Imo Elbel cum Gobat concedit usque ad tres vel quatuor horas, saltem pro Germania iuxta eorum morem; sed Croix merito dubitat, an haec consuetudo sit approbata, nisi* (ut ait) *post duas circiter horas apponantur sola bellaria vel cibi leviores...; hocque ego nec approbo, nec reprobo.*

ficiunt panis et fructus, nec offa cum pane et fructibus, nec panis et vinum tantum, nisi forte uno vel altero die (*a*). — *S. Lig. n. 1033.; Hom. apost. n. 23.*

2° Excusantur aegroti, infirmi, convalescentes et debiles, v. gr. qui febri tertiana vel quartana laborant, vel ab ea convalescunt; ii praeterea, qui nisi bis reficiantur, notabilem ex vacuitate stomachi capitis dolorem aut vertiginem patiuntur.— *S. Lig. n. 1033-1034.*

3° Excusantur illi, qui exercent opera admodum laboriosa, ut arare, fodere, secare lapides, onera gravia portare, et alia huiusmodi. — *S. Lig. n. 1041.*

4° Excusantur famuli et famulae aut alii eiusmodi, cum tot tantisque occupantur laboribus, ut ieiunium cum his coniungi absque magna difficultate vel incommodo non possit; item iter pedibus agentes per notabile tempus cum magna defatigatione. — *S. Lig. ibid.*

5° Non autem *per se et ordinarie* excusantur tonsores, sartores, pictores, scribae, famuli, pedisequi, typographi qui praelum non versant, sed characteres tantum disponunt, caeterisque similibus operam dantes. — *S. Lig. n. 1041.* — *Reuter,* etc.

508. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An iuvenes viribus validiores ieiunare teneantur ante* 21um *aetatis annum expletum?*

Resp. Neg., quia lex, ut accipitur et consuetudine approbata determinatur, obligat tantum eos, qui annum 21um expleverunt: in hoc enim attenditur ad id tantum, quod communiter accidit. Suadendum tamen est iuvenibus, ut pro modo suae aetatis interdum ieiunent, quo facilius, cum tempus obligationis advenerit, ieiunii legem servare queant. — *S. Lig. n. 1035.,* etc.

509. — Quaer. 2° *An excusentur a ieiunio senes sexagenarii* (*b*)?

Resp. 1° Excusantur sane, si sint viribus debiles, ut patet. Imo excusantur etiam iuxta communem sententiam in dubio de validitate virium; quia tunc praesumptio stat pro earum imbecillitate. — *S. Lig. n. 1036.*

Resp. 2° Si viribus polleant, *controvertitur*. Prima sententia negat, eos ieiunii lege eximi, quia illi, qui in ea aetate vires validas habent, ut senes non reputantur. — *Laymann, Antoine, Collet,* etc. *Haec quidem sententia est probabilis* (ait ibid. S. Alphonsus), *sed non minus probabilis est sententia opposita, quam tenent* Sanchez,

(*a*) Ista limitatio, *unius forte vel alterius diei,* non est S. Alphonsi, qui imo rationem hanc reddit, cur eiusmodi pauperes deobligentur (*Lib. 3. n. 1033.*): *Licet enim* (inquit) *is esset ad huiusmodi obsonia assuetus, tamen ideo se sufficienter sustentat, quia pluries in die, et pluries in magna quantitate se reficere solet iis cibis, qui modicae sunt sustentationis.* Quae quidem S. Alphonsus affirmat cum communi DD. sententia.

(*b*) Sexagenarios hic intelligi posse, qui annum sexagesimum dumtaxat inchoaverint, tradit post alios Diana *Tom. IV. Tr. 6. Res. 5. n. 1–2.,* et *Res. 8. n. 3.*

Roncaglia, Salmant . . . *Ratio est, tum quia sic fert universalis consuetudo, ut* communius *testantur Doctores; tum quia alias esset res multis scrupulis obnoxia, examinare an aliquis sexagenarius sit, necne, sufficienter robustus ad ieiunium sustinendum. Sed ratio potior est, quia huiusmodi senes, tam ob virium imbecillitatem, quam ob defectum caloris, nequeunt simul alimentum sufficiens sumere, egentque cibo frequentiori, et licet nonnulli in tali aetate rubusti videantur, eorum tamen robur est de facili illusivum et inconstans, cum negari non possit, in huiusmodi senibus vires deficere et prolabi in interitum. Hinc commune adagium:* Senectus ipsa est morbus (*a*).

(*a*) Quod de ieiuniis ecclesiasticis dicitur, id ipsum statui potest de ieiuniis, quae ex Regula servant Religiosi: nam et ab his sexagenarii excusari poterunt, nisi forte (ut notat S. Alph. *Lib. 2. n. 139.*) observantiam ieiunii expresse *usque ad mortem* promiserint.

Extendi haec norma potest ad eos quoque, qui aliqua hebdomadaria aut menstrua ieiunia in totam vitam voverint. Sed itidem excipe, si quis cogitans de senili aetate expresse obstringere sese usque ad extremum vitae voluerit.

Quaestionem subnectunt hic DD. (*Vid. S. Alph. lib. 3. n. 1037.*), an sexus debilior, utpote qui citius senescit, a ieiunio quoque citius excusetur, et fere controversiam de anno quinquagenario movent. Qui negant excusari, moventur, quod licet citius senescat mulier, tamen minus ieiunio maceratur, et minori indiget alimento. Alii vero affirmant, et illud urgent, quod nemo negat, scilicet valere aeque pro viris ac pro mulieribus, quod *senectus est morbus.* Nec sane satis apparet, cur ea, quae de senili aetate animadvertit S. Alphonsus pro viris, pro mulieribus aeque non valeant. Quod si minori mulieres indigent alimento, seu potius si abundantiori alimento ferendo prae debilitate sunt impares, hoc potius evincet, eas a lege, quae unicam comestionem concedit, excusare, cum unica exigua comestio sustentandis viribus par esse nequeat.

Caeterum sapienter de hac re concludit Sanchez (*Cons. lib. 5. Cap. 1. Dub. 4. n. 3-4.*): *Qui ante sexagesimum annum sunt iam senes et debiles, excusantur. Tamen cum fuerit dubium de impotentia, Confessarius debet attendere, ut necessitati provideat cum minima legis iactura; ut si fuerit satis, ut horam praeveniat, vel nocturnam refectiunculam indulgentius faciat, debeat hoc concedere, et non ex toto ieiunium relaxare.*

** Circa hanc Notam VV. (*Pag. 922. in not.*) animadvertunt, P. B. forsan latuisse, quae S. Alphonsus praemiserat (*Lib. 3. n. 1032.*) in haec verba: *Sedulo curavi super hoc puncto* (scil. causis a ieiunio excusantibus) *quamplures auctores observare, et hic recensere, eo quod doctorum auctoritas in hoc redundat in probabilitatem intrinsecam, cum agatur de re, quae valde pendet ab aestimatione sapientum.*

Resp. 1° S. Alphonsus de praesenti quaestione (*l. c. n. 1037.*) sic refert auctores: *Prima sententia affirmat* (feminas quinquagenarias excusari), *quam tenet Escobar, Renzius, et Narbona, Machad., et Pellizzarius apud Diana, et hanc approbat etiam Sanchez, qui licet in tractat. de matrimonio in dubium revocaverit, in opusculo tamen Consiliorum cum Caietano et aliis eam absolute docet: et probabilem putant Viva, et Mazzotta. Secunda vero sententia, quam tenent Laymann, Salmantic., Tamburini, Croix, Holzmann, Elbel, Anacletus, negat, quinquagenarias excusari, nisi etc.* Itaque si ex praemisso S. Alphonsi monito, quod VV. volunt habendum esse prae oculis, *doctorum auctoritas in hoc redundat in pro-*

510. — QUAER. 3° *An excusentur a ieiunio fabri, artifices, etc., si sint adeo robusti, ut ieiunare sat facile possint?*

babilitatem intrinsecam; iam vix apparebit, cur vi illius moniti etiam primae sententiae sua intrinseca neganda sit probabilitas.

Resp. 2° S. Alphonsus, ubi quaerit (*ibid. n. 1036.*) an teneantur ad ieiunium sexagenarii *viribus robusti*, non dubitat negativam sententiam amplecti contra *Laymann, Elbel* et *Anacletum*, qui illos obligant; et contra *Croix* urget, *quod cum dubitatur, an lex comprehendat aliquem casum vel subiectum, non obligat.* Porro si licuit S. Alphonso quatuor horum auctorum posthabere auctoritatem, nec censuit, propter horum contrariam sententiam interire intrinsecam oppositae sententiae probabilitatem; liceat igitur et nobis horum ipsorum scriptorum posthabere auctoritatem quoad feminas quinquagenarias, ne secus videlicet dicamur habere pondus et pondus. Et hinc etiam patet, minus forte ad rem VV. hic obiecisse (*l. c.*), *argumentum petitum ab hisce auctoribus eo magis esse validum, quia isti AA. rigidioribus accenseri nequeunt.* Nos non dicemus eos esse rigidos; verumtamen palam est, S. Alphonsum in ea quaestione illos ceu rigidiores dereliquisse.

Resp. 3° Demum liceat etiam inquirere, quo fundamento isti auctores nobis obiecti nitantur. Nam etiam S. Alphonsus, licet dicat, *auctoritatem extrinsecam in intrinsecam redundare,* non praetermittit tamen rationum examen. Et ut a Laymann incipiamus, hic (*Lib. 4. Tr. 8. C. 3. n. 2.*) mere obiicit auctoritatem Sanchezii. Atqui Sanchez prorsus stat contra Laymann. Nam *licet* (ut ait S. Alphonsus) *Sanchez in tract. de matrim. in dubium revocaverit, in opusculo tamen Consiliorum* (*Lib. 5. C. 1. Dub. 4. n. 6.*) *eam* (sententiam nempe quae feminas quinquagenarias excusat) *absolute docet:* et hoc *Consiliorum* opus est posterius; nam allegatur ibi Tractatus de Matrimonio. Laymann igitur mere innititur falso supposito.—Anacletus (*Tr. 10. Dist. 2. Q. 4. n. 64.*) mere nititur auctoritate *Sanchesii* et *Laymann.* Atqui ex dictis utrumque hoc fulcrum corruit.—Tamburini (*Dec. Lib. 4. Cap. 5. §. 7. n. 5.*) remittit ad Laymann, Fagundez, et Io. Sanchez. Atqui tum Fagundez (*De 4. Praec. Eccl. Lib. 1. C. 8. n. 11.*), tum Ioan. Sancius (*Select. Disp. 54. n. 11.*), non secus ac Laymann, mere per falsum suppositum nituntur auctoritate Sanchesii, quasi oppositum docuerit. Ergo et suffragium Tamburini inani superstruitur fundamento. — Elbel (*Part. 3. Conf. 18. n. 507.*) mere allegat Laymann et Tamburini. Atqui ex dictis utrumque hoc suffragium est deficiens. — Croix (*Lib. 3. P. 2. n. 1318.*) suam sententiam firmat allegando *Laymann, Fagundez, Sanchez,* et *Tamburini.* Atqui, uti, visum est, allegationes istae causam non iuvant.— Salmanticenses (*Tr. 23. Cap. 2. n. 131.*) praeterquam quod *opinando* mere *probabilius* assertum suum fatentur, hoc ipsum deinde consuetis Fagundez, Io. Sancii, et Laymann testimoniis fulciunt, idest calamis quassatis. — Denique Holzmann (*Part. 3. Tr. 1. C. 3. n. 17.*) dum duos scriptores pro nostra thesi addit, scil. Cassianum a S. Elia, et Abreu (sicut et Croix *l. c.* addiderat Lotherium), mere opponit *Sanchez* et *Babenstuber.* Atqui Babenstuber (*Tr. 6. Disp. 1. art. 3. n. 3.*) sola et ipse inani Laymann et Tamburini auctoritate suam opinionem communit, quibus addit, sicut et Holzmann, Sanchesium, qui, ut diximus, contrariae sententiae imo dux est. — En itaque quid valeant auctoritates, quibus innixus et S. Alphonsus est, ubi ait, se non audere primam sententiam dicere probabilem.

At, inquies, numquid auctores isti rationem aliquam intrinsecam non afferunt pro sua ipsorum opinione? — Resp. Afferunt utique, sed illas fere, quas et Sanchez deprompserat (*De Matrim. Lib. 7. Disp. 32. n. 17.*), et aequa lance ita perpenderat, ut sic concluderet: *Haec me ancipitem reddunt; et viris doctis a me consultis placuit, minorem aetatem feminis assignan-*

Resp. Affirm. probabiliter, quia consuetudo eximit generatim omnes, qui eiusmodi artes exercent; leges autem non respiciunt id, quod raro et per accidens evenit, sed quod communiter et *per se* contingit. Negant autem etiam *probabiliter Concina, Bonacina* (*a*), etc. — *Haec secunda sententia* (ait S. Lig. n. 1043.) *speculative loquendo videtur probabilior, sed in praxi vix reperietur unus, qui ex huiusmodi labore non graviter relaxetur.*

Quaer. 4° *An excusentur a ieiunio opifices iis diebus, quibus a labore abstinent?*

Resp. Affirm., si uno vel altero tantum die labores intermittant, ratione reficiendae laxitudinis, et servandarum virium ad proximos labores sustinendos. — *Ita communiter.*

Quaer. 5° *An excusentur artifices divites, qui a labore diebus ieiunii cessare possunt?*

Resp. Affirm. probabilius. Ratio est, quia interest Reipublicae, ne causa ieiunii operarii intermittant exercere artes, quibus ex suo officio incumbunt. Id etiam constare videtur ex declaratione *Eugenii IV* apud *S. Lig. n. 1042.* (*b*). Neque mens est Ecclesiae ut fideles ab ordinariis occupationibus impediantur. — *Ita communiter* (*c*).

dam, quam viris; at dubitarunt de quantitate aetatis. Sed profecto quae numero praecedenti attuli... et ex communi existimatione probant, aeque dici senem feminam quinquagenariam ac virum sexagenarium. Et ideo aliis viris doctis haec pars arrisit. Et re mecum considerata, et rationibus perpensis, existimo, nihil a ratione devium, nec mediocriter alienum a probabilitate dicturum, qui feminas quinquagenarias a ieiunio excusaverit, sicut viri sexagenarii excusantur. Sed deinde ista alia subdit, quae ansam praebuerunt aliis quidem Sanchesium allegandi ceu feminas eiusmodi obligantem ad ieiunium, aliis vero reprehendendi ipsum ceu pugnantia loquentem. Mox enim scribit: *At dum aliud non apparuerit clarius convincens, tamquam probabiliorem eligo opinionem, quae sustinet, indiscriminatim de aetate viri et feminae ad excusandum a ieiuniis loquendum esse; et deservient praedicta, ne damnemus amplectentem opinionem, quae feminas quinquagenarias excusat. Verumtamen licet praedicta ostendant, eam opinionem esse probabilem speculative loquendo, at in praxi censeo non esse tutam.* Et haec quidem postrema verba videsis ea esse, quae post Laymann avide arripuerunt, et repetunt, quotquot Sanchesium allegant ceu feminas viris quoad ieiunium aequiparantem, damnantemque oppositam opinionem: itidemque ea sunt, propter quae Ioan. Sancius,(*l. c.*) velut contraria loquentem Sanchesium traducit, cum reipsa nulla causa appareat, cur probabilis practice habenda non sit opinio, quam speculative probabilem esse affirmat. Verum incassum ista omnia prolata fuisse dicet, quisquis id noverit, quod et S. Alphonsus, ut vidimus, testatur, Sanchesium in posteriori Opere quinquagenarias feminas absolute a ieiunio excusasse.

(*a*) Bonacina (*De Ieiun. Punct. ultim. n. 8.*) loquitur *de iis operariis, qui commode* possunt ieiunare.

(*b*) S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 1042.*) sic refert Eugenii IV declarationem, quam et genuinam esse defendit: *Artifices laboriosas artes exercitantes, et rustici, sive pauperes, non tenentur ieiunare.*

(*c*) Vid. S. Thomam *2. 2. q. 147. art. 4. ad 3.*, ubi loquens de peregri-

511. — QUAER. 6° *An peccent, qui sine iusta causa inusitatum laborem et cum ieiunio incompossibilem assumunt?*

Resp. Affirm. per se, etiamsi in fraudem legis non agant; lex enim, quae ieiunium imperat, consequenter iubet, ne absque ratione apponantur causae, quae eiusdem satisfactioni adversentur. — *Ita communiter.*

Dixi *absque ratione;* quia iusta interveniente causa suscipere licet laborem cum ieiunio incompossibilem, quamvis labor iste inusitatus sit, v. gr. ad maximum percipiendum lucrum, etc. Sola autem meri oblectamenti ratio nunquam sufficit, nisi alia causa honesta accedat.— *S. Lig. n. 1046.*

QUAER. 7° *Quale iter iusta de causa pedibus susceptum a ieiunio eximat?*

Resp. Communiter aiunt, requiri ac sufficere iter 5 ferme leucarum, hoc est quindecim mille passuum: quod si vel perardua foret via, vel tempestas immitis, vel viator debilis, itinerique non assuetus, excusari posset itinere duarum leucarum. — *S. Lig. n. 1047.*

512. — QUAER. 8° *An vel quomodo excusentur concionatores, magistri scientiarum et Confessarii?*

Resp. 1° Concionatores, qui quotidie vel fere quotidie concionem habent, communiter ratione pietatis ac muneris a ieiunio excusantur. Potiori etiam iure Missionarii, qui graviori defatigatione in Missionibus exercentur. Generatim loquendo non excusantur concionatores, qui ter aut quater tantum in hebdomada concionantur; sed in hoc standum est iudicio prudentium. — *S. Lig. n. 1049.; Hom. apost. n. 34.*

Resp. 2° Magistri scientiarum excusantur, licet per unam *tantum horam* singulis diebus doceant, si studio et labore indigeant ad lectiones parandas; non autem ii, qui e scripto tantum tradunt lectiones iam prius ordinatas ac saepius repetitas. — *S. Lig. ibid.* Merito autem censent *Sanchez* et *Azor,* contra *Salmant. et alios,* excusari magistros grammaticae, si per 4 vel 5 horas doceant.

Resp. 3° Confessarii non excusantur *per se*, sed tantum cum extraordinarium laborem subeunt, v. gr. cum pluribus succedentibus diebus confessiones audire debent, ut in Missionibus fieri solet, vel cum ita sunt debiles viribus, ut sine gravi incommodo poenitentium frequentiae satisfacere nequeant (*a*). — *S. Lig. ibid.* — *V. Casus, n. 468. et seq.*

nantibus haec habet: *Non videtur fuisse intentio Ecclesiae statuentis ieiunia, ut per hoc impediret alias pias, et magis necessarias causas.*

(*a*) Quoad ista omnia, aliaque id genus, revocari semper debet praemissa S. Thomae sententia, non esse intentionem Ecclesiae, dum ieiunia praecipit, ut pias ac magis necessarias causas impediat. Adde itidem, intentionem Ecclesiae non esse, ut in hisce obliget cum notabili incommodo. Quisquis ergo vel concionari (etiam semel), vel scientias tradere (sive paratas lectiones habeat, sive non), vel confessiones excipere (etiam ad bre-

RESPONSA CIRCA IEIUNIUM ET ABSTINENTIAM A CARNIBUS

513. — 1° Ad quaesitum: *Utrum in diebus ieiunii possit inverti tempus comestionis, sumendo serotinam refectiunculam intra horam decimam et undecimam matutinam, prandium vero differendo ad quartam vel quintam horam vespertinam?*

S. Poenitentiaria (die 10 Ian. 1834) respondendum censuit: Si inversionis supradictae rationabilis aliqua extet causa, poenitentes, qui hoc more utuntur, non esse inquietandos.

2° Ad quaesitum: *Utrum patresfamilias, cum in familia adest aliquis a lege abstinentiae a carnibus dispensatus, dispensationem ad omnes familiae personas indiscriminatim extendere possint?* (Ex italico exemplari latina versio.)

S. Poenitentiaria respondendum censuit: Infirmitatem et aliud quodcumque rationabile impedimentum, de utriusque medici consilio, non vero gulam, avaritiam, sive generatim expensarum compendium, eximere posse a praecepto abstinentiae in diebus esurialibus.

3° Ad quaesitum: *Utrum, cum paterfamilias a lege abstinentiae a carnibus tempore Quadragesimae dispensatus non potest aut non vult cibos utriusque generis, esuriales scilicet et carnes, parari, eius filii aut familiares carnes edere possint?* (Ex italico exemplari.)

S. Poenitentiaria (die 16 Ian. 1834) respondendum censuit: Posse personis, quae sunt in potestate patrisfamilias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrifamilias indultis, adiecta conditione de non permiscendis licitis atque interdictis epulis, et de unica comestione in die pro iis, qui ieiunare tenentur. Ratio autem huius permissionis non est Indultum patrifamilias concessum, sed impotentia in qua versantur filiifamilias observandi praeceptum. Sic declaravit S. Poenitent. die 27 Maii 1863. — *Vide Ephemer. Revue cathol. de Louvain, Juillet 1863.* Item, *Correspondance de Rome, 17 Octobre 1863.*

514. — 4° Ad quaesitum: *Utrum fideles exempti a lege ieiunii ob artes laboriosas, tempore Quadragesimae, cum esus carnis et lacticiniorum omnibus ad unam refectionem permittitur, possint carnibus et lacticiniis vesci pluries in die, haud secus ac in dominicis diebus eiusdem Quadragesimae, in quibus non urget obligatio ieiunii?* (Ex italico exemplari.)

vem horam) ieiunando non possit sine notabili incommodo, mens Ecclesiae non videtur, ut propter ieiunium haec exercitia intermittat. Sapienter autem addit (*ibid.*) S. Thomas: *Videtur tamen, in talibus recurrendum esse ad Superioris dispensationem, nisi forte ubi est ita consuetum, quia ex hoc ipso quod Praelati dissimulant, videntur annuere.* Quae quidem non ad merum consilium pertinent, quando inspectis omnibus adiunctis causa non appareat sufficiens ad excusandum, licet sufficiens ad dispensandum videatur.

S. Poenitentiaria (die 16 Ian. 1834) respondit: Fideles, qui ratione aetatis vel laboris ieiunare non tenentur, licite posse in Quadragesima, cum Indultum concessum est, omnibus diebus Indulto comprehensis vesci carnibus aut lacticiniis, per idem Indultum permissis, quoties per diem edunt. Hoc autem non valet in dioecesi, cuius Episcopus auctoritate apostolica concedit fidelibus, ut feria 2ª, 3ª, 5ª temporis Quadragesimae possint semel in die vesci *carnibus* et ovis; iis vero, qui ratione aetatis vel laboris ieiunare non tenentur, permittit *ut ovis saepius in die utantur.* Sic declaravit S. Poenitentiaria, die 27 Maii 1863. — *Vide Ephemer. Revue catholique de Louvain, Juillet 1863.* — Item, *Correspondance de Rome, 17 Octobre 1863.*

5° Ad quaesitum: *Utrum ii, qui ratione aetatis vel laboris ieiunare non tenentur, subiiciantur legi de non permiscendis epulis carnis et piscium, cum per Indultum carnes permittuntur?*

S. Poenitentiaria (die 13 Februarii 1834) respondit: Consulat *(quisque)* probatos Auctores (*a*).

515. — 6° Ad quaesitum: *Utrum fideles dispensati a lege abstinentiae diebus Veneris et Sabbati, decurrente anno, quando non urget obligatio ieiunii, vesci possint piscibus simul et carnibus?* (Ex italico exemplari.)

S. Poenitentiaria (die 13 Febr. 1834), proposito dubio diligenter perpenso, factaque relatione Sanctissimo Domino Gregorio XVI, de ipsius Sanctitatis Suae mandato, respondet: Permitti.

7° Ad quaesitum: *Utrum diebus ieiunii tempore Adventus, a Pio VI praescripti, permissis tamen lacticiniis, ei, cui propter infirmitatem licitus est esus carnium, interdicta sit promiscuitas carnis ac piscium?*

S. Poenitentiaria (die 8 Ian. 1834) respondit: Affirmative, nempe non licere eiusmodi promiscuitatem.

8° Ad quaesitum: *Utrum lege vetitae permixtionis cum carnibus, comprehendantur pisciculi sale siccati, seu encrasicholi* (gallice *anchois,* italice *acciughe, alici*), *harengi* (gallice *harengs,* italice *aringhe*), *aliaque his similia; an misceri possint ad instar condimenti alterius ferculi?*

S. Poenitentiaria (die 10 Ian. 1834) respondit: Pisces sale sic-

(*a*) Hac de re controvertitur inter theologos. *Alii docent* (ita Scavini *App. II. in fine I. vol.*), *illos quoque subiici; nam lex,* qualitatem *ciborum respiciens, omnes rationis usu utentes obligat, adeo ut, si Indultum non esset, etiam illi a carnibus deberent abstinere: unde tota diversitas eo tantum respicit, ut quae una vice comedere possunt ieiunantes, ea,* toties quoties *voluerint, valeant comedere a ieiunio exempti. Alii vero, quibus subscribit* Righetti, *contrarium tenent; nam Encyclicae* Bened. XIV, *quibus ea mixtio prohibetur, de solis ieiunantibus loquuntur: ergo non ultra sunt extendendae; alioquin si nimis essent urgendae, a ieiunio dispensatis in unica tantum comestione essent indulgendae carnes, cum semel tantum ibi carnes indulgeantur.* Vid. Append. in fin. vol. 2. pag. 1078.

catos... vetari miscere cum carnibus, quoties carnis et piscium mixtio vetita est.

9° Ad quaesitum: *Utrum tempore ieiunii, ei, cui licitus est esus carnium, liceat miscere testacea marina, quae improprie* fructus maris *dicuntur, sed vulgo pisces censentur, id est* ostreae (*gallice* huitres, *italice* ostriche), *cancros* (écrevisses, gambari, granchi)?

S. Poenitentiaria (die 16 Ian. 1834) respondit: Testacea marina, quae improprie *fructus maris* dicuntur, sed vulgo pisces, vetari miscere cum carnibus, quoties carnis et piscium mixtio est prohibita.

10° Ad quaesitum: *Utrum dispensati a lege abstinentiae a carnibus possint diebus, quibus urget ieiunii obligatio, valetudinis causa, vesci iure tantum carnibus condito, et de caetero cibos esuriales edere (sicut caeteri qui pisces edere queunt), ad legem abstinentiae, in quantum fieri potest, servandam?* (Ex italico exemplari.)

S. Poenitentiaria (die 8 Febr. 1828), attente consideratis expositis, respondit: Affirmative.

516. — Memoranda hic est et decisio S. Congreg. S. Officii 25 Maii 1853 circa ieiunium vigiliae S. Petri pro iis regionibus, in quibus festum S. Petri in sequentem diem Dominicam transfertur. Ita porro se habet: *In Congregatione generali sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis, habita in conventu Sanctae Mariae supra Minervam, coram Em. et Rev. S. R. E. Cardinalibus, contra haereticam pravitatem generalibus Inquisitoribus proposita scripta instantia, et praehabito voto Dominorum consultorum, iidem Em. ac Rev. Domini rescribi mandarunt, ieiunium in pervigilio festivitatis Sanctorum Apostolorum esse servandum. (25 Maii 1853).*

Quamvis autem ex multiplici decisione S. C. ieiunium a supradictis fidelibus servari debeat, non quidem in ipso pervigilio S. Petri, sed Sabbato immediate praecedente Dominicam, ad quam remittitur Solemnitas SS. Apostolorum; attamen, si festum SS. Apostolorum ipso Sabbato occurrat, tunc *pridie* seu *feria VI.* ieiunabitur. Ita decisum a S. C. Concil. 22 Sept. 1858.

FINIS TRACTATUS DE PRAECEPTIS ECCLESIAE.

TRACTATUS

DE IUSTITIA ET IURE

Tanta est tractationis, quam aggredimur, de iustitia et iure necessitas, ut ea inter praecipuas theologiae moralis partes merito reponenda sit: tanta vero difficultas, ut nisi perspicuitas et ordo laborem levent, in plurimis ad hanc materiam pertinentibus vix quisque sese possit expedire. Iustitia enim latissime patet, ac plurima amplectitur iura et officia, quibus humanae societatis membra invicem devinciuntur. Quanti vero momenti haec tractatio sit, ex eo apertum est, quod hisce praesertim temporibus homines multos videre est sua profundere, aliena invadere, iura omnia subvertere, ut iugem voluptatum famem exsaturare possint. Quibus infestissimis Reipublicae malis ut Ecclesiae ministri medeantur, regulas iustitiae et iuris apprime callere debent. Ipsorum enim est aberrantes ad recta principia revocare, et iurium officiorumque aequitatem summo zelo curare. Quamobrem in hac potissimum tractatione versanda ferventi oratione assiduoque studio utendum est.

Agendum 1° de natura et principiis iustitiae et iuris; 2° de violatione iuris, sive de iniuria; 3° de reparatione iuris, seu de restitutione.

PARS PRIMA

DE NATURA ET PRINCIPIIS IUSTITIAE ET IURIS

CAPUT I.

DE NOTIONIBUS GENERALIBUS IUSTITIAE ET IURIS

ARTICULUS I.

DE NATURA IUSTITIAE

517. — Definitio. Iustitia latiori sensu (*a*) significat aliquam aequalitatem, vel charitatem, aut virtutum universalitatem. Sic Chri-

(*a*) Advertunt communiter DD., *iustitiae* nomen multiplici sensu usurpari etiam in sacris litteris, ut interdum significet 1° omnium virtutum

stus ait *Matth. 5. 6: Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam!* In strictiori autem sensu (*a*) est virtus moralis constanter inclinans voluntatem ad ius suum alteri reddendum. De iustitia sic accepta nobis agendum est.

Iustitia itaque specialis virtus est, quae debiti (*b*) solutionem urgere, et debitam aequalitatem inter omnes et singulos homines servare intendit. Ad ipsam igitur pertinet iniuste ablata restituere, damnificata reparare, a fraudibus abstinere, fidem datam in pactis custodire, et cuique ius suum integrum servare.

Dicitur in definitione, *alteri;* quia iustitia est semper *ad alterum*, atque adeo requirit personarum diversitatem; nemo enim iustus erga seipsum dici potest, neque sibi facere iniuriam, quae est laesio iuris altero invito.— *Lugo, disp. 1. n. 10.* (*c*).

518.— Divisio. Iustitia quadruplex distinguitur, scilicet legalis, distributiva, vindicativa, et commutativa (*d*).

1° Iustitia *legalis* (*e*) inclinat quemque ad ius suum reddendum

complexum, 2° charitatem seu gratiam sanctificantem, 3° generatim actum rectum, 4° quemlibet habitum bonum, 5° denique virtutem specialem e quatuor cardinalibus.

(*a*) Communiter a DD. recipitur definitio ab Ulpiano tradita: *Iustitia est constans et perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi.* Vide S. Thomam, qui (*2. 2. quaest. 58. art. 1.*) singulas eiusdem partes explicat.

(*b*) Nimis vaga est vox *debiti;* nam et Deo, v. gr. cultum, et parentibus obedientiam *debet* homo; nec tamen ad haec *debita* solvenda urget virtus *iustitiae.* Aliqua tamen ratione sensum A. constringit per verba mox sequentia.

(*c*) *Infero* (inquit Lugo) *iustitiam* semper *esse ad alterum, ut docet S. Thomas q. 58. a. 2. Nemo enim potest sibi ipsi inferre iniuriam aut reddere debitum, sicut nec potest sibi proprie debere, cum nihil possit facere, nisi volens: scienti autem et volenti non potest fieri iniuria neque dolus.* Exinde cum *inter patrem et filium* (ut idem Lugo subdit *ibid. n.31.*), *quatenus pater et filius sunt, non detur cum rigore alteritas et diversitas quanta ad iustitiam requiritur, nam filius videtur esse pars patris, et quasi alter ipse;* idcirco inter eos, qua tales, deficit ratio seu debitum iustitiae; et generatim quantum ista personarum distinctio seu diversitas deficere videtur, tantundem a perfecta iustitiae ratione disceditur.

(*d*) Sunt, qui ut quemdam inter diversas hasce iustitias ordinem statuant, primo quidem duplicem eam esse affirmant: aliam, quae hominem ordinat erga communitatem, hanc autem esse *legalem* seu *generalem;* aliam vero, quae ordinat erga alios particulares seu privatos, et istam cum Aristotele et S. Thoma *particularem* nuncupant; deinde vero hanc postremam in alias ita dividunt, ut alia *commutativa* sit, alia *distributiva,* et insuper alia *vindicativa.* Verum in hisce omnibus nullatenus reperire est partitionem alicuius generis in species; sed unum habes, in quo perfecta iustitiae ratio invenitur, et *iustitia presse sumpta* seu *commutativa* dicitur; reliqua autem cum in aliquo a priori deficiant, quidpiam tamen quasi per analogum ab illa participant, unde et iustitiae *secundum quid* appellari solent. Vid. Valentia (*Tom. 3. Disp. 5. Punct. 2.*), et Lugo (*De Iust. Disp. 1. n. 50.68. et 70.*).

(*e*) Iustitia legalis (ut habet Lugo *De Iust. Disp. 1. n. 62.*) *virtus est specialis, qua quis fertur in bonum reipublicae seu communitatis, cuius ipse est pars.*

Materiale huius virtutis obiectum est quilibet actus honestus, seu, ut

societati, cuius est pars, seu Principi ius suum propter bonum commune. Hinc subditum ad communitatem velut partem ad totum ordinat. Vocatur *legalis,* quia habet pro obiecto id, quod debetur communitati iuxta legem naturalem vel positivam.

2° Iustitia *distributiva* inclinat Superiorem eiusve ministros ad *aequalem* (*a*) seu iustam distributionem onerum et bonorum. Hinc

loqui DD. solent, actus omnium aliarum virtutum; unde ei inditum nomen est etiam iustitiae *generalis.* Ut enim inquit S. Thomas (*2. 2. q. 58. a. 5.*), *bonum cuiuslibet virtutis... est referibile ad bonum commune, ad quod ordinat iustitia* (scil. legalis). *Et secundum hoc actus omnium virtutum possunt ad iustitiam pertinere, secundum quod* (haec) *ordinat hominem ad bonum commune. Et quantum ad hoc iustitia dicitur iustitia generalis.*

Obiectum autem *formale* in eo residet, quod haec virtus actus aliarum virtutum, actus nimirum quosvis honestos, imperet, et ordinet ad finem sibi proprium, nempe ad bonum commune. Unde S. Thom. (*2. 2. q. 58. a. 6.*): *Iustitia legalis est quaedam specialis virtus secundum suam essentiam, secundum quod respicit commune bonum, ut proprium obiectum.*

Appellatur porro iustitia *legalis,* quia *legis* praesertim est ordinare ad bonum commune *Quia* (ita S. Thomas *l. c.*) *ad legem pertinet ordinare ad bonum commune, inde est, quod talis iustitia, praedicto modo generalis, dicitur iustitia legalis; quia scilicet per eam homo concordat legi ordinanti actus omnium virtutum in bonum commune.*

Illud autem singulare haec iustitia habet, ut non omnino et perfecte sit *ad alterum.* Ut enim habet S. Thomas (*2. 2. q. 58. a. 5.*), *Omnes, qui sub communitate aliqua continentur, comparantur ad communitatem sicut partes ad totum: pars autem id, quod est, totius est.* Et Card. De Lugo (*De Iust. Disp. 1. n. 68.*): *Communitas non distinguitur a suis membris, ut constat; et ideo non ita respicit bonum commune, ut praescindat a bono operantis, sed potius ideo illud respicit, quia censetur esse bonum etiam ipsius operantis, sicut bonum corporis est bonum membrorum: iustitia autem proprie respicit bonum alterius praescindendo omnino ab utili meo.* Atqui ex omnium sententia *iustitia proprie dicta* non est nisi inter ea, quae ita sunt invicem distincta, ut unum non sit aliquid alterius. Quocirca addit (*ibid.*) Lugo: *Sicut pietas erga parentes non est proprie iustitia, quia non respicit perfectam alteritatem requisitam ad iustitiam; a fortiori idem erit in praesenti* (scilicet iustitia legali).

Et ex hoc patet, iustitiam legalem non apte confundi cum officiis aut pietatis aut formalis obedientiae erga principem; non modo enim plane diversa sunt harum virtutum motiva, sed insuper distinctio, quae intercedit subditum inter et principem, non adest inter civem et communitatem, cuius pars est; et officia subditi in solum principis bonum tendunt, dum quae civis in communitatem confert, in eiusdem civis, utpote partis communitatis, bonum conferuntur. Quinimo et ipse princeps, utpote communitatis membrum, ad ipsam ceu pars ad totum per legalem iustitiam ordinatur, licet paulo aliter ac subditus. *Iustitia legalis* (ait S. Thom. *2. 2. q. 58. a. 6.*).... *respicit bonum commune, ut proprium obiectum. Et sic est in principe principaliter et quasi architectonice* (quia nempe modum conferendi ad bonum commune praescribit), *in subditis autem secundario et quasi administrative.*

(*a*) Discrimen inter aequalitatem *distributivae* iustitiae propriam, et propriam *commutativae* sic innuit Lugo (*De Iust. Disp. 1. n. 45.*) iuxta communem doctrinam desumptam ex Aristotele et S. Thoma: *Iustitia distributiva* (inquit) *in suo obiecto quaerit aequalitatem secundum propor-*

ordinat communitatem seu Superiorem ad subditos, velut totum ad partes (*a*).

3° Iustitia *vindicativa* inclinat Principem ad sontes poenis congruis pro societatis bono plectendos. Consistit igitur in congrua punitione reorum in bonum publicum (*b*).

4° Iustitia *commutativa* inclinat voluntatem ad ius suum strictum unicuique privato reddendum, servando aequalitatem rei ad rem. Haec spectat tantum privatos, ut a se invicem distinctos (*c*). Vocatur autem *commutativa*, quia circa commutationes et contractus praecipue versatur. De hac sola agemus, quia sola presso sensu nomen iustitiae sibi vindicat (*d*).

ARTICULUS II.

DE NATURA IURIS

519. — Definitio. Nomine *iuris*, presse sumpti, et quod ad praesens attinet, intelligitur vel id, quod alteri debetur, *iustumque* dici solet aut *aequale* (*e*), et sic est obiectum, quod iustitia inten-

tionem geometricam, non secundum arithmeticam, hoc est, attendit ad aequalitatem inter duas proportiones: nam commutativa respicit aequalitatem inter rem et rem, quae dicitur aequalitas arithmetica: distributiva vero attendit ad aequalitatem proportionum; ut si sunt duo, quorum unus habet meritum ut quatuor, alter ut octo, posterior excedat priorem in distributione secundum duplum, ita ut si prior accipit viginti, posterior accipiat quadraginta. Videsis haec fusius proposita apud S. Thomam (*2. 2. q. 61. art. 2.*).

(*a*) *Sed tamen iustitia distributiva est etiam in subditis, quibus distribuitur, in quantum scilicet sunt contenti iusta distributione.* S. Thom. *2. 2. q. 61. art. 1. ad 3.*

(*b*) Communius DD. *vindicativam* non habent uti quartam iustitiae speciem; sed eam ad *legalem* revocant, quatenus aut superior crimina ulciscendo prospicit bono communi, aut privatus eodem affectu punitionem criminum exoptat, seu exigit; ad *distributivam* vero, quatenus congruas criminum gravitati poenas infligit; denique ad *commutativam*, quatenus ex officio iudex tenetur delicta punire, non secus ac custos tenetur furem arcere, itemque non graviorem, quam res aut lex ferat, poenam crimini infligere.

(*c*) Hoc nimis generaliter efferri videtur. Nam plane iustitiam *commutativam* laedet, etiam qui publico aerario damnum inferat: itemque contra iustitiam *commutativam* peccabit princeps, qui inaequaliter onera distribuat, aut qui poenam citra demeritum infligat.

(*d*) Iustitia scilicet *distributiva* a propria et stricta iustitiae ratione in eo deficit, quod non respiciat ius stricte sumptum; et ideo, ut infra dicetur, eiusdem laesio per se non infert onus restitutionis. *Legalis* vero a iustitia proprie dicta etiam in eo discedit, quod non sit, ut diximus, omnino *ad alterum:* neque enim communitas a membris suis distinguitur, atque adeo haec iustitia non ita respicit bonum commune, ut a bono operantis praescindat.

(*e*) Ea de re Sotus (*De Iust. et Iur. Lib. 3. q. 1. art. 1.*): *Crediderim per apocopen, hoc est amputationem syllabae in fine dictionis* iustum *di-*

dit, quodque ipsa cuique tribuit; vel accipitur pro titulo, quem iustitia respicit ex parte alterius, seu propter quem vult suum cuique tribuere, et sic est *potestas ad aliquid* obtinendum, aut possidendum. Quae duae significationes cum sint correlativae, propterea penes quosdam nomen obtinuere iuris *passivi* et iuris *activi*, priori forma significando, quod debetur, posteriori autem rationem seu titulum debiti sive exigentiae (*a*).

520. — Sensu autem latiori vox *ius* sumitur 1° pro peritia legis seu iurisprudentia; 2° pro lege seu regula iusti (*b*), et sic dicitur ius naturale, positivum, divinum, humanum, civile, canonicum, ius gentium, etc.; 3° pro sententia iudicis, et inde vox *iudex,* quasi ius dicens; 4° pro re quae alteri ex quovis titulo debetur, et tunc est ius passivum, seu iuris obiectum; 5° pro ipso titulo rei debitae: sic, v. gr. iurisdictio dicitur ius Superioris ad obedientiam (*c*).

ctum esse ius... *Unde graece* δίκαιον *idem promiscue significat, quod iustum et ius.* De qua Soti coniectura quidquid demum quis censeat, hoc tamen plane constat, *ius* (δίκαιον) ex Aristotelis sententia sic appellari propter aequalitatem rei cum re, cuiusmodi aequalitatem ait quodammodo exsurgere inter binas partes cuiuspiam rei bifariam divisae: quinimmo ex bifaria hac in aequales partes partitione originem seu etymon vocis τοῦ δικαίου (iuris *seu* iusti) deducit. Sic enim ipse (*Ethic. Lib. 5. Cap. 7.*): Τὸ δὲ ἴσον μέσον ἐστὶν μείζονος καὶ ἐλάττονος κατὰ τὴν ἀριθμητικὴν ἀναλογίαν· διὰ τοῦτο καὶ ὀνομάζεται δίκαιον, ὅτι δίχα ἐστίν· ὥσπερ ἄν τις εἴποι δίχαιον· καὶ ὁ δικαστὴς διχαστής. *Aequale autem medium est inter maius ac minus arithmetica proportione; propterea etiam appellatur* iustum seu ius, *quia bifariam sit, perinde ac si quis diceret* in duo aequalia divisum, *et iudex* veluti bipartitor (*qui scilicet in duas aequales partes dividit*).

(*a*) Videndus omnino Card. De Lugo (*De Iust. Disp. 1. n. 5.*), ubi fuse rationem reddit, *cur ius illud, quod respicit iustitia, et quod significamus, quando dicimus meum et tuum,* reponendum sit *in praelatione quadam morali, qua hic homo praefertur moraliter aliis in usu talis rei propter peculiarem connexionem, quam res habet cum eo, et propter quam res tota debet ad eius utilitatem referri et ordinari.* Et huc spectare videtur, quod A. in definitione iuris addidit ea verba, *in proprium commodum.*

(*b*) Sunt, quibus minus arridet, legem nomine *iuris* significari sensu quodam latiori; quippe *ius* putant potius a *iubendo* dictum, quasi *iussum* per apocopen imminutum, atque adeo sensu maxime proprio *ius* pro *lege* accipi. Levissimi est haec quaestio momenti. Auctor autem communem secutus est DD. sententiam, quam S. Thomas (*2. 2. q. 57. art. 1. ad 2.*) sic exponit: *Sicut eorum, quae per artem exterius fiunt, quaedam ratio in mente artificis praeexistit, quae dicitur regula artis; ita etiam illius operis iusti, quod ratio determinat, quaedam ratio praeexistit in mente, quasi quaedam prudentiae regula: et hoc si in scriptum redigatur, vocatur lex. Est enim lex secundum Isidorum Constitutio scripta; et ideo lex non est ipsum ius, proprie loquendo, sed aliqualis ratio iuris.*

(*c*) Gregorius Valentia (*Comment. Theol. Tom. III. Disp. V. Q. I. Punct. 1.*) novem sensus enumerat, quibus vox *Ius* a iurisconsultis usurpata reperitur; qui tamen omnes cognationem habent cum sensu primario, *quod sit iustitiae obiectum.* Ac proinde inter eos nequaquam iuvenies *ius superioris ad obedientiam subditorum;* quippe obedientia ad iustitiam nihil pertinet, sed partibus iustitiae, quas *potentiales* vocant seu *potestativas* (Vid. S. Thomas. *2. 2. q. 80. a. 1.*), accensetur.

521. — Divisio. Ius praecipue dividitur in ius in re, et ius ad rem.

1° Ius *in re* illud est, quod quispiam habet in re iam *sua* et possessa (*a*), id est quae ita illi est devincta, ut possit de ea pro lubito disponere. Tale est ius emptoris in re empta ex Iure Gallico, et empta atque tradita ex Iure Romano. Hoc ius confert actionem realem, quae scilicet rem ipsam immediate attingit: quocirca quisquis hoc iure gaudet, rem suam repetere potest quocumque transierit.

2° Ius *ad rem* illud est, quod quis habet, *ut res fiat sua.* Dat enim actionem persônalem, id est directe attingit personam, quae dat facultatem (*b*) alteri rem contractam a se exigendi, et iudicio prosequendi, nisi velit facere vel dare quod debet: unde dicitur ius personale, quia personam immediate attingit.

Contractus (*c*) *promissionis* confert tantum ius *ad rem. Titulus* item emptionis ex Iure Romano ante rei traditionem confert tantum ius ad rem. Ex Iure novo Gallico solus partium consensus conficit contractum venditionis, seclusa rei traditione, et consequenter dat ius in re. *Cod. civ. art. 1583.* Excipe casum particularem, in quo res *mobilis,* vendita et non tradita, secundo emptori bonae fidei collata fuisset; tunc enim solum ius ad rem haberetur.— *Cod. civ. art. 1141.*

(*a*) Possessio non est necessaria ad ius *in re,* quod perdurat, etiamsi rem fur abstulerit et actu possideat. Hinc etiam A. subdit, dominum posse rem suam repetere. Insuper dum A. hic *rem suam* nominat, illud *suam* intellige tum quoad dominium *plenum,* tum etiam quoad *semiplenum,* sive hoc sit *directum* seu *proprietatis,* sive mere *utile.*

(*b*) Voces istae paulo obscuriores sunt, et quodammodo sensum nimis coarctant. Nam, v. gr. datur actio *personalis* in damnificatorem, qui rem destruxit; minus autem proprie diceres, damnificatorem *dare facultatem a se exigendi,* etc.

Clarius alii: Ius *in re* tunc adest, cum res ipsa habetur sibi obligata, atque adeo tribuit rei vindicationem, seu actionem in rem ipsam. Ius autem *ad rem* tunc habetur, cum cuipiam ius seu potestas acquisita est rem sibi obligandi, et ideo tribuit tantum actionem personalem contra abnuentes seu impedientes rei ipsius acquisitionem.

(*c*) De his praemature heic adnotatis suo loco melius agetur.

ARTICULUS III.

DE PRINCIPIIS GENERALIBUS IURIS ET IUSTITIAE

§. 1. *De principiis generalibus iuris.*

PROPOSITIO I. (*a*)

Deus solus est vere et absolute Dominus rerum omnium.

522. — Res perspicua est. Etenim Deus solus est vere et absoute omnium Dominus, cum ab ipso solo res omnes suum esse, existere, agere, conservari ac perfici habeant. Hinc *Ps. 23. 1.* dicitur: *Domini est terra et plenitudo eius, orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.*

Hinc 1° Nullum ens creatum potest esse vere proprietarium respectu Dei; cum nullum ens creatum sit independens a Deo, et quidquid sit et habeat, a solo Deo repetere debeat.

2° Nullum propterea ens creatum potest uti re qualibet tanquam absolute sua; ens enim creatum non est principium existendi erga ens aliud creatum, sed omnia sunt absolute Dei solius.

3° Proinde ius proprietatis enti creato inesse nequit, nisi a solo Deo; secus enim ens creatum habere posset aliquid ab alio ente independente a Deo, quod absolute repugnat. — *Lugo, disp. 2. n. 4.*

PROPOSITIO II.

Homo potest esse proprietarius erga alium hominem.

523. — *Prob.* Homo potest esse proprietarius respectu aliorum, si nihil obstet neque ex parte ipsius hominis, neque ex parte obiectorum possidendorum, neque ex parte Dei. Atqui haec certa sunt. Ergo . . . .

1° *Ex parte hominis.* Etenim homo quilibet quoad esse suum est independens ab alio homine; individuus enim quilibet a solo Deo esse suum recipit et recipere potest; ergo a nullo alio impediri potest, quin proprietarius fiat.

2° *Ex parte obiectorum.* Quia dantur obiecta 1° de se apta ad providendum sive necessitatibus, sive iustis vitae oblectamentis, qualia sunt bona fortunae, honoris, etc.; 2° libera a iure alieno, ut sunt bona nondum possessa aut derelicta, vel ab aliis concessa.

3° *Ex parte Dei.* Quippe non solum Deus non prohibuit ho-

(*a*) Paulo operosius his Auctor immoratur ob speciales Galliae necessitates communistarum dementia inductas.

mini res terrenas sibi proprias facere, sed e contrario ipse eas ita ordinavit, ut ipsius dominio subiicerentur, prout constat ex natura bonorum illorum, ex hominis exigentia, nec non ex Iure positivo divino. Sic v. gr. dicitur *Gen. 1. 28: Dominamini piscibus maris, et volatilibus caeli, et universis animantibus, quae moventur super terram.*

Hinc a mundi initio primaevi homines potuerunt pro suo libito bona externa ad suos usus applicare, ut ex sacra Scriptura constat. Unde prima bonorum divisio non facta est iure gentium, ut volunt plures. Aliunde consensus omnium ad divisionem terrae est quid mere gratuitum, non historicum.

PROPOSITIO III.

Si homo quilibet bona quaedam legitime sua fecerit, in illa ius per se inviolabile acquisivit.

524. — *Prob.* Homo dona externa sua facere non potuit, nisi Deo ita ordinante ad sublevandam naturae humanae indigentiam, ut ex dictis constat. Atqui non potuit Deus ita res ordinare, nec homini ius possidendi proprium largiri, quin simul statuerit, praedictum ius violari non posse. Ergo....

525. — Hinc 1° datur praeceptum naturale a Deo ipso promulgatum atque sancitum, vetans ne ius alterius laedatur, et praecipiens, ut si quando laesum fuerit, in integrum restituatur. Ex dictis enim ius proprietarii est per se inviolabile, Deumque habet naturalem sui auctorem, atque sponsorem; sed haec inviolabilitas pessumdaretur, nec Deus eius naturalis auctor et sponsor censeretur, nisi ipse imponeret sanciretque praeceptum naturale ipsam conservari iubens et perturbari vetans. Ergo...

2° Qui iniuste rem alienam usurpat, reus fit tum erga proximum, tum erga Deum: 1° quidem *erga proximum,* siquidem laedit independentiam proximi naturalem, et necessario inviolabilem in bonis iusto titulo possessis; 2° *erga Deum,* violando ius divinum proximo communicatum, et simul praeceptum naturale ius praedictum observari iubens.

526. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quomodo facta sit primaeva bonorum divisio?*

Resp. Certum est, in prima rerum origine bona fuisse communia (*a*). Adamo enim et eius filiis terram Deus absque ulla divisione concessit. Constat pariter, divisionem ex primaeva aetate factam fuisse, ita ut bona unius non essent bona alterius. Patet ex

(*a*) Bona omnia extitisse *communia* non sic intelligas, quasi homines tunc *in communi* seu *in solidum* ea possiderent: sed quatenus, ut dein A. satis explicat, cum nullius adhuc dominio subiicerentur, poterant a quolibet occupari.

Gen. cap. 4., ubi dicitur Abel obtulisse Deo de primogenitis *gregis sui.*

Quomodo autem facta fuerit bonorum divisio, varii varia de hoc excogitarunt systemata. Alii enim hanc divisionem repetunt ab auctoritate paterna; alii ex conventione facta inter homines, vel a iure gentium; alii ex auctoritate civili; alii tandem communius ex simplici occupatione rerum communium, idest nondum occupatarum. Hoc ultimum verisimilius omnino apparet. Videtur enim ille modus divisionis bonorum, nempe per occupationem, valde naturalis et facillimus, dum alii difficultatibus non paucis subiiciuntur. Conventio praesertim mutua hominum coadunatorum videtur chimaerica et moraliter impossibilis. Legislatio autem civilis et ius gentium post divisionem maxima saltem ex parte iam peractam subsecuta sunt.

Quidquid sit de origine proprietatis, certum est ius dominii de se inviolabile existere 1° de iure naturae; nam eo sublato subverteretur societas; 2° de iure divino, ut patet ex septimo et decimo praecepto Decalogi: *Furtum non facies. — Non concupisces domum proximi tui... Exod. 20. 17.*, etc.; 3° ex lege ecclesiastica et civili, ut ex utriusque fori legislatione comprobatur.

527. — Quaer. 2° *Quid sentiendum sit de systemate* communistarum *seu* socialistarum, *circa bonorum divisionem?*

Resp. Systema istud est impium, societati summe noxium, et in se absurdissimum.

1° *Est impium*, quia sapientissimum rerum ordinem a Deo statutum ac sancitum penitus tollit, suavem divinae Providentiae oeconomiam funditus subvertit, et male hominibus provisum esse arroganter decernit.

2° *Est societati summe noxium.* Eius enim totalem subversionem inducit, dum ius proprietatis, sine quo societas humana stare nequit, de medio tollit.

528. — 3° *Est in se absurdissimum.* Etenim perfecta divisio bonorum inter homines est omnino impossibilis, et proinde stulta est ac ridicula inventio. Quid enim absurdius et impossibilius, quam illa aequalis inter omnes rerum distributio, et praesertim illius stabilitas? Esto enim quod peracta fuerit; quamdiu, quaeso, perdurabit? Nonne otiositate, ludo, crapula, prodigalitate, imperitia, hebetudine, vel contra ambitione, industria, aut rapacitate, bono aut malo successu destruetur illa aequalitas, statim ac stabilita fuerit?

529. — Sed aiunt quidam: Nulla fiat bonorum divisio, nullusque sit proprietarius; possideat omnia bona sola Respublica, et cives sint operarii. Verum quale aderit laborantibus incitamentum? Quis laboris genus singulis assignabit? Quomodo victus quotidianus, et vestimentum omnibus subministrabitur? Nonne requiretur legio praepositorum? Sed iam non omnes igitur duris laboribus addicendi erunt. Quibusnam vero incumbet officium praepositorum vel subditorum? Quid de aegrotis, infirmis, senibus, pueris? quid de fami-

lia? quid de officiis mutuis parentes inter et filios? quomodo discernendi erunt veri infirmi ad laborem inepti ab innumeris, qui impotentiam simulabunt? quid de commercio? de artibus? de litteris? de scientiis in societate necessariis, v. gr. iuris, medicinae? etc. Quid igitur illa utopia absurdius? Nonne hoc absurditatum cumulus est habendum? Quid ergo de communismo dicendum est? Id quod de alio portento perhibuit Poeta: *Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.*

530. — Obiiciunt communistae: *Terra pro omnibus fructus suos producit.* Ergo... Sic *Rousseau.*

Resp. Sane terra fructus suos pro omnibus producit, et reipsa omnes a mundi exordio de fructibus terrae victitarunt. Sed titulo aliquo legitimo, v. gr. emptione, commutatione, et imprimis labore et vultus sudore eiusmodi fructus acquirendi sunt. Ante omnia autem servanda est lex divina: *Furtum non facies.*

531. — Inter patronos doctrinae *socialistarum* ardentissimos eminet *Proudhon* stupendo hoc effato famosissimus: *Proprietas est furtum (la propriété c'est le vol).*

§. II. *De principiis generalibus iustitiae.*

PROPOSITIO I.

Iustitia commutativa obligat sub gravi, et cum onere restitutionis.

532. — *Prob.* I[a] *pars.* Nam iustitia commutativa independentiam naturalem privatorum illaesam servare intendit (*a*). Atqui violatio illius independentiae *per se* est deordinatio gravis contra ius proximi, et dominium Dei; ergo, etc. — Dixi, *per se;* quia hac in re materiae parvitas admittitur, ut omnibus perspicuum est.

Prob. II[a] *pars.* Nam iustitia respicit aequalitatem rei ad rem; atqui huius laesio non potest reparari, nisi per restitutionem. Quamdiu igitur manet inaequalitas, manet obligatio illam reparandi; et laedens peccat servando inaequalitatem, sicut peccavit eam violando.

PROPOSITIO II.

Caeterae iustitiae species (*b*) *per se obligant etiam sub gravi, sed non cum onere restitutionis.*

533. — *Prob.* I[a] *pars.* Etenim laesio earum deordinationem gravem inducit, cum graviter necessario societatis ordini noceat.

(*a*) Huic principio tantisper obscuro substitui citra iacturam potest aliud commune, quod iustitiae proprium sit servare cuique ius suum, et quod iuris alieni violatio ex genere suo gravem inordinationem dicat.

(*b*) Iustitia scilicet tum *legalis,* tum *distributiva,* tum etiam *vindicativa,* si placeat hanc uti quartam iustitiae speciem admittere.

Probatur II[a] *pars*. Etenim non obligant sub onere restitutionis, si earum laesio ius strictum nullius violet. Atqui ita est; nam ius strictum fundatur in sola independentia ab aliis hominibus (*a*): porro nedum caeterae iustitiae species hominem quatenus independentem respiciant, illum in ordine morali strictissimis vinculis erga societatem, cuius membrum est, devinciunt. Ergo...Sic iustitia legali subditus iusto Superioris sui praecepto parere debet (*b*); attamen si v. gr. inobedientiae reus fuerit, ad nullam restitutionem tenetur, sed tantum ad poenam subeundam, si qua ipsi imponatur.

Verumtamen aliae iustitiae species saepe iunguntur iustitiae *commutativae*, et huius laesio onus restitutionis inducit: sic restituere tenetur magistratus vel iudex, qui propter gravem negligentiam in puniendo causa est, cur privati vel communitas grave damnum patiantur; quo in casu non solum reus est boni communis, ad quod iustitia legalis inclinat, praetermissi, sed etiam violati contractus, quo assumendo officium se *implicite* obligavit ad damna subditorum praecavenda.

534. — Hinc 1° Princeps non potest sine causa gravissima per legem tollere a subdito rem suam, seu ius acquisitum; quia nihil potest circa bona privatorum, nisi quid ratio boni communis omnino exigat.

2° Potest tamen Princeps, si quando id requiratur ad commune bonum, rem a subdito tollere (*c*); quia ius ad finem importat necessario ius ad media, sine quibus finis obtineri nequit. Bonum autem publicum aliquando requirit, ut aliquis re sua privetur, v. gr. agro pro via publica construenda, etc. Sed tunc Princeps, in quantum fieri potest, ad iustam compensationem tenetur; quia aequum non est, ut unus spolietur, aliis intactis, prout ex iure naturali et positivo constat (*d*).

535. — 3° Superior ad restitutionem non tenetur, si minus dignis officia societatis distribuit; quia non violat ius strictum dignioris, nec communitatis, quae aliud exigere nequit, nisi ut indigni ab officiis arceantur. — *S. Lig. lib. 4. n. 107.* contra aliquos. Se-

(*a*) Clariorem notionem forte habebis in iis, quae §. 519. habentur, ubi iuris tum activi tum passivi definitiones proponuntur.

(*b*) Alias (*not. ad n. 518.*) advertimus, *obedientiam* et *iustitiam legalem* esse virtutes prorsus distinctas. Obedientiae autem actus, non secus ac actus aliarum virtutum, tunc formam iustitiae legalis propriam induent, cum ad bonum commune ordinantur.

(*c*) Hoc est, quod alii communiter appellant *altum dominium*, ius nempe, quod reipublicae competit in personas et bona subditorum, publico id bono exigente.

(*d*) In usu huius iuris, uti ex A. quoque colligitur, haec cavenda sunt: 1° id postulare debet necessitas; 2° usus excedere non debet rationem necessitatis; 3° abesse debet personarum acceptio, ne scilicet quidam graventur, dum aliis in simili causa et conditione parcitur: ita v. gr. iniquissime subinde agitur, cum hospitiis milites destinantur; 4° illata damna, in quantum fieri potest, sunt resarcienda.

cus vero, si in concursu Superior minus dignum digniori praeferret; quia in concursu intervenit pactum, ex quo *ius strictum* digniori competit.

4° Non tenetur ad restitutionem Superior, qui dignitates mere honorificas distribuit sive minus dignis, sive etiam indignis; quia neminem iure suo privavit, quamvis peccaverit ob personarum acceptionem.

5° Tenetur ad restitutionem erga communitatem Superior, qui officiis publicis indignos destinat; quia *ex quasi contractu* tenetur bonum communitatis promovere. Imo tenetur etiam ad restitutionem erga privatos, qui ex indignis ministris damnum iniustum in bonis fortunae patiuntur.

CAPUT II.

DE PRAECIPUIS IURIS SPECIEBUS

Praecipuae iuris species sunt dominium, usus, ususfructus, et servitus

ARTICULUS I.

DE DOMINIO

536. — Definitio. Dominium est facultas legitima disponendi de re aliqua tanquam sua (*a*).

Divisio. Dominium praecipue dividitur in *perfectum* et *imperfectum*, prout est ius disponendi tum de re ipsa, tum de eius utilitate, aut de alterutro tantum.

Imperfectum autem subdividitur in *directum* et *indirectum* seu *utile*, prout respicit solam rei proprietatem, vel solam eius utilitatem.

Communiter distinguunt etiam dominium *altum* et *humile*. Prius dicitur ius, quod habet suprema auctoritas disponendi aliquando ex gravissima causa de bonis privatorum in bonum communitatis, ut superius *n. 534.* dictum est. Posterius est dominium privatorum, cui proprie definitio convenit.

Caeterum dominium *altum* non est dominium proprie dictum, seu non est verum dominium proprietatis, cum respublica *per se* non habeat ius strictum in bona subditorum. Sed dominium illud medium quoddam tenet inter *dominium proprietatis* et *dominium iurisdictionis*, possetque vocari *dominium administrationis*.— *Ita Carrière, n. 19.* (*b*).

Agendum 1° de obiecto; 2° de subiecto; 3° de acquisitione dominii.

(*a*) Quidam addunt: *nisi lege prohibeatur;* quia, v. gr. pupilliset minoribus lex liberam non sinit rerum suarum alienationem.

(*b*) Sed et hic conceptus plane obscurus est. Dic simplicius esse ius reipublicae proprium, ut praescribat, quid ad bonum commune sit necessarium, aut expediat.

§. I. *De obiecto dominii.*

537. **Principia.** — I. Homo habet dominium *utile* bonorum, quae sibi intrinseca sunt, nempe animae et corporis. Ideo potest absque ullius iniuria iis uti ad propriam utilitatem, et in omnem usum a lege non prohibitum.

Non habet tamen dominium *directum* horum bonorum. Constat ex Scriptura sacra; sic *Sap. 16. 13: Tu es, Domine, qui vitae et mortis habes potestatem.* — Item *Deuter. 32. 39: Ego occidam, et ego vivere faciam.* — Constat etiam ex lege naturali, ut diximus, ubi de *quinto Decalogi praecepto, n. 389. et seq.*

538. — II. Homo habere potest dominium *utile* et *directum* in bona externa fortunae legitime acquisita. Constat 1° *quoad dominium utile,* quia ex una parte bona haec apta sunt de se ad conservationem vel utilitatem hominis promovendam, et ex alia parte eorum usus iuri divino et humano non adversatur; quinimo Deus ipse praedictorum bonorum saltem utilitatem permisit his verbis, *Gen. 1. 28: Dominamini piscibus maris et volatilibus caeli,* etc. — Et *Psalm. 8. 8: Omnia subiecisti sub pedibus eius.* — Constat 2° *quoad dominium directum,* quia facultas applicandi bona fortunae ad usus suos nullo iure restringitur; imo expresse permittitur iure humano, ut patet ex variis legibus circa ius possidendi, et iure divino in allatis verbis: *Dominamini,* etc.

539. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An homo habeat dominium suae famae?*

Resp. Affirm. iuxta sententiam communem; nam etiam circa famam homini competunt primarii actus dominii, ut eam labore acquirere, eius restitutionem condonare, etc. Ergo... Attamen prudentia exigit, ut non eam prodigat sine iusta ratione, et aliquando tenetur *sub gravi* eam sedulo servare ratione scandali, damni familiae removendi, etc. — *S. Lig. lib. 3. n. 983.* — *Billuart, diss. 3. art. 2.*

Quaer. 2° *An homo in alium hominem dominium habere possit?*

Resp. 1° *Neg.* quoad dominium proprietatis; illud enim soli Deo competit, ut constat ex dictis *n. 522.*

Resp. 2° *Affirm.* quoad dominium *utile* seu hominis operas. Ratio est, quia homo quilibet est dominus propriae operae; ac proinde potest illam alienare in propriam utilitatem, et in dominium alterius tradere. Dominus enim pro arbitrio de obiecto dominii sui disponere potest.

Hinc 1° homo potest de iure naturali etiam in perpetuum se alteri vendere quoad dominium utile. Si enim potest alteri dominium sui utile conferre pro aliquo tempore, idem facere potest in perpetuum, siquidem cedere potest, quidquid habet. 2° *Per se* iuri

naturae non repugnat *servitus,* seu status subiectionis perpetuus, quo quis pro alimentis tenetur omnes operas suas alteri praestare.

540. — QUAER. 3° *Ex quibus titulis induci possit servitus?*

Resp. Ex quatuor sequentibus titulis: 1° *Ex pacto,* seu renuntiatione propria. Etenim non repugnat, ut quis renuntiet suae libertati ad propriam inopiam sublevandam, etc. — 2° *Ex iure belli.* Non enim repugnat, victorem hanc quandoque poenam infligere. Quandoque enim posset captivos occidere ob gentis securitatem: ergo *a fortiori* eos in servitutem redigere. — 3° *Ex delicto,* seu ex iusta condemnatione. Etenim si reus potest damnari ad mortem, *a fortiori* ad servitutem, cum privatio vitae summa omnium poenarum merito censeatur. — 4° *Ex nativitate* in statu servitutis, quandoquidem de iure servi sunt, qui e servis nascuntur. Ita ex iure gentium iuxta communem sententiam. — *Lugo, disp. 6. n. 11. et 17.*

541. — QUAER. 4° *An licitum sit Nigritarum commercium?*

Resp. 1° Omnino illicitum est ex omni iure, quoties Nigritae iniuste libertate spoliantur, et turmatim ut vilia pecora a regionibus suis transvehuntur, et venduntur, ut fit in nefario eorum commercio *(Traites des Nègres).* Contra tam immanem negotiationem prodiere variae Constitutiones apostolicae, nempe *Pauli III, Urbani VIII, Benedicti XIV,* et nuper *Gregorii XVI,* in Constitutione *In supremo apostolatus,* 3 Decembris 1839, ut videre est apud folium publicum dictum: *Ami de la Religion, tom. 103. n. 3219.*

Resp. 2° Si vero agatur de nigris aut aliis in legitima servitute existentibus, *per se* illicitum absolute non est, quia semel admissa servitute ut legitima, dominus verum ius in servos, seu in eorum operas habet, et proinde illud transmittere in alios valet. Dixi, *per se;* obstare enim possunt circumstantiae, v. gr. si coniux a coniuge esset separandus, vel leges civiles id vetent, prout reapse generatim in Europa servitus interdicitur.

§. II. *De subiecto dominii.*

542. — Subiectum dominii est rei alicuius dominus, seu ille cuius est res aliqua. In terra omnis et solus homo est dominii capax, quia omnis et solus homo cognoscere potest utilitatem rerum, et eas velle sibi applicare, si nullius sint (*a*). Nec incapaces sunt

(*a*) Clarius et efficacius rationem sic reddit Lugo (*De Iust. Disp. 3. n. 1.*): *Ille solus habere potest ius, qui capax est iniuriae patiendae.... ille autem solus patitur iniuriam, qui invitus eam patitur: debet autem esse invitus, non quidem per voluntatem, qua velit rem suam, sed per voluntatem, qua velit retinere ius ad rem ipsam, seu obligare alios, ne eam auferant. Bruta vero non possunt habere talem voluntatem, cum nec obligationem moralem, nec turpitudinem cognoscere possint; ergo non possunt esse invita, sicut nec possunt dare licentiam, vel transferre dominium ob-*

dominii parvuli, nec ipsi amentes; quia quamvis non possint res facere suas occupatione, id tamen possunt per actus alterius, v. gr. tutoris (*a*).

Agendum speciatim de dominio 1° filiorumfamilias, — 2° uxorum, — 3° Clericorum, — 4° auctorum. De dominio autem Religiosorum dicetur infra in *Tract. de Statibus,* ubi de voto paupertatis.

PUNCTUM I.

De dominio filiorumfamilias.

543. — Filiifamilias proprie hic dicuntur illi, qui ex legitimo matrimonio orti, cuiuscumque sint sexus, adhuc paternae potestati subiacent.

Diversi generis sunt bona filiorum, iuxta diversa populorum statuta.

I. *Ex Iure Romano* distinguuntur bona 1° *castrensia,* id est, occasione militiae acquisita; — 2° *quasi castrensia,* seu acquisita ex aliquo officio civili, v. gr. iudicis, medici, etc.; — 3° *profectitia,* quae filius ex bonis paternis lucratur, v. gr. agendo negotiationem cum pecunia patris: huc spectant etiam bona, quae filio dantur patris intuitu; — 4° *adventitia,* quae filio proveniunt aliunde quam a bonis paternis, nisi donata sint filio intuitu patris.

II. *Ex Iure Gallico* distinguuntur 1° bona acquisita *industria separata* filii, aut *ipsi soli data;* 2° *caetera* bona filii provenientia. Bona autem acquisita *industria separata* comprehendunt bona castrensia et quasi castrensia Iuris Romani, et insuper quidquid filius lucratur labore vel commercio separato.

544. **Principia** *ex iure Romano.* — I. Filius habet perfectum dominium bonorum castrensium et quasi castrensium; impubes tamen eorum administrationem non habet.

II. Pater habet dominium perfectum profectitiorum, dummodo filius sit sub paterna potestate (*b*). Potest tamen filio usumfructum profectitiorum cedere.

eamdem rationem; quia cum non cognoscant ius morale, non possunt cedere iuri suo.... Sola ergo natura intellectualis, quae eiusmodi obiecta cognoscere potest, capax est dominii habendi.

(*a*) Penitior ratio capacitatis dominii in infantibus aliunde quaerenda est; nam quod vices eius gerat tutor, id a iure positivo est, nec illius capacitatis rationem reddit. Adeatur itaque Lugo, qui duo in hanc rem egregie pro more suo explanat. Primum est, a natura ipsa esse necessitatem dominii seu proprietatis, quam violare nefas sit; imo seclusa omni humana conventione seu decreto, a natura esse generatim etiam modos quosdam dominii acquirendi (*Vid. De Iust. Disp. 6. n. 1-6.*). Alterum est, ipsius naturae ordinem exigere, ut dominia etiam sine voluntate acquirentis transferri in alium possint, quin imo ut transferri queant in eum, qui nondum vivit: adeo ut leges humanae, quae de his decernunt, reipsa ius naturae explicent ac tueantur.

(*b*) Nimirum si filio paterna potestate exempto quidpiam patris intuitu donetur, id non amplius profectitiorum bonorum censu continetur.

III. Filius habet dominium proprietatis in adventitia, pater vero usumfructum et administrationem (*a*). Si autem sint consumptibilia, pater de ipsis potest disponere, sed cum onere restitutionis, prouti generatim in casu dominii sic divisi fieri solet.

IV. Si filius negotiatus est bona paterna nomine patris, lucrum est profectitium; si vero nomine proprio, adventitium est. In dubio autem an lucrum venerit ex bonis patris vel alterius, ut profectitium habendum est, quando filius bona paterna administraverit.— *S. Lig. ibid.*

V. Si filius negotietur extra domum patris ex aliis bonis quam paternis, lucrum est adventitium; lucrum vero filii laborantis in domo paterna et a patre nutriti, profectitium est. — *S. Lig. ibid.*

545. **Principia** *ex Iure Gallico.* — I. Filiusfamilias habet perfectum dominium in bona acquisita industria separata, et in ea quae ipsi soli dantur *C. C. 387.*, quamvis eorum administrationem non habet ante maioritatem (21 ann.), vel ante emancipationem. *C. C. 389., 481. et seq.*

II. In caetera autem bona habet dominium directum ante annum 18 completum, vel ante emancipationem, quae post ann. 15 fieri potest. Interea autem pater eorum usufructu potitur; et similiter mater, patre mortuo, modo alias nuptias non contrahat. *C. C. 384., 386., 476. et seq.*

546. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An filius habeat dominium perfectum in bona mobilia ipsi data a parentibus aut cognatis?*

Resp. 1° *Affirm.*, si primo usu sint consumptibilia, quia ipsi ad usum absolute dantur, nisi forte aliqua restrictio apposita fuerit, v. gr. ad usum determinatum, ut esset pecunia ad libros emendos, etc.

Resp. 2° Si non sint primo usu consumptibilia, ut libri, vestes, etc., filius non habet generatim nisi dominium utile, quia parentes fere non aliud ipsi conferre intendunt.

QUAER. 2° *An filius censeatur renuntiare usuifructui, ad quem ius habet, si, eo vidente et tacente, pater hunc usumfructum percipiat?*

Resp. Neg., saltem generatim loquendo. Ratio est, quia silentium in tantum aequivaleret renuntiationi, in quantum filius facile reclamare posset; iam vero quin id facile possit, plerumque metus reverentialis obstat. — *Communis.*

547. — QUAER. 3° *An filius habeat dominium eorum, quae in domo paterna lucratur?*

Resp. 1° *Affirm.* in casibus seq.: 1° si sit emancipatus; 2° si laboret nomine proprio; sed tunc pater non tenetur eum alere; 3° si non teneatur ex conditione sua laborare; 4° si excessu *extraordinario* plus caeteris fratribus operis et laboris impendat.

(*a*) Aliquando tamen etiam ususfructus ad filium devolvitur. Conf. Lugo (*De Iust. Disp. 5. a n. 23*).

Resp. 2° *Neg.* autem, 1° si labor filii sit necessarius ad vitam parentum sustentandam ; 2° si parvum lucrum faciat, quia vix expensas a parentibus pro se factas adaequaret.

Resp. 3° *Probabilius Neg.* etiam praeter praefatos casus, si filius laboret et lucretur sat notabiliter prae fratribus, non tamen excessu extraordinario; quia filius tum censetur agere ut membrum familiae, et sic lucrum omne bono familiae cedere debet. — Aliunde pax familiarum postulat, ne plus aequo cupiditati filiorum indulgeatur, quo ianua litibus innumeris praecludatur. — *S. Lig. (saltem practice), n. 488. et 544.* — *Billuart.* — *Laymann.* — *Gousset, n. 684.*

Attamen sat *probabilis* apparet sententia opposita, quia filius non est peioris conditionis, quam famulus. Sed lucrum illud filius repetere non deberet *per se* ante mortem patris, cum difficile sit antea diiudicare, utrum filius passus sit damnum, necne. — Ita *Pontas,* verbo *Compensation.* — *Lessius, l. 2. c. 12. n. 81.* — *Elbel, n. 77.* — *Collet, c. 2.* — *Bouvier, c. 2. art. 1.* — *Carrière, n. 244.* — *Vernier, n. 340.* — *Ituriaga, t. 1. cas. 3.* — *Vide Casus, n. 503. et seq.*

Caeterum in praxi recedendum non est a prima sententia (*a*), saltem ante factum ob hallucinationis periculum. Insuper perpendendae sunt circumstantiae, in quibus versantur tum filius tum eius coheredes, ut iudicetur, quid aequalitas iuris stricti requirat.

Secunda vero sententia licet aliquando in praxi teneri saltem post factum possit, tamen minime publice docenda est propter incommoda, quae per abusum inde sequerentur (*b*). — Ita *Bouvier, ibid.* — *Carrière, ibid.*

PUNCTUM II.

De dominio uxorum.

548. — Bona uxoris sunt triplicis generis, scilicet

1° *Dotalia*, quorum fructibus vir gaudet ad onera matrimonii sustinenda.

2° *Paraphernalia* (παρὰ φερνὴν *praeter dotem*), quae uxor habet praeter dotem, et quae sibi specialiter reservat.

(*a*) Cum A. dicit, *in praxi non recedendum a prima sententia,* cuius oppositam alioqui fatetur esse probabilem, non ita intelligendus est, quasi debeat aut etiam possit cuiquam imponi obligatio; nam Confessarius non est legislator, nec habet potestatem imponendi aut indicendi certam obligationem, quando haec est incerta: et incerta sane est, quando probabile est, eam non existere. Hoc itaque A. tantum innuit, prudenter suadendam illam praxim: prudenter, inquam; ne dum hallucinationes timet in poenitente, ipse gravius hallucinetur, et sic poenitentem non iniusta utilitate privet.

(*b*) Sed neque prima sententia publice docenda erit propter gravius incommodum iniiciendi falsam conscientiam, quae hunc mere fructum affert, ut aedificet ad gehennam.

3° *Communia,* quae pactis coniugum aut determinatione legis in societatem quamdam conferuntur.

Possunt coniuges ante ineundum matrimonium determinare, quibus conditionibus subiicienda sint ipsorum bona, servatis quibusdam legis statutis; si haec facere omiserint, lex supplebit.

I. *Dispositiones Iuris Romani.*

549. — I. Uxor habet dominium directum *suae dotis*, maritus vero usumfructum et administrationem. Mortuo viro, ipsa omnibus creditoribus mariti personalibus praefertur, et etiam in vita dotem iuridice repetere potest, si timeat, ne vir fiat impotens ad illam restituendam. Si dos consistat in pecunia, aut in aliis usu consumptibilibus, dotis quidem plenum dominium viro tribuitur, sed cum obligatione valorem restituendi, traslato pro uxore dominio in omnia bona mariti pro rata seu quota suae dotis (*a*). — *S. Lig. n. 489.*

II. Uxor tenet plenum dominium et administrationem bonorum *paraphernalium,* ita ut de his maritus ipsa nolente nihil disponere valeat. Hinc quoad illa nullatenus uxor a marito dependet. — *S. Lig. ibid.*

III. Proprietas et utilitas bonorum *communium* pertinet ad utrumque coniugem; sed administratio eorumdem pertinet ad solum maritum. Haec autem communitas bonorum varias conditiones seu restrictiones admittere potest, et idcirco attendendum est ad varias locorum dispositiones. — *Elbel, n. 69.*

II. *Dispositiones Iuris Gallici.*

Pacta, quae a coniugibus ante matrimonium iniri possunt, tres classes, seu regimen triplex constituunt, scilicet 1° regimen *dotale;* 2° regimen *communitatis;* 3° regimen *excludens communitatem.*

550. — I. *Regimen dotale.* Bona dotalia sunt, quae uxoris dotem constituunt: horum vir administrationem plenam habet, et usumfructum percipit. Uxor vero solum dominium directum servat (*art. 1549*).

Si bona dotalia consistant in mobilibus sive partim sive totaliter, vir eorum dominium perfectum habet, et tantum de eorum valore consignato, in contractu matrimonium praecedente, tenetur (*art. 1551*).

(*a*) Id valet, si dos consistit in rebus, quae constant pondere, numero vel mensura, aut certe in rebus aestimatis traditis; tunc enim maritus pleno iure fit rerum istarum dominus. Si vero species non aestimatae in dotem dentur, tunc uxor sola est domina dotis; ad maritum autem duo tantum ex iure dominii pertinent, nempe rei datae vindicatio, et utendi fruendi ius.

Bona dotalia nullatenus alienari possunt, etiam uxore consentiente, praeter certos quosdam casus lege exceptos (*art. 1551. seq.*).

Bona autem quaecumque uxoris, in dote non constituta, remanent ipsi omnino propria, seu ut paraphernalia habentur, et eorum mulier etiam administrationem habet, atque usumfructum percipit (*1574, 1576*). Non potest tamen immobilia alienare, neque pro eis in iudicio se sistere sine expresso mariti consensu, aut, renitente marito, sine sententia tribunalis *primae instantiae* (*art. 1576*); quod idem dicendum, si uxor in bonis sit prorsus separata (*art. 1536*).

Ad bona paraphernalia spectant, ea quoque, quae uxor sibi comparat *singulari industria* vel labore extraordinario, adhibita rei familiaris sufficienti cura, vel ea, quae accumulat aliquid subtrahendo de sibi concessis ad victum, vestitum, recreationes, etc., tum etiam ea, quae ipsi data fuerint cum expressa conditione, ut viro non cedant.

551. — II. ***Regimen communitatis.*** Locum habet, cum coniuges in contractu matrimoniali statuunt, quaedam bona inter se fore communia (*a*). Communitas autem est vel *legalis* vel *conventionalis,* prout lege vel pacto speciali contrahentium constituitur.

Communitas *legalis* coalescit 1° ex omnibus bonis mobilibus, quae coniuges possidebant ipso initi matrimonii die, vel quae ipsis deinde titulo successionis vel donationis adveniunt; 2° ex omnibus fructibus et quibuscumque reditibus bonorum immobilium possessorum a sponsis ante matrimonium, vel ipsis, durante matrimonio, advenientium; 3° ex omnibus bonis immobilibus, quae ex bonis communibus tempore matrimonii acquisita fuerint (*art. 1401-1402*).

Communitas *conventionalis* consistit in aliis pactis sponsorum, quibus statuta legalia restringi vel relaxari possunt. His deficientibus, sola legis dispositione communitas regitur.

552. — Sub regimine *communitatis* solus maritus administrationem et usumfructum habet bonorum communium. Imo potest ea vendere, commutare, in hypothecam tradere, etiam sine uxoris consensu. Non tamen potest donare titulo gratuito immobilia, neque mobilia titulo universali, seu quoad eorum universitatem, vel quotitatem, seu dimidiam, tertiam vel quartam partem. Dissoluta autem communitate, bona et onera in duas partes dividuntur, nisi uxor aut illius heredes bonis renuntiare, et ita ab oneribus se eximere maluerint. Debita ab utroque coniuge, vel ab eorum heredibus solvenda sunt (*art. 1482*).

553. — III. ***Regimen excludens communitatem.*** Duplici modo sponsi illud constituunt, scilicet, 1° declarando se inire matrimonium *sine communitate;* 2° statuendo, se quoad bona quemque sua

(*a*) Hoc forte minus exacte dicitur. Nam etiamsi coniuges non statuant, quaedam bona fore communia, si tamen quodvis aliud pactum desit, locum habet vi legis *communio legalis*. Vid. *art. 1393 et 1400.*

fore omnino separatos. *In priori casu* vir percipit omnes reditus bonorum uxoris, et solus omnia administrat. Sed si usu consumantur, illorum valorem reddere tenetur. *In casu* vero *posteriori* mulier habet omnium suorum bonorum administrationem et usumfructum. Uterque autem sponsus ad onera matrimonii speciali pacto concurrit; si vero nulla conventio existat, uxor usque ad tertiam partem redituum suorum concurrere debet. Quocirca in tertio hoc regimine, quemadmodum et in secundo, *dos quaedam* ab uxore tribuenda est, qua oneribus matrimonii ex parte subveniat; verum dos eiusmodi a viro alienari potest.

554. **Resolves.** — 1° Uxor habet ius strictum ad sustentationem ex bonis communibus; illam ergo sibi comparare potest, si maritus renuat, vel aegre admodum consentiat.

2° Non peccat uxor subducendo aliqua pro victu, vestibus, caeterisque familiae necessariis, quae mariti saepe non curant, et frustra ab illis peterentur. — *S. Lig. n. 541.*

3° Si maritus in detrimentum familiae bona dilapidet vel prodigat, potest uxor ea abscondere, et in bonum familiae reservare.

4° Non iniuste agit uxor, si inscio marito nonnulla sibi sumat, quae facile ac certo maritus concederet, si rogaretur; adest enim licentia praesumpta et aliquando iusta causa non petendi, ne cogatur sese ostendere ut ancillam. — *Reuter, n. 47.*

5° Uxor potest in defectu mariti ex bonis communibus expendere, quae necessaria sint ad impediendum grave damnum familiae impendens. — *Lugo, disp. 16. n. 67.*

In his tamen et similibus caute agendum est, ne uxoribus laxentur habenae, cum propensae sint ad iura sua plus aequo extendenda.

555. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An uxor ex bonis communibus vel ex fructibus suae dotis eleemosynas facere possit?*

Resp. Affirm., etiamsi alioquin habeat bona propria, modo id fiat iuxta consuetudinem aliarum mulierum eiusdem conditionis. Ratio est, quia uxor non est serva, sed socia; quamdam ergo administrationem in domo mariti habere debet. Deinde maritus merito praesumitur consentire in ea, quae fiunt ab uxore iuxta honestum regionis atque conditionis morem; et si invitum sese exhibeat, talis dissensus censetur irrationabilis, quia maritus uxorem privare nequit iure ei legitima consuetudine concesso. — *Ita communiter* cum *Lugo*, *S. Lig. n. 340.*

556. — Quaer. 2° *An teneatur ad restitutionem maritus, qui notabilem partem bonorum communium prodige vel male impendit?*

Resp. Disputatur. 1ª Sententia *probabilis* affirmat. Ratio est, quia licet maritus habeat administrationem bonorum, uxor tamen habet dominium dimidiae partis illorum, et proinde ius illud violatur, si, ipsa rationabiliter invita, pars illa a marito dissipetur. — *Ita Antoine, p. 3. c. 5.* — *Collet, de Iust. p. 3. c. 4.* — *Pontas, vid.*

Communauté. — *Conf. d'Angers, de Matr. ut contr. civili, qu. 2.* — *Gousset.*

IIª Sententia etiam *probabilis* negat *generatim*, idest nisi maritus excedat limites iuris sibi a lege concessi. Ratio est, quia uxor ex lege non habet ius strictum nisi ad dimidiam partem bonorum, quae, soluta communitate, extabunt (*a*); nec tenetur maritus reddere rationem suae administrationis. Unde quamvis peccet graviter contra pietatem erga uxorem et filios, non tamen peccat contra iustitiam proprie dictam, quae restitutionis obligationem inducit. Sed uxor praecavere potest bonorum dissipationem per facultatem, quae ipsi conceditur a lege, separationem bonorum iuridice postulandi. — *Ita Lacroix, n. 1020., de furto.* — *Carrière, n. 276.*

Excederet autem limites iuris sui maritus, *ex Iure Gallico,* et ad restitutionem certo teneretur, si daret titulo gratuito aliqua immobilia, vel *totalitatem* aut *quotitatem* mobilium, aut si bona communitatis pro se surriperet.

557. — Quaer. 3º *An peccet uxor accipiendo aliquid de bonis communibus aut de fructibus dotis ad sublevandam necessitatem parentum vel filiorum, qui ex primo matrimonio suscepti fuerint?*

Resp. Neg., si *paraphernalia* non habeat, nec vir necessaria dare velit, quia iure naturae tenetur uxor praedictos consanguineos alere, et maritus in id consentire debet. — *Ita S. Lig. n. 542., cum aliis.*

(*a*) Obscurum sane videri potest, quid sibi velit haec opinio, quin et pugnantia involvere. Nam supponitur, uxorem vi *communitatis* ius habere in dimidiam partem extantium; deinde restringitur hoc ius ad medietatem extantium dum communitas solvitur; et interim plena fit marito disponendi de omnibus facultas, adeo ut nec ad reddendam rationem, nec ad restitutionem teneatur. At enim quo demum desinit ius illud uxoris, quando maritus ita possit omnia dissipare, ut nihil dividendum supersit, dum solvitur communitas? Perperam alioquin sermo iniicitur de violato officio pietatis in *uxorem et filios.* Nam dispar in casu est conditio uxoris et filiorum. Vivente enim patre nullum filiis est strictum ius in bona paterna; at aliud hic supponitur de uxore quoad bona communia.

Verumtamen non adeo absurda videbitur haec opinio, si (quod A. non declaravit satis) ratio habeatur Codicis Gallici, quem sane prae oculis auctores huius sententiae habuerunt. Satis nimirum ibi per leges uxori prospicitur, ut earum rerum, quas in communitatem confert, possit recuperare vel quidquid adhuc extet, vel aequivalens, indemnitatesque a iudice decretas exigere, et quidem ita, ut tum marito tum creditoribus erga ipsam communitatem praeferatur. Si qua vero restitutio in hac sententia negatur, hoc ad ea pertinet, quae ex bona redituum administratione superesse possent. Quocirca non minus hic indemnitati uxoris consulitur, quam in eo regiminis *dotalis* modo, qui plenum bonorum dotalium dominium in maritum transfert.

Caeterum abs re hic allegatur Croix (*Lib. 3. P. 1. n. 1020.*): nam Auctores, quos allegat tamquam absolventes maritum ab onere restitutionis, censent bona, de quibus est quaestio, esse propria solius mariti; qui vero censent bona esse communia, hos Croix allegat tamquam imponentes onus restitutionis. Pro prima igitur sententia, non pro secunda, Croix potius militaret.

QUAER. 4° *An uxor bona hoc modo accepta restituere teneatur, cum venerit in mariti hereditatem, vel cum dotem suam recuperaverit?*

Resp. 1° *Neg.,* si bona haec sint parvi momenti, quia tunc habentur ut eleemosynae communes, quae, si fiant moderate, restitutionis onus secum non ferunt. — *Ita omnes.*

Resp. 2° Negant itidem plures, etiamsi bona subtracta sint maioris momenti, quia onera omnia, quae stante matrimonio uni coniugum obveniunt, alteri communia censentur (*a*). Sed sententia affirmativa videtur tenenda cum *S. Lig. n. 543; Hom. apost. n. 33. — V. Casus, n. 505.*

PUNCTUM III.

De dominio Clericorum.

558. — Bona Clericorum quadruplicis generis distinguuntur, scilicet 1° *Patrimonialia,* quae proveniunt ex paterna hereditate, aut ex qualibet alia causa profana, puta ex donatione, successione, etc. — *Quasi patrimonialia,* quae acquiruntur occasione et

(*a*) Hanc opinionem sic refert Lugo (*De Iust. Disp. 16. n. 71.*): *Putat tamen probabile* (Lessius) *cum Molina, quae ad alendos parentes ita* (scil. extreme vel graviter) *indigentes insumuntur* (*et idem debet concedere de alendis filiis*), *solvenda esse ex bonis communibus utriusque coniugis, si matrimonium fuit celebratum contractu medietatis bonorum; si vero contractu arrharum et dotis, solvenda esse de bonis super lucratis, si quae sint; si autem nulla sint, debere ab uxore sumi in partem eorum, quae soluto matrimonio habere debuisset.*

Postrema tamen haec particula non videtur Lugoni arrisisse. Nam postquam (*ibid. n. 72.*) dixit, *quando uxor alia bona non habet libera, si tamen habet medietatem bonorum cum marito, vel attulit bonam dotem, aut alia bona quae maritus administrat, vel extant lucra cum marito communia, posse parentibus vel filiis, et fortasse etiam fratribus indigentibus subvenire;* et addidit, non videre se, *cur eas expensas, si moderatae sint, debeat, dissoluto matrimonio, computare in suam partem;* mox subdit: *Imo id etiam videtur probabile, licet indotata nupserit, marito consentiente, nec habeat medietatem bonorum aut lucra communia. Ratio est, quia maritus posset etiam ex communibus bonis subvenire propriis parentibus, aut filiis prioris matrimonii indigentibus: cur ergo uxor non poterit idem facere, cum onera singulorum debeant esse communia? Quamvis enim nomine alimentorum, si praecise sumantur, non veniant ea, quae uxor parentibus daret; uxor tamen non videtur solum habere ius ad nuda alimenta; quia videtur esse particeps bonorum et rei familiaris aliquo modo; neque est sicut unus de familia, ut solum ali debeat, sed habet partem in gubernatione familiae: et licet sit sub viri potestate, est tamen socia et particeps dignitatis; quare sicut vir appellatur dominus talis civitatis vel oppidi, sic uxor appellatur domina eiusdem loci. Unde licet quoad administrationem uxor sit subordinata viro; aequum tamen est, ut ipse permittat suae coniugi cum debita moderatione usum bonorum ad necessitates graves suorum sublevandas: magis enim necessarius est uxori bonorum usus ad hoc, quam ad alia, ad quae vir non posset iuste suae uxori necessaria denegare.*

intuitu functionum, v. gr. Missam celebrando, concionando, etc. Vocantur etiam *quasi ecclesiastica*, vel *casualia*. — 3° *Ecclesiastica*, quae ex beneficiis Ecclesiae, v. gr. ex reditibus beneficiorum, etc. percipiuntur. — 4° *Parcimonialia*, quae Clericus seponit parce vivendo ex beneficii fructibus, et quae honeste vivendo consumere posset.

559. **Principia**. — I. Clericus dominium perfectum habet bonorum patrimonialium. Ratio, quia Clericus est per se dominii vere capax, nec ulla lege prohibetur, quominus de praedictis bonis libere disponat. Imo ius illud sexcentis locis Iuris canonici et civilis supponitur.

II. Clericus perfectum habet dominium bonorum *quasi patrimonialium*, seu *quasi ecclesiasticorum*, vel *casualium*. Ratio est, quia bona haec non sunt fructus beneficii, neque pretium muneris sacri, sed quoddam veluti stipendium laboris extrinseci, ad quem non tenetur Clericus, aut etiam quaedam largitio a fidelibus ad Clerici sustentationem erogata. — *Ita communiter*. — *S. Lig. n. 491*. — *Lugo, D. 4. n. 23.*, etc. — Constat etiam ex responsione S. Poenitentiariae data *die 9 Aug. 1824*, qua declaravit oblationes fidelium non esse bona ecclesiastica, ut infra referetur *n. 563*.

III. Clericus fructibus beneficii uti potest ad honestam sustentationem; sed omne superfluum in pauperes, vel in alia pia opera erogare tenetur. Ratio 1ª est, quia Ecclesiae ministrans de Ecclesiae bonis honeste vivere potest; siquidem ad hunc praesertim finem beneficia instituta sunt. Ratio 2ª eruitur ex Ecclesiae praecepto, quod ex innumeris Conciliorum et SS. Canonum decretis perspicuum est. *Hanc enim obligationem Ecclesiae* Canones Clericis imponunt *aut impositam supponunt*, ait *Bened. XIV, de Syn. l. 7. c. 2. n. 4.*

IV. Clericus perfecto gaudet dominio bonorum *parcimonialium*, adeoque de iis ut verus dominus disponere potest. Ratio est, quia Clericus ius strictum habet ad honestam sustentationem; ergo quidquid ex ea tollit parcius vivendo, ad ipsum pertinet, et in libera eiusdem potestate manet; quippe ius illud omnino absolutum est. — *S. Lig. n. 491. — Lessius, c. 4., et alii communiter.*

560. **Quaesita**. — QUAER. 1° *An teneantur ad restitutionem Clerici male impendentes superflua bonorum ecclesiasticorum?*

Resp. Neg. probabiliter, quia quamvis constet de praecepto Ecclesiae, non tamen constat de obligatione ex iustitia. Imo ex *Conc. Trid.* colligi videtur, eos *facere fructus suos*, licet cum obligatione in eleemosynas aut alia pia opera superfluum erogandi. Dicit enim *Concil.* de Clericis non residentibus: *Non faciant fructus suos.* — *Lugo. — Billuart. — Lessius. — S. Thomas*, etc.

Affirmant tamen *probabiliter* alii, quia Clerici sunt tantum administratores et oeconomi bonorum ecclesiasticorum. *Collet. — Laymann. — Antoine.* — Prima sententia, idest negativa, ait *S. Lig.*

in *Retract. qu. X,* non minus probabilis videtur in praxi, signanter ob auctoritatem et rationem *D. Thomae, 2. 2. qu. 185. art. 7.*(*a*). Quod vero attinet ad culpam violati Ecclesiae praecepti, ad materiam gravem requiritur quantitas multo maior, quam in furto, scilicet iuxta veriorem sententiam, pars vigesima circiter superfluorum(*b*). — *S. Lig. n. 491. IV.*

561. — QUAER. 2° *Quid intelligatur per se superfluum?*

Resp. Superfluum censetur, quod honestae sustentationi superest. Porro honesta Clerici sustentatio ea est, quae Clerico convenit ratione sui status, dignitatis, etc. Quocirca non excludit honestas recreationes, moderatas donationes et alias eiusmodi expensas; sed haec prudenti timoratae conscientiae iudicio, potiusquam generali regula determinari possunt. — *Billuart, art. 5.*

QUAER. 3° *An Clerici possint servare superfluum in futurum?*

Resp. Affirm., quia *per se* nulla est obligatio subito erogandi superflua; imo laudabiliter servari possunt ad fundationem piam, modo bona fide procedatur, et absit periculum, ne postea ad usus profanos convertantur. — *S. Thom. 2. 2. qu. 185. art. 7.* — *S. Lig. n. 491.*

562. — QUAER. 4° *An Clericus habens ex patrimonio unde vivat, ex fructibus beneficii se sustentare possit?*

Resp. Affirm. cum *S. Lig. n. 491.* — *S. Thom. 2. 2. qu. 185. art. 7.* — *Billuart, diss. 3. art. 5., et alii communiter* contra *pau-*

**(*a*) Quaerit S. Thomas (*Quodl. 6. art. 12*), *Utrum clerici peccent mortaliter, si ea, quae eis superfluunt, in eleemosynas non largiantur.* Et (*ibid. ad 3.*) respondet: *In secundis (in iis nempe bonis, quae principaliter attributa sunt usibus ministrorum, sicut sunt praebendae clericorum et alia huiusmodi) non committunt peccatum nisi per abusum, sicut de bonis patrimonialibus dictum est. Unde non tenetur quis ad restitutionem, sed solum ad poenitentiam agendam.*

Et hinc facile patet, quo loco habendi sint, qui pro contraria sententia iactant *SS. Scripturas, SS. Canones, primitivam Ecclesiam, quindecim saeculorum praescriptione, SS. Patrum ac Pontificum auctoritate munitam, traditionibus confirmatam etc.,* ut videre est in compendio Salmanticensium (*Tr. XI. Cap. 9. n. 120.*). Ubinam enim, quaeso, S. Thomam invenient contradicentem Scripturis, Patribus, Decretis Pontificum, SS. Canonibus etc.?

Allegant et S. Caroli Borrom. auctoritatem in Synod. Mediolan. At Benedictus XIV (*De Synod. Lib. 7. cap. 2. n. 12.*): *Verum nos* (inquit), *qui nullius partis studio abrepti sumus, nihil eiusmodi a S. Carolo decisum comperimus.* Tum (*ibid. n. 14.*) non probandam eorum methodum dicit, qui hanc obligationem ita ex *iustitiae* officio oriri inculcant, ut quaestionem haberi ceu definitam velint; suadet autem, ut obligatio utique inculcetur, sed unde haec oriatur, quaerere in Synodis intermittant.

(*b*) Haec norma locum habere tunc solum poterit, quando superflua ita superabundent, ut vicesima eorum pars multum excedat communem gravitatem materiae in furto: quae quidem materiae gravitas praeterea hic non *relativa,* sed *absoluta* intelligenda videtur. Dixi, *multum excedat;* nam S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 491. IV.*) cum S. Thoma ad id requirit *multum* prae communi gravitate *excessum.*

cos. Ratio est, quia iustum est, ut ille, qui laborat in Ecclesia, ab eadem sustentetur, et per accidens omnino est, quod dives sit aut pauper. Non igitur ratione paupertatis, sed laboris Clericus ad sustentationem ius habet. Unde Clericus potest patrimonio parcere, dum fructibus beneficii utitur ad sustentationem suae dignitati convenientem. Constat etiam ex verbis Apostoli, *I. Cor. 9.: Quis militat suis stipendiis unquam?... Nescitis, quoniam qui in Sacrario operantur, quae de Sacrario sunt, edunt; et qui Altari deserviunt, cum Altari participant?*

QUAER. 5° *An etiam pensionarii superfluum in pauperes erogare debeant?*

Resp. Neg., quia S. Pontifex, iusta de causa pensiones de fructibus beneficii extrahendo, iam eosdem fructus ad usus pios applicat; unde fructus isti obligationem alterius applicationis secum non ferunt. — *Lugo, D. 4. n. 32.* — *S. Lig. n. 491.*

563. — QUAER. 6° *An pensio, quae in Gallia Sacerdotibus a Gubernio solvitur, boni ecclesiastici rationem habeat* (*a*)?

Resp. Affirm., quia ex Concordato an. 1801 pensio praedicta videtur statuta in compensationem bonorum ecclesiasticorum, quae tempore perturbationis Gallicae subrepta sunt. Ergo eamdem habet naturam ac bona, quibus substituitur. Constat etiam ex hisce S. Poenitentiariae responsis.

« 1° An salaria, quae in Belgio solvuntur a Gubernio Pastori- » bus et Canonicis, induant beneficiorum seu bonorum ecclesiasti- » corum indolem, et annexam habeant obligationem inhaerentem » his bonis, scilicet strictam et canonicam obligationem expenden- » di superflua pauperibus, seu piis causis, et residentiae sub poena » *non faciendi fructus suos?*

» Sacra Poenitentiaria, perpensis expositis, respondit: *Iam alias » a Sancta Sede, de consilio secretae Congregationis, responsum fuisse » affirmative.*

» *Datum Romae, die 19 Ianuarii 1819.*

» 2° Sacra Poenitentiaria consulta, an illa responsio applicari » debeat salariis, quae Pastoribus et Canonicis regni Galliarum a » Gubernio solvuntur, respondendum censuit: *Affirmative.*

» *Datum Romae, in Sacra Poenitentiaria, die 19 Augusti 1821.*

» 3° An responsio pro Belgio diei 19 Ianuarii applicari debeat » solis salariis fixis 1,000 libr. pro Parochis, et 750 libr. pro De- » servientibus, vel extendi debeat ad oblationes fidelium?

(*a*) Optimum factu est, quod in hac et sequenti quaestione theoriae huiusmodi exponantur; attamen tantum pro regionibus mere theoreticis, ad sterilem nempe eruditionem, istae deserviunt. Nam in praxi cum tenue adeo ac prorsus miserum illud sit, quod gubernia ista athea (nam vere atheum est gubernium, quod eodem loco tum religionem tum quasvis superstitiones habet) praesertim catholicae Religionis sacerdotibus tribuunt, quaestio circa reditus congruae sustentationi superfluos otiosa omnino est.

» Sacra Poenitentiaria super noviter expositis respondendum cen-
» suit: *Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.*»

364. — Quaer. 7° *An sint reputanda bona ecclesiastica etiam supplementa, quae in Gallia Sacerdotibus a parochiis seu municipiis eroganlur?*

Resp. Videtur affirmandum cum *Carrière, n. 193. et aliis communius.* Ratio est, quia et ista censeri debent ceu provenientia ex administratione generali Gubernii, et proinde ex vi Concordati inter Papam et Gubernium. Etenim non tribuuntur nisi ex decreto generali Gubernii *(art. org. 67.)*, et ex ipsius consensu; proinde ab ipso Gubernio constituta censentur et sunt veluti pars dotationis, quam promisit. — Idem *a fortiori* dicendum de pensionibus, quae Canonicis a Gubernio tribuuntur.

Secus tamen omnino dicendum est de supplementis, seu de pensione, quae tribuitur alicui Clerico ex oblationibus liberis et privatis fidelium. Tunc enim ab auctoritate publica non proveniunt, nec proinde in locum bonorum ecclesiasticorum constituuntur. — Nec computandae sunt inter bona ecclesiastica pensiones, quae tribuuntur a Gubernio caducis Presbyteris, aut Religiosis e monasterio olim eiectis; sunt enim auxilia vel compensatio quaedam, bonis patrimonialibus omnino aequiparanda.

365. **Resolves.** — 1° Distributiones, quae fieri solent pro assistentia in choro, annumerandae sunt inter bona *quasi patrimonialia;* quia licet distributiones illae dentur beneficii occasione, attamen non dantur immediate pro titulo, sed pro servitio personali, et tanquam stipendium personae. — *Ita probabilius. — Lugo, D. 4. n. 25. — S. Lig. n. 491. — Salmant.*, etc.

2° Idem dicendum est de iuribus curialibus, seu de reditibus stolae, ut aiunt, id est quae debentur Parocho ut Parocho, v. gr. quae afferuntur cum pane benedicto, vel quae ipsi tribuuntur pro funeralibus, licet iis nullatenus astiterit, etc... Ratio est, quia dantur Parocho ut quoddam stipendium sui laboris et suae sollicitudinis, nec videntur fideles haec conferre Ecclesiae, sed Parocho, ut sua sint sine ullo onere. — *S. Lig. n. 490. et 491.*

3° Oblationes, quae fiunt in capsulis ad certum usum expositis, sunt certo ad usum illum adhibendae, nec proinde potest Parochus eas sibi vindicare, quia satis constat de voluntate offerentium. Idem etiam dicendum est de collectis, quae sive intra sive extra Ecclesiam ad certum finem fiunt.

Ex praxi satis communi saltem hodierna solae fere oblationes, quae in Missa ad altare fiunt, et quae occasione administrationis Sacramentorum, pro benedicendis nuptiis, pro exsequiis et sepulturis aut aliis similibus functionibus specialiter afferuntur, ad Parochum spectant. Caeterae autem oblationes ipsis Ecclesiis, altaribus, aut aliis certis finibus, ex consuetudine aut fidelium intentione applicari debent. — *V. Casus, n. 507.*

PUNCTUM IV.

De dominio auctorum.

566. — Certum est, hominem quemlibet ex iure naturali ius habere in fructum suae industriae et sui ingenii. Si enim res fructificat domino, *a fortiori* hoc verum esse debet de facultatibus internis, cum nihil magis homini proprium esse possit. Quilibet igitur in suum commodum uti potest iis, quae suo ingenio in scientiis excogitavit. Inventor igitur artis alicuius strictum ius habet, ne secretum suum surripiatur, et se invito in publicum divulgetur; quod si fiat, damnificator pro ratione iniuriae illatae ad restitutionem omnino tenetur. Difficultas autem est, utrum auctor, operibus semel in lucem emissis, ea sibi propria servare, et alios ab eorum usu (*a*) excludere queat. Hinc

567. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An violet ius alienum, qui opus manuscriptum sine consensu auctoris typis edat?*

Resp. Affirm. Hoc enim iuri naturali aperte repugnat; et apud omnes constat, opus quamdiu in lucem emissum non fuit, sub dominio prorsus auctoris remanere. Nullum igitur dubium est, quin talis usurpator ad restitutionem et ad damnorum compensationem teneatur. — *Carrière, n. 61.*

Quaer. 2° *Quid dicendum de eo, qui typis ederet lectiones publicas alicuius professoris, vel concionem oratoris?*

Resp. Respondendum est, ut in quaestione praecedenti. Etenim publice docere aut concionari non est tradere opus suum alteri ad edendum et vendendum. Sic iudicavit Tribunal *appellationis* Parisiensis 28 Februar. 1801. — *Vid. Carrière, n. 61.*

568. — Quaer. 3° *An ille, qui librum typis edidit, ius habeat impediendi, ne quisquam illum praelo committat et vendat cum damno auctoris aut bibliopolae, cui auctor ius suum transmisit?*

Resp. 1° *Affirm.*; de iure positivo vigente in Gallia et in plerisque aliis locis.

Resp. 2° Si agatur de iure naturali, *controvertitur. Probabilius* videtur, auctorem non habere ius perpetuum in opus suum, quia res in communitatem semel tradita, fit eo ipso de iure communi (*b*).

(*a*) Intellige ab usu, quem sibi Auctor operis reservat: qui quidem cuiusmodi sit, ex seqq. quaestionibus colligitur.

(*b*) Haec ratio forte evinceret, fas esse cuique segetes aut uvas sibi sumere ad libitum, quod agri aut vineae dominus eas custodire non valet. Sane si lex ipsa naturae postulat, ut cuique ius suum in fructum industriae atque ingenii sui servetur, uti praemissum est (*n. 566.*), fructus autem industriae in re nostra percipi nullus possit, nisi *in communitatem* opus (ut dicunt) *tradatur;* profecto eadem lex naturae postulat, ut ista traditio seu evulgatio operis in communitatem auctorem fructu industriae suae non privet.

Consentaneum tamen aequitati est, ut iure positivo aliquod privilegium auctori ad certum tempus, vel ad ipsius vitam concedatur.

QUAER. 4° *An typis mandari possit in regno vicino liber recenter vulgatus sine licentia auctoris?*

Resp. Videtur affirmandum *probabilius;* quia auctor de iure naturali nullum ius certum repetere potest (*a*), et proinde de violato *stricto dominio* conqueri nequit. Idem dicendum de inventoribus variarum artium. — *Ita Carrière, ibid.,* etc. Caeterum multis in locis optime provisum est per tractatus inter varias ditiones admisso, quorum vi auctor eodem iure alibi ac in propria patria gaudere potest.

§. III. *De acquisitione dominii.*

Dominium praecipue acquiri potest 1° occupatione; 2° inventione (*b*); 3° praescriptione; 4° accessione; 5° contractibus, de quibus in Tractatu particulari dicetur.

PUNCTUM I.

De occupatione.

569. — Occupatio est realis apprehensio rei, quae nullius sit, cum animo eam sibi acquirendi. Est legitimus modus dominium acquirendi, modo adsint conditiones requisitae, scilicet 1° ut res sit dominii privati capax, nec ullius sit; — 2° ut occupans velit rem suam facere, cum eam de facto apprehendit; — 3° ut nulla lex occupationi obstet (*c*).

Casus frequentiores in praxi occupationem animalium respiciunt; de ea igitur sola sermo erit.

Triplicis autem generis animalia distinguuntur, scilicet silvestria,

(*a*) Haec generalis assertio itidem repugnat principio, quod tamquam certum *n. 566.* statutum est. Idcirco maxime congrua iuri naturae est diversarum rerumpublicarum conventio, ut privilegia alicubi concessa auctoribus, alibi quoque serventur. Quae conventio si alicubi non admittatur, deerit ibi sane violati officii sanctio, non vero prorsus officium. Verumtamen cum librorum editio in regionibus valde dissitis minus impediat, quominus fructum industriae suae congruum auctor percipiat, principium illud praestitutum minus quoad eas urgere videtur.

(*b*) Alii communius *inventionem* revocant ad modum *occupationis;* et ideo non quinque, sed quatuor modos acquirendi dominii enumerant.

(*c*) Tertiam hanc conditionem, quam pauci quidam addunt, melius Reiffenstuel (*Theol. Moral. Tr. 7. Dist. 5. q. 1. n. 5.*) sic effert: *Nisi lege aliqua humana earum dominium cuipiam alteri applicetur.* Cuius rei exemplum habes (*penes A. n. 576. III.*) in bonis, quae *vacantia* dicuntur. Eorum enim occupatio iure positivo solet publico fisco reservari. Dixi, sic *melius* eam conditionem exprimi; nam etiam iuxta illud quod A. mox (*n. 571.*) dicit, mera legis prohibitio non impedit, quominus per occupationem dominium acquiri possit.

mansueta et mansuefacta. 1° Silvestria seu fera ea sunt, quae naturali fruuntur libertate, et nullius subsunt dominio, uti lepores, cervi, pisces, aves, etc. 2° Mansueta seu domestica sunt, quae naturali non gaudent libertate, quaeque hominum subsunt dominio, uti oves, equi, gallinae (*a*), etc. 3° Mansuefacta sunt, quae ad naturalem quidem libertatem nascuntur, hominis tamen industria hac privantur, eiusque dominio subiiciuntur, uti aves, quae arte et industria mansuefiunt, columbae, apes, etc. (*b*).

570. **Principia.** — I. Animalia *silvestria* seu *fera* (*c*) fiunt *primi occupantis*. Res enim, quae nullius sunt, iure naturali licite occupantur, et proinde fiunt primi occupantis, saltem nisi aliqua lex positiva id prohibeat. In dominium autem alicuius redacta, tamdiu sub dominio manent, quamdiu custodia retineantur, nec naturalem libertatem recuperaverint. Recuperasse autem libertatem censentur, cum ita custodiam effugerunt, ut earum consecutio difficilis sit: et tunc ita desinunt esse sub dominio, ut alterius occupantis fieri possint, veluti nunquam dominum habuissent.

II. Animalia ex natura sua *silvestria*, sed *mansuefacta*, prioris domini remanent, quamdiu custodiam ipsius non evaserint, aut consuetudinem revertendi non amiserint; eiusmodi enim animalia ad possessorem pertinent tum ratione occupationis, tum etiam ratione educationis et detentionis. Sic insuper omnia iura statuunt. — At vero si custodiam domini evaserint, aut revertendi consuetudinem amiserint, alterius primi occupantis fiunt, quia suam primam naturam recuperarunt. Sic Ius *Romanum* et *Gallicum*.

III. Animalia *mansueta* seu *domestica* remanent prioris domini, quantumvis aberrent; unde non possunt ab alio occupari. Ratio est, quia animalia domestica nunquam possunt dici recuperasse suam libertatem, cum ex natura sua libertatem nullam habere existimentur. Quoad illa igitur occupationi locus nunquam dari potest.

571. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An et quomodo peccet, qui venatur aut piscatur contra legis prohibitionem?*

Resp. Iª SENTENTIA *probabilis negat*, eum peccare contra iustitiam (*d*) vel etiam contra obedientiam; quia ex consuetudine et

(*a*) Diversitas inter *fera* et *mansueta* aptius petitur ex indole, quae humano consortio gaudeat vel abhorreat. Nam alioqui et fera reperiuntur, quae non gaudent libertate, et mansueta, quae dominum non habent.

(*b*) Quartam classem constituunt *efferata*, quae aut connaturalem mansuetam indolem exuerunt, aut pristinam feram, postquam fuerant mansuefacta, resumpserunt.

(*c*) Intellige, quae naturali, uti A. dicebat, fruuntur libertate. Hac autem frui censentur, cum vagari pro lubito possunt, ut cervi in sylvis pisces in mari, etc.

(*d*) Non peccat is contra iustitiam, et (ut inquit Lugo *De Iust Disp. 6. n. 65.*) *communis sententia Doctorum est, venatorem acquirer dominium ferarum vel piscium, quos capit.* Ratio est, *quia ferae illa adhuc nullius sunt in bonis, suaque in libertate manent*: adeoque prim occupantis fiunt.

communi hominum aestimatione lex illa omnino poenalis videtur (*a*). — *Sic Roncaglia, tract. 13. c. 5. — S. Lig. de Leg. n. 145.*, etc.

IIª SENTENTIA item *probabilis* tenet, illum peccare tantum venialiter contra obedientiam, minime autem contra iustitiam. Etenim 1° *peccat contra obedientiam,* quia semper obtemperandum est Principi iusta de causa praecipienti. 2° *Non peccat contra iustitiam,* quia leges, licet venationem prohibeant, non tamen irritam declarant praedae acquisitionem. 3° *Peccat venialiter* tantum *per se,* quia generatim talis violatio legis non videtur graviter noxia sive Reipublicae, quae magnum detrimentum inde non patitur, sive privatis, in quorum fundo fit venatio. — *Lugo, disp. 6. n. 64. — Bouvier, de Iust. c. 2. — Carrière, n. 301. — Lyonnet,* etc.

Datur etiam tertia sententia paucorum, qui dicunt, venantem, prohibente lege, peccare graviter tum contra obedientiam, tum contra iustitiam (*b*); sed ut minus probabilis communiter habetur.

572. — QUAER. 2° *An peccet contra iustitiam commutativam, qui venatur aut piscatur in fundo alterius, absque eius licentia?*

Resp. 1° *Neg.,* si fundus ille sit pervius ; nullum enim peccatum committitur, nisi ex hoc aliud damnum proveniat ; ratio, quia ferae minime habendae sunt ut fructus fundi.

Resp. 2° *Affirm.,* si fundus sit omnino clausus, ita ut ferae non possint inde exire, et *facile capi ibi queant;* quia hae tunc censentur amisisse libertatem suam et ad fundi dominum pertinere. — *Lugo, Disp. 6. n. 72.*

QUAER. 3° *An dominus fundi accipere possit praedam ab alio occisam, vel impedire, ne ab illo capiatur?*

Resp. Neg. ad utrumque; quia quamvis dominus habeat ius impediendi, ne alter venetur in suo fundo, fera tamen occisa ad occisorem pertinet (*c*). Dominus tamen habet ius ad compensationem pro damno, quod venator forte intulerit. — *Lugo, n. 70.*

573. — QUAER. 4° *Cuius sit fera laesa, vel laqueo capta?*

Resp. ad 1[um] Est vulnerantis, si laeserit illam quantum satis est ad ipsam capiendam, et sit moraliter certus, eamdem se facile ap-

(*a*) Hic non est sermo, ut patet, de legibus canonicis, quae clericis quasdam venationes interdicunt.

(*b*) Iustitiam laedi isti auctores autumarunt non propter captam praedam, sed propter iniuriam irrogatam illi, qui adeo ius habet arcendi quemlibet ab ingressu loci, ut etiam per vim eos possit impedire. Nec isti supponunt meram legem prohibentem, sed praeterea ius venandi aut piscandi exclusive cuipiam factum. Insuper ista iustitiae laesio iuxta eosdem nullam restituendi obligationem adducit, nisi alia ratione damnum aliquod illatum sit.

(*c*) Si tamen fera capta sit laqueo, quem quis, invito fundi domino, posuerit, videtur dominus posse praeda potiri ; ratio est, quia sicut ius habet, ne ingrediaris ad laqueum ponendum, ita etiam ut ne ad eximendam quidem feram introeas. Posset igitur ipse feram dimittere; sed dimittendam plane potest occupare. Ergo.

prehensurum; sic enim eam moraliter iam apprehendit. — *S. Lig. Hom. apost. n. 71.* — *Lugo.*

Resp. ad 2um Est eius, qui laqueum posuit, si ita laqueo capta sit, ut non sit evasura; ratio, quia per ipsum instrumentum satis occupatur. — *S. Lig. n. 604.*

QUAER. 5° *An quis occidere possit columbas alienas agro suo nocentes?*

Resp. 1° *Neg.* si non inferant damnum grave, vel si facile abigi possint. — *Ita communiter.*

Resp. 2° *Affirm.* iuxta communem sententiam, si *graviter* noceant; quia fas est unicuique rem propriam servare, etiamsi exinde alteri sequatur *indirecte* damnum aequale illi, quod vult *directe* a seipso avertere. Columbae autem non praesumuntur graviter nocere, nisi tempore messis aut seminum. — *Lugo.* — *Billuart.* — *Elbel.* Loi du 4 août 1789

QUAER. 6° *Si quis extrahat alterius ovem ex ore lupi, potestne eam sibi propriam facere?*

Resp. Neg., quia ovis etiam in ore lupi *clamat ad dominum,* pergit scilicet esse in eiusdem dominio, etsi certo amittenda, nisi ab alio salvetur. Idem dicendum est de eo, qui rem quamlibet extrahat ex incensa domo, etiamsi ibi certo esset peritura. Attamen si damnum aliquod passus fuisset, huius compensationem exigere posset, nisi damnum valorem rei superet.

574. **Resolves.** — 1° Examen apum, quod ex alveo tuo evolaverit, eo usque tuum est, quamdiu in conspectu tuo remanet, nec difficilis tibi evasit ipsius prosecutio. Aliter fit primi occupantis. Ex Iure Gallico pertinet ad dominum fundi, in quo constitit.

2° Columbae fugientes proprio motu, quin fraude attractae sint, fiunt eius, in cuius columbario sedem figunt. Secus si fraude, v. gr. cibo omnino extraordinario, seu valde exquisito attractae fuerint. — *Lugo, D. 6. n. 42.,* etc.

3° Venator egrediens terminos suos, et vicina aliorum loca adiens ordinarie non peccat; quia vicini proprietarii hoc sciunt, ipsique vicissim idem faciunt, contenti mulcta, si deprehendant. — *Reuter.*

4° Qui a Gubernio emit ius in flumine quopiam piscandi, non potest iure isto privari sine iniustitia; unde teneretur ad damnum illatum compensandum, qui tantum piscium multitudinem caperet vel destrueret, ut emptoris ius notabiliter laederet; secus autem, si non tam multos pisces caperet; quia ius locatarii non inde vilius redditur, neque singulos pisces rigorose attingit, cum hi e loco exire valeant, vel ibi non sint certo capiendi. — *V. Casus, n. 510. et seq.*

Gubernium in Gallia locat ius piscandi in fluminibus navigabilibus. In caeteris hoc ius pertinet ad proprietarios adiacentes. Ubique tamen linea proiectili piscari licet.

PUNCTUM II.

De inventione.

575. — Quadruplicis generis distinguuntur bona, quae inveniri possunt, scilicet *thesauri, res nuper amissae, bona derelicta,* et *bona vacantia.*

Thesaurus, ex Iure Rom., est summa pecuniae abscondita, cuius memoria non exstat. — Attamen ex communi interpretatione, nomine thesauri veniunt etiam aliae res pretio aestimabiles, quae infossae reperiuntur. — Ex Iure autem Gallico thesaurus est res quaecumque abscondita, vel infossa, quam nemo probare potest esse suam, et quae casu invenitur.

Res amissae eae dicuntur, quae a domino involuntarie relinquuntur. A thesauro differunt, quia non sunt absconditae neque infossae, sed ordinarie sunt recenter perditae.

Bona derelicta ea sunt, quae dominus abiecit cum animo non amplius ea possidendi. Bona autem vacantia dicuntur ea, quae a moriente absque testamento et heredibus relinquuntur.

576. **Principia.** — 1. Thesaurus ab ipso fundi domino repertus, totus cedit inventori. Thesaurus vero in alterius fundo inventus, ex iure positivo (quidquid sit de iure naturali) inter proprietarium fundi et inventorem aeque dividi debet, si fortuito repertus sit; si autem ex industria, et inscio fundi domino, atque adeo sine huius consensu, huic totus cedit, post sententiam tamen iudicis (*a*). — *Ita Ius Rom. et Gall.* — Thesaurus autem in loco publico inventus dividi debet inter inventorem et fiscum, si locus sit *profanus;* et inter inventorem et fabricam aut Praelatum, si locus habeatur ut *sacer.* Sic *de Iur. Rom.* Sic etiam supponere videtur Ius Gallicum, quia locus publicus revera ad aliquem dominum pertinet (*b*), nempe vel ad Rempublicam, vel ad municipium, aut Ecclesiam. — *Gousset. Code commenté, art.* 710.

(*a*) Verba ista Auctoris, *post sententiam iudicis,* non sic accipias, quasi citra huiusmodi sententiam nihil domino fundi debeatur. Nam ante omnem iudicis sententiam vi legum inventor dimidiam partem domino fundi ex conscientia tribuere tenetur. Iudicis ergo sententia expectari potest quoad alteram partem, quae inventori cedit, quando fortuito thesaurum reperiat; cum enim inventor hac privetur in poenam criminis, atque adeo lex ista videatur poenalis, idcirco non videtur ista obligare ante sententiam iudicis condemnatoriam, prouti communiter tenent Doctores.

(*b*) Non videtur insistendum huic rationi, sed potius legum decretis, quae habentur in *Instit. De rer. divis.* §. *Thesaurus.* Ratio est, quia si respublica, v. gr. gereret *vices domini,* servandae forent leges communes de parte, quae ad fundi dominum *pro diversis casibus* pertinet, et sic, v. gr. totus thesaurus cedere deberet fisco, si de industria et insciis magistratibus quaesitus fuisset. Atqui lex, nulla facta horum casuum distinctio-

II. Res nuper amissae domino, si inveniatur, reddi debent, quia amissionis factum non est titulus ad dominum re sua spoliandum. Insuper iuxta axioma ab omnibus receptum, *ad retinendum sufficit sola intentio; ad occupandum autem requiritur realis apprehensio cum legitima habendi intentione ;* atqui nemo habere potest *intentionem legitimam* accipiendi vel retinendi sibi rem, quam scit ad alium dominum cognitum pertinere; igitur ipsi restituere illam debet. Hinc effatum : *Res clamat ad dominum* (*a*).

III. Bona derelicta et vacantia de iure naturali *primi occupantis* fiunt. Ratio, quia nullum amplius dominum habent; cedunt ergo primo occupanti, haud secus ac illa, quae nunquam dominum habuerunt. — *Ita communissime theologi.* — De iure autem positivo communiter Reipublicae tribuuntur. (*C. C. 539*). Hoc tamen ex consuetudine ad sola immobilia restringendum videtur, saltem ante iudicis sententiam. — *Carrière, n. 285 et 343., post plures iurisperitos.*

ne, dimidiam partem sine exceptione inventori attribuit. Ita Card. De Lugo (*De Iust. Disp. 6. n. 115.*), ubi allatis ex Iustiniani Institutionibus (*De rer. divis. §. Thesaur. 39.*) hisce verbis : *Si quis in fiscali loco, vel publico, vel civitatis, thesaurum invenerit, dimidium ipsius esse, et dimidium fisci vel civitatis*, merito subdit : *Quod intelligitur sive fortuito sive ex industria inveniatur: in hoc enim casu nulla fit differentia.* Alia autem iura, quae adversus hanc sententiam opponit Molina (*De Iust. et Iur. Tract. 2. Disp. 56. n. 2.*), ipsam potius confirmant. Etenim *L. unic. C. De Thesauris,* et *L. Si is qui 63. ff. De adquirendo rerum dominio,* nihilo plus habent, quam allatus ex *Institut.* textus. Quemadmodum igitur de hoc ratiocinatur Lugo, de illis ratiocinari cuique licebit. Huic legis dispositioni quidpiam additur in *L. Non intelligitur 3. §. Deferre 12. ff. De Iure fisci,* in haec verba : *Qui autem, cum in loco fisci thesaurum invenerit, et partem ad fiscum pertinentem suppresserit, totum cum altero tanto cogitur solvere.* Atqui haec aperte contra Molinae opinionem faciunt. Nam a regula tribuendi fisco dimidiam tantum partem unicum excipitur crimen suppressae partis ad fiscum pertinentis. Ergo ex notissimo effato: *Exceptio firmat regulam*, etc., confirmatur Lugonis sententia, quoad thesauros in loco publico inventos nihil interesse, sive fortuito reperiantur, sive ex industria insciis magistratibus quaesiti fuerint.

(*a*) Circa rem a quopiam, sive noto sive ignoto, amissam, quam forte reperias, multiplex adesse potest obligatio.

Nam 1° obligare te potest charitas ad curam rei suscipiendam, si praevideas, secus rem quomodocumque domino perituram.

2° Itidem charitas exiget, ut, si quando tibi constet de re ab alio aut inventa aut amissa, id aliis aperias, quando prudenter iudices, id profuturum, ut res in manus domini redeat.

3° Si rem forte inventam ipse accipias, ex iustitia teneris imprimis diligentem rei curam gerere, eamque custodire. Cuius quidem obligationis mensuram ex iis deducere pronum est, quae DD. communiter tradunt de illa specie *quasi-contractus,* quae *gestio negotiorum* dici solet. Qua de re vid. Molina *De Iust. Tom. 2. Disp. 553. 554.*

4° Pariter si ignotus tibi est rei dominus, ex iustitia teneris rem non occultare; quam obligationem violabis, non modo si caute rem ita abscondas, ut rescire dominus non possit, rem apud te latere, sed etiam si media idonea non adhibeas ut notitia rei apud te existentis ad dominum perveniat.

577. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An qui suspicatur, in agro esse thesaurum, et illum emit communi pretio, thesaurum ibi inventum totum sibi retinere possit?*

Resp. Affirm. Quia thesaurus ille, cum non sit pars fundi, et lateat, non auget illius valorem. — *S. Thom. 2. 2. q. 66. art. 5.* — *Lugo, D. 16. n. 126.* — *Billuart,* etc. contra *alios.*

Quaer. 2° *An opifex, qui in domo aliqua laborando invenit in quodam angulo parietis vel in arca veteri summam pecuniae, illius partem retinere sibi possit?*

Resp. Disting. Si adsint vestigia, ex quibus iudicetur, pecuniam hanc esse cuiuspiam personae vel familiae, tota huic reddi debet; quia pecunia haec reputanda est ut bonum nuper amissum; secus dimidiam partem sibi retinere potest, quia tunc rationem thesauri habere videtur.

578. — Quaer. 3° *An inventor rei amissae, eam sibi retinere possit, si diligentia sufficienti adhibita, dominus non compareat, nec sit spes ulla ipsum inveniendi?*

Resp. I^a^ Sententia *negat,* et censet rem inventam tunc esse pauperibus, vel aliis usibus piis impendendam. Ratio est, quia dominus, solo amissionis facto, ius in rem suam non amisit; si autem remanet dominus, res illa impendi debet eo modo, quo velle praesumitur: porro haec eius voluntas praesumenda est, ut res in eiusdem utilitatem meliori modo impendatur, et consequenter in pia opera erogetur. — *Billuart, diss. 4. art. 2. §. 6.* — *Collet.* — *Habert,* etc. (*a*).

II^a^ Sententia *probabilior affirm.* Ratio est, quia res illa tunc pro derelicta habenda est. Quippe in hypothesi licet dominus non dimittat seu abdicet dominium proprie dictum in rem suam, penitus tamen amisit facultatem re sua utendi, et de ea disponendi, atque adeo res desinit esse in eiusdem dominio. Non est igitur quaerenda voluntas prioris domini, utpote qui amisso moraliter dominio, nihil de ea disponere potest. Ergo res illa moraliter ut derelicta habenda est; ergo *primi occupantis* fieri potest. — *Ita S. Lig. n. 605., ubi dicit hanc esse sententiam veriorem* (*b*). — *Lugo, disp. 6. n. 140.* — *Lacroix, n. 80.* — *Elbel, n. 171.,* etc.

(*a*) Prorsus huic opinioni debetur, quod saeculo elapso in quibusdam dioecesibus lege cautum sit, ut si quis rem invenerit, saltem quae superet 12 franc. valorem, denunciare id debeat Episcopo, ut hic de usu ipsius rei decernat; quasi scilicet certum ratumque foret, rem sic inventam palam et notorio iure esse in bonis ad pia opera destinatis, quorum administratio ad Episcopi sollicitudinem et auctoritatem spectet. Atqui praeterquam quod eam opinionem S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 603.*) ne satis quidem probabilem habet (nam oppositam appellat *veriorem*), Vasquez (*De Restit. Cap. 5. §. 4. Dub. 1. n. 12.*) affirmare non dubitat, irrationabilem esse consuetudinem, qua Episcopus sibi reservet constituendum modum, quo restitutio per usus pios fieri debeat, etiam cum de veris debitis incertis agitur; a fortiori autem id de casu nostro dicendum foret, quando probabilius est, nullum restituendi debitum existere.

(*b*) S. Alphonsus reipsa non omnino hanc sententiam tenet, sed tertiam

579. — Quaer. 4° *Quid agendum, si tandem dominus compareat, quando res fuit in pios usus impensa vel consumpta?*

Resp. 1° Si in pios usus impensa vel consumpta fuit, quando dominus censebatur iam non amplius inveniri posse, nulla facienda est restitutio, quia res pro derelicta haberi iure poterat, et proinde a primo occupante fuit legitime acquisita.

Resp. 2° Si in pios usus impensa vel consumpta fuit, cum adhuc spes affulgebat inveniendi dominum, tunc damnum est reparandum. Ratio est, quia in casu vel res conservanda erat, vel saltem eius pretium (*a*), cum adhuc dominium maneret penes dominum. — *S. Lig. n. 590., 603.; Hom. apost. n 69. — V. Casus, n. 516. et seq.*

PUNCTUM III.

De praescriptione.

580. — Praescriptio est ratio seu ius aliquod positivum acquirendi dominium, aut se liberandi ab aliqua obligatione per certum temporis lapsum, positis conditionibus a lege praefixis (*C. C. 2219.*).

Hinc duplex distinguenda est praescriptio: altera *acquisitiva*, per quam res aliqua aut ius aliquod acquiritur; altera *liberativa*, quae ab aliqua servitute vel aliquo onere liberat.

581. **Principia.** — I. Lex humana potest vi praescriptionis dominium rerum ab uno in alium transferre, etiam sine domini consensu. Ratio est, quia id non modo utile est, sed plane neces-

quandam, quae dum partim primae, partim secundae accedit, non satis sibi constare videtur.

(*a*) Difficultas est, quousque res aut pretium eius servari debeat, tamquam ad priorem eiusdem dominum adhuc pertinens; quam quidem difficultatem ne illa quidem solvunt, quae S. Alphonsus post Card. De Lugo disputat. Ea de re illud satis manifestum est, iudicium prudens de spe reperiendi rei inventae dominum abiicienda vel non abiicienda, a circumstantiis plurimum pendere, ac proinde temporis mensuram variam pro earum varietate esse.

Duo autem videntur non omittenda. Unum est, paulo severiorem videri normam, quam insinuare videntur quaedam Card. De Lugo verba (*De Iust. Disp. 6. n. 139.*), quasi expectandum sit, quousque inveniendi dominum adsit aliqua non quidem probabilitas sed possibilitas utut fortuita, adeo ut spes tunc solum abiiciatur, quando non nisi ex miraculo inveniri dominus possit. Ratio est, quia prudens actionum humanarum norma desumi ex communiter contingentibus, non vero ex fortuitis et extraordinariis solet et debet.

Alterum est, normam aliquam suppeditari a quibusdam codicibus civilibus, qui decernunt generatim, ut quoties adhibita sit praescripta diligentia ad quaerendum rei dominum, hoc post biennium non apparente, res inventori cedat. Etsi enim lex ista alicubi non vigeat, cum tamen haberi ut prudentiae dictamen possit, merito quis inferet, biennio post diligentias idoneas adhibitas elapso, posse inventorem de re tamquam sua ita disponere, ut sive eam absumpserit, sive possidendo ut suam praescripserit, ad nihil, etiam comparente dein forte domino, teneatur.

sarium ad bonum commune societatis, ad praecavendas nimirum vel dirimendas lites, quae alioquin saepius orirentur ex incerto possessionis iure. Aliunde aequitati naturali non repugnat, cum ante omnem eventum lex constituta sit, et hoc ipso omnibus et singulis parem lucri damnive sortem exhibeat.— *Ita generatim Canonistae et Theologi.* — *Gousset.* — *Bouvier.*

II. Praescriptio debitis vestita conditionibus transfert dominium in conscientia. Constat ex sensu genuino verborum quibus lex fertur. Dicitur enim *dominium transferri, acquiri,* etc. Aliunde auctoritas humana finem intentum, nempe publicam securitatem et conscientiarum pacem, nullatenus obtineret. Constat insuper ex Iure canonico, quod vim praescriptionis etiam pro conscientiae foro recognoscit.

III. Quinque haec ad legitime praescribendum requiruntur, scilicet res praescriptibilis, possessio, tempus requisitum, titulus, bona fides. Hinc vulgares versiculi:

> Non usu capies, ni sint tibi talia quinque:
> Si res apta, fides bona, sit titulus quoque iustus,
> Possideas iuste completo tempore legis.

Pauca de singulis dicemus.

I. *Res praescriptibilis.*

582. — Ea omnia et sola generatim praescribuntur, quae sub dominium et commercium privatum veniunt, et ad quorum acquisitionem dari potest titulus legitimus (*C. C. 2226.*). — Etenim cum finis praescriptionis sit dominium transferre ex auctoritate legis, talis translatio fieri nequit de re, quae ex natura sua, vel ex legum dispositione in dominium privatorum venire non possit. — Hinc res sacrae, ut Ecclesiae, coemeteria, iura ecclesiastica, necnon ea quae sunt dominii publici stricte sumpti, ut plateae, viae, etc., praescribi nequeunt (*a*).

(*a*) Ita iura, quae rebus non aptis praescribi addunt et *hominem liberum* (*Inst.* §. *1. De Usucap.*): *Aliquando etiam si maxime quis bona fide rem possederit, non tamen illi usucapio ullo tempore procedit: veluti si quis liberum hominem, vel rem sacram, vel religiosam... possideat.*

His ex iure communi addendae sunt *res furtivae* aut *vi possessae.* Ita Iura (*Inst.* §. *2. De Usucap.*): *Furtivae quoque res, et quae vi possessae sunt, nec si praedicto longo tempore bona fide possessae fuerint, usucapi possunt. Nam furtivarum rerum lex duodecim tabularum et lex Atinia inhibent usucapionem, vi possessarum lex Iulia et Plautia.*

Neque solum de furibus id intelligendum est, sed de aliis quoque, ad quos res furtivae devenerint. Sic *Inst.* §. *3. De Usucap.: Quod autem dictum est, furtivarum et vi possessarum rerum usucapionem per leges prohibitam esse, non eo pertinet, ut ne ipse fur, quive per vim possidet, usucapere possint (nam his alia ratione usucapio non competit, quia*

II. *Possessio.*

Possessio dicitur detentio rei nomine proprio, vel iuris alicuius exercitium (*a*). Haec possessio requiritur ad praescribendum (*b*). Constat ex Iure civili, tum Romano, tum Gallico. Accedit probatio etiam ex Iure can. deprompta. Sic enim iacet regula 3ª in 6º: *Sine possessione praescriptio non procedit.*

Variis autem conditionibus gaudere debet possessio. Debet enim esse 1º *dominativa,* seu res debet haberi animo proprietarii, non vero depositarii, etc.; — 2º *publica,* id est non clandestina, ita ut res non occultetur de industria ei, contra quem praescribitur (*c*);

scilicet mala fide possident), sed ne ullus alius, quamvis ab eis bona fide emerit vel ex alia causa acceperit, usucapiendi ius habeat. Hinc illud, rem *vitiosam* esse, et *vitium* cum re transire (*L. 11. C. De acquir. et retin. Poss.*). *Vitia possessionum a maioribus contracta perdurant; et successorem auctoris sui culpa comitatur.*

Quod vero Auctor de hoc rerum furtivarum aut vi possessarum vitio sileat, id tribuendum est indoli codicis gallici, qui (sapienter, nec ne, alii iudicent) damnum, a furibus illatum, legitimo potius rei domino, quam postremo eiusdem possessori subeundum decrevit.

(*a*) Hoc est, quod communiter appellari solet possessio *impropria,* seu *quasi-possessio;* nam proprie *possessio* dici consuevit solum de corporalibus rebus, non autem de incorporalibus, cuiusmodi est v. gr. ius eligendi, venandi, servitutum, etc.

(*b*) Triplex a DD. distinguitur possessio, *naturalis* nempe, *civilis,* et *mixta. Naturalis est* (ut exacte habet Schmalzgr. *Lib. 2. Tit. 12. n. 4.*), *cum quis rem quidem possidet corporis et animi adminiculo* (rem nempe apprehendit, eique insistit, ut eam tamquam suam capiat, habeatque); *alius tamen praeterea rei possessionem civilem retinet.*

Civilis, ut a naturali separata, est cum quis rem aliquando naturaliter possessam, non quidem actu corporis vel per se vel per alium, sed animi tamen adminiculo possidere pergit.

Mixta est, quando quis corporis et animi adminiculo rem ita actualiter possidet, ut nullus alius eiusdem rei possessionem civilem retineat. Haec est perfectissima possessio.

Apud iuris interpretes mentio fit etiam possessionis *civilissimae,* quando nempe ex dispositione legum dominium et possessio citra aliquem actum corporis (scil. citra actum apprehendendi) verum vel fictum transfertur. Quam in rem facit *C. Ecclesia 3. De Causa Possess. et Propriet.*, et *C. Contingit 9. De dolo et contumacia.*

Porro ad praescriptionem inchoandam necessaria est non solum possessio *naturalis,* quippe sine actuali rei apprehensione, vera vel ficta, ne ipsa quidem inchoatur possessio, sed requiritur etiam *civilis,* quatenus et cum dominii opinione, et cum voluntate rem uti suam possidere intendat. Asserta tamen *naturalis* possessionis necessitas non excludit, quominus sufficiat *civilissima;* nam cum ex legum dispositione haec censeatur *vera possessio,* quoad effectus nihil differre a vera naturali civilique possessione debet. *Vid. Reiffenst. Lib. 2. Tit. 26. n. 190.*

(*c*) Secunda haec conditio, quam et cl. Scavini memorat (*De Praescript. q. 4. n. 4.*), desumpta est ex Cod. Gallic. *art. 2229.* Sed manifestum est, eam ad forum externum spectare; nam quoad forum conscientiae ad rem non facit. Et sane quisquis quoad forum internum praescripturus est, opor-

— 3° *tranquilla,* ita ut nulla litis contestatio de re intercesserit; — 4° *certa,* hoc est non *aequivoca;* — 5° *continuata,* seu non *interrupta,* donec tempus requisitum compleatur.

III. *Titulus.*

583. — Titulus dicitur causa *per se* ad dominium transferendum sufficiens, v. gr. emptio, donatio, etc. Ex Iure Romano quadruplex titulus distingui solet, nempe verus, coloratus, putatus seu existimatus, et praesumptus.

Non requiritur quidem *titulus verus,* ut patet; secus enim possessor praescriptione non indigeret ad rem acquirendam; sufficit itaque *coloratus,* id est qui prae se speciem veri tituli ferat, licet in se ob occultum vitium verus non sit (*a*). — Pro praescriptione triginta annorum nullus requiritur titulus, sed sola possessio sufficit etiam in conscientia, modo adsit bona fides; seu potius tunc habetur titulus praesumptus in ipso facto possessionis *tranquillae* per tantum temporis intervallum.

Ex Iure autem Gallico nullus requiritur titulus pro rebus mobilibus praescribendis (*b*). Hinc effatum: *Pro mobilibus possessio titulo aequivalet* (*C. C. 2279.*). Unde qui rem detinet, eius dominus censetur, nisi contrarium probetur.

IV. *Tempus requisitum.*

584. — I. Quoad praescriptionem *acquisitivam:*

1° Pro rebus *immobilibus* sine speciali titulo possessis requiruntur triginta anni ad praescribendum. — Cum titulo autem spe-

tet ut bona fide ignoret, rem non esse suam, atque uti suam retinere debet. Quorsum ergo monitum, ne possideat clandestine? Id valebit pro fure, qui ideo occultet, ut a possessione tranquilla non perturbetur, donec praescriptionis tempus implere possit.

(*a*) Sufficit etiam titulus mere *putativus* seu existimatus, quando nimirum probabiliter creditur intervenisse titulus, qui tamen reipsa non affuit; v. gr. si heres cuipiam rem tradat tamquam huic ex testamento legatam, quae tamen revera legata non fuit. Qua de re ita *L. 5. ff. Pro Legato: Ea res, quae legati nomine tradita est, quamvis dominus eius vivat, legatorum tamen nomine usucapitur* (*L. 6. ff. eod. tit.*), *si is, cui tradita est, mortui esse existimaverit.* Requiritur tamen, ut titulus affuisse rationabiliter existimetur.

(*b*) Hoc valere poterit pro foro externo, in quo utique praesumitur, rem ad eum pertinere, qui suam esse eam affirmat; etsi alioqui rei possessio nihil definiat, cum rem penes se possideant tum veri domini, tum fures quoque et latrones, uti frequens experientia testatur.

At quod possessio sic intellecta, nempe citra ullum titulum, valere possit in foro conscientiae, hypothesis est plane absurda. In foro enim conscientiae repugnat praescriptio sine bona fide. Bona fides autem est iudicium, quo nostrum id esse credimus, quod ut nostrum volumus possidere. Atqui repugnat, quod aliquid esse nostrum existimemus, si nulla causa sit

ciali decem anni requiruntur et sufficiunt, si verus dominus sit praesens, id est si habitet in eadem provincia, in qua situs est fundus praescriptioni obnoxius; si autem verus dominus sit absens, anni absentiae duplicantur. Haec autem provincia legibus particularibus determinatur.

In Gallia praesens dicitur verus dominus, si domicilium habeat in loco subiecto eidem Curiae superiori *(Cour d'appel)*, in cuius territorio fundus iacet.

2° Omnes actiones tam reales quam personales per 30 annos absque titulo praescribuntur.

3° Servitutes *activae*, si sint continuae et apparentes, praescribuntur cum titulo sicut immobilia, atque adeo triginta annis, si specialis titulus desit. Servitutes autem *activae non apparentes* praescriptioni non sunt obnoxiae absque titulo. Dicuntur autem *non apparentes*, quae *per se* non patent, ut v. gr. est prohibitio aedificandi in tali fundo, vel aedificium ultra talem altitudinem extollendi. — An vero cum titulo praescribi possint decennio ut immobilia, *controvertitur*.

4° Pro rebus *mobilibus* Iure Romano requiruntur tres anni cum titulo, triginta vero sine titulo. — Ex Iure autem *Gallico*, tres anni sine titulo pro rebus furtivis et inventis; quoad caeteras vero, sola possessio sufficit (*art. 2279.*).

5° Si res aliena possessa fuerit a pluribus successive, ultimus possessor ad praescribendum computare potest omne tempus, quo ab aliis bona fide detenta fuerit, etiamsi eam a paucis diebus habeat, quando praescriptionis tempus completur.

6° In Iure Rom. et Can. requiruntur 40 anni ad praescribenda bona ecclesiastica; et 100 pro bonis Ecclesiae romanae, vel S. Ioannis Lateranensis. Ius autem Gallicum bona ecclesiastica ab aliis non distinguit (*a*).

cur id putemus, nempe si nullus adsit titulus. Ergo sine titulo impossibile est inchoare possessionem bonae fidei, scilicet impossibilis est vel illa ipsa possessio, quam dicunt tituli locum tenere, cum sine titulo ne incipere quidem possim rem tamquam meam habere, seu pro mea possidere.

(*a*) Vestigium hic habes reprobi sensus, in quem aetas harum legum auctrix traditam se prodit. Quod enim speciale aliquod obsequium seu reverentia rebus Deo sacris debeatur, adeo vel ipsum naturalis rationis dictamen suggerit, ui id receptum aetate qualibet et apud omnes populos, utut paganos ac barbaros, reperiamus.

Adde quod singulare aliquod pro bonis ecclesiasticis privilegium hac etiam de causa necessarium visum antiquae sapientiae fuerat, quod cum bona ista ab iis administrentur, qui ipsorum non habent dominium, propterea merito aequiparanda videbantur bonis pupillorum ac minorennium, quorum singularem curam nunquam leges non susceperunt, licet alioqui tutoribus aut curatoribus non destituantur.

Bouvier (*De Iur. et Iust. C.2. §. 4. Sect. 3. punct. 2. prop. 2.*) bene limitat, praescriptionem bonorum ecclesiasticorum eodem modo ac, aliorum, fieri, *saltem in foro externo*. Nam reipsa civiles leges naturalibus Ecclesiae iuribus derogare, nisi penes paganos legumlatores, non possunt.

II. Quoad praescriptionem *liberativam:*

1° Servitutes *passivae,* census, et omnia debita, supposita bona fide, extinguuntur post triginta annos.— *S. Lig. n. 513.*— *Lugo,* etc. — (*C. C. 2262.*).

2° Ex Iure Gallico quinque anni sufficiunt ad praescribendum pensiones ex censibus debitas, pensiones alimentarias, pretium locationis domorum, praediorum, et quidquid quotannis, vel post tempus brevius solvendum est (*art.* 2277.). — Sunt etiam aliae praescriptiones breviores: sic v. gr. sex menses tantum requiruntur pro stipendiis operariorum, hospitum, etc.; — unus annus pro stipendiis medicorum, famulorum, etc.; — duo anni pro stipendiis procuratorum, causa finita (*a*). — (*Art. 2271. et seq.*).

585. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quandonam praescriptio dicatur interrupta?*

Resp. Quando ob impedimentum interpositum cessat tali modo, ut iterum inchoari debeat. Hoc autem duplici modo fieri potest: 1° *naturaliter,* si praescribens amittat possessionem per tempus anno integro maius, aut si mala fides superveniat; 2° *civiliter,* si lis moveatur *iuridice* circa possessionem, nec interpellatio a iudice reiecta fuerit.— *Sic Ius Rom. et Gall.*

QUAER. 2° *Quandonam dicatur praescriptio suspensa?*

Resp. Quando impedimentum ei obiicitur, ne procedat ulterius; scilicet 1° dum iudicia exerceri nequeunt, v. gr. tempore pestis, belli;— 2° contra Ecclesiam, dum caret rectore seu superiore; — 3° contra pupillos toto tempore, quo pupilli remanent (*b*); — 4° contra quemlibet, qui ius suum prosequi nequit. — *Sic iura communius.*

586. — QUAER. 3° *An valeant in conscientia praescriptiones trium annorum pro rebus mobilibus furtivis et inventis, ut fert Ius Gallicum?*

Resp. 1° *quoad res furtivas.* 1° Fur, seu possessor malae fidei, nunquam praescribere potest, etiamsi lapsu temporis oblitus fuerit, se rem iniuste accepisse, cum possessionem mala fide inceperit. 2° Emptor autem aut donatarius, qui rem bona fide a fure accepit, praescribere potest, si adsint caeterae conditiones ad praescriptionem requisitae (*c*).

(*a*) Quoad ista quisque regionis suae leges consulere debet.

(*b*) Contra bona pupillorum neque inchoari potest praescriptio, neque continuari, si inchoata contra praecessorem fuerit; idque ex iure communi valet tum de ordinarii, tum de extraordinarii et longissimi, scilicet *tricennalis* temporis praescriptione. Differt autem conditio minorennium, quod contra horum bona inchoari quidem aut continuari nequeat praescriptio temporis ordinarii, inchoari tamen et currere possit tricennalis praescriptio.

(*c*) Huic controversiae occasionem dederunt duo articuli Codicis Gallici, nempe 2279. et 2280., quos deinde, utut cessante gallica invasione, retinuerunt etiam quidam Italiae codices, uti pedemontanus, parmensis, mutinensis et siculus.

Articulus 2279. sic se habet: *Quoad bona mobilia possessio eundem*

Resp. 2° *quoad res inventas*. Secundus possessor, seu successor inventoris titulo emptionis, donationis, etc. praescribere potest, ut de successore furis dictum est. — An vero primus possessor rei

effectum producit ac titulus. Nihilominus ille, qui amisit rem aliquam, aut cui furto sublata haec fuit, revindicare eam potest trium annorum spatio, quod computandum est a die amissionis vel furti, ab illo, apud quem rem reperit, servata huic actione contra eum, a quo illam accepit.

Articulus autem 2280: *Si actualis possessor rei furto ablatae aut amissae, eam emerit in nundinis vel mercatu, aut occasione publicae licitationis, aut a mercatore, qui eiusmodi merces divendat, proprietarius originarius* (dominus) *non potest eam sibi revindicare, nisi possessori solvat pretium, quo eam acquisivit.*

Quaestio itaque fit, num istae dispositiones quoad res furtivas valeant etiam in foro conscientiae, an vero eodem loco habendae sint, ac praescriptiones *liberativae*, quae mere eo spectant, ut ad minuendum litium numerum actio creditori in foro externo negetur. Et A., uti patet, opinioni adhaeret, quae illas dispositiones pro interno quoque foro admittit; quae opinio placuit et nonnullis aliis aetatis nostrae scriptoribus contra certam veterum omnium sententiam, qui id recipiunt tantummodo quoad praescriptionem longissimi temporis, tricennalis scilicet, quo actiones omnes extinguuntur.

Dicendum tamen est, istam recentiorum opinionem hinc quidem haud satis firmis niti rationibus, inde vero gravibus premi difficultatibus. Et sane rationem afferunt, alii quidem, quod *mens legislatoris videatur, ut lex illa in conscientia obtineat;* alii vero, quod lex *haberi uti iusta debeat, propterea quod commercio, bono publico, paci et tranquillitati possessionum utilissima sit.* Quae postrema est Rmi Bouvier.

At enim quoad primam rationem, negandum prorsus est, eas dispositiones ex mente legislatoris in conscientia posse obtinere. Et sane cum lex 1° nullam bonam fidem exigat, 2° nullum exigat possessionis titulum praeter ipsam possessionem, ac 3° mere exigat, ut res furtiva non reperiatur a domino ante triennium; profecto auctores legis, nisi eos stupidissimos fingamus, pervidere facile potuerunt, contingere posse, ut res furtiva vi legis per praescriptionem adiudicanda sit ipsismet furibus ac latronibus.

Nec prodesse satis videtur, quod isti scriptores cum A. addunt, se conditionem apponere, *dummodo adsint aliae conditiones ad praescribendum requisitae,* aut quod iuxta pedemontanum codicem possessio habeat vim tituli solum *in favorem tertii.* Nam hic quaestio esse debet, an vis transferendi dominium tribui queat legi *in se spectatae et prouti iacet.* Atqui lex, prouti iacet, conditiones, quas isti scriptores addunt, non postulat, sed rem etiam a fure praescribi permittit. Ergo. Limitatio autem in codice pedemontano apposita non impedit, quominus praescribere possit *tertius,* qui conscius sit, rem esse furtivam. Quocirca sapienter Codex austriacus (§.367.) saltem expresse cavit, ut hic *tertius* esset *bonae fidei* possessor.

Et his quidem robur accedit ex comparatione cum eiusdem codicis articulis, qui praescriptiones liberativas statuunt, tum etiam cum articulo 2269, qui decernit, ad praescribenda bona immobilia sufficere, quod bona fides affuerit tempore acquisitae possessionis. Nam eodem modo vi praescriptionis res adiudicatur possessori. Attamen et ipsimet scriptores negant, liberativas praescriptiones in conscientia valere, et idipsum statuant oportet de eo, cui bona fides, quae tempore acquisitionis non defuit, desit deinde ante impletum praescribendi tempus.

Quod vero spectat ad articulum 2280, qui statuit, rem furtivam a domino recuperari non posse, nisi tanti eam redimat, quanti eam quispiam *in nundinis aut a mercatore,* etc. emerit; reipsa ad praescriptionis argu-

inventae dici possit bonae fidei, praemissa debita diligentia ad dominum inveniendum, et ita praescribere, *controvertitur*. Affirmandum autem videtur; quia si spectatis circumstantiis, adhibitaque debita diligentia, dominus inveniri nequeat, nec affulgeat spes ulla eum inveniendi, hic rei dominio ita excidit, ut res nullius esse censeatur, atque adeo primi occupantis fiat. Inventor igitur in eo casu incipere potest rei possessionem cum animo eam retinendi ut propriam. — *Elbel, n. 172.* — *Sporer, de inventione n. 187.*

mentum non pertinet. Id enim servandum sancit quovis tempore etiam intra triennium, adeo ut etiam biduo post furtum contingere id possit, v. gr. si fur in nundinis alterius pagi vitulum aut equum furtivum postridie furti vendat.

Quaestio igitur eo adducitur, an iusta videri lex possit, quae quasi supponit, a fure transferri dominium posse in ementem in nundinis, etc. Et ius quidem commune semper negavit dominium transferri; atque adeo domino ius et actionem in rem ipsam servavit, quo posset sibi eam vindicare, quisquis tandem, sive fur sive alius, nunc illam detineret. Quocirca plane risum movet, quod aut compilatores codicis gallici, aut nescio quis alius, huic legi subiecerint nonnullas allegationes ex iure romano communi, ubi agit de *usucapione rei alienae,* quae, v. gr. vendatur bona fide a non domino, vel ab interdicto ad alienandum. Nam stupidus sit oportet, aut prorsus in iure romano peregrinus, qui rem *alienam* confundat cum re *furtiva.* Quin imo *L. 10. ff. De usurp. et usucap.*, quam et isti allegarunt, evincit oppositum, dum usucapi posse dicit rem *alienam*, usucapi vero rem *furtivam* negat.

Caeterum cum ius romanum plane conforme sit iuri naturae, cui plane repugnat, quod dominus cogatur emere rem suam; et rei dominium domino servari supponat etiam ius gallicum, quando ante impletum triennium ius facit domino rem sibi revindicandi, dummodo possessor eam in nundinis, etc. non acquisiverit; oporteret profecto, ut quod de iustitia praescriptionum secundum ius naturale, civile commune, et canonicum generatim statuitur, id etiam in casu valeret, nimirum tam gravem adesse rationem, cur domino res sua auferatur, ut hanc domini spoliationem necessariam efficeret. Et in eam rem Reverendissimus D. Bouvier deprompsit commercii utilitatem, et possessionum tranquillitatem.

At enim quod adsit ista urgens necessitatis ratio, valde dubium iniicit, quod per tot saecula nemo eam perviderit; imo viderit necessarium esse, ut in eo casu lex naturae servetur. Nec obiicere quis poterit diversa temporum adiuncta; quin imo quo magis corrupta apparet societas, et ars nocendi callidior et audacior, eo gravior urgebit necessitas, ut respublica per leges iura proprietatis tueatur.

Quoad rationes vero a Bouvier depromptas, numquid ad hanc usque aetatem, aut in locis, ubi lex ea non viget, commercium praepeditum est adeo, ut manifeste desideranda sit etiam rerum furtivarum libera et tuta permutatio? Aut deterreri solemus a rebus, quae in nundinis seu penes mercatores prostant, emendis, aut de rerum sic emptarum tranquilla possessione trepidare solemus?

Contra vero quid valet microscopicum illud commercii commodum prae gravibus incommodis ex eadem lege profluentibus? Et gravissimum sane incommodum est, quod maleficio aliorum dominus rerum suarum non possessione modo, sed prorsus dominio atque omni iure excidat. Neque dicas, in pari conditione versari rei furtivae emptorem, si a domino res evincatur. Nam dominus evincit, quod iure naturae suum est; emptor vero con-

587. — Quaer. 4° *An caetera mobilia praescribi possint in conscientia solo titulo possessionis* (a) *iuxta Ius Gallicum?*

Resp. Controvertitur. Alii requirunt triginta annos, quia nullum tempus statuitur a iure, nec videtur sufficiens solus titulus possessionis. Id verum esse potest, quatenus per 30 annos extinguuntur omnes actiones, etiam titulo speciali deficiente. Alii requirunt tres annos tantum. Nam silet Ius Gallicum novum. Vetus autem fuit

tra retinet quod iure naturae suum non est, sed alterius, damnumque, furis fraude sibi illatum, iniusta alterius innoxii spoliatione compensat.

Gravissimum itidem incommodum societati inducit lex, quae amplissimum favorem furibus invehit. Facilis quippe ratio sic suppetit fruendi furtorum fructibus, quando societate cum eiusdem farinae hominibus inita, ad tutissimum rerum furtivarum praesidium sufficit, quod res furtiva ad alius manus in nundinis devenerit.

(a) Superius (*in not. ad n. 583.*) iam advertimus, repugnare hypothesim *bonae fidei* ad praescribendum in foro interno necessariae, quando desit quivis titulus, propter quem quis credat suam esse rem quampiam, quam uti suam vult retinere. Quocirca diximus, effatum illud, *possessionem quoad mobilia valere pro titulo*, mere in foro externo deservire ad praesumendum pro legitima possessione in ordine ad praescriptionem inducendam, uti etiam articulus 2230. eiusdem codicis insinuat.

Proinde opportunius hic quaestio fieret, quantum temporis requiratur ad praescribenda caetera mobilia (quae scilicet neque res *inventae* nec *furtivae* dici possint), si aliae conditiones necessariae non desint: qua de re minus forte opportune A. exempla ponit rei *locatae* vel *depositae* (nam etiam iuxta gallicum codicem, *art. 2236.* conductor et depositarius rei alienae praescribere hanc nullatenus ullo tempore possunt), nisi exempla illa intelligantur de re *locata* vel *deposita,* quae per errorem bona fide in manus alterius quopiam titulo devenerit.

Caeterum quod scriptores ab A. memorati supponunt, ius novum gallicum prorsus siluisse de mobilibus, quae censu rerum amissarum aut furtivarum nequaquam contineri putant, hoc enimvero abhorrere a verisimili videtur. Verumtamen in hac hypothesi rationabilior sane videretur opinio, quam postremam A. refert, non quatenus statuit, *sufficere titulum possessionis* (quae verba nullum sensum probabilem ibi habere possunt), sed quatenus triennalem possessionem cum bona fide ad praescribendum sufficere etiam in conscientia admittit. Nam absurde hisce mobilibus negaretur privilegium, quod ne furtivis quidem rebus idem codex denegat. Sed enim, ut dictum est, haec hypothesis non videtur verisimilis. Et siquidem in re, quae obscura videri potuit, opinari fas est, putaverim, eiusmodi quoque mobilia in codice gallico nomine *rerum amissarum* contineri. Haud obscura enim partitio rerum est, ut aliae sine alterius maleficio, aliae vero ex maleficio alieno possessioni dominorum subtrahantur. Et sicut in Iure *res furtiva* latissimo sensu accipitur pro re qualibet, quam citra domini voluntatem quis alienam sciens, atque adeo per maleficium, contrectaverit seu alienaverit (*Instit. De Usucap.* §. *3.* — *L. 2. C. De Usucap. pro donato* — *L. 1. C. De Usucap. pro empt.*); ita lato sed vero sensu *res amissa* dici potest, quaecumque res citra voluntatem domini absque cuiusquam maleficio, sed casu aut ignoranter in alterius possessionem transit, licet non omnis res *amissa* hoc sensu, possit sensu aeque proprio dici *inventa* quoad illum, qui ipsam possidere incipit. Et reipsa vocem *amittendi* latiori hoc sensu usurpari etiam ex iure communi (Vid. *ff. Lib. 8. Tit. VI. Quemadmodum servitutes amittuntur,* et *Lib. 41. Tit. II. De adquirenda et amittenda possessione*) facile patet.

abrogatum. Hoc autem, ut videtur, admitti potest. Etenim si ius admittit praescriptionem triennalem pro rebus furtivis et inventis, etiam pro aliis illam admittere debet. — Alii *probabilius* admittunt, *per se* sufficere titulum possessionis. Nec videntur adesse tanta incommoda in hac sententia; quia praeter res furtivas et res inventas, quae triennio praescribuntur, casus possessionis rei alienae valde rari sunt, v. gr. in re locata, vel deposita; et cum possessio pollere debeat variis conditionibus, quae unico instanti impleri non possunt, saepius recidet haec praescriptio in praescriptionem triennalem, quae in conscientia admitti potest.

588. — QUAER. 5° *An valeant in conscientia praescriptiones liberativae quinque annorum ex iure Gallico?*

Resp. 1° *Neg.*, si de primo debitore agatur, quia in eo supponi nequit bona fides, quae ignorantiam debiti omnino requirit.

Resp. 2° *Affirm.*, quoad primi debitoris successores saltem titulo particulari, iuxta dicenda infra *n. 590.*, si debitum auctoris ignoraverint. — *Gousset, n. 719.*

QUAER. 6° *An praescriptiones liberativae triennio minores Iuris Gallici valeant in conscientia?*

Resp. Neg., quia in talibus praescriptionibus legislator intentionem non habet dominium transferendi. Sic clare supponit art. 2275 Codicis civilis, iuxta quem ii, qui praescriptionem opponunt, tenentur iurare, se debitum revera solvisse.

V. *Bona Fides.*

589. — Bona fides in hac materia est firma persuasio, qua quis prudenter iudicat, rem a se possessam esse suam.

I. Haec bona fides omnino necessaria est ad acquirendum dominium ex praescriptione: ratio est, quia quisquis advertit, se possidere bona aliena, eo ipso statim obligationem restitutionis contrahit, cum res aliena tum iure naturali, tum etiam positivo, sive divino sive humano, scienter neque subripi, neque retineri possit. Constat etiam ex *Conc. Lateran. IV*, necnon ex secunda regula Iuris in 6° quae sic se habet: *Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit.* Unde dispositiones iuris civilis, in quantum bonam fidem non exigunt, aut eam tantum in principio possessionis exigunt, pro foro interno non valent, et velut mera recursus idest *actionis* contra alium denegatio sunt habendae.

II. Requiritur autem bona fides non solum ad praescriptionem *acquisitivam*, sed etiam ad *liberativam*, quia pro utraque eaedem rationes et auctoritates aeque urgent.

Verumtamen iuxta multos theologos et iuristas, bona fides non requiritur ad se liberandum ab aliqua *servitute passiva*, seu potius dicendum, bonam fidem in hoc consistere, ut nullum ponatur obstaculum, quo alter ab usu iuris sui impediatur. Ratio est, quia

praescribens nullo ligatur debito erga eum, contra quem praescribit; nec tenetur, decurrente praescriptionis tempore, monere alium, ut contra ipsum servitutis iure utatur. Hoc tamen alii negant. — *Vide Bouvier* (*a*), etc.

590. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An praescribat heres, qui dubitat de bona fide antecessorum?*

Resp. Affirm., quia mala fides *per se et ordinarie* praesumi non debet, cum nemo malus praesumatur, nisi probetur. — *Ita communiter.*

QUAER. 2° *An mala fides antecessoris semper impediat successorem a praescriptione?*

Resp. 1° *Affirm.*, si heres succedat ex titulo universali, saltem pro praescriptionibus ordinariis, seu 10 vel 20 annorum; quia fictione iuris heres censetur esse unica persona moralis cum auctore (*b*).

(*a*) Bouvier (*De Iure, etc. Part. I. Cap. 2. art. I. Sect. 3. Punct. 2.*) mere dicit, *videri aliter sensisse* Pothier. Hic autem siquidem a communi sententia dissensit (nam quae ex eo indicat Bouvier, ambigua sunt), argumento caeteroquin utitur, quod esset mera principii petitio.

Insuper advertendum fuerat, ex communi Theologorum et Iurisconsultorum sententia id, quod dicitur, ad extinguendam praescriptione servitutem non *requiri bonam fidem,* valere tantum quoad servitutes praediorum rusticorum; ad quam praescriptionem non requiritur ullus actus praescribentis, sed tantum non usus illius, cui ius servitutis competit. Aliter vero in servitutibus urbanis dicendum est; contra quas cum non praescribatur sine aliquo actu positivo praescribentis, requiritur, ut hic ponatur cum bona fide, qua quis se liberum a servitute putet: alioquin actus ille positivus fieret iniuste, nec praescribendo locum concederet.

Sed ista forte Bouvier, non secus ac A., omisit, quia nihil inter servitutes urbanas ac rusticas distinguit codex gallicus: qui praeterea in hoc etiam differt a iure communi romano, quod tum ad acquirendum ius servitutis, tum ad extinguendas praescriptionis ope servitutes ille quidem (*art. 642. et 706.*) longissimum triginta annorum spatium exigat; hoc vero idem tempus, ad praescribenda immobilia, praefiniat, nimirum (*L. 13. C. De Servit.*) decennii inter praesentes, vicennii inter absentes.

(*b*) De vi huius rationis sic egregie Lugo (*De Iust. Disp. 7. n. 59.*): *Ratio communis afferri solet, quod scilicet una et eadem reputatur possessio defuncti et heredis; et cum illa una possessio initium habuerit vitiosum, tota possessio iuris fictione reputatur vitiosa. Haec tamen ratio, si nude accipiatur, videtur infirma.* Et rationem reddit, quia *si defunctus ipse primo anno habuisset malam fidem, et tempore sequenti haberet bonam, mala fides praecedens non noceret possessioni eiusdem cum bona fide pro tempore sequenti, sed posset ex tunc incipere praescriptionem.* Deinde prosequitur (*n. 60.*): *Ratio ergo huius decisionis esse debet, quod successor universalis, hoc est, heres ita repraesentat personam defuncti, ut succedat in omnes obligationes et onera: cum ergo praecessor ob malam fidem et iniustam rei acceptionem et retentionem contraxerit obligationem restituendi et impediendi praescriptionem illius rei, et resarciendi omnia damna; heres in hac ipsa obligatione succedit; et ideo non potest cooperari praescriptioni, quam ipsemet tenetur impedire, pro qua debet restituere. In quo sensu intelligi potest ratio communis supra adducta; non quod possessio heredis et defuncti sit utcumque eadem, sed ita ut heres*

Resp. 2° *Neg.*, si succedat titulo particulari, quia tunc non censetur unicam personam constituere cum antecessore. Idem dicendum est de rebus acquisitis emptione vel alio contractu.— *S. Lig. n. 516.*

QUAER. 3° *An mala fides antecessoris noceat successori universali, etiam quoad praescriptionem 30 annorum, id est, si heres bona fide hereditatem adiit, et dein per 30 annos possidet?*

Resp. Neg. probabilius, quia ius civile dicit, omnes obligationes tam reales quam personales posse praescribi per 30 annos. — *Ita Gousset, n. 720.,* et expl. Cod. civ. *art. 2256.*, contra alios qui dicunt, talem heredem non posse praescriptionem prosequi. — *Billuart. — Lugo,* etc.

QUAER. 4° *An mala fides antecessoris noceat heredi mediato?*

Resp. Neg. probabilius, quia hic non censetur facere unicam personam cum antecessore. — *Ita communiter. — V. Casus, n. 434. et seq.*

PUNCTUM IV.

De accessione.

591. — Accessio est modus acquirendi dominium in rem aliquam, propterea quod res illa rei nostrae adiiciatur. Accessio autem fieri solet variis modis, scilicet

semper repraesentet defunctum cum omnibus suis vitiis: quare sicut defunctus cum sua mala fide nunquam posset praescribere, sic heres, qui eum repraesentat, qualis decessit cum illa mala fide, censeatur eandem repraesentative retinere, et ideo non possit praescribere.

Et hinc ratio est, cur idem Lugo neget, heredem vel tricennalis praescriptionis beneficio frui posse, cum semper censeatur deesse bona illa fides, quae etiam ad longissimi temporis praescriptionem requiritur. Quae quidem sententia, iuri romano plane conformis, *communis et recepta* est, ut inquit Laymann (*Lib. 3. De Iust. Tr. 1. Cap. 8. n. 18.*), qui pergit: *Exemplum est, si res defuncto custodiae causa tradita sit, postea heres eam inter res hereditarias bona fide numeravit, praescribere is nunquam potest, adeo ut post ducentos aut trecentos annos, si possessio nunquam per particularem dispositionem translata est, sed semper hucusque hereditatis nomine transiit, a possessore isto vindicari possit.* Ac propterea opposita opinio, in quam infra A. inclinat post Gousset, neque rationi ulli, neque articulis cod. gallici niti videtur.

Hinc etiam est, quod Lugo (*l. c. n. 61.*) et Laymann (*l. c.*) contra alios (quos A. sequitur) censuerint, neque mediatum successorem praescribere eiusmodi rem posse; *quia* (ut ait Lugo) *ratio supra adducta aeque videtur procedere de successore mediato universali. Creditor enim non agit contra heredem, sed contra defunctum mediatum, qui ex suo delicto et iniuria contraxit obligationem realem satisfaciendi pro iniuria allata, et resarciendi omnia damna, quae ex illa iniuria sequentur, sive illa postea bona sive mala fide inferantur ab aliis. Cum ergo heres universalis teneatur ad omnia debita defuncti saltem iuxta hereditatis vires, consequens est, ut etiam heres universalis mediatus ad haec defuncti debita teneatur, non obstante eius bona fide: non enim restituit, quia a*

1° *Nativitate*, seu quando ex animali nostro aliud nascitur, etsi conceptum de masculo ad alium pertinente. Qui enim habet matrem, ius habet ad omnes eius partus. Hinc axioma: *Partus sequitur ventrem* (*a*).

2° *Alluvione*, seu quando vi aquarum incrementum alicui praedio paulatim accedit (*b*). Non autem alluvione repentina dominium acquiri potest. — *Sic omnia Iura statuunt* (*c*).

3° *Adiunctione*, seu quando res duae ad diversos dominos pertinentes ita in unum quid coalescunt, ut separari sine detrimento non possint: tunc totum compositum est illius, cuius materia est in re composita praestantior sive magnitudine, sive pretio (*d*); sed hic alterum indemnem facere debet. — *Sic Ius Romanum et Gallicum.*

4° *Specificatione*, seu quando ex aliena materia nova corporis species per artem conficitur. Tunc *ex Iure Rom.*, si species ad priorem materiam redire non possit, res pertinet ad artificem, qui tenetur pretium materiae solvere, et damna, si quae sint, compensare. — *Ex Iure* autem *Gall.* dominus materiae novam speciem repetere potest, laboris pretium solvendo. Si tamen pretium indu-

se consumpta sunt, sed quia defunctus antecedenter se obligavit ad omnia damna subsequentia impedienda et resarcienda.

(*a*) Nativitas hic latiori sensu accipi debet pro *origine*, ad quam productio seu nativitas refertur tum *realis*, cuiusmodi sunt partus animalium et fructificatio agrorum, tum quae talis censetur fictione iuris, cuiusmodi sunt pensio locationis domorum ac censuum. Regula autem generalis est, ut quidquid nascitur seu producitur, per se ad parientis seu producentis dominium pertineat.

(*b*) Hoc duplici modo contingit, quando scilicet vel vi cursus fluminum paulatim alicui praedio delata materia accedit, vel quaepiam ripa cursu aquae recedente deseritur. Regula est ut incrementum ad eum spectet, cuius est fundus.

(*c*) Ius commune romanum (*Instit.* §. *22. De rer. Divis.*) sic limitat: *Si vis fluminis de tuo praedio partem aliquam detraxerit, et vicini praedio attulerit, palam est, eam tuam permanere. Plane si longiore tempore fundo vicini tui haeserit, arboresque, quas secum traxit, in eum fundum radices egerint, ex eo tempore videntur vicini tui fundo acquisitae esse* (seu ut legit Vinnius) *videtur vicini fundo acquisita esse.*

Romanum Ius (*Instit.* §. *22. De rer. Divis.*) quaestionem quoque de insula, quae in flumine nascatur, sic solvit: *Insula in flumine nata..... si quidem mediam partem fluminis tenet, communis est eorum, qui ab utraque parte fluminis prope ripam praedia possident, pro modo scilicet latitudinis cuiusque praedii, quae prope ripam sit. Quod si alteri proximior sit parti, eorum est tantum, qui ab ea parte prope ripam praedia possident. Quod si qua parte divisum sit flumen, deinde infra unitum, agrum alicuius in formam insulae redegerit, eiusdem permanet is ager, cuius fuerat.*

(*d*) Alii clarius: totum est illius, cuius res se habet ut *principale*, altera vero adiecta se habet uti *accessorium*, nempe iuxta effatum illud: *Accessorium sequitur principale.* Haud facile tamen subinde est definire, quidnam principale, quid accessorium censeri debeat, v. gr. si pinxeris in tabula aliena, aut si in aliena charta scripseris.

striae longe superet pretium materiae, artifex retinere potest speciem a se confectam, soluto materiae pretio. Si artifex mala fide egerit, damna domino rei illata reparare tenetur.

5° *Commixtione,* seu *confusione* duarum rerum aeque principalium ad diversos pertinentium dominos. Tunc si res mixtae possint dignosci et separari, separentur (*a*); si vero non possint dignosci, res communis erit, et dividenda pro rata quantitatis propriae singulorum. Attamen dominus materiae praestantioris totum cumulum servare potest, facta debita compensatione; si autem res mixtae sint circiter aequales, compositum pertinet ad utrumque dominum in communi, et vel cumulus vendi, ut pretium dividatur, vel dividi pro rata potest.

592. — 6° *Aedificatione*, seu quando construitur aedificium ex aliena materia in proprio fundo, vel ex propria materia in fundo alieno, vel ex aliena materia in fundo alieno. Generatim dominium fundi secum trahit quidquid est supra vel infra positum. Aedificium igitur est illius, cuius est solum, praestita debita compensatione. Idem fere dicendum de plantatione et satione. Hinc vulgares versus:

> Quidquid plantatur, seritur, vel inaedificatur,
> Omne solo cedit, radices si tamen egit.

Quoad indemnitatem vero haec statuuntur: 1° Qui in suo fundo aedificavit, plantavit, vel alia opera fecit ex materia aliena, debet *ex Iure Rom.* solvere duplum pretii materiae (*b*); *ex Iure* vero *Gallico,* pretium materiae tantum solvere, et damna, si quae sint, reparare debet. — 2° Qui ex sua materia in fundo alieno aedificavit, plantavit, etc., *ex Iur. Rom.* pretium materiae repetere potest, si ex bona fide egerit (*c*), secus si ex fide mala; *ex Iur.* vero *Gall.* pretium materiae pariter repetere potest, si dominus fundi opera servare velit; secus vero hic cogere potest alterum ad opera propriis expensis tollenda, nisi de eius bona fide iuridice constet. — *Vide Casus, n. 547. et seq.*

(*a*) Quando facile distingui res cuiusque possunt, quaestio non huc spectat, ubi de dominio acquirendo per rerum *mixtionem* seu *confusionem* disputamus.

(*b*) Insuper si mala fide materiam alienam aedificio iunxit, non solum duplo pretii multatur, sed materiam forte aedificio exemptam dominus vindicare sibi potest, vel etiam, si iuncta illa manet, datur domino actio ad vindicandam materiae aestimationem; adeo ut alter praeter duplum solvere rursus etiam pretium materiae debeat.

(*c*) Intellige si bonae fidei accedat etiam extructi aedificii possessio, et insuper si fundus domino factus sit pretiosior (*L. 38. ff. De rei vindicat.*). Nam si aedificator non est in possessione, nulla actio ipsi iure suppetit, quae materiae pretium et impensas consequatur; atque unicum illi superest subsidium, ut, si quidem fundi dominus factus sit locupletior, aequitatis obtentu actio illi per officium iudicis ultro detur.

ARTICULUS II.

DE USU ET USUFRUCTU

Usus est ius utendi re aliena, salva eius substantia. Ususfructus est ius utendi simul et percipiendi fructum e rebus alienis, salva pariter earum substantia.

593. **Principia.** — I. *Usufructuarius* plenum usum ac fructum rei alienae habet, ita ut omnes fructus rei suos faciat, et de ipsis pro nutu suo disponere possit, sive per se sive per alium. Ratio est, quia usufructuarius personam proprietarii quoad dominium utile agere censetur. — Sic *Iure Romano et Iure Gallico.*

II. *Usufructuario* incumbit onus tum custodiam praestandi, tum expensas, si modicae sint, subeundi, ut res in integro suo statu conservetur, tum etiam faciendi sumptus, ut naturales fructus ex ea percipiat. Tenetur etiam ad solvenda onera ordinaria, quibus gravatur res usufructuaria, qualia sunt salaria, tributa annua et similia.

III. *Usufructuarius* uti debet re aliena tanquam bonus paterfamilias, eamque talem reddere, qualis reperiri debet post bonam administrationem. Proprietarius autem nihil facere potest, quo deterior fiat conditio usufructuarii, quia *patitur frui.* — *Ita varia iura.*

594. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Quomodo acquiratur ususfructus?*

Resp. Acquiritur 1° ex lege, et tunc dicitur *legalis:* talis est ususfructus parentum ex bonis filiorum, vel mariti ex bonis uxoris; 2° ex conventione vel contractu, et ideo *conventionalis* nuncupatur.

Quaer. 2° *Quomodo cesset ususfructus?*

Resp. Cessat 1° morte naturali aut civili usufructuarii; 2° tempore statuto; 3° interitu totius rei; 4° consolidatione, v. gr. si usufructuarius fiat dominus rei; 5° omnimoda mutatione, v. gr. si pratum fiat stagnum; 6° abusu, quo per usufructuarii culpam res deterior fiat; 7° renuntiatione usufructuarii, modo non fiat in fraudem creditorum (*a*).

595. **Resolves.** — 1° Sub usum et usumfructum non veniunt res unico actu consumptibiles, ut vinum, oleum, panis, etc..., quia per talem usum non manet salva rei substantia (*b*).

2° Usufructuarius facultatem habet percipiendi quidquid in fundo nascitur, segetes scilicet, foenum, fructus arborum, etc.; ad ipsum quoque pertinet proventus piscationis, foetus animalium, eorum lana,

(*a*) Haec eadem valent quoad meri *usus* acquisitionem vel cessationem. Nam (ut habet *L. 3. §. 3. ff. De usufructu et quemadmodum, etc.*) *quibus modis ususfructus et constitit et finitur, iisdem modis etiam nudus usus solet et constitui et finiri.*

(*b*) Ususfructus haberi potest, quatenus res eiusmodi absumere quis potest, et deinde aestimationem earum reddere.

lae, etc. Item potest in silvis certam lignorum portionem caedere, quam nempe paterfamilias caedere solet.

3° Potest usufructuarius ius suum titulo venditionis, locationis vel donationis alteri cedere. Idipsum autem dici nequit de usuario; qui tamen, si ius habeat domo aliqua utendi, in illa cum familia sua habitare poterit, etiamsi tempore, quo usum acquisivit, coniugatus non fuerit.

4° Fructus naturales et industriales initio pendentes percipit usufructuarius sine onere solvendi pro cultura, vel semine, etc... Et reciproce, si discedat ante maturitatem fructuum, nihil reclamare potest. Fructus vero civiles de die in diem acquiruntur, ac proinde dividi debent pro rata temporis, quo ususfructus duravit.

ARTICULUS III.

DE SERVITUTE

596. — Definitio. Servitus, *passive* sumpta, est onus rei impositum in utilitatem alterius. — *Active* autem sumpta, est ius quod quis habet in re alterius, ut sibi (*a*) vel rei suae serviat.

Divisio. 1° Servitus *ratione originis* est vel *naturalis*, vel *legalis*, vel *conventionalis*, prout vel ex dispositione locorum, vel ex lege, vel ex mera conventione oritur.

2° *Ratione obiecti*, est *urbana* vel *rustica*, prout instituitur in utilitatem praedii urbani vel rustici.

3° *Ratione modi*, est *continua* vel *non continua*, prout durare potest absque hominis facto, ut est servitus aquaeductus, aut sine eo exerceri nequit, v. gr. servitus itineris. Iterum est *apparens* vel *non apparens*, prout exteriori signo aperte declaratur, v. gr. ianua, fenestra, etc., aut tali signo caret, ut est v. gr. prohibitio aedificandi in quopiam loco, etc.

597. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Quaenam sint iura et obligationes servitutum?*

Resp. Generatim loquendo ea pendent a natura rei, seu a lege, vel a conventione; haec autem praecipue statuuntur. 1° Is, qui *active*

(*a*) Hac vocula *sibi* forte A. subindicat latiorem ambitum, ad quem *servitutis* nomen penes DD. sese protendit. Nam servitutis nomen accipiunt *passive* quidem pro obligatione, qua res seu *persona* ita devincitur alteri, ut ipsi quodam modo serviat; *active* autem pro iure, quod insit cuipiam, ut alterius res aut *alia persona* sibi serviat.

Hinc vero distinctio, de qua nihil A., iuxta quam servitus esse potest 1° *personalis*, quae a persona personae debetur, et propria est mancipii erga dominum; 2° *mixta*, quae a re debetur personae, cuiusmodi sunt usus, ususfructus, habitatio; 3° *realis*, quae rei a re debetur, et definiri solet *passive* quidem onus praedio in utilitatem alterius praedii impositum; *active* autem ius praedio inhaerens, ut alterum sibi deserviat. Et de hac postrema tantum cum Auctor, tum alii hoc loco agere solent.

ius habet ad servitutem, omnia opera perficere potest, quae necessaria sunt ad ea utendum, atque ad illam conservandam. 2° Si dividatur fundus, ad cuius utilitatem constituta est servitus, haec cuique parti istius fundi debetur. 3° Dominus praedii servientis nihil agere potest, ex quo servitutis usus minui possit, et vicissim is, cui debetur servitus, nihil facere potest, unde conditio praedii servientis gravior fiat. Ita fert naturalis aequitas, cui etiam iura consonant.

QUAER. 2° *Quomodo extinguantur servitutes?*

Resp. 1° Elapso statuto tempore, vel impleta conditione; 2° renuntiatione expressa vel tacita; 3° consolidatione, qua dominus praedii dominantis fiat simul dominus servientis, aut vice versa; 4° praescriptione, seu non usu iuris servitutis saltem per 30 annos. Imo cum servitutes habeant rationem immobilium, praescribi possunt per spatium temporis, quod in his praescribendis servatur.

598. **Resolves.** — 1° Si agatur de servitutibus naturalibus, seu de servitutibus, quae ex naturali locorum dispositione sequuntur, non potest dominus praedii inferioris aggerem struere, ut aquae praedii superioris non amplius per fundum suum defluant; sicut nec dominus praedii superioris quidquam facere valet, ut aquarum fluxus insolite augeatur.

2° Ad acquirendum praescriptione ius servitutis, v. gr. ius viae, aquaeductus, etc..., per alienum fundum, debet praescribens exercere actus positivos, quibus tale ius acquirat, et simul bonam fidem habere, qua credat, ius illud ad se pertinere. Nec sufficit scientia et tolerantia illius, contra quem praescribitur, si titulum non habeat. Si vero titulum habeat, huiusmodi scientia ac tolerantia non requiritur.

3° Qui agros possident ad ripas fluminum navigabilium, obstare non possunt, quominus aperiatur via necessaria ad navigiorum cursum. Idem dicendum de iis, quorum praedia viis aut aliis publicis operibus adiacent: ii enim tenentur ad servitutem patiendam, quamdiu necessaria est ad praedictorum operum confectionem vel reparationem. At in utroque casu proprietarii laesi ius habent ad indemnitatem quamdam, si fieri possit.

4° Dominus praedii servientis non potest mutare positionem, v. gr. viae, aquarum, rivuli, nisi servitus gravior evaserit, aut impediat, quominus reparationes praedio utiles fiant.

PARS SECUNDA

DE VIOLATIONE IURIS SEU DE INIURIA

CAPUT I.

DE INIURIA IN GENERE

599. — Definitio. Iniuria est iuris alieni violatio.

Divisio. Est 1° *formalis,* vel *materialis,* prout fit scienter et voluntarie, aut absque cognitione et consensu.

2° *Gravis,* vel *levis,* prout ex ea proximus damnum grave vel leve tantum patitur.

3° *Directa,* vel *indirecta,* prout intenditur in se, aut in causa tantum praevidetur et permittitur.

600. **Principia.** — I. Datur praeceptum naturale a Deo promulgatum atque sancitum, vetans ne laedatur ius strictum alterius: unde omnis iniuria iuri naturali adversatur. Ratio patet ex dictis supra *n. 523. et seq.* Quandoquidem enim quispiam factus sit legitimus quorumdam bonorum dominus, necessario ius inviolabile in ea habere debet: secus ius ipsius esset illusorium, seu non esset ius; quod contradictionem involvit.

II. Iniuria seu laesio iuris alieni est peccatum grave *ex genere suo.* Ratio est, quia rectae rationi, bono ordini, et legi divinae graviter adversatur.

III. *Scienti et volenti non fit iniuria;* quia volens cedit e iure suo, et proinde ius servare non vult. Hinc de essentia iniuriae est, ut erga nolentem seu in invitum exerceatur.

Excipe casus nonnullos, in quibus homo ius suum cedere nequit, quantumvis volens: sic coniugatus nequit consensu suo impedire, quin violatio uxoris suae sit adulterium, quia natura postulat, ut ius coniugale sit prorsus inalienabile. Adde pro christianis ius Sacramenti, quod violari nequit. Hinc damnata est sequens propositio ab *Innoc. XI* sub *n. 50.*: *Copula cum coniugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.*

601. **Resolves.** — 1° Consentienti ex dolo vel metu iniuste incusso fit iniuria, quia consensum aut nullum reipsa praestat, aut non praestat libere, sed tantum ad se redimendum ab iniusta vexatione.

2° Peccat itidem contra iustitiam, qui alium occidat volentem occidi; ratio, quia vitae humanae dominium sibi reservavit Deus; homo vero est mere usufructuarius, qui idcirco ius in vitam abdicare a se nequit: unde sin minus hominis, certe ius Dei violatur.

3° Usurarius iniuriam facit mutuatario solventi usuras, sicut venditor emptori pretium ultra summum pro merce concedenti (*a*).

4° Tortores martyribus iniuriam fecerunt, etsi martyres mortem desideraverint et libenter pertulerint.

602. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Quaenam materia censeatur gravis vel levis in iniuria?*

Resp. Gravis censetur ea materia, quae ex natura sua, vel ex hominum aestimatione, apta est ad causandam alteri tristitiam difficile sedandam, seu ad charitatem mutuam dissolvendam. — *Ita Lacroix, n. 979. — Reuter, n. 436., et alii.* Ratio est, quia cum finis iustitiae sit pacem communem, tranquillitatem publicam, mutuumque amorem per conservationem iurium promovere, gravis merito censetur illa materia, quae ex natura sua, vel hominum aestimatione, mutuum amorem dissolvere cum pacis communis iactura, seu tristitiam difficile sedandam causare potest.

Dixi *ex natura sua,* etc.; quia in regula generali statuenda attendi illud debet, quod communiter in hominibus temperato iudicio atque affectu utentibus usuvenit, non vero quid affectuum tumultus et intemperantia in iis adiunctis suggerit; iustitia enim rationis ductum et prudentiae dictamen sequitur.

Quaer. 2° *An iniuria alteri inferri effective possit per actum mere internum?*

Resp. Affirm. Quia aliquando solo actu interno ius strictum alterius laedi potest. — Patet exemplo iudicii temerarii, quo iuxta communem sententiam iustitia erga proximum violatur, quandoquidem quisque ius strictum ad bonam sui existimationem apud singulos habet. — *Recole dicta de octavo Decal. praec. n. 465.* — Caeterum in hoc casu nulla est *specialis* difficultas; siquidem cum iniuria mere interna nullum damnum externum laeso inferat, nulla exterior reparatio facienda est, sed imprudens dumtaxat mentis iudicium est abiiciendum.

603. — Quaer. 3° *An actus internus efficere per se possit, ut actus externus evadat iniustus?*

Resp. 1° *Neg.,* si actus externus *per se* materialiter ius alterius non laedat, non obstante prava nocendi intentione in agente. Ratio est, quia ubi nullum ius laeditur, nulla potest esse iniuria. Hinc non peccat contra iustitiam recusans ex odio succurrere alteri, nisi ex officio teneatur. — *Ita communissime. — Lugo, D. 19. n. 180. — Vogler, n. 400.* contra *paucos.*

Resp. 2° *Neg.* pariter, quando agens ius habeat directe ponendi actum externum, qui est alteri nocivus, etiamsi ex intentione nocendi agat. Ratio est, quia intentio prava facere nequit iniustum, quod *de se* iustum est, siquidem naturam actus externi mutare non

(*a*) Videlicet neuter horum censetur velle donare; deest ergo titulus, quo dominium vel exactae usurae, vel excessus in pretio transferatur.

potest. Hinc non peccat *actu externo* contra iustitiam iudex homicidam ex odio ad mortem promeritam damnando; nec mercator merces suas infimo pretio vendens, ut alios mercatores emolumentis privet. — *Ita communissime iuxta Vogler, n. 402.* cum *Lugo, D. 8. n. 79.* et *D. 18. n. 98.*

Resp. 3° *Affirm.* autem, si opus externum sit indifferens ad nocendum vel non nocendum, secluso iure directo agentis: tunc enim saepe prava intentio determinat opus externum, ut damnosum evadat. Itaque non peccas quidem contra iustitiam accipiens rem e manibus furis, ut eam domino restituas; secus vero, si accipias, ut retineas. Nec iniuriam facis amico, eius librum tollendo ut illum obiter percurras; secus vero, si ut subripias.

604. — QUAER. 4° *Quid si opus externum ex mala quidem intentione ponatur, non sit tamen vere probabile, quod secuturum damnum sit?*

Resp. Controvertitur inter gravissimos theologos. Clarior autem patebit status quaestionis ex sequentibus exemplis. 1° Aliquis ponit venenum aut laqueum in loco, in quo rarissime transit inimicus, sed ea intentione ut occidatur, si forte transeat. 2° Medicus adhibet omnem diligentiam, ad quam tenetur, sed non vult maiorem adhibere ex odio, ut sequatur mors infirmi. Quaeritur, an illi causa sint iniustae mortis, si de facto sequatur? Duplex est sententia. — I[a] SENTENTIA, quae communior videtur, *negat*. Ratio est, quia ex una parte actus externus non est iniustus, cum mera damni alieni possibilitas in rebus humanis attendi non debeat; ex altera parte actus internus non efficitur iniurius ratione intentionis, cum intentio non influat in efficaciam causae, seu in periculum damni. Quocirca dicenda est causa mere *per accidens,* nec prava intentio eius naturam mutat. — *Ita Lessius, lib. 2. c. 9. n. 133.* (*a*). *Vogler, n. 404.,*

(*a*) Card. De Lugo (*De Iust. Disp. 11. n. 80.*) animadvertit, *Lessium, qui saepius docuit. diversitatem illam intentionis, qua quis aliquid facit ex odio vel ut damnum sequatur, nihil referre, ut propterea sequatur restitutionis obligatio,... tandem recurrere ad illam intentionis diversitatem, ut ponat, vel neget obligationem restituendi pro damnis ex occisione sequutis... Unde admittit, quod si eo fine occideret, ut aliorum damnum sequeretur, teneretur utique ad restitutionem..... Quod idem concedit..... respectu creditorum occisi, quibus, si, ut eis obesses, debitorem occidisti, teneris ad restituenda debita, quae alias recuperare non possent.*

Haec porro doctrinae inconstantia non solum in Lessio cernitur, sed et in aliis, quos videre est penes S. Alphonsum (*Lib. 3. n. 633.*). Et hic quidem ad notam hanc vitandam reponit, in praedicto casu non modo haberi pravam intentionem internam, sed hanc prodire in vim externe iniustam, prout est homicidium debitoris, ex quo sequitur intentum creditorum damnum. At enim non videtur per haec difficultas solvi, aut Lugonis doctrina refutari. Nam eadem debitoris occisio, fatente ipso S. Alphonso, censetur vel non censetur causa damni creditorum, atque adeo in eos iniusta, solum pro nocendi intentione vel non intentione; secus enim occisor ad restitutionem tenebitur, etiamsi absit prava illa intentio; quia actio, si per se iniuriam affert alteri, onus infert restitutionis, etiamsi absit nocendi in-

et alii non pauci. — IIª vero SENTENTIA *affirmat,* non infirmo fundamento innixa. Ratio est, quia in praefatis casibus homicidium est sane contra iustitiam, et non excusatur, nisi quatenus involuntarium. Porro intentio illud reddit voluntarium. Ideo enim, seclusa intentione, non est voluntarium, quia ponens causam non censetur velle efficaciter effectum, cum effectus probabiliter non connectatur cum causa; sed intentio illam connexionem supplet, et facit, ut operans vera illius causa sit, quippe ad rationem causae multum conducit intentio operantis. Ergo, etc... — *Ita Lugo, D. 8. n. 75.* — *Salmant.* — Advertit porro Lugo, in praefatis casibus ad rationem iniuriae non sufficere praevisionem possibilitatis damni, sed requiri etiam intentionem illud procurandi.

CAPUT II.

DE INIURIA IN SPECIE SEU DE PECCATIS CONTRA IUSTITIAM

Hic tantum de iniuriis in bonis fortunae agendum est, scilicet de furto et eius speciebus. — De aliis enim iniuriis, in bonis scilicet corporis, honoris et famae, sat dictum est in *Tractatu de quinto et octavo Decalogi praecepto.*

Agendum 1° de natura et gravitate furti; 2° de causis a furto excusantibus.

ARTICULUS I.

DE NATURA FURTI

605. — DEFINITIO. Furtum est occulta ablatio (*a*) rei alienae, domino rationabiliter invito.

DIVISIO. Furtum sic distinguitur

1° Furtum *simpliciter,* si fiat *occulte.* — 2° Rapina, si fiat *aperte* cum vi domino illata (*b*). — 3° Sacrilegium, si fiat circa rem sacram.

Principia. — I. Furtum, quocumque nomine appelletur, peccatum grave est *ex genere suo,* quia graviter *per se* legi naturali adversatur, ut patet tum ex ratione, tum ex Scriptura sacra, in qua adnumeratur peccatis, quae a regno caelorum excludunt. Sic enim

tentio, dummodo praevisum damnum fuerit. Cum ergo ipsa vis exterior evadat iniusta in creditores solum ex interna intentione, corruit fundamentum discriminis, quod inter hunc et alios casus assignatur.

(*a*) Cum dicitur *ablatio,* furtum distinguitur a mera *damnificatione.* Abs re igitur quidam exemplum *gravis furti* reperiunt, si quis acum sartori surripiat, sine quo laborare nequeat. Gravis enim erit damnificatio, non vero grave furtum.

(*b*) Si furtum est *occulta ablatio,* rapina vero *aperta ablatio* cum violentia; rapina igitur dici non debet *species furti,* sed iniustae ablationis.

Apost. *1. Cor. 6. 10.: Neque fures..., neque rapaces regnum Dei possidebunt.*

II. Furtum sacrilegum et rapina speciem malitiae diversae constituunt: illud, quia praeter iustitiam violat religionem; ista, quia iniustae ablationi rei alienae addit iniuriam personae illatam. Caeteri autem modi, vel alia obiecta furti, speciem non mutant, quia per ista damnificationis natura non mutatur.

606. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quaenam materia censeatur gravis in furto?*

Resp. 1° Non potest rigorose determinari (*a*). Iuxta sententiam communem, quae omnino tenenda videtur, materia haec spectanda non est *absolute in se,* sed *relative* ad varias hominum conditiones et necessitates, ita ut gravior materia requirenda sit ad grave peccatum in furto erga divitem, quam erga pauperem (*b*). Ratio est, quia gravitas furti, sicut gravitas cuiuslibet iniuriae, pendet praesertim a maiori vel minori privatione, dolore et reluctantia voluntatis, quam patitur ille, cui surripitur; iam vero nemo non videt eamdem

(*a*) *Doctores fere omnes* (inquit Lugo, *De Iust. Disp. 16. n. 21.*) *post longam inquisitionem et magnum studium, ut materiam aliquam determinarent furti gravis, ingenue fatentur, non posse regulam aliquam fixam constitui, sed totum id pendere a iudicio morali, ita ut Deus sciat, quando hic et nunc materia sit gravis; nos autem in dubio debemus abstinere. Nam licet possimus certo determinare materiam aliquam, quae sit levis, v. gr. unum obolum, vel assem; et alteram, quae certo sit gravis, v. gr. centum aureos; inter tamen duo illa extrema non possumus definire, quae sint confinia utriusque materiae, ita ut citra talem summam sit levis, et ultra illam sit gravis. Conantur vero aliquas regulas morales assignare, ad dignoscendam saltem in confuso utramque materiam, quae iuxta uniuscuiusque genium et ingenium aliquae nimis strictae, aliquae nimis laxae sunt.*

Attamen, ut ipse Lugo (*ibid. n. 35.*) subiicit, lex ipsa naturae postulat, ut certa quaedam furti gravis quantitas determinetur, citra quam quantitas paululo, v. gr. uno vel duobus obolis minor possit sine gravi peccato accipi. Alioquin enim in illud maximum inconveniens incidemus, ut vel omnia furta etiam minutissima gravem habeant reatum, vel nullum furtum etiam gravissimum graviter prohibitum dici queat. Nam nisi per levissimam distantiam aliquando a levi ad gravem materiam transitus fiat, et viceversa, a materia certe levi per incrementa exiguissima ad gravem nunquam perveniemus, et contra a materia certe gravi per decrementa exigua nunquam deveniemus ad levem.

Quae duo profecto, nimirum tum plane incerta confinia inter gravem ac levem materiam, tum necessitas certi cuiuspiam termini inter gravem materiam et levem, quam maxime salebrosam, uti patet, huius tractationis conditionem efficiunt.

(*b*) Communis est distinctio, ut materia furti alia dicatur gravis *absolute,* alia *respective.* Prior gravis respectu omnium et semper censetur; altera vero gravis est respectu quorundam, cum tamen respectu aliorum levis haberi queat, quippe quae (ut ait Lugo *De Iust. Disp. 16. n. 27.*) desumitur *ex quantitate rei ablatae cum proportione ad bona patientis iniuriam.* Neque vero hanc distinctionem reiicit hoc loco Auctor; sed oppugnasse quosdam videtur, qui *absolutam* tantummodo, non autem *respectivam* materiae gravitatem forte admiserint.

materiam nunc levem nunc gravem causare contristationem, prout dominus, a quo aufertur, dives est vel pauper. Attendendum tamen est ad reluctantiam voluntatis, ut inter homines *communiter* et *rationabiliter* habetur, non vero respectu ad homines maiori vel minori amore pecuniae allectos.—*Ita communiter* cum *S. Lig. n. 526.*, contra *Billuart et alios nonnullos*, qui contendunt materiam, sive gravem sive levem, absolute in se spectandam esse, eamque consistere in eo, quod ad quotidianam sustentationem viri honesti seu mediocriter divitis requiritur.

Aliqua tamen determinanda est absoluta materia, quam nunquam sine culpa gravi praetergredi liceat; secus enim si proportio omnimoda servanda foret inter omnes conditiones, profecto maxima quantitas pro materia gravi, ubi quis surripit ditissimo principi, requireretur: hoc autem in societatis damnum sane cederet.

607. — *Resp.* 2° Ad gravem vero materiam relative spectatam (attentis praecipuis Europae locis, et temporum nostrorum adiunctis) requiri videntur 1° circiter valor unius franci seu 20 asses relative ad pauperes, et aliquando minus pro maiori gradu necessitatis; 2° circiter duo vel tres franci, seu 40 vel 60 asses relative ad operarios, qui labore diuturno victum sibi comparant; 3° circiter quatuor vel quinque franci relative ad homines mediocriter divites; 4° circiter sex vel septem franci relative ad divites ordinarios.

Quod spectat vero ad materiam absolute gravem, est communior sententia apud *S. Alphonsum* (*a*), duos aut tres aureos materiam gravem existimari. Aureus autem quinque circiter francis aequivalet. In mentem tamen revocare velis, pecuniam tunc temporis utpote rariorem, fuisse etiam pretiosiorem (*b*).

(*a*) S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 527.*) enumerat saltem 20. Auctores, qui quoad ditissimos pro materia gravi exigunt duos vel etiam tres aureos. Imo *plurimis* tribuit sententiam, quod tres aurei requirantur; quam sententiam a Laymanno communem dici testatur. Aureus autem communis scutato romano aequivalet. Et ex hoc patet, horum DD. iudicio materiam gravem *absolute*, quae scilicet nunquam levis culpa censeri possit, saltem summam trium aureorum attingere debuisse.

(*b*) Inconstantia valoris pecuniarum efficit, ut plures DD. materiae gravis mensuram a pecuniae certa quantitate nequaquam sumendam putarent. Ita Molina (*De Iust. Tr. II. Disp. 685. n. 2.*): *Imprimis arbitror, rem hanc definiendam non esse quantitate pecuniae. Ut enim Disp. 406. ostensum est, minime variata pecunia..., accrescit et decrescit valor illius multitudine aut paucitate ipsius... Quo fit, ut ad definiendam summam, quae satis sit, ut furtum sit culpa letalis comparatione omnium locorum ac temporum, non sit apta certa regula dicere, esse certam pecuniae quantitatem, ut duos, tres, vel quatuor regales argenteos. Quoniam ubi minus valent ob maximam pecuniae abundantiam, minor laesio minorque iniuria proximo fit in furto valoris summae eius pecuniae, quam ubi plus valent; et ubi plus valent ob pecuniae magnam penuriam, maior laesio maiorque iniuria proximo fit in furto eius valoris summae pecuniae, quam ubi minus valent.* Et Card. De Lugo (*De Iust. Disp. 16. n. 25.*): *Nec etiam designari potest valor redactus ad tantam pecuniam pro materia*

608. — QUAER. 2° *Quaenam materia requiratur, ut furta uxorum, filiorum et famulorum gravia evadant?*

Resp. 1° Certum est apud omnes, in furtis uxoris et filiorum plus requiri ad gravem materiam constituendam, quam in furtis extraneorum; quia paterfamilias est minus invitus, aut saltem minus rationabiliter invitus in priori casu, quam in posteriori, et saepe invitus est magis quoad modum (quod clam accipiatur), quam quoad substantiam. — *S. Lig. Hom. apost. n. 32.* Addunt autem, *probabilius* requiri pro iis summam duplo maiorem, quam pro extraneis; sed nulla regula generalis assignari potest; res enim a variis personarum vel conditionum circumstantiis plerumque definienda erit (*a*).

Resp. 2° Pro famulis pendet etiam a maiori liberalitate vel tenacitate dominorum, ex qualitate vel situ rei subreptae, v. gr. si sit comestibilis vel non, custodita vel aperta..., etc... Iuxta multos

gravi; quia valor ipse pecuniae, seu eius aestimabilitas, non est aequalis in omni loco et tempore. Ad Confessarium itaque spectat prae oculis habere locorum circumstantias. Nam diurnus, v. gr. operarii labor alicubi tres francos afferet, dum alibi idem labor vix unum francum feret.

Neque minor in pecuniae valore varietas deprehenditur pro temporum varietate. Quae quidem diversitas etiam attentius consideranda est, ut Doctorum de hac re mens accurate cognoscatur. Iam enim inductam hanc varietatem sic aetate sua advertebat Molina (*De Iust. et Iur. Tract. 2. Disp. 685. n. 2.*), qui anno 1600. obiit. *Quae octoginta antea annis emebantur aut conducebantur uno, non emuntur neque conducuntur hodie quinque aut etiam sex.* At enim post dimidium saeculum valorem pecuniae plus adhuc imminutum sic notat Card. Lugo (*De Iust. et Iur. Disp. 16. n. 25.*), qui obiit an. 1660: *Scimus etiam, apud nos ipsos adeo decrevisse pecuniae aestimationem..., ut quibus olim 50. aurei ad victum sufficiebant, hodie non sufficiant 150.* Quid vero ab ea aetate ad nostram usque de pecuniae valore factum sit, nemo ignorat. Si enim et S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 383.*) ingens in hac re discrimen adnotat inter suam et La-Croix aetatem (La-Croix autem Lugoni paulo suppar extitit), facile patet, quid diebus nostris sentiendum sit, quando stupent omnes et conqueruntur, rerum pretia brevi temporis intervallo in immensum excrevisse, seu, quod in idem recidit, pecuniae valorem in immensum decrevisse.

Hinc vero sponte sua sequitur, mensuram materiae gravis in furto (praesertim si de materia *absolute* gravi sermo sit) non apte desumi a veteribus ita, ut limites ab illis tunc praescripti etiam nunc ex ipsorum auctoritate definiti censeri debeant. Ita cum habeas (apud S. Alph. *Lib. 3. n. 527.*) Silvestrum, Angelum, Sotum, Cordubam, Arragonium, Rodericum, etc., qui antiquiores sunt Ludovico Molina; hi autem ad materiam absolute gravem tres aureos, tria scilicet ad minus scutata requirant, quorum alioqui sententiam Laymann, Molinae suppar, communem appellat (apud S. Alph. *l. c.*); profecto quisquis eorumdem Doctorum iudicio definire rem velit, necesse prorsus est, ut rationem habeat mutationis, quam pecuniae valor ab ea aetate ad nos usque subierit.

(*a*) Quod refert A. de dupla quantitate ad graviter peccandum contra substantiam, intellige, quando pater sit rationabiliter invitus etiam quoad substantiam. Caeterum DD. sententiae, quas S. Alphonsus (*Hom. apost. Tr. 10. n. 32.*) refert, ob circumstantias, quas et A. generatim memorat, multo latius eam materiae quantitatem extendunt.

per furta minuta facta a famulis in cibis et esculentis, quae non solent caute servari, generatim non devenitur ad mortale, modo haec non vendantur aut e domo educantur, aut sint pretii extraordinarii. Si autem famuli furentur pecuniam (*a*) aut res sedulo custoditas, non requiritur quantitas maior ad peccatum grave, quia domini tunc non sunt minus inviti erga ipsos, quam erga alios. Imo huiusmodi furta severius lege civili puniuntur, ob fidelitatis defectum, qui in illis intervenit. — *S. Lig. Hom. apost. n. 34.*

609. — Quaer. 3° *An furta minuta coalescere possint ad gravem materiam constituendam?*

Resp. 1° *Affirm.* prorsus, si agatur de furtis adversus eamdem personam commissis, quia unita facile damnum grave domino inferre possunt. Constat etiam ex hac propositione 38ª ab *Innoc. XI.* damnata: *Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.* — Ergo obligatio gravis datur summam gravem per minuta furta ablatam restituendi, et proinde furta minuta coalescunt.

Resp. 2° *Affirm.* cum sententia communi, etiamsi agatur de furtis minutis in damnum diversorum commissis. Ratio est, quia praeceptum non furandi obligat non solum ne damnum grave proximo inferatur, sed etiam ne quis re aliena ditescat (*b*). Quippe talis fur, si non individuis singillatim sumptis, certe communitati grave damnum infert. Et sane nisi huiusmodi furta prohiberentur sub gravi, homines non pauci facile ex furtis ditescere vellent, cum id absque salutis aeternae dispendio facere possent; proinde magna deordinatio in societate subsequeretur. Ergo haec furta *sub gravi* iure naturali prohiberi debuerunt. — *S. Lig. n. 534. — Lugo, disp. 16. n. 37.*

610. — Quaer. 4° *An minuta furta adhuc coalescant, si inter ipsa magnum ponatur intervallum?*

Resp. Neg. iuxta sententiam communiorem. Ratio est, quia posito magno intervallo, furtula ex communi hominum aestimatione moraliter uniri non censentur, nec proinde unum obiectum in genere moris constituunt. Insuper tunc non apparet grave damnum domino illatum, cum vix illud persentire possit; adeoque graviter invitus non censetur. — *S. Lig. n. 530. — Vogler, n. 133.*

(*a*) Haec exceptio tamen non videtur extendenda ad levissimas alicuius oboli aut semioboli subtractiones, ancillis famulisve haud infrequentes, dum quotidianum victum pro heris emere solent.

(*b*) *Haec ratio* (inquit Lugo *De Iust. Disp. 16. n. 49.*) *non videtur sufficiens; quia praeceptum non furandi non intendit vitare emolumentum proprium, sed damnum proximi... Si ergo proximus non laeditur graviter, non potest prohiberi graviter illa actio.* Haec Lugo, non quasi reiiciens communem doctrinam de gravitate culpae in his furtis, nam illam mox (*ibid. n. 50.*) solidis rationibus propugnat; sed innuere volens minus firmum illius rationis robur. Et sane iure inventionis, alluvionis, praescriptionis homo ex alieno licite ditescit

QUAER. 5° *Quandonam intervallum censeatur magnum?*

Resp. Probabilius tenendum est, furta non amplius coalescere ultra spatium duorum mensium, etiamsi ad materiam quasi gravem accederent. — *S. Lig. ibid.*

Aliqui tamen intervallum anni unius requirunt, ut furtula coalescere desinant; alii vero contendunt sufficere, si mensis unus intercedat, aut etiam tempus brevius, si agatur de furtulis valde minutis. Sed priores in rigorem, et posteriores forte in laxitatem aliquam declinare videntur (*a*).

Caeterum furta minuta etiam posito quocumque intervallo ex omnium sententia coalescunt, quoties patrata sunt cum intentione ad summam notabilem perveniendi; quia per hanc intentionem vere inter se uniuntur. — *S. Lig. n. 530.* — *Billuart,* etc.

611. — QUAER. 6° *Quandonam evadat materia gravis in furtis minutis?*

Resp. 1° Si furta minuta eidem fiant diversis vicibus, materia erit gravis, quando haec ex dimidia parte excedet summam ad furtum grave communiter requisitam. — *Ita communiter* (*b*).

Resp. 2° Si furta minuta fiant diversis personis, materia gravis *per se* censebitur, cum erit duplo maior, quam summa ad furtum grave communiter requisita (*c*). — *S. Lig. lib. 3. n. 530.*, *et alii multi.*

QUAER. 7° *An retractatio voluntatis impediat, quominus furtula sequentia cum praecedentibus uniantur?*

(*a*) Hac in re dissensio ipsa DD. ostendit, normam aliquam certam vix tradi posse. Addi potest, hoc iudicium non a solo spatio temporis singulis furtis interiecto sumendum esse, sed et ex comparatione animi illius qui surripit, aliisque adiunctis, e quorum diversitate est repetenda diversa pro diversis casibus hominum de hac re aestimatio. Ita v. gr. reprehenduntur quidem qui per agros uvas, ficus, fabas, poma, etc. leviusculis furtis saepe surripientes vorant; at vix reperies, qui notam laxitatis timeat, si etiam post plures huius consuetudinis annos scrupulum ipsis gravis furti ob materiam coalescentem non iniiciat.

(*b*) *Admittunt* OMNES *cum Cardena, ad materiam gravem tum requiri amplius, v. gr. duplo plus quam sufficeret, si simul auferretur.* Ita La Croix *Lib. 3. Part. 1. n. 1011.* Sententia autem ab Auctore relata est opinio, quam S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 530.*) tribuit Beniamino Elbel.

(*c*) Hanc quoque opinionem S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 530.*) refert quasi ex Elbel. Sed reipsa Elbel (*De Restit. Conf. 10. n. 290.*) non loquitur de furtis minutis, quae diversis fiant diverso tempore, sed de furtis eodem tempore patratis, quae minuta ideo dicuntur, quod damnum singulis allatum leve sit, v. gr. si semel surripias ex massa pluribus communi.

Caeterum sive huic opinioni adhaereas, sive cum aliis plus aliquid exigere malis propter furta diversis vicibus patrata, advertendum est, communem gravis furti mensuram desumi heic non posse ex gravitate *relativa;* damnum enim non uni infertur personae, sed pluribus, quarum tamen nulli damnum relative grave illatum supponimus. Communis igitur furti gravis mensura, quae deinceps saltem dupliciter in casu computari debeat, non ex *relativa* sed ex *absoluta* gravitate desumatur oportet, quae nimirum adhibetur, cum furta cedunt in damnum communitatis.

Resp. 1° *Affirm.*, si retractatio fuerit efficax, id est, si de facto prius ablata fuerint restituta, quia semel separata iam hic et nunc amplius non existunt. — *Ita communiter.*

Resp. 2° rursus *affirmative,* si furtum subsequens ex aliquo particulari motivo fieret; tunc enim non videretur efficaciter destruere praecedentem restituendi voluntatem; vel etiam si fur expresse et serio iterum simul proponat prius surrepta restituere (*a*); quod tamen vix in praxi admitti potest; quandoquidem qui serio proponit restitutionem, hic et nunc furta non iterat. — *Negatur* tamen, ubi haec voluntas quodammodo revocari videatur per novum furtum; etenim in hoc casu nihil obstat, quominus retineatur summa notabilis, et furta in unum coalescant.

612. — QUAER. 8° *An graviter peccet, qui post completam materiam gravem leve quid adhuc furatur?*

Resp. Disputatur. I^a SENTENTIA, quae videtur probabilior, *negat,* seclusa intentione ad novam summam gravem perveniendi. Ratio est, quia furtulum illud non videtur referendum ad summam gravem iam completam, sed potius ad novam, quam tunc fur inchoat et prosequitur. — *Ita S. Lig. n. 538. — Lessius, c. 12. n. 44. — Salmant., de Restitutione.*

II^a SENTENTIA *affirmat,* quia in hoc novo furtulo fur renovat intentionem retinendi gravem summam iam subreptam. — *Ita Lacroix, n. 1007.,* et *Lugo, D. 16. n. 43.,* qui tamen negat peccatum multiplicari, sed dicit, idem peccatum terminari etiam ad furtum posterius simul cum summa antecedente (*b*), etc. Iuxta *alios* sic distinguendum est: peccat graviter ille, si non habeat verum propositum restituendi summam gravem iam possessam; secus vero, si tale propositum habeat. — *Ita Billuart, diss. 11. art. 4.*

613. — QUAER. 9° *An graviter peccet, qui levi furto complet materiam gravem ab aliis apud eumdem inchoatam?*

Resp. 1° *Neg.,* si nescivit furtula ab aliis fuisse commissa, quia non est conscius damni gravis domino illati. — *Ita omnes.*

Resp. 2° *Neg.,* saltem *probabilius,* etiamsi damnum fere grave ab aliis patratum noverit, secluso tamen casu conspirationis. Ratio est, quia iste parum quid tollens neque est per se causa gravis nocumenti, neque in causa est, quod alii alia acceperint; ergo nullo

(*a*) Ita Lugo (*De Iust. Disp. 16. n. 40.*) cum Molina, Sanchez, Rebello, Granado, Diana, etc. *Ratio autem* (ait Lugo) *est clara; quia furari cum intentione statim vel cito restituendi, non videtur peccatum grave per se loquendo, cum brevis illa detentio parum detrimenti domino afferat, nisi per accidens in aliquo raro casu; si ergo intendis cito restituere priora, ita ut ad breve tempus retineas apud te debitum summae gravis, non est unde gravem malitiam accipiat illud furtum.* Quae quidem valere videntur, si fur non quidem prius ablata, sed solum quae hic et nunc surripit, mox intendat restituere.

(*b*) Idcirco abs re La Croix pro sua opinione Lugonem allegat, qui potius consentire cum opinione Billuartii videtur.

modo illi imputari debet grave damnum, quod dominus patitur. — Nec dicas, quod talis fur tam graviter peccet, quam homicida mortem inferens ictu levi homini ab aliis iam innumeris levibus vulneribus percusso; nam postremo huic vulneri mors debetur, quae alias secuta non fuisset. Aliter autem se res habet in casu furti; neque enim ob ultimum furtulum notabilis aliqua calamitas seu damnificatio accedit. — *Lugo, D. 16. n. 53. et seq.* — *Lessius, lib. 2. cap. 2. n. 52., et alii communiter,* contra *Bonacina, et alios.*

614. — Quaer. 10° *An si plures sine communi consilio, sed exemplo, levia furta committant, ita ut damnum totale sit grave, singuli peccent graviter?*

Resp. Neg. probabilius ratione *iustitiae,* etsi peccare possint contra charitatem. Ratio est, quia exemplum non est causa positiva influens in damnum alienum (*a*). — *Ita S. Lig. n. 537.* — *Lessius, ibid. n. 52., et alii communius* contra *nonnullos.*

Quaer. 11° *Quandonam ex parte furis ablatio rei levis fiat peccatum grave?*

Resp. Fit triplici modo, scilicet 1° per *intentionem* perveniendi ad materiam gravem; — 2° per *multiplicationem,* si furta minuta ad summam gravem perveniant; — 3° per *conspirationem* ubi plures conspirant inter se, et furtula singulorum collecta materiam gravem constituunt.

615. **Resolves.** — 1° Si fur, intendens pervenire per furtula ad summam gravem, renovet intentionem hanc, quoties furatur, toties graviter peccat. Si tamen ab initio intendat surripere aliquam summam determinatam per minuta furta, v. gr. ne detegatur, *probabilius* unicum admittit peccatum, quia unicus est actus moralis; omnes siquidem actus particulares ad quid unum efficiendum determinate tendunt (*b*). — *Recole dicta in Tract. de Pecc. n. 163.*

2° Qui a domino aufert exiguam rem ipsi valde caram, v. gr. florem rarum ac singularem, primos fructus ex arbore ad aliquem praecipuum virum honorandum destinatos, praevidetque simul, dominum graviter ex tali amissione affligendum, graviter peccat contra charitatem; contra iustitiam vero leviter, nisi forte grave damnum inde secuturum videatur.

3° Graviter peccant mercatores falsis ponderibus utentes, quamvis singulis vicibus in parva materia defraudent; quia ad materiam

(*a*) Si de reatu agitur, quem quis incurrat, quia exemplo suo alios ad malum provocat, in casu non singuli, sed illi tantum, qui alios sic ad damnum inferendum permoverint, eiusmodi reatu tenebuntur.

(*b*) Reipsa vix apparet, quid differat hic casus a praecedenti. Utrobique enim multiplex adest externus actus cum proposito eiusdem pravi finis; nec substantiam rei mutat, quod in altero fur idcirco paulatim surripiat, *ne detegatur.* Forte autem ideo diversa est utriusque resolutio, quia cum varient in eiusmodi quaestione DD. opiniones, unus idemque casus modo ex horum, modo ex illorum opposita opinione resolvitur. Vide, quae de haec quaestione superius (*Pag. 141 Nota a*) dicta sunt.

gravem intendunt pervenire, aut certe norunt, se ad eam perventuros esse.

4° Sartores et ipsorum famuli letaliter peccant contra iustitiam, ubi retinendo sibi aut vendendo panni, quae supersint, fragmenta, alioqui dominis adhuc utilia, ad materiam gravem pervenerint. Excipe, nisi alicubi vigeat consuetudo, ut minus solvatur, et fragmenta sartoribus remaneant; aut nisi constet, dominos opulentos non velle fragmenta sibi restitui, vel de illis parum curare. — *S. Ligor. passim.*— *Vide Casus, n. 553. et seq.*

ARTICULUS II.

DE CAUSIS A FURTO EXCUSANTIBUS

Causa duplex assignatur: 1° necessitas; 2° occulta compensatio.

§. 1. *De necessitate a furto excusante.*

Necessitas alia est extrema, alia gravis, et alia communis. *Extrema* dicitur, in qua vita ipsa periclitatur, aut gravissimum malum imminet; *gravis* vero, in qua vita valde molesta ducitur; *communis* autem, in qua pauperes mendicantes communiter versantur.

616. **Principia.** — I. Homo potest in extrema necessitate uti bonis alienis, quantum satis est ad se a tali necessitate eximendum. Ratio est, quia divisio bonorum, quomodocumque evenerit, non potest derogare iuri naturali, quod cuique competit, ut sibi provideat, dum extrema necessitate laborat. In tali itaque casu omnia fiunt communia; adeoque accipiens rem alienam ad sibi subveniendum, accipit rem vere communem, quam suam facit, sicut ante bonorum divisionem contigebat. Ergo furtum non committit. — *S. Thom. 2. 2. qu. 66. art. 7. — S. Lig. n. 520.*

II. Ut quis aliena surripere possit, non sufficit gravis, nec *a fortiori* communis necessitas; in his enim adiunctis domini sunt rationabiliter inviti, et secus facilis direptionibus aditus pateret (*a*).

(*a*) Quidam doctrinam hanc confirmant damnatione propos. 36ae inter proscriptas ab Innoc. XI: *Permissum est furari non tantum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Sed non satis certum est, huc spectare damnationis rationem. Nam cum *furari* per se significet *ablationem iniustam,* haec sane ne in extrema quidem necessitate licet, cum tamen tunc liceat ex alienis sibi prospicere.

Quamquam vero Dominicus Viva (*ad h. Prop. n. 1.*) dicat, se non subscribere contendentibus, damnari in hac propositione furtum *formaliter sumptum;* ast in sententiam plane oppositam ivit praeter alios Ioan. de Cardenas (*Dissert. 23. Cap. 1. art. 1.*). *Etenim* (inquit *n. 4.*) *Pontifex praecipue intendit damnare id, quod in propositione turpius est: sed in hac propos. 36a turpius est dicere, quod furtum est licitum in aliquo casu, quam dicere, quod in necessitate gravi licet auferre a divite superflua,*

617. **Resolves.** — 1° Pauperi in extrema necessitate posito plus auferre non licet, quam sibi est necessarium. Unde si sufficiat solus usus rei, v. gr. equi, cessante necessitate, obligatio restituendi manet. — *S. Lig. Hom. apost. n. 15.*

2° Si extreme indigens habeat alibi in re vel in spe probabili, unde solvere possit, non potest rem alienam subducere, nisi cum

asserendo simul habere ius ad illa, et ideo non esse furtum... Ergo praecipua intentio damnationis est damnare id assertum, quod in aliquo casu furtum sit licitum.

Hoc ipsum autem (*n. 6.*) sic confirmat ex historia. *Nam, ut refert Fagnanus* in Lib. 1. Decret. in C. Ne innitaris De Constit. *n. 339., Episcopus Gandarensis ann. 1657. die 4. Maii consuluit Doctores Lovanienses, ut censuram suam proferrent circa hanc eandem propositionem:* Permissum est furari non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate. *Ipsi autem placitum suum exposuerunt in haec verba:* Furari in nullo casu permissum est, quia intrinsece malum: *idest non solum non licet furari in necessitate gravi, sed neque in extrema. Postea vero ipsi Doctores Lovanienses hanc eandem propositionem detulerunt inter plures alias SS. D. Innocentio XI, ut qua digna esset censura, eam inureret, ut constat ex libello supplici, quem obtulerunt Romano Pontifici, cuius exemplar transcriptum apud me habeo. Cum ergo Pontifex damnaverit propositionem eodem modo, ac Lovanienses proposuerunt, pro certo habendum est, eam fuisse intentionem Romani Pontificis, scilicet damnandi in hoc sensu, quod neque in extrema necessitate liceat furari.*

Exinde vero quoad praesentem quaestionem de gravi necessitate sic (*n. 7.*) concludit: *Ex dictis infertur, hanc propositionem:* Permissum est furari in necessitate gravi, *manere damnatam; idque etiamsi esset probabilis opinio docens, quod in gravi necessitate licitum est subripere a divite necessaria ad eam sublevandam: quia iuxta hanc damnationem nunquam concedendum est, quod in aliquo casu furtum sit licitum: et quamvis esset probabile, quod tunc liceat subripere, non esset tamen probabile, quod tunc liceret furari propter dicta.*

Neque aliter sensit Duarte in *Expositione Propositionum damn. dicata Cardinali Paulutio Maiori Poenitentiario et Romae edita ann. 1712.* Sic enim ille breviter (*n. 289.*): *Decretum Innocentii XI damnans propositionem 36am praecipue intendit damnare, quod in aliquo casu licitum sit furari, quia est intrinsece malum. Admittendum tamen est, quod in extrema necessitate licitum sit subripere a divite necessaria ad illam sublevandam sive manifeste sive occulte, nec hoc habet rationem furti vel rapinae.*

Sic etiam Petrus Catalani (*Th. Mor. Part. 2. Q. 19. Cap. 3. n. 2.*) postquam statuit, non peccare eum, qui in extrema necessitate constitutus surripit quantum sufficit, etc., dein subdit: *Nec ex communi sententia allata infertur, licitum esse furtum in extrema necessitate, cum furtum ex suis intrinsecis incohonestabile sit, ut est mendacium...; sed solum asseritur, surripere rem alienam in extrema necessitate non esse furtum. Ideoque recte Innocentius XI damnavit propositionem illam 36am asserentem:* Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi; *cum neque furtum committi possit in extrema necessitate, non solum in gravi.*

Et haec satis sint, ut pateat, opinionem, quae in gravi necessitate veniam providendi sibi ex alienis bonis tribuit, posse quidem aliis rationibus impugnari; ast argumentum, quod in eum finem petatur ex propositionis 36ae damnatione, ut prorsus efficax haberi non posse.

onere restitutionis; quia necessitas non exigit, ut accedat rei proprietas, quando sufficienter re mutuo accepta vel commodata sublevari potest.— *Hom. apost. n. 19.*

3° Qui vero in extrema egestate rem alienam consumpsit, ad nihil post usum rei tenetur, si nullam probabilem spem habuit, fore ut aliquando restituere posset, etsi postea ad meliorem perveniat conditionem. — *Hom. apost. ibid.*

4° Quae de extrema necessitate dicuntur, possunt etiam dici de necessitate quasi extrema seu gravissima. Talis autem necessitas tunc adesse censetur, quando quis est in probabili periculo incurrendi mortem, amittendi membrum aliquod principale, incidendi in captivitatem perpetuam, aut subeundi poenam triremium vel gravissimum aut perpetuum morbum. In his quippe casibus necessitas extrema iam est moraliter praesens (*a*). — *Hom. apost. n. 15.*

5° Dives res suas occultans, vel alia utens industria, ne pauperi succurrat, cessante pauperis necessitate, non tenetur ad restitutionem, quia necessitas etiam extrema tamdiu confert pauperi ius ad usum rei alienae, quamdiu ipsa necessitas urget (*b*).—*Hom. apost. n. 20.*

618. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An possit quis rem alterius surripere non tantum ad subveniendum necessitati propriae, sed etiam alienae?*

Resp. Affirm., cum *S. Thom. 2. 2. qu. 66. art. 7., et aliis communiter.* Ratio est, quia tunc gerit quodammodo vices indigentis, et ostendit, se diligere proximum sicut seipsum (*c*).

619. — QUAER. 2° *An dici possit versari in extrema vel quasi extrema necessitate, qui est occidendus a latronibus, nisi talem summam pecuniae tradat, vel ille cui immineret perpetua aut gravissima captivitas, vel aliud simile infortunium* (*d*)?

(*a*) Quidam necessitatem eiusmodi *gravem* appellarunt; contra quos alii minus caute propositionem 36^am ab Innocentio XI damnatam intorserunt. *Minus caute,* inquam: tum quia non satis constat, ea damnatione doctrinam percelli, quae in gravi necessitate licitam dicit rei alienae ablationem, uti *not. praec.* animadversum est: tum quia *gravis* necessitas penes eos scriptores, ut notat etiam Viva (*ad Prop. XXXVI. Innoc. XI, n. 2.*) idem significat, ac penes alios *necessitas pene extrema;* quocirca ab aliis dissident non sententiae, sed solum vocum diversitate.

(*b*) Verior ratio, cur in casu dives non teneatur ad restitutionem, haec potius videtur esse, quod mere peccet contra charitatem, nullatenus vero contra iustitiam. Ratio autem ab A. allata tunc valeret, si dives *per vim* pauperem a re quapiam sibi sumenda impedivisset. Quo in casu peccasset quidem contra iustitiam, sed cessante necessitate, atque adeo iure pauperis, etiam restitutionis onus cessasset. *Vid. Lugo De Iust. Disp. 16. n. 143.*

(*c*) Quinimo charitas ad id obligare potest, nisi gravia quis idcirco subire incommoda debeat. Et quandoquidem extreme indigens sibi providere potest ex bonis cuiusvis (nisi forte charitas cuipiam inopia laboranti parcendum suadeat), quippe in iis adiunctis bona omnia fiunt communia; idcirco et qui vices illius assumit et gerit, id ipsum potest; neque lex charitatis postulare videtur, ut semet potius gravet, quo aliis parcat.

(*d*) Clarior evadet controversiae status et solutio, si quaestio fiat, non

Resp. Controvertitur. Affirmant *non pauci* cum *S. Lig. n. 520., Lugo, disp. 16. n. 146.* Ratio est, quia illa necessitas consistit in gravissimo seu extremo periculo, quod imminet, quando quis est ad maximam miseriam redactus, aut iam iam moriturus, non solum ex penuria ciborum, sed ex alia qualibet causa. Negant autem *alii* asserentes tunc solum bona evadere communia, quando quis versatur in extrema necessitate ex causis naturalibus (*a*), non autem ex pravitate hominum.— *Ita Concina, de Eleem. c. 9. qu. 4.*

Prima Sententia est *communior*, et videtur etiam *probabilior*. Hinc in istis casibus licet sibi ex alienis providere, saltem per media non exquisita, nec extraordinaria (*b*); quia cum hae necessitates non sint frequentes, eo ipso non est facilis in iis abusus, qualis in caeteris casibus communiter timeri potest.

quidem utrum in his adiunctis homo in extrema seu quasi extrema necessitate versetur, nam vi definitionis ita plane se res habet, sed utrum tunc liceat sumere rem valde pretiosam aut ingentem pecuniae vim, quando haec absolute necessaria sit ad vitam servandam. Sic profecto facile intelligitur Auctoris responsio.

(*a*) Quasi vero etiam necessitas causis naturalibus inducta non possit esse eiusmodi, ut ad eam arcendam ingentes requirantur expensae!

(*b*) Per haec Auctor, prima sententia reipsa relicta, ad temperatam Lugonis doctrinam, quae et communis dici potest, descendit. Et S. Alphonsus quidem Lugonis suffragio fulciri censuit opinionem, quae homini in ea necessitate concedit, ut vel quatuor aureorum millia ad usus suos usurpet: quia scilicet Lugo (*De Iust. Disp. 16. n. 146.*) duas tantum conditiones generali doctrinae apponit, 1° ut res sit necessaria indigenti, 2° ut non sit necessaria ipsius rei domino. At enim in sequentibus Lugo doctrinam illam circumscribit. Et licet concedat (*ibid. n. 159.*), *in extrema necessitate posse contingere, quod aliquis extreme indigens possit, invito domino, sibi accipere id, quod dominus ex charitate dare non tenebatur;* mox tamen limites hosce subiicit: *Quando scilicet id sit ex mediis non exquisitis et extraordinariis, sed ordinariis et communibus, quibus necessitas illa communiter vitari solet.* Ratio autem est (prouti ipse Lugo egregie disputat), quia ut ius paratur aliena sibi accipiendi, non solum res debet esse necessaria ad sublevandam necessitatem, sed insuper oportet, ut necessarium sit, huic necessitati subveniri. Atqui tenemus omnes non obligari quempiam ad media extraordinaria, ut v. gr. vitam servet, praesertim si id in propriae familiae grave damnum cederet. A fortiori igitur id dicendum est de bonis alterius, qui idcirco rationabiliter esset invitus.

Quaenam autem media communia et ordinaria Lugo censuerit, patet ex sequentibus (*ibid. n. 154.*): *Si aliquis* (inquit) *ut hostes insequentes fugiat, a quibus captivitatem solam et libertatis iacturam timet, indigeat equo alieno, durissimum et omnino incredibile apparet, quod non possit eum, inscio domino, usurpare, etiamsi nec equum, nec pretium eius possit postea unquam domino restituere. Quare idem dicendum videtur, si necessarius sibi equus esset ad gravissimam infamiam positivam fugiendam, cum haec aliquando non minus, quam captivitas aestimetur. Atque idem erit de morbo perpetuo aut diuturno, ac aliis similibus malis propter eandem rationem.* Qua exposita ratione, subiicit: *Quamvis autem media exquisita et extrardinaria noluerit natura communia esse omnibus, media tamen communia et ordinaria, quibus haec bona communiter conservantur, videtur voluisse omnibus esse communia ad eorum bonorum communem conservationem. Ad eum enim usum procreavit equos, v. gr.*

§. II. *De occulta compensatione.*

620. — Duplex distinguitur compensatio, *legalis*, et *extra-legalis*. Prior locum habet, quando duo sibi invicem debitores, alter rem alteri debitam reservat sibi: sic v. gr. si tibi debeam 100 fr. pro panno, et tu 100 pro vino mihi debeas, utrumque debitum compensatione extinguitur. Haec compensatio manifeste licita est, et ipsa lege confirmatur (*C. C. 1289. et seq.*). Posterior, quae *compensatio occulta* dicitur, est rei propriae recuperatio per alienae occupationem. De hac sola nobis est agendum.

621. **Principia.** — I. Occulta compensatio aliquando iusta et licita esse potest, si requisitis conditionibus non careat, idest si nulla fiat iniuria debitori, neque ulla sequatur perturbatio ordinis iuris, neque Reipublicae. Atqui haec tria haberi possunt. Ac 1° Nulla iniuria fit debitori; nam ex hypothesi in tali compensatione accipis tantum id, quod certo tuum est, seu quod ex stricta iustitia tibi debetur. — 2° Nulla est ordinis iuris perturbatio, siquidem supponitur, vel iudicem adiri non posse saltem sine notabili incommodo, vel eum ius suum parti laesae restituere non valere. Non enim praetermitti id dicitur, quod incassum quaereretur. — 3° Nulla est perturbatio, seu damnum Reipublicae; satis enim ei consulitur per cautiones in conditionibus apponendis. — *Ita S. Lig. n. 521.* — *Lacroix, n. 959,* — et etiam *Antoine, c. 5. qu. 9.*, ubi dicit: *Est communis sententia,* — et *Collet, de Iustitia, p. 3. c. 4.*, ubi dicit: *Ita pene omnes theologi.*

622. — II. Conditiones autem requisitae sunt sequentes: 1° *Ut debitum sit certum,* saltem moraliter (*a*). In dubio enim valet principium: *Melior est conditio possidentis* (*b*). Ergo in dubio compensatio illicita et iniusta est.

ut iis homo fugere posset hostes et pericula gravia, et ad eum finem vestes et medicinas communes produxit, ut iis possemus communiter adversus eiusmodi gravia pericula nos tueri.

(*a*) Card. de Lugo cum multa de hac re disputasset, sic concludit (*De Iust. Disp. 16. n. 102.*): *Ergo quando probationes circa factum ex parte actoris, licet non sint evidentes, sunt tamen tales, ut iudicio Doctorum iudex pro eo iudicare debeat, non obstantibus probationibus adversarii, poterit ipse, antequam res ad iudicium adducatur, concurrentibus aliis conditionibus ad compensationem requisitis, amplecti opinionem probabilem, ut sibi compenset.*

Verumtamen (*ibid. n. 106.*) subdit Lugo, malle se ab ultimo de hac re iudicio ferendo abstinere; *quia* (inquit) *licet in casibus particularibus Auctores videantur id admittere, ut vidimus* (*n. 95.*), *in communi tamen, et dum quaestionem in propriis terminis tractant, videntur id communiter negare, quia fortasse aliquid ipsis occurrebat, quo argumenta nostra superposita possent dissolvere.* Sed forte sententia illa Lugonis haud longe distat a communi; cum enim supponat, Doctorum iudicio iudicem non aliter iudicaturum fuisse, iam habes eam probabilitatis speciem, quae in ethicis morali certitudini aequipollet.

(*b*) Alias advertimus (*Vid. sup. n. 79. Q. 5.*), hoc effatum minus ad

2° *Ut debitum non possit aliter recuperari,* saltem sine gravi incommodo. Nam si creditor possit per meram petitionem vel recursum ad iudicem obtinere quod sibi debetur, iam se compensando iniuriam publicae potestati facit, adeoque contra iuris ordinem delinquit.

3° *Ut sumatur res in eadem specie,* si fieri possit. Secus enim res debitoris sine eius consensu, et proinde iniuste, permutatur.

4° *Ut damnum debitoris praecaveatur,* scilicet procurando ut debitor periculo bis solvendi non exponatur, si forte restituturus sit. Hinc si casus ille aliquatenus praevideatur, aliquo modo monendus est, v. gr. per fictam renuntiationem, seu condonationem, etc. (*a*). Si autem, facta compensatione, restituat, ipsi iterum erit restituendum. Caeterum casus ille rarus erit; siquidem compensatio licita non est, nisi ubi nulla adest spes probabilis debiti recuperandi (*b*). — *S. Lig. n. 521.*

623. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An famuli iudicantes salarium esse infra operam a se praestitam, uti possint occulta compensatione?*

Resp. Neg., saltem generatim loquendo, cum sententia communi (*c*). Constat 1° ex proposit. 37ª ab Innocentio XI damnata: *Fa-*

rem facere, cum agitur de probabili opinione. Secus, nisi certa res sit, non posset iudex pro alterutra parte, quae non possideat, sententiam ferre, quod falsum est.

Non praetermittendum autem quod habet S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 521.*): *Licet ad compensationem requiratur certitudo crediti, quamplures tamen graves Auctores admittunt, posse fieri compensationem cum credito tantum probabili in tribus casibus, scilicet quando compensatur 1° fama cum pecunia, 2° infamia cum infamia data, et 3° legatum relictum in testamento non solemni.*

(*a*) In praxi difficile haec fieri ita poterunt, ut saepe debitoris animum non subeat aliqua factae compensationis suspicio; et gravia exinde incommoda creditori possent obvenire, v. gr. si agatur de famulo. Haec itaque si a monitione timeantur, omitti haec poterit; et si quod inde damnum alteri accidat, sibi suaeque iniquitati imputet; creditor enim usus est iure suo.

(*b*) Intellige, ubi nulla adest spes probabilis recuperandi suum *sine gravi aliquo incommodo.* Nam etsi spes non probabilis modo, sed plane certa foret recuperandi suum per recursum ad iudicem, hic tamen recursus creditorem gravibus litium, inimicitiarum, expensarum, etc. difficultatibus ac molestiis involveret; atque adeo ab occulta compensatione non esset prohibendus, ut ipse quoque Auctor infra monet.

(*c*) P. Gury in alia editione (an. 1865) eidem prorsus quaestioni hoc responsum subiecerat: *Resp. Affirm., si adsint debitae conditiones. Casus autem contingere potest, si famulus vi et metu compellatur ad consentiendum in pretium inaequale* (scil. iniustum); *si necessitate compulsus in illud consenserit, modo tamen dominus alios famulos eodem vili pretio, iusto tamen, non invenisset, vel hunc rogantem ex misericordia non exceperit; si operibus indebitis gravetur. Cavendum tamen est periculum, quod ex fallaci iudicio oriri potest. Proinde merito damnata est propositio 37ª ab Innoc. XI, quae sic generatim statuebat:* Famuli et famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario, quod accipiunt. *Ratio scilicet da-*

muli et famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario quod recipiunt. 2° *Ex ratione;* nam agerent contra pactum, cum in pretium minus consenserint, et aliunde nihil ipsis debeatur, nisi pretium, de quo conventum est. Praeterea si id liceret, via innumeris furtis panderetur: famuli enim sibi facile persuaderent, stipendia esse iusto minora; sic nulla securitas dominis superesset. — Idem etiam dicendum ex paritate rationis de omnibus operariis, artificibus et mercatoribus, qui ad compensationem recurrere vellent praetextu vilioris pretii, quo operas suas locaverint, vel merces suas vendiderint.

Dixi, *saltem generatim loquendo;* quia excipiunt *non pauci,* 1° Si famulus vi aut metu compellatur ad consentiendum in pretium inaequale.— 2° Si necessitate compulsus in illud consenserit, modo tamen dominus alios famulos eodem vili pretio iam iuste non invenisset, vel hunc rogantem ex misericordia non exceperit.— 3° Si invitus operibus indebitis gravetur (*a*).

Quaer. 2° *An saltem famulus, augens operas debitas, se compensare possit?*

Resp. 1° *Neg.,* si ita agat electione propria, quia tunc censetur operam suam condonare ad sibi conciliandam domini gratiam.

Resp. 2° *Affirm.,* si operas augeat ex voluntate domini sive expressa, sive tacita, quia tunc operarius dignus mercede sua de iure

mnationis huius propositionis est, quod fere famuli sunt valde proni ad perperam decernendum, salarium esse infra operam a se praestitam. Ita in illa Editione.

Porro facile patet, utriusque responsi, licet specie tenus contrarii, unam eandemque reipsa esse doctrinam. Incommodum autem apparentis huius contradictionis caveri facile potuisset, quando aliis verbis, quam quibus effertur damnata thesis, quaestio fuisset proposita; pronumque fuisset respondere, famulis id licere, quod omnibus licet, uti scilicet occulta compensatione, quando debitae non desint conditiones. Neque obstat illius thesis damnatio: neque enim dici potest, Innoc. XI per eam damnationem obligare famulos voluisse ad damnum contra iustitiae leges ferendum, quando crimen mercedis operariis inique negatae in catechismis inter ea recensetur, quae iram omnipotentis Dei quasi clamando in se provocant. Merito damnata ea thesis fuit, non solum quia famuli saepe saepius male iudicant, plus sibi deberi, quam quod pacti ab initio sunt, sed etiam quia ad licitam occultam compensationem aliae praeter laesionem iustitiae conditiones requiruntur.

(*a*) Ita S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 522.*): *Famulus cum cogitur ad sic* (nempe minus iusto pretio) *conveniendum a sua paupertate, tunc non cedit iuri suo sponte, sed coacte, et ideo ipsius paupertas nequit excusare herum, ut non solvat ei saltem infimum stipendium. Quando autem famulus coactus a necessitate convenit pro parvo pretio* (scilicet infra infimum), *poterit sibi compensare usque ad pretium infimum; ut ait Viva cum Lessio, Suarez, Molina et Dicast., et aliis communissime. Hoc tamen currit, nisi dominus alios famulos pro eodem parvo pretio iam iuste* (idest intra iusti pretii saltem infimi limites) *invenisset; vel nisi famulus de se oblatus fuisset, et dominus ex pietate sive indigentia, ipso uteretur.*

censetur.— *S. Lig. n. 523.* — Quaenam autem compensatio iusta sit, iudicio etiam famuli relinqui quandoque potest, si timoratus sit ac prudens, et proprii amoris periculum absit; quod tamen admodum raro eveniet. — *S. Lig. n. 524.*

624. — QUAER. 3° *An uti possit occulta compensatione, qui damnatur a iudice ad solvendum debitum, quod certo non contraxit, vel cui certo iam satisfecit?*

Resp. Affirm., quia sententia iudicis est iniusta, utpote innixa falsa praesumptione facti, ac proinde in conscientia obligare nequit. Licet enim standum semper sit sententiae iudicis in *materia iuris*, nisi de lege seu sententia evidenter iniusta agatur; secus tamen, secluso scandalo, si iudex certo erret circa factum, quod ex errore verum putat; aliunde vero iudex non habet facultatem dominium transferendi; neque qui sententiam favorabilem obtinuit, etiam detecto errore, rem sibi adiudicatam servare potest. — *Ita communiter Moullet, t. 1. p. 491.*

625. — QUAER. 4° *An graviter et contra iustitiam peccet, qui se compensat, quin prius ad iudicem recurrerit?*

Resp. 1° Non peccat *per se contra iustitiam*, modo tantum accipiat, quantum sibi debetur; nec proinde ad restitutionem tenetur. Ratio patet, quia facta hac compensatione, restituitur aequalitas inter ipsum et debitorem. Dixi, *per se;* quia quandoque sequi posset detrimentum pro debitore ex privatione cuiuspiam rei determinatae, v. gr. equi, rei pretiosae, etc. — *Lugo, D. 16. n. 19., et alii.*

Resp. 2° Nec peccat *graviter*, generatim loquendo; quia ordinarie non sequitur ex hac ordinis inversione grave scandalum, nec gravis reipublicae perturbatio. — *Lugo, ibid.*

Resp. 3° Nullo modo peccat, si difficilis sit recursus ad iudicem, si scandali sit periculum, aut sumptus extraordinarii, etc., quia tunc recursus est moraliter impossibilis. — *V. Casus, n. 573. et seq.*

PARS TERTIA

DE RESTITUTIONE

SECTIO I.

DE RESTITUTIONE IN GENERE

Agendum 1° de obligatione restitutionis; 2° de radicibus restitutionis; 3° de circumstantiis restitutionis; 4° de causis a restitutione excusantibus.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONE RESTITUTIONIS

Restitutio, quoad nomen, idem sonat ac positio rei in pristinum statum. Quoad rem, est iuris alieni laesi reparatio.

626. **Principia.** — I. Restitutio *in re* vel saltem *in voto* absolute ad salutem *per se* necessaria est, si de materia gravi agatur.

1° Constat ex principiis supra statutis, *n. 532*. Nam iustitia commutativa necessario exigit, ut violatio iuris alieni cesset; atqui cessare nequit nisi per restitutionem. Ergo.

2° Constat etiam ex Scriptura sacra. Sic *Ezech. 33. 14: Si autem dixeris impio: Morte morieris; et egerit poenitentiam a peccato suo, feceritque iudicium et iustitiam, et* PIGNUS RESTITUERIT *ille impius,* RAPINAMQUE REDDIDERIT . . ., *vita vivet et non morietur.* — Et *Epist. S. Iac. 5. 4: Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quae fraudata est a vobis clamat; et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.*

3° Constat ex unanimi consensu SS. Patrum. Sic *S. Aug., Ep. 153. ad Macedonium: Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, cum restitui potest.* — Haec verba S. Doctoris inserta sunt iuri canonico *(Decret. Gratiani, cap. Si res aliena 1. causa 14. qu. 6.)*; et exinde regula 4ª iuris in 6°: *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.*

Dixi *in re vel in voto:* restitutio enim non est necessaria necessitate medii ad salutem *in re;* quare si impossibilis est *in re,* saluti non obstat; sed nemo a restitutione *in voto* excusari potest; et quisquis ius alienum laesit, semper firmum habere debet propositum restituendi quando poterit; secus enim affectum ad rem malam retineret, sicque in peccato habituali versaretur. — *Ita omnes.* — Hinc *S. August.* in textu modo citato dicit: *cum restitui potest.*

627. — II. Praeceptum restitutionis est primario *negativum,* secundario autem *affirmativum.* Ratio 1ª est, quia restitutionis prae-

ceptum immediate fundatur in obligatione non violandi ius alienum, seu in obligatione rem alterius neque accipiendi neque retinendi. Haec autem obligatio est primario *negativa*, ut patet, ac proinde urget *semper* et *pro semper*, id est urget quolibet momento, usquedum restitutio facta fuerit. — Ratio 2^{di} est, quia obligatio rem alienam non recipiendi nec retinendi, in qua primario et immediate fundatur praeceptum restitutionis, non potest impleri, quin inde fiat actio positiva, qua domino id reddatur, quod suum est.

III. Non datur obligatio restitutionis, nisi ob violationem iuris *stricti*, seu iustitiae *commutativae;* secus vero ob violationem iuris honestatis simpliciter. Ratio est, quia restitutio efficit, ut res proximo debita exaequet ius illius iniuste violatum. Iam vero hoc fieri nequit, cum de violatione iuris honestatis sermo est. Si quis enim ius laedat Superioris sui vel proximi, illi denegando obedientiam, huic charitatis officia, violatio illa stricte reparari nequit, quia novus actus obedientiae vel charitatis non repararet ius violatum, sed satisfaceret tantum praecepto, quod semper urget, obediendi scilicet Superiori, et proximum in angustiis sublevandi.

628. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An impotens restituere ex bonis eiusdem ordinis teneatur restituere ex bonis ordinis diversi?*

Resp. Neg. probabilius. Ratio est, quia non datur comparatio inter bona diversi ordinis; ergo nec dari potest compensatio. Et sane decerni nunquam posset, quantum *arithmetice* restitui deberet, siquidem inter bona diversi ordinis non datur mensura communis. — *S. Lig. n. 627.* — *Lacroix*, etc...., *et alii communius.*

Affirmant tamen quidam alii, quia (inquiunt) qui non potest totum damnum resarcire, tenetur saltem compensare partem, quam potest. — *S. Th. 2. 2. qu. 62. art. 2.* — Hanc sententiam dicit probabilem *S. Lig.*, sed primam ut probabiliorem habet.

Attamen per iustitiam vindicativam potest a iudice vel a Superiore imponi, ut quis pro iniuria circa unum bonorum genus, aliquid praestet in bonis alterius ordinis; *probabilius* tamen ratione poenae tantum, non vero ratione iustitiae. Laesus insuper ius habet apud iudicem denuntiandi illum, a quo iniuriam accepit, adeoque ab isto pecuniam accipiendi, ut denuntiationem omittat; sic v. gr. mulier ab aliquo violenter oppressa violatorem ad iudicem compellere potest, vel pecuniam a nebulone exigere, ut iuri suo renuntiet.

629. — QUAER. 2° *An inducatur obligatio restitutionis ex actione affective tantum, non vero effective iuris alieni laesiva?*

Resp. Neg. prorsus, quia nulla iniuria realis proximo infertur, quamvis agens graviter peccet actu interno contra iustitiam. Hinc ab onere restitutionis eximendus est iudex malevolus proferens sententiam, quam putat iniustam, si reipsa iusta est; vel ille qui rapit rem, quam existimat alienam, dum sua ipsius est. — *S. Lig. n. 556.* — *Recole dicta supra n. 602. 603.*

Quaer. 3° *An multiplicentur peccata dilatione restitutionis?*

Resp. Neg. probabilius, si habitualiter perseveret mala voluntas non restituendi.— *S. Lig. l. 5. n. 40.— Recole dicta in Tract. de Peccatis, n. 166.*

630.— Quaer. 4° *An furtula diversis personis facta ad restitutionem* sub gravi *obligent, si ad gravem materiam pervenerint, et utrum* dominis ipsis *etiam* sub gravi *restituendum sit?*

Resp. ad 1um *Affirm.,* quia praeceptum non furandi non solum prohibet ne damnum alteri inferatur, sed etiam ne quis iniuste ditescat re aliena.— *Ita communiter.* — *Recole dicta supra n. 609.*

Resp. ad 2um *Neg. probabilius.* Ratio est, quia ex hypothesi nullus dominus gravem iniuriam passus est.—Potest ergo, etiamsi domini sint noti, sine gravi cuiusvis laesione restitutio fieri pauperibus, vel locis piis; imo si causa rationabilis accedat, v. gr. necessitas urgens pauperum, etc., veniale quoque aberit. — *S. Ligorius, n. 534. 595.* Si vero domini sint ignoti, sub gravi pauperibus seu locis piis restituendum est. — *S. Lig. ibid.*

Quaer. 5° *An* sub gravi *restituere teneatur, qui in furtis minutis non graviter peccavit, sed ex inadvertentia ad materiam gravem pervenit?*

Resp. Affirm.; quia quamvis graviter non peccaverit furando, est tamen iniustus possessor materiae gravis, et proinde graviter peccabit rem surreptam retinendo. Hoc valet, etiamsi furta diversis personis facta fuerint; secus enim ille iniuste re aliena absque gravi peccato ditescere posset, quod ex dictis non licet.

631. — Quaer. 6° *An fur, qui gravem pecuniae summam surripuit, teneatur eam integram sub gravi restituere?*

Resp. Neg. Tenetur enim sub gravi tantum id restituere, quod materiam gravem complet, quia hoc restituto materia retenta iam gravis non est. Hinc potest quis obligari sub gravi ad materiam levem restituendam; sed tunc obligatio non ex re levi, sed ex quantitate gravi oritur.— *S. Lig. n. 553.*

Quaer. 7° *Utrum anima defuncti, ut aiunt, detineatur in purgatorio, donec ab illius heredibus facta fuerit restitutio?*

Resp. Neg. Hic error vulgi exortus est ex quibusdam fictis aut male intellectis revelationibus, quibus perhibentur animae in purgatorio degentes apparuisse et pro restitutione exorasse, ut a flammis liberarentur. Ratio patet. Nemo enim in altera vita punitur, nisi pro culpa, quam personaliter commisit in vita praesenti; nemo vero plectitur ob culpam heredum. Attamen si heredes solliciti fuerint restitutionem peragere, ut satisfactionem aliquam pro anima debitoris exhibeant, pie confidendum est, Deum hanc pro ipsa, ex parte saltem, benigne accepturum esse.

632. **Resolves.**— 1° Qui versatur in impotentia rem alienam aut eius valorem restituendi, debet semper firmum habere propositum restituendi, quando poterit, et interim comparare, si quid possit, ut obligationi suae quamprimum satisfaciat.

2° Si quis totum nequeat restituere, et de re divisibili agatur, ad partem, quam possit, tenetur. Persona enim laesa ius habet ad singulas partes, sicuti ad totum.

3° Qui leve damnum proximo intulit, tenetur ad restitutionem erga dominum laesum *sub levi*, et cum incommodo rei proportionato; debet enim reparari iniustitia levis sub levi, sicut gravis sub gravi. Facilius tamen adesse tunc potest ratio excusans a restitutione, praesertim ipsi domino facienda. Si autem de re levissima agatur, difficultas quaecumque sufficiet, ut pauperibus restitutio fieri possit. — *S. Lig. n. 534.*

4° Absolutione indignus merito habetur, qui recusat restitutionem promittere; qui heredibus suis curam restituendi relinquit, dum per seipsum id facere potest; qui aere alieno gravatus, in victu, vestitu, famulatu..., eiusmodi expensas subit, ob quas praevidet, se postea debitorum suorum solutioni imparem fore. Idem dicendum de illo, qui bona gaudens fortuna, non vult statum suum paulatim minuere, ut creditoribus satisfaciat. Cum eo autem, qui bis vel ter se restituturum pollicitus, promissis minime stetit, prudentis Confessarii erit iudicare, an restitutio ante absolutionem exigenda sit, necne (*a*).

5° Nec absolvendi sunt, qui futiles praetextus afferunt ad restitutionem differendam, v. gr. qui dictitare solent: *Non afferam bona mea in tumulum...; restituent heredes...; statuam in testamento, faciendam esse restitutionem...;* vel: *Iam praecepi filiis meis, ut quamprimum ipsi restituant...* Male enim dispositi reputandi sunt, qui facere nolunt hic et nunc, quidquid moraliter possunt ad proximo satisfaciendum; 1° quia indesinenter urget restitutionis praeceptum, et creditor iniuriam et saepe etiam damnum ex dilatione patitur; 2° quia male providetur restitutioni faciendae, hanc committendo heredibus; et isti enim similiter ad vitae suae finem protrahere eandem possunt; 3° quia forte deerit tempus testamentum condendi, vel, si condatur, forte etiam variis de causis aut praetextibus executioni illud non mandari continget.

6° Caute agere debet Confessarius cum moribundis restitutioni obnoxiis. Sic autem procedere poterit: 1° Si poenitens videatur esse in bona fide, nec supersit tempus eum de sua obligatione prudenter monendi, aut praevideatur, non profuturam esse monitionem, hac omissa erit absolvendus. 2° Si vero fructus monitionis speretur, aut si poenitens non sit in bona fide, fortiter simul et suaviter admonendus erit de restitutionis obligatione, et ad illam statim peragendam adiuvandus. 3° Si obligatio occulta sit, nec statim fieri

(*a*) Nimirum etiamsi Confessarius poenitentem iudicet prorsus paratum ad implendam quantocius restituendi obligationem, nisi tamen aliud circumstantiae suadeant, expedit ut a periculo, quod ab inconstantia ipsius timeri potest, illum eripiat.

queat, erit inducendus aeger ad summam pecuniae sibi Confessario, seu potius, si fieri possit, viro fideli committendam, ut postea creditori secrete committatur, vel ad eam summam in testamento ipsi relinquendam, omissa restitutionis mentione. 4° Si obligatio non sit occulta, nec statim adimpleri possit, Confessarius efficiat, ut per heredes certo facienda curetur, sive per schedulam creditori tradendam, etc. — *V. Casus, n. 580. et seq.*

CAPUT I.

DE RADICIBUS RESTITUTIONIS

633. — Radices restitutionis dicuntur causae, ex quibus oritur obligatio restituendi. Ex triplici autem capite desumuntur, scilicet 1° ex acceptione rei alienae;— 2° ex iniusta damnificatione;— 3° ex iniusta cooperatione: quod tamen quoad rem in alterutrum e praecedentibus recidit.

ARTICULUS I.

DE ACCEPTIONE REI ALIENAE

634. **Principium generale.** — Solus rei dominus *per se* habet ius eam possidendi, nec rei dominium amittit, ad cuiuscumque manus illa demum deveniat. — Dicitur, *per se;* quia alius possessor quilibet, etiam bonae fidei, non nisi *per accidens* et ex errore invincibili ius habet rem possidendi. — *Ita omnia iura statuunt.* — Ex hoc autem generali principio sponte sua fluunt quatuor haec notissima axiomata, quae saepe saepius in decursu huius tractationis recurrent, scilicet

1° *Res clamat domino,* id est domino competit ius strictum rem suam recuperandi, ubicumque eam inveniat.

2° *Res fructificat domino;* quia usus et fruitio necessario in idea dominii perfecti includitur.

3° *Res naturaliter perit domino;* quia deficiente dominii obiecto, evanescit et ipsum dominium. Si tamen existat adhuc *in aequivalenti,* istud *aequivalens* domino competit.

4° *Nemo ex re alterius locupletari iniuste debet;* vel aliis verbis: *Mensura restitutionis est quantitas rei alienae sine causa detentae.* Ratio patet; soli enim domino rei competit utilitatem ex eadem percipere.

Verum haec principia praeterquam quod aliquando iuxta diversas locorum leges diversam sortiuntur applicationem, insuper modificantur pro diversa possessoris conditione. Quippe potest quis rem alienam possidere vel cum bona, vel cum mala, vel cum dubia fide. Dicendum itaque 1° de possessore bonae fidei; 2° de possessore malae fidei; 3° de possessore dubiae fidei.

§. I. *De possessore bonae fidei.*

Possessor *bonae fidei* ille est, qui *invincibiliter* ignorat rem a se possessam esse alienam, ac prudenter iudicat esse suam, v. gr. quia illam acquisivit titulo dominii *de se translativo*, puta, hereditatis, legati, donationis aut emptionis. Supponitur autem, illum rem possessam nondum praescripsisse; secus enim iam non esset detentor *rei alienae,* sed suae.

635. **Principia.** — I. Possessor bonae fidei, statim ac novit rem a se possessam esse alienam, tenetur eam adhuc extantem in toto vel in parte, vel in emolumento, domino restituere; secus enim *bonum alienum,* invito rationabiliter domino, retinet; et proinde illius ius strictum violat. — *Ita omnes.*

II. Possessor bonae fidei ad nihil prorsus tenetur, si durante bona fide rem alienam consumpserit, amiserit, vel etiam destruxerit, modo ditior inde non evaserit. Etenim non tenetur ratione rei acceptae, quae amplius non extat; neque ratione iniustae acceptionis, aut consumptionis, aut destructionis, quia rem bona fide possidebat. Hoc etiam valet, si de industria rem destruxerit, aut ex eius negligentia illa perierit. Ratio est, quia nulli iniuriam inferebat, rem, quam credebat suam, destruendo, aut negligendo. Iure etiam positivo confirmatur. Sic enim, *l. 31. §. 3. ff. de petit. hered.: Qui quasi rem suam neglexit, nulli querelae subiectus est.*

Dixi, *modo ditior inde non evaserit;* quia id, in quo ditior factus esset, loco rei succederet; est autem contra ius naturale, ut quis cum alterius iniuria ditescat, iuxta regulam 48 Iuris in 6°: *Locupletari non potest aliquis cum alterius iniuria seu iactura.*

636. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An possessor bonae fidei teneatur restituere fructus, quos durante bona fide percepit?*

Resp. Distinguendi sunt fructus. Nam 1° alii sunt *naturales,* qui ex ipsa rei substantia, sine ulla aut modica hominis opera proveniunt, ut sunt gramina, etc. — 2° Alii sunt *industriales,* qui potissimum industriae possessoris tribuuntur. — 3° Alii *mixti,* qui sunt partim naturales et partim industriales, ut segetes, etc. — 4° Alii demum *civiles,* qui non sunt fructus proprie dicti, sed ut tales a Iure habentur, ut sunt reditus annui, pretium locationis domus, etc. (*a*).

Dico 1° Possessor bonae fidei *nulla* ratione tenetur restituere fructus mere *industriales;* quia isti ratione industriae ad possessorem omnino pertinent (*b*). — *Ita omnes.*

(*a*) Etiam fructus civiles dici poterunt vel *naturales,* vel *industriales,* vel *mixti,* prouti ex re potius, aut potius ex labore et industria, aut ex utroque provenire censentur.

(*b*) Huc revocantur etiam fructus *mixti,* qua parte industriae debentur. Ea de re S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 825.*): *Fructus mixti, scilicet provenientes tam ex natura rei, quam ex industria, non debent restitui do.*

Dico 2° *Ex iure naturali* possessor bonae fidei restituere debet omnes alios fructus, sive *naturales*, sive *civiles*, expensis tamen et laboribus deductis (*a*). Ratio est, quia ex iure naturali fructus ad eum pertinent, ad quem causa ipsa *fructifera* pertinet, cum ex re ipsa proveniant, iuxta axioma : *Res fructificat domino*. — *S. Lig. n. 610*.

Dico 3° *Ex Iure Romano* iuxta communem interpretationem restituendi sunt fructus *naturales percepti* et adhuc existentes, licet ius non semper adeo clarum sit. *Controvertitur* autem quoad fructus non amplius exstantes seu consumptos. Quidam censent nihil esse restituendum, licet possessor ex iis ditior evaserit; quia restitutionis obligatio probari non potest, neque ex *iure* quod silet, vel non sat clarum est (*b*), neque ex praxi tribunalium, quae possessori favet. — Excipiunt tamen, si quis possederit alienam hereditatem, quae fuerit evicta; tunc enim ex iure evidenter tenetur reddere id omne, ex quo ditior factus est. — *Vide Carrière, n. 1052*. — *Communius* vero theologi, saltem ex iure naturali, obligant ad restituendum id omne, ex quo possessor ditior factus est. — *Ita S. Lig. n. 610*.

Dico 4° *Ex Iure Gallico* omnes fructus, quicumque sint, assignantur possessori bonae fidei, modo rem ipsam possideat ut pro-

mino a possessore tam bonae quam malae fidei, nisi quantum respondent naturae, non vero quantum respondent industriae: fructus enim illi non sunt rei, sed hominis occasione rei vel per rem tamquam per instrumentum sibi lucrantis. Quam doctrinam tum hoc loco tum *n. 610*. communem dicit. Scite autem monet Croix (*Lib. 3. P. 2. n. 213.*) *hoc sibi velle Auctores communiter, quando dicunt, fructus mixtos esse restituendos, deducto valore industriae.*

(*a*) Adde quoad civiles: *et deducta aestimatione industriae*, ut ex dictis patet.

(*b*) Ideo obscurum videri ius romanum potuit, quod, ut bene advertit cum aliis Card. De Lugo (*De Iust. Disp. 17. n. 41-47.*), veterum iurisconsultorum scita, quae in Digestis feruntur, ita dissiderent, ut inani conatu ea inter se componere DD. studuerint. Quae tamen incertitudo, spectatis legibus Imperatorum Diocletiani et Maximiani (*L. Certum 22. C. De rei vindic.*), et Iustiniani (§. *Si quis a non domino 35. Inst. De rer. Divis.*), evanescere videtur. Quidquid vero de hoc sit, cum *generalis regula* (ut inquit Lugo *l. c. n. 39.*) *Theologorum sit*, et quidem non tantum ex *communiori*, ut A. innuit, sed ex omnium eorum *communissima* ac *unanimi* sententia, restituendos esse fructus extantes non solum *in seipsis*, sed etiam aequivalenter, in quantum scilicet bonae fidei possessor ex illis factus est locupletior, cumque, ut A. quoque indicat, ex ipsorum DD. sententia haec obligatio a lege naturali profluat; vix enimvero intelligi potest, quomodo *Carrière*, eo quod ius romanum de hac re aut silere aut obscure loqui visum ei fuerit, concludere potuerit, legis naturalis obligationem cessare! Quod vero idem *Carrière* addit *de praxi tribunalium, quae possessori favet*, hoc nihil est. Numquid enim iudicis cuiusque sententia secundum leges regionis suae dicta ius naturae immutet aut deleat? Illud unum sane iam supererit, ut verentes eorumdem tribunalium praxim illasve leges, rite soluta etiam quoad vinculum matrimonia putemus, quando gallicus iudex pro hisce divortiis sententiam dicit!

prietarius, et ex titulo qui ex natura sua dominium transferre valeat. — *Cod. civ. 549. 550.* — An vero haec Iuris Gallici dispositio etiam in foro conscientiae valere possit? *Probabilius* affirmandum est, quia rationabiliter praesumi potest, talem esse vim legis (*a*), cum sic intellecta multo magis bonum publicum promoveat, et de medio tollat inextricabiles querelas et difficultates, quae iugiter moverentur circa quantitatem fructuum restituendorum, etc. — *Ita Carrière, n. 1054. — Vernier, n. 564. — Gousset, n. 931.*, etc., contra *nonnullos.*

637. — Quaer. 2° *Ad quid tenetur possessor bonae fidei, si rem alienam alteri donaverit?*

Resp. Ad nihil tenetur, si ditior minime factus sit, ut sequitur ex dictis supra in principio II. Secus restituere debet id, in quo ditior evasit, ut ex principio I constat.

Quaer. 3° *An facta donatione, et errore detecto, teneatur monere donatarium, ut rem domino reddat, vel ipsum dominum, ut rem suam recuperare valeat?*

Resp. Tenetur certo ex generali charitatis principio, si facile id praestare possit. Sed videtur etiam teneri ratione iustitiae, ex generali obligatione, quam incurrit iniustitiae etiam mere materialis auctor.

638. — Quaer. 4° *Ad quid tenetur possessor bonae fidei, si rem a fure emptam alteri vendiderit?*

Resp. 1° *In casu evictionis,* idest si dominus rem suam ab emptore vindicaverit, venditor emptori pretium reddere tenetur. Ratio est, quia venditio est omnino irrita, tum ex iure naturali, tum ex iure positivo; interveniente ergo evictione, contractus resolvendus est, et emptor recursum ipso facto in venditorem acquirit: quippe rem emptori tradendo se implicite obligavit ad damnum reparandum, si forte futura esset evictio. Idem ob eandem rationem dicito in casu spontaneae restitutionis ab emptore factae.— *S. Lig. n. 601. — Salm. n. 89.*, etc. Hoc tamen negat *Lugo, D. 17. n. 109.* (*b*)

(*a*) Nihil sane nos cogit, ut legem quampiam, propter quod in codice gallico reperiatur, idcirco iustam, et vi aliqua in foro conscientiae praeditam arbitremur. Ratio vero, quae additur, *boni publici,* quod nimirum sic locus querelis et difficultatibus in determinanda fructuum restituendorum quantitate adimatur, nimis infirmam vel prima fronte se prodit; tum quia innumera in ipso codice exempla occurrunt, in quibus difficultas illa determinandi quantitatem rei reddendae seu pecuniae solvendae nullatenus a debito solvendo eximit; tum quia iniquissimum per se est, ut certum vel sui repetendi ius, vel alieni solvendi officium hac solum de causa cesset, quod difficultas quaepiam incidat decernendi, plusne, an minus triginta aureis solvendum forte sit.

(*b*) Lugo tamen doctrinam hanc ita circumscribit: *Si ille, cui rem alienam bona fide vendidisti, te non admonito, domino restituit, et ea de causa non potes tu postea pretium recuperare ab eo, qui tibi vendiderat, non teneris ad pretium ei reddendum; quia damnum, quod tu ei intulisti vendendo rem alienam, ipse tibi vicissim intulit sua accelerata re-*

cum Lessio *Lib. 2. Cap. 14. n. 28.* ob damnum illatum venditori, per acceleratam restitutionem impediendo ne hic pretium suum recuperare possit. — Idem dicendum est, si res aliena in manus variorum possessorum titulo oneroso transiverit. Si enim ultimus possessor rem domino reddere cogatur, et ipse et singuli emptores ius habent venditorem suum persequendi, ut pretium solutum recuperent.

Resp. 2° *Extra casum evictionis,* vel, iuxta quosdam, etiam spontaneae restitutionis ex parte emptoris, res difficultate non caret, et acriter *controvertitur.* Sic nobis resolvendum esse videtur.

1° *Ex Iure Romano* venditor ad nihil tenetur saltem *probabilius,* nisi ex venditione ditior factus fuerit. Ratio est, quia venditio rei alienae cum bona fide non habetur in iure omnino irrita. Licet enim per eam non transferatur dominium rei in emptorem, transfertur tamen dominium pretii in venditorem. Et hic quidem etiamsi deinde detegat, rem venditam alienam esse, non tamen tenetur aut monere dominum, ut rem suam recuperare possit, aut indicare emptori, rem esse alienam. — *Ita communius.* — *Lugo, disp. 17. n. 106.* — *Salm. c. 1. n. 88.* — *Vogler,* etc., contra *Billuart, a. 10., et alios,* qui venditorem obligant ad pretium domino vel emptori reddendum; quia (aiunt) venditio rei alienae est prorsus invalida.

2° *Ex Iure Gallico* crescit difficultas, quia ex *art. 1599. C. C.* irrita declaratur venditio rei alienae. Si igitur (aiunt) contractus plane irritus fuerit, emptor pretii dominium in venditorem non transtulit, nec proinde venditor ius ullum habet ad pretium illud servandum. Ergo pretium videtur refundendum in dominum, si ille rem suam ab emptore repetere nequeat. — *Ita Carrière, n. 1047. cum aliis.*

Attamen merito contradicunt alii, quorum sententia *sat probabilis* videri debet. Neque enim plane constat, etiam ex Iure Gallico venditionem rei alienae nullos omnino effectus habere. Ex citato namque articulo haec mere deduci possunt: 1° dominum rei ius suum in eam servare; 2° emptorem subiici evictioni; 3° venditorem in casu evictionis aut restitutionis ex parte emptoris obligari ad pretium emptori restituendum. Nihil praeter haec aliud ex praxi tribunalium deduci potest. Caeterum quid causae habetur inter ven-

stitutione impediendo, ne pretium tuum recuperare posses. Ita Lessius... Quod tamen intelligi debet cum duplici conditione. Prima est, ut ea de causa pretium non recuperes: si enim vel possis adhuc recuperare, vel certe etiamsi res tibi ab emptore tuo reddita esset, non recuperasses illud, iam non intulit tibi damnum, quod compensare possis negando ei suum pretium. Secunda conditio est, quod emptor tuus nulla necessitate coactus rem domino reddiderit: si enim id coactus fecit, non censetur causa tui damni, atque ideo manet in te obligatio prior restituendi ei, et resarciendi damnum totum, quod ex emptione passus est.

ditorem et dominum rei? Qualem recursum hic in illum sibi tribuere potest (*a*)? Insuper durissimum foret, eum, qui nec rem alienam amplius habet, nec ex ea ditior factus est, ad tantum incommodum sponte subeundum obligari. Domino itaque ad ius suum aut violati iuris reparationem consequendum in actualem quidem rei possessorem, aut in furem recursus superest, in alios autem nullo modo. — *Ita Gousset, n. 929., et alii.*

639. — Quaer. 5° *Ad quid tenetur possessor bonae fidei, si rem alienam gratuito acceptam alteri vendiderit?*

Resp. 1° *In casu evictionis* tenetur emptori damnum rependere, ut in casu praecedenti.

Resp. 2° *Extra casum evictionis*, quando scilicet res a domino recuperari nequit, sive quia ultimus possessor eam consumpsit, sive quia iste amplius non comparet, venditor iuxta communem sententiam totum pretium ab emptore receptum in dominum refundere debet. Ratio est, quia ex toto illo pretio vere ditior factus est, nec proinde ullam iacturam illius occasione patitur; dum e contrario dominus re sua iniuste spoliatus totum rei damnum subire cogitur. Unde hic indemnis servandus est ex lucro, quod venditor absque ullo titulo percepit. — *Vogler, n. 66., et alii innumeri.*

Quidam tamen venditorem ab omni obligatione liberant, quia in eum nullum recursum habere potest dominus, haud secus ac in casu praecedenti. — *Ita Gousset, n. 930.* — Attamen a communi sententia non est recedendum.

640. — Quaer. 6° *Si quis bona fide rem alienam mediocri pretio emerit et maiori eam vendiderit, an lucrum perceptum domino reddere teneatur?*

Resp. 1° *Neg.*, si lucrum istud industriae extraordinariae tribuendum sit, v. gr. si alium locum notabili labore adierit, ut opportunam occasionem rem carius vendendi inveniret, etc. Idem dicendum, si res tempore detentionis melior effecta fuerit cura detentoris.

Affirm. e contrario, si res ex natura sua, aut ex communi hominum aestimatione, non vero ex detentoris industria creverit, quia in eo casu domino crescit.

Resp. 2° In aliis vero casibus *controvertitur*. Alii affirmant, quia ex eo lucro possessor ditior factus est. — *Billuart*, etc.

Negant vero alii *communius* et *probabilius;* quia totum illud lucrum fructus industriae possessoris esse videtur.— *Ita Lugo, disp. 17. n. 20., et alii sat communiter*, ut fatetur *Billuart*.

641. — Quaer. 7° *Ad quid teneatur possessor bonae fidei, si rem alienam vendiderit, et illa in manibus emptoris perierit?*

Resp. 1° Si rem habuit *ex titulo oneroso*, *probabilius* ad nihi

(*a*) Nimirum dominus in venditorem neque actionem *personalem* habet, quia nulla fraus intercessit, neque actionem *realem*, quia rem iste non habet.

tenetur, ut sequitur ex dictis in quaesito quarto. Etenim 1° non tenetur *ratione rei,* cum illam iam non habeat; 2° neque *ratione damni,* cum non sit causa eius interitus, nec aliunde ullo modo formaliter cooperatus ablationi rei fuerit.

Resp. 2° Si rem habuit ex titulo gratuito, haud ita facilis evadit solutio, quia ditior evasit. In varias sententias quoad istam quaestionem abeunt Theologi, et tibi undique adstant ambages. Triplex sententia praecipue distinguitur.

I^a SENTENTIA, quae probabilior videtur, docet pretium emptori restituendum esse. Etenim illud servare nequit venditor, cum ex illo ditior evaserit. Aliunde istud domino reddere non tenetur, quia res domino periit. Insuper si primus possessor malae fuerit fidei, ut saepius accidit, ille de rei valore erga dominum tenetur. Aliunde vero cum venditio invalida fuerit, emptor ius habet ad suam pecuniam recuperandam. — *Bouvier.* — *Carrière,* etc.

II^a SENTENTIA *sat probabilis* tenet, pretium domino esse restituendum. Ratio est, quia cum iniuste re sua spoliatus sit, indemnis fieri debet. Re autem iam non existente, aequum est ut accipiat id, quo res repraesentatur. Atqui repraesentatur pretio, quod habet venditor. Ergo... Aliunde nullitas venditionis emptori minime nocet; quia ei non magis nocet, quam si contractus validus foret; porro si validus esset, nihil posset repetere. Ergo... Excipiunt plures recte, si res aeque periisset apud dominum, v. gr. ex vitio intrinseco, aut ex vetustate; tunc enim revera ipsi periisset.

III^a SENTENTIA dicit, venditorem posse pretium sibi retinere, quia nec domino, nec emptori illud restituere debet. Ac 1° *non domino,* quia res ipsi periit in omni casu; 2° *non emptori,* quia pecunia, quam venditor accepit, non praecise rem repraesentat, sed potius obligationem, quam in se suscepit servandi indemnem emptorem in casu evictionis. Sed emptor non fuit evictus; ergo venditor pretium retinere potest ratione rei derelictae. Haec sententia paucos adnumerat patronos, nec sat probabilis videtur.

642. — QUAER. 8° *Quid agendum, si inter varios possessores bonae fidei unus malae fidei adfuerit?*

Resp. Illa circumstantia nihil prorsus conditionem aliorum possessorum immutat, quemcumque tandem locum in serie possessorum ille occupaverit. Singulis enim incumbit eadem obligatio erga dominum, ac si possessor ille bonae fidei fuerit, siquidem mala eius fides in alios nullatenus redundat. Iste autem tractandus erit, prouti mox de possessoribus malae fidei dicetur.

QUAER. 9° *Quid agendum, si possessor bonae fidei detegat quidem rem a se possessam esse alienam, sed dominus non compareat?*

Resp. De hoc statuendum est sicut de re inventa. Probabilius igitur possessor rem illam servare sibi potest.— *Recole dicta, n. 578.*

643. — QUAER. 10° *An possessor bonae fidei subducere possit expensas necessarias, quas in re conservanda vel augenda subiit?*

Resp. Deducere potest omnes expensas *necessarias*, imo et *utiles*, quae nempe rem conservant et meliorem efficiunt; secus enim dominus plus, quam suum est, reciperet. Nihil autem repetere potest pro expensis mere voluptuariis; quia aequum non est, ut dominus solvat expensas, quae nullam sibi utilitatem afferunt.

Inter expensas autem non sunt computandi casus fortuiti, nec damna *per accidens* causata. Sic v. gr. si in colendo agro alieno perierint equi tui, valor equorum deduci nequit, sed tantum aestimatio laboris facti ab equis pro agri cultura.

644. — Quaer. 11° *An qui rem furtivam bona fide emit, possit eam furi reddere ad pretium suum recuperandum?*

Resp. 1° *Neg.*, si compareat dominus rem suam ab illo repetens; tunc enim debet eam ipsi reddere, etiam cum pretii sui iactura; quia de iure naturali dominus rem suam occupare potest, ubicumque eam reperiat. Actio tamen emptori datur in furem.

Excipe *ex Iure Gallico*, si res empta fuerit in foro publico, vel ab eo qui res huiusmodi vendere solet; tunc enim emptor domino rem non tenetur reddere, nisi pretio soluto. Haec autem iuris dispositio, iuxta quosdam, valet etiam in foro conscientiae; quia est utilissima bono publico, tranquillitati possessionum, et valde commercio favet (*a*). — *Ita Bouvier, de possessore bonae fidei. — Carrière, n. 1041. — Gousset, n. 1027.*

Resp. 2° Si dominus sit quidem cognitus, sed rei inscius, *probabilius* potest emptor rem furi remittere, ut pecuniam recuperet; quia emptor non tenetur rem domino servare cum proprio damno. — *Ita S. Ligor. n. 569. — Lugo. — Lessius*, etc. — *Negant* tamen *alii probabiliter*, quia res clamat domino. — Sic *Lacroix. — Laymann. — Carrière, n. 1042.*, etc.

Resp. 3° Si fur, aut alius venditor non appareat, aut pecuniam reddere nolit, emptor, cognito domino, rem aliis vendere non potest, nec in proprios usus convertere, ut se servet indemnem, quia non est rei dominus; sed eam domino reddere debet, non obstante pretii iactura. Recursum autem in venditorem servat. Quod si eum invenire nequeat, damnum ipsi est subeundum. — *V. Casus, n. 599 et seq.*

§. II. *De possessore malae fidei.*

Possessor malae fidei ille est, qui cognoscit rem, quam accipit aut possidet, non esse suam.

645. **Principia.** — I. Possessor malae fidei restituere debet rem ipsam in *individuo*, si existat, vel in *aequivalenti*, si non existat, et insuper id omne, in quo factus est ditior (*b*), ut de possessore bonae fidei dictum est.

(*a*) Vide quae superius de gallicis hisce legibus diximus, ubi de *praescriptione*.

(*b*) Intellige fructus rei naturales; nam si factus ditior sit per fructus industriales, hos licite retinere sibi potest, uti A. infr. advertit.

II. Tenetur praeterea ad compensandum omne damnum ex acceptione iniusta proximo illatum, etiamsi ditior non fuerit factus. Ratio est, quia per acceptionem *formaliter* iniustam ac per se damni efficacem, violavit ius proximi. Requirit autem iustitia commutativa, ut ius violatum integre reparetur. Ergo...

III. Potest tamen retinere fructus omnes industriales, et deducere expensas tum necessarias, tum utiles; imo et mere voluptuarias, ubi intacta rei substantia separari possunt, nisi in poenam delicti ad expensas amittendas condemnatus fuerit. — *S. Lig. Hom. ap. n. 74. 77.*

646. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An teneatur ad restitutionem fur, qui surripuit rem secus certo perituram?*

Resp. Affirm., deductis tamen expensis factis cum pretio operae adhibitae ad rem a periculo liberandam. Ratio est, quia res illa non cessavit ad dominum pertinere, licet summo periculo exposita fuerit.

Excipiunt plures *probabiliter,* si fur consumat rem in certo periculo remanentem, v. gr. esculenta vel poculenta incendio iam peritura : quia res non liberata a periculo nullius est valoris pro domino. — *Lugo, D. 18. n. 77., 144. et seq. — S. Lig. n. 620. — Elbel, n. 80.*

Plures hoc extendunt ad casum, in quo res aliena proximo periculo subducitur et statim consumitur: v. gr. si sumas vinum alienum iamiam incursu hostili certo invadendum, illudque cum familia aut amicis bibas. — *Lugo, Elbel, ibid.*

647. — Quaer. 2° *An fur teneatur ad restitutionem, si res furtiva apud ipsum perierit?*

Resp. 1° *Affirm. absolute,* si perierit culpa furis vel alterius cuiuslibet, quia fur fuit causa damni efficax, sive ipse, sive alius rem ex negligentia culpabili perdiderit aut consumpserit, donaverit, destruxerit. — *Ita omnes.*

Resp. 2° *Affirm. generatim,* si pariter res periit apud furem, etiam absque ulla eius culpa. Ratio est, quia fur rem subducendo totum illius periculum in se suscepit. — *S. Lig. n. 620.*

Resp. 3° *Neg.* tamen, si res fuisset peritura apud dominum eodem tempore et casu, seu ex vitio eius intrinseco, quia tunc nullum prorsus damnum domino infertur. *Probabilius* hoc valet, etiam si res certo peritura fuisset eodem tempore et in eodem periculo communi, quo apud furem periit, v. gr. in eodem incendio, vel in eadem publica calamitate. Ratio est, quia tunc furtum non fuit causa damni, sed res aeque et eodem modo et tempore periisset.— *Ita communiter. — S. Lig. n. 620 ; Hom. apost. de 7° praecepto, n. 79. — Lugo, Disp. 18. n. 141. — Vogler, n. 501.* contra *Concina, etc.*

Dixi 1° *si res peritura fuisset eodem tempore apud dominum;* quia si peritura fuisset antea, et furto adscribendum est, quod non

perierit, iam ad dominum, dum penes furem manebat, semper clamabat, nec periisset, si iam fuisset restituta; ergo fur ad restitutionem tenetur: si vero postea peritura fuisset apud dominum, urget eadem obligatio restitutionis pro fure, qui eo instanti, quo res penes se periit, obligationem restituendi contraxit.

Dixi 2° *eodem periculo;* quia ubi periculum est omnino diversum, bene potest imputari furi quod pereat, quia sine eius furto res huic periculo exposita non fuisset, quamvis aliud discrimen subiisset. — *S. Lig. n. 620.* — Aliqui tamen contradicunt, quia (aiunt) perinde est, sive res in isto, sive in alio periculo intereat, quando utrumque discrimen simul coexistat.

Ex Iure civili Rom. et Gall. quocumque modo res perierit in manibus possessoris malae fidei, ad restitutionem hic tenetur. Attamen non videtur ad restitutionem obligandus ante iudicis sententiam, nisi illum iure naturali obligari constet.— *Carrière, n. 1072.— Gousset, n. 933.*

648. — Quaer. 3° *Ad quid teneatur possessor malae fidei, quando res varium habuit valorem tempore detentionis?*

Resp. 1° Tanquam certa habenda sunt quae sequuntur:

1° Si res apud furem deterior facta fuerit, restituenda est secundum valorem, quem habebat quo tempore sublata est. Secus enim dominus non reciperet id omne, quod suum erat.

2° Si res apud furem crevit, restitui debet cum omnibus incrementis hic et nunc existentibus; quia res semper ad dominum pertinet, et pro ipso crescit.

3° Si dominus rem suam fuisset venditurus eo tempore, quo fuit sibi ablata, et fur eodem tempore eam vendiderit, aut consumpserit, tenetur tantum restituere valorem, quem habebat quando illam surripuit.

4° Si res apud furem creverit et postea decreverit, et constet dominum, eo tempore, quo maioris erat pretii, venditurum illam fuisse aut consumpturum, fur ad totum maius pretium reddendum tenetur.

5° Si fur rem a domino non servandam consumpserit tempore minoris pretii, non tenetur ad restitutionem incrementi, saltem *probabilius;* quia non ditescit ex re aliena, nec iniuriam infert domino. — *Ita communius,* contra aliquos. — Excipe, si dominus emere non potuisset eodem pretio rem consumptae similem. — *S. Lig. n. 621.*

6° Si fur rem a domino non servandam vendidit vel consumpsit tempore maioris pretii, tenetur illud pretium domino reddere, licet aliud dominus de re facturus fuisset; quia res domino suo fructificat. — *Ita communiter. — S. Lig. n. 621.*

Resp. 2° *Controvertitur* vero utrum fur restituere teneatur rem furtivam iuxta maiorem, quem aliquando habuit, valorem, si dominus eamdem rem usque ad tempus minoris pretii servaturus fuis-

set, vel si eam, antequam pretium eiusdem crevisset, fuisset consumpturus.

Videtur negandum *probabilius*, quia fur ad maiorem valorem restituendum neque ratione rei acceptae tenetur, ut patet ex dictis, neque ratione damni illati, quia dominum reponit in eodem statu, in quo versatus fuisset, si iniuria non fuisset commissa. — *Lugo, D. 18. n. 132.* — *Lacroix, n. 233.* — *Carrière,* etc.

Affirmant tamen alii non pauci, quia res pertinebat ad dominum cum suo incremento tempore maioris *pretii,* et proinde tunc eam reddere tenebatur. Ergo, etc. — *S. Lig. n. 621.* (*a*). — *Billuart.* — *Antoine.*

In praxi cum fere non innotescant omnes praefatae circumstantiae, plerumque sola urgenda est compensatio valoris, quem tempore furti res habebat.

** (*a*) Auctoris doctrinae quoad secundam quaestionis partem (*Pag. 923.*) VV. opponunt ea, quae S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 621.*) habet. *Si dominus* (inquit) *consumpturus fuisset agnum tempore vilioris pretii, et apud furem crevit valor, sed postea apud ipsum decrevit ad pristinum valorem; respondet Concina, furem teneri ad restituendum vilius pretium, quoniam restitutio non obligat nisi ad mensuram damni illati. Sed id mihi videtur penitus improbabile, quoniam cum pretium agni creverit ad quinque in beneficium domini, et eo tempore culpabiliter agnum illi fur non restituerit, damnum non fuit in quinque, sed in decem, et mora furis fuit quidem causa huius damni; quapropter non quinque, sed decem ille restituere debet.*

Sed conciliari forte utraque sententia potest, si utrobique suppleatur hypothesis, seu limitatio quam uterque subintelligendam reliquit iuxta primam quaestionis partem. Hanc limitationem sic proponit Laymann (*Lib. 3. Tr. 2. C. 4. n. 5.*): *Sed limitari debet, Nisi ita res comparata sit, ut licet iniquus possessor rem in optimo statu restituisset, a domino tamen non divendita etc., sed servata, similiter deterior facta esset; tunc satisfacit iniquus possessor, restituendo rem in statu deteriore, ad quem, sine culpa tamen sua, pervenit. Ratio est, quia hoc casu fur per moram restituendi nullum reipsa domino damnum intulit, sicuti constat ex supradictis.*

Hoc ipsum clare proponit Lugo in eo, quem et Auctor allegat, loco (*Disp. 18. n. 132.*). Ac primo sic proponit doctrinam a S. Alphonso dein traditam: *Si apud dominum tempore maioris valoris existens consumenda fuerat vel alienanda, tenetur fur postea iuxta illum maiorem valorem restituere domino; quia tempore maioris valoris debebat eam domino reddere, atque ex iniusta retentione causa fuit, quod domino damnum illud emergeret vel lucrum cessaret, et hoc sive ex culpa furis, vel sine illa decrevit valor, aut bonitas rei illius.* Et hanc eandem doctrinam etiam Auctor Resol. quarta et sexta tradit. Limitationem seu aliam hypothesim sic deinde (*ibid.*) subiicit Lugo: *Si res illa in valore decrevit, quae apud dominum eodem modo decrevisset, a quo conservanda erat ad illud usque tempus, quo minus valeret; nunc attendendum solum est ad valorem rei pro tempore, quo consumpta fuit, et quando damnum vere fuit illatum; quia ex illa iniusta consumptione aut ex retentione vel acceptione iniusta praeterita nullum aliud damnum dominus passus est, ut supponimus: ergo nec ratione damni emergentis nec lucri cessantis debet quicquam aliud restitui supra id, quod res valebat, quando consumpta est.*

649. — QUAER. 4° *An fur praeter pecuniam furtivam etiam restituere debeat* INTERESSE (les intérêts)?

Resp. Affirm., si constet vel praesumatur, quod dominus illud lucrum fuerat percepturus, quia hic respectu possessoris malae fidei omnino indemnis fieri debet; secus vero *probabiliter* in alia hypothesi, quia non constat dominum ad illud auctarium ius habere.

QUAER. 5° *An teneantur restituere, qui ut eleemosynas accipiant, fingunt se pauperes, vel veri pauperes, qui dicunt se probos, cum non sint?*

Resp. ad 1um *Affirm.* Ratio est, quia isti nullum ius habent ad eleemosynas; qui enim erogant eas, *veris* tantum pauperibus opitulari intendunt. Igitur restituendum est vel danti, vel saltem *vere* pauperibus. *Probabilius* sufficit si pauperibus restituatur. Non videtur tamen urgenda restitutio, si de eleemosynis valde modicis, quales ostiatim dantur, agatur; quia erogantes quoad eas sunt minus inviti. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 622.*

Resp. ad 2um *Neg. generaliter*, quia sola indigentia, non vero probitas, est conditio, ad quam donator attendit aut attendere praesumitur. — *Ita communiter.*

650.— QUAER. 6° *Quid, si res aliena per manus plurium malae fidei possessorum transierit ex donatione aut venditione?*

Resp. 1° Quoad rem, haec restituenda est ab eo, qui eam adhuc tenet vel in alium valorem mutavit, aut consumpsit, aut quovis modo amisit. Hoc autem deficiente, tenetur raptor. Quod si neuter debito suo satisfecerit, caeteri per aequas portiones rei pretium solvere debent. Tandem, in caeterorum defectu, quisque ad totum tenetur.

Resp. 2° Quoad rei fructus et damna, singuli ad compensationem tenentur pro parte temporis, quo unusquisque rem detinuit; si autem reliqui pro sua damnificationis et fruitionis parte non compensent, totius damni reparatio singulis incumbit, pro rata tamen temporis elapsi a die, quo successive facti sunt rei alienae iniusti possessores (*a*). — *Ita communiter.*

QUAER. 7° *An ille, qui scienter rem alienam emit a fure, possit ipsam huic reddere ad pretium recuperandum?*

Resp. Controvertitur fere ut in casu simili possessoris bonae fidei, de quo supra *n. 644. Communius* negatur, quia emendo mala fide *in se* periculum rei suscepit: aliunde nemini fraus sua debet patrocinari. — Verum *affirmant* alii ut *probabile,* cum *S. Ligor. n. 570.;* quia licet iste peccaverit rem mala fide emendo, post emptionem tamen ius habet, haud secus ac possessor bonae fidei, ad contractum rescindendum; nec rem furi reddens, hanc in peiori, ac ipse illam invenerit, ponit conditione, e qua insuper nec tenebatur sano ex iustitia ipsam liberare.

(*a*) Nempe tenetur quisque eorum ad reparanda damna, non quae sequuta prius sunt, quam ipse fieret possessor rei alienae, sed quae postea.

651. **Resolves.** — 1° Possessor malae fidei non tantum tenetur ad compensandum damnum domino emergens ex carentia rei suae, et in confuso saltem praevisum, sed et omne lucrum cessans; scilicet non illud tantum, quod dominus ob rei suae carentiam reipsa amisit, sed illud etiam, quod modo licito fuisset percepturus.

2° Qui frumentum alienum surreptum transvexit in alium locum, ubi vendidit maiori pretio, quam dominus erat venditurus, non tenetur augmentum pretii domino tribuere. — *S. Lig. n. 618.* — Quod si idem frumentum fur in agro suo seminaverit, tenetur solum ad simile frumentum reddendum, ita ut dominus indemnis servetur. Item si quis aliena ova supponat gallinae suae incubanda, ad ovorum valorem tantum restituendum tenetur.

3° Si quis furatus sit triticum, quod dominus tempore maioris pretii vendendum servabat, illudque minoris pretii tempore consumpserit, ad illud pretium restituendum tenetur, quod dominus exspectabat; nisi forte tam mature fiat restitutio, ut dominus minori pretio simile triticum emere et sine incommodo in tempus pretii maioris reservare possit.

4° Si quis raptum agnum occiderit, aut aliam rem huiusmodi furto ablatam consumpserit, id tantum pecuniae *(saltem probabilius)* solvere tenetur, quod valori harum rerum tempore occisionis aut consumptionis respondebat; nisi forte dominus eadem pecunia rem eiusdem valoris iam non potuerit emere, simulque voluerit rem illam servare, ut maiorem pecuniae summam ex eius venditione obtineret.— *S. Lig. n. 621.*

5° Si fur subripuit et consumpsit triticum, quod dominus usque ad ultimum venditionis tempus servaturus erat, post furtum vero modii valor primo quidem crevit, sed deinde, cum fur vult restituere, decrevit iterum ad eum valorem, quem furti tempore habebat, satis est *(probabilius saltem)* pretium huic valori respondens solvere.— *Reuter, n. 330.*—*Vide dicta n. 648., Quaer. 3°, Resp. 2°.* —*V. Casus, n. 610. et seq.*

§. III. *De possessore dubiae fidei.*

652. **Principia.** — I. Possessor dubiae fidei, sive a principio, sive in decursu tantum possessionis dubitaverit, serio inquirere tenetur, ut dubium deponat. Ratio patet; secus enim se exponit periculo rem alienam ex culpabili negligentia sua retinendi.

II. Si diligenti inquisitione facta dubium perseveret, *probabilius* rem totam retinere potest, si ante obortum dubium bona fide possidebat. Ratio est, quia *in pari casu, vel dubio, melior est conditio possidentis;* et possessio cum bona fide incepta creat de se maximam praesumptionem de iustitia possessionis, et possessori ius certum attribuit, quod, nisi aliis rationibus vel praesumptionibus fortioribus vincatur, in foro tum interno tum externo praevalere de-

bet. — *S. Lig. l. 1. de Consc. n. 34.* — *Lugo, D. 17. n. 86.* — *Lacroix, n. 563.* — *Carrière, n. 1094., et alii communiter,* contra *aliquos,* qui dicunt rem pro rata dubii esse dividendam.

III. Si dubium praecesserit possessionem, distinguendum est. Nam qui in dubio incepit possidere spoliando alium possessione sua, tenetur rem totam restituere priori possessori (*a*), quando non constet, hunc mala fide incepisse rem possidere; quia in pari causa melior est eius conditio, utpote possidentis.—*Lugo, D. 17. n. 80.*—*Carrière, n. 1100.*

Qui vero rem accepit alio titulo, v. gr. emptionis, et post examen diligens adhuc dubium perseverat, an ille, a quo accepit, eius sit dominus, restituere debet, pro rata dubii, probabili domino, vel pauperibus, si dominus ignoretur. Ratio est, quia possessio incepta cum dubia fide ipsi non favet, et ideo non potest totum retinere; nec aliunde videtur teneri ad totum restituendum.—*S. Lig. n. 625.*—*Lugo, ibid.*

653. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Ad quid teneatur, qui accepit rem aliquam mala fide, ratus eam esse alienam, et postea dubitat, an res sua sit, necne?*

Resp. Aequiparandus est ei, qui possessionem cum dubia fide incepit; prior enim aestimatio falsa reperitur, nec proinde in solutione casus attendenda est. Perpende igitur utrum sua possessione alterum spoliaverit, necne, et resolve iuxta dicta in principio III.

QUAER. 2° *Quid, si talis possessor inquirere neglexerit ab initio, et postea non possit amplius rei dominus inveniri?*

Resp. Videtur aliquid restituendum esse pauperibus pro rata spei, quam habere potuisset dominus rem suam recuperandi. Generatim spes illa pretii medietatem non attingit, sed multo minoris est valoris. — *S. Lig. de Consc. n. 31.* — *Lugo.* — *Lacroix, n. 564.,* etc.

654. — QUAER. 3° *Ad quid teneatur possessor dubiae fidei, si inquirere neglexerit, et dominus compareat?*

Resp. Generatim post dubii initium tractandus est ut possessor malae fidei; obligandus est igitur non solum ad rem domino reddendam, sed etiam ad damna omnia ei resarcienda.—*Lessius, c. 14. n. 83.*—*Carrière, n. 1088., et alii communiter.*

Excipiendus videtur is, qui incepit possessionem bona fide, et deinde oborto dubio inquirere neglexit, putans dominum difficilius inveniri posse; hic enim possessori bonae fidei aequiparandus foret.

655. — QUAER. 4° *An possessor dubiae fidei praescribere possit, si facta inquisitione debita, dubium perseveret?*

Resp. 1° *Affirm. probabilius,* si bona fide incepit possidere; quia dubium illud perseverans, non obstante diligentia adhibita, invincibile est, et proinde etiam illo manente conscientia efformari potest ex illo praesertim principio: *Melior est conditio possidentis.*

(*a*) Intellige, *si dubium postea perseveret.*

Resp. 2° *Neg.* autem, si dubia fide incepit possidere, quia bona fide ad praescribendum requisita destituitur. — *S. Lig. n. 504.* — *Vid. supra, n. 589.*

QUAER. 5° *An possessor dubiae fidei, qui bona fide incepit possidere, ad restitutionem teneatur, si, facta inquisitione, inveniat rem probabilius alienam esse?*

Resp. Neg. probabilius, quia ex possessione certa ius moraliter certum oritur. Insuper donec alter ius suum certum probaverit, valet axioma: *Melior est conditio possidentis.* — *S. Lig. l. 1. n. 35., et alii communissime* iuxta *S. Lig.,* contra *aliquos,* qui docent tunc esse pro rata restituendum.

QUAER. 6° *An debitor, in dubio de peracta debiti solutione, integre vel ex parte solvere teneatur?*

Resp. Generatim attendendum est ad varias rerum circumstantias, ut dignoscatur, cuinam faveat praesumptio. — *Vide dicenda de causis a restitutione excusantibus, n. 721.*

656. **Resolves.** — 1° Si bona fide possederis rem alienam, et superveniente dubio, eoque post inquisitionem remanente, innixus principio possessionis, illam consumpseris, deinde vero dominus ex improviso compareat, id solum teneberis restituere, in quo ditior factus es. Sequitur ex dictis. — *S. Lig. n. 607. 608.*

2° Quando nemo eorum, de quibus dubitatur, utrum rei sint domini, rem ipsam de facto possidet, si dubium aequale sit, res aequaliter inter illos est dividenda; si vero dubium sit inaequale, dividenda videtur iuxta dubii proportionem. Quod si res dividi nequeat, vendenda est, ut dividatur pretium; vel ex consensu partium est concedenda uni, qui obligetur ad ius unicuique caeterorum reddendum; aut etiam in sortes coniicienda, ut ei tribuatur, cui sors favebit. — *Lacroix, n. 566.* — *Sanchez, Decal. l. 2., c. 23., n. 173.* — *Carrière, n. 1101., et alii.*

3° Si dubites, an antecessor tuus bona legitimo titulo possederit, potes, re perpensa, et perseverante dubio, hereditatem nihilominus accipere et retinere, dummodo constet, eum bona fide possedisse. Etenim si axioma *in dubio melior est conditio possidentis,* favet antecessori tuo, etiam tibi successori favet: nam in hoc casu applicandum est principium possessoris dubiae fidei, qui possessionem bona fide incepit, quandoquidem antecessor et successor unicam personam moralem ex iure efficiunt.

4° In dubio an aliquis possessionem bona vel mala fide inceperit, praesumendum est in favorem possessoris; quia delicta non praesumuntur, sed probari debent. Attamen si quis reperiatur actu in mala fide, et dubitetur, an inceperit cum hac mala fide possidere, praesumi debet, eum malae fidei ab initio fuisse; quia *semel malus semper praesumitur esse malus,* iuxta Reg. Iuris 8. in 6°. — *Ita Lacroix, n. 567.* — *Lugo, D. 18. n. 16.* — *V. Casus, n. 622.*

ARTICULUS II.

DE INIUSTA DAMNIFICATIONE

657. — Damnificator iniustus dicitur, qui ius alienum laedit, et proximo in bonis suis nocet, nec tamen inde ditior evadit.

Duplex distinguitur culpa, qua damnum inferri potest, nempe culpa *theologica* et culpa *iuridica*. — Culpa *theologica* est, quae includit offensam Dei, id est peccatum formale, sive mortale sive veniale. — Culpa vero *iuridica* est omissio diligentiae, unde alteri damnum provenit, sive ea sit formale peccatum, sive non.—*S. Lig. n. 549.*

Culpa autem iuridica, ex communi interpretatione Iuris Romani, est vel lata, vel levis, vel levissima. Culpa *lata* est omissio diligentiae, quam communiter adhibere solent homines in similibus negotiis. *Levis* est omissio diligentiae, quam adhibere solent homines prudentiores et diligentiores. *Levissima* est omissio diligentiae, quae adhiberi solet solum a prudentissimis et diligentissimis. Sed haec culparum distinctio in Iure Gallico expresse non commemoratur (*a*).

658. **Principia.** — I. Iniustus damnificator restituere tenetur 1° totum aequivalens rei damnificatae; ita v. gr. si quis domum alterius culpabiliter incendat, integrum eius pretium domino rependere debet; 2° totum aequivalens damnis praevisis praeter rei damnificationem, si quae ex ea provenerint. Hinc v. gr. si opifex solitam operam aliquo tempore omittere cogatur, propterea quod instrumentum ei necessarium destruxeris, illum non modo de valore instrumenti, sed etiam de lucro cessante teneris compensare.

Huiusce principii ratio patet ex dictis *n. 532. et 626.* Etenim dominus laesus *omnino indemnis* fieri debet. Ad hoc autem non satis est, si damnificator intrinsecum pro re pretium ei solvat, quando alia detrimenta ex privatione rei suae passus alter fuerit; siquidem non recuperaret id omne, quod ex iniusta damnificatione amisit. Neque obstat, quod nullum damnificatori commodum ex damno obvenerit; nam tota restitutionis ratio non ex percepta utilitate de aliena re, sed ex damno illato petenda est.

659. — II. Ut actio damnificans obligationem restitutionis inducat, iure naturae requiritur triplex conditio, nempe ut sit iniusta, causa damni efficax, et theologice culpabilis; scilicet, ut sit iniusta *vere, efficaciter* et *formaliter*.

1° *Iniusta.* Obligatio enim restitutionis necessario supponit ius

(*a*) Supponitur tamen, quando pro diversis rei adiunctis *minorem, maioremve* diligentiam idem codex exigit. *Vid. art. 1137. et art. 1927. collat. cum 1928.*

strictum alterius violatum. Ius autem strictum violari nequit, nisi per actionem iniustam seu iustitiae commutativae oppositam, iuxta dicta supra *n. 532.*, etc.

2° *Causa damni efficax*, scilicet 1° ut actio *per se* influat in damnum, ita ut hoc inde vere consequi censeatur; 2° ut tali agenti possit imputari. Ratio utriusque perspicua est. Actio enim imputari nemini potest, nisi sit ipsius propria; nec potest detrimentum actionis cuipiam adscribi, nisi eius actio causa fuerit detrimenti vera et efficax *physice* et *moraliter*.

Hoc autem fit, quando ponitur actio, quae ex natura sua, vel ex circumstantiis cum damno connexionem habet saltem probabilem. Hinc 1° non sufficit ad restitutionem *causa occasionalis* tantum damni, quia non est causa efficax, sed tantum occasio causae efficacis. Unde si occasione furti a te patrati alius accusatus fuerit et damnatus, nulla obligatione damni eius reparandi teneris. — Nec 2° sufficit ad restitutionem *causa accidentalis;* nam haec ea est, quae in se spectata, attentisque circumstantiis, connexionem probabilem cum eventu non habet, adeoque causa efficax non est dicenda. Unde, si tradas gladium Titio absque praevisione probabili eius abusus, non es iniustitiae reus, si ille homicidium cum eo gladio patraverit.

3° *Theologice culpabilis.* Etenim dari non potest restituendi obligatio in foro conscientiae, nisi in eodem foro iniuria commissa fuerit, neque conscientia ligari potest obligatione reparandi iniuriam, quam ipsa non intulit; secus etiam dormientes et amentes, si damnum quodpiam intulerint, ad restituendum in conscientia tenerentur, quod absurdum est. Porro nulla est iniuria in foro interno, ubi nulla est culpa theologica; ad iniuriam enim requiritur voluntas nocendi saltem indirecta, seu praevisio aliqua saltem *confusa* damni iniusti. Ergo, etc. — *S. Lig. n. 551. et seq. Hom. apost. n. 39. et 41.*

660. — III. Tamen etiam ex culpa mere iuridica adesse potest restituendi obligatio in conscientia post sententiam iudicis. Obediendum enim est iustae iudicis sententiae; secus leges securitati publicae non providerent, et inanes forent. Porro sententia, de qua agitur, est iusta. Ista enim lex fertur pro bono communi et tendit ad homines cautiores reddendos, ne aliis damnum inferant. Insuper ante omnem eventum omnibus civibus aeque favet. Nemo igitur de ea conqueri potest. Ergo, etc. *Ita communiter.* — *Billuart, diss. 8. art. 4.* — *S. Lig. n. 554.*

661. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An requiratur culpa theologica ad inducendam restitutionis obligationem pro damno illato rei alienae, quae destinabatur ex* CONTRACTU *aliquo, v. gr. locationis, depositi vel commodati,* etc.?

Resp. Duplex est sententia probabilis.

1° SENTENTIA, quae *probabilior* apparet, *affirmat absolute,* requiri

culpam theologicam. Ratio est, quia non sufficit culpa mere iuridica ad obligationem in conscientia inducendam, ut constat ex supra dictis in principio II, nisi speciale pactum intercesserit. Porro de huiusmodi pacto nullatenus constat; imo non praesumitur, contrahentem voluisse in conscientia sub gravi tantam suscipere obligationem cum sola culpa iuridica. — *Ita Lugo, D. 8. n. 106.* — *Lacroix, n. 177.* — *Roncaglia ;* et hanc sententiam vocat valde probabilem *S. Lig. n. 554.* (*a*).

IIᵃ Sᴇɴᴛᴇɴᴛɪᴀ *negat,* opus esse theologica culpa, ut quis oneri subsit restitutionis, si casum excipias, in quo contractus cedit in solam utilitatem alterius contrahentium, v. gr. illius qui rem accepit commodatam, etc. Ratio est, quia cum res aliena alicui conceditur in eius utilitatem, aequitas postulat, ut eam valde diligenter custo-

(*a*) Card. De Lugo, quem S. Alphonsus (*ibid. n. 554.*) sequitur, licet fateatur (*De Iust. Disp. 8. n. 100.*), etiam absque theologica culpa obligationem adesse posse reparandi damna ob culpam *levem* aut etiam *levissimam,* sive id contingat vi pacti expliciti inter contrahentes, sive auctoritate legum, quae idipsum per modum aut *poenae legalis,* aut *poenae conventionalis*, aut *assecurationis* constituant; negat tamen cum aliis (*ibid. n. 102-104.*), eiusmodi obligationem spectato solo naturali iure adesse; imo addit (*ibid. n. 106-110.*), ex sensu communi neque hanc esse contrahentium intentionem, neque leges secundum communem interpretationem id exigere.

Verumtamen et alia subiicit (*ibid. n. 110-113.*), quibus ostenditur, praemissae sententiae haud repugnare practicas secundae sententiae conclusiones. Quod quidem nil mirum, quod Antoine non adverterit. Quid enim boni ex huiusmodi quaeras aut expectes, ubi solida doctrina et criterio opus est? Et sane quo pacto Antoine (*De Iust. Cap. 3. q. 5. Resp. 4.*) duo haec conciliat, nimirum quod quispiam diligentiam ex natura rei et ex pacto saltem implicito debitam in re alterius custodienda omittat, et prorsus tamen theologicae culpae expers sit? Scite ergo advertit Lugo, quod secluso oblivionis aut inadvertentiae casu (in quo citra theologicam culpam, saltem gravem, restitutionis obligatio nulla adest in foro conscientiae ante iudicis sententiam), nunquam contingat adesse restituendi obligationem ex culpa iuridica, quae cum culpa theologica, et quidem pari ad onus imponendum, gravi scilicet, non coniungatur. Ratio autem satis manifesta est, quia negligentia in suscepto officio rem alienam custodiendi ex genere suo mortalis culpa est.

Neque opponas, aegre peccatum mortale concipi, quando iuridica culpa *levis* sit, ac multo magis si sit *levissima.* Iuridica enim culpa levis vel levissima locum habere potest, quando quis tenetur ex vi ac natura contractus ad adhibendam diligentiam illam, quae consentanea sit negotio accuratiorem vel accuratissimam diligentiam exigenti, quaeque idcirco habita huius negotii ratione *communis* dici possit, quippe quae pro tali negotio communiter requiritur. Si itaque ratio contractus obligationem accuratissimae diligentiae imponit, nil mirum, quod eius omissio gravem reatum importet.

Ita quidem Card. De Lugo, cuius doctrinam S. Alphonsus cum amplectitur, tum etiam hoc exornat encomio (*Lib. 3. n. 552.*): *Ita* (inquit) *doctissimus Lugo, qui post D. Thomam non temere inter alios Theologos facile princeps dici potest; cum in dubiis discutiendis hic Auctor, saepe nullo praeeunte, falcem ita ad radicem ponat, ut rationes, quas ipse affert, difficulter solvi queant.*

diat. Unde videtur intercedere pactum implicitum, quo rei detentor se obligat ad eam speciali cura custodiendam, vel ad reparandum detrimentum, quod ex huius curae omissione res subire possit. — *Antoine, quaest. 5.* — *Collet, c. 2. art. 4.*, etc.

662. — QUAER. 2° *An requiratur culpa theologica ad restitutionis obligationem ob damnum alteri illatum in officio implendo, seu in* QUASI CONTRACTU *servando? v. gr. si medicus ex errore inculpabili remedium nocivum aegroto praebuerit?*

Resp. Affirm. probabilius, ut in quaesito praecedenti. Ratio est, 1° quia non potest probari obligatio restituendi ob culpam mere iuridicam in officio, seu in quasi contractu, sive ex iure naturali, sive ex lege positiva, sive ex partium conventione; 2° quia talis obligatio esset nociva bono publico; inde enim fieret ut viri probi et timorati a suscipiendis aliorum negotiis, necnon ab officiis publicis arcerentur. — *S. Lig. n. 555.* (*a*). — *Billuart, diss. 8. art. 7.* — *Lacroix, n. 184.*, et ipse quoque *Antoine, quaest. 4.*

QUAER. 3° *An teneatur ad restitutionem, qui inculpabiliter quidem causam damni posuit, sed postea non illud impedivit, licet impedire potuisset?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia quisque tenetur ex iustitia impedire, ne actio sua proximo noceat; ergo tenetur etiam impedire ne malum ex actione sua secutum perseveret. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 564.*

Hinc 1° qui inculpabiliter subiecit ignem domui alienae, quando advertit ad incendii periculum, ex iustitia illud impedire tenetur, si possit; 2° pariter pharmacopola, qui venenum pro medicamento ex errore vendidit, ex iustitia emptorem monere debet; 3° item qui errore aliquid grave contra famam alterius dixit, tenetur postea, cognito errore, illum corrigere; et ni faciat, peccat graviter, et obligatur ad reparationem omnium damnorum, quae ex hoc proveniunt.

663. — QUAER. 4° *An reparari debeat damnum sequens ex causa culpabiliter quidem posita, sed iam retractata, quando damnum infertur?*

(*a*) S. Alphonsus nimirum post Lugo (*De Iust. Disp. 8. n. 93.*) uti probabile habet, hosce teneri solum ex culpa *lata* iuridica, et *gravi* theologica.

Quod vero idem S. Alphonsus subdit (*eod. n. 555.*) cum Laymann, teneri ex culpa *levi* eum, qui accipit stipendium, nihil significat, nisi hunc ad maiorem diligentiam teneri; quem proinde S. Alphonsus gravis culpae damnat, si hanc non adhibeat.

Unum casum tamen (*inquit Lugo ibid. n. 90.*) *excipiunt communiter Doctores* (nempe ex culpa levissima ad reparandum damnum obligant), *quando scilicet aliquis profitetur se diligentissimum et peritissimum, et alicui quaerenti non mediocrem, sed diligentissimum artificem, sese offert ut talem.* Quam doctrinam tamen limitat, nisi stipendium tantum commune recipiat. Caeterum ratio resolutionis patet ex praemissis Nota praecedenti.

Resp. Affirm., saltem si damnum illud fuerit determinatum, et in specie praecognitum. Sic, v. gr. si quis voluntarie alteri venenum propinaverit, et postea eius effectum impedire non possit, utut facti poenitens maxime velit; damna ex homicidio provenientia reparare tenebitur. Ratio est, quia ille, qui posuit causam damni, semper pergit efficaciter in illud influere. — *Ita communiter* (*a*).

QUAER. 5° *An reparari debeat damnum* PER ACCIDENS *quidem, sed vacando operi illicito, illatum?*

Resp. Neg., quia damnum illud non est voluntarium, cum ne in confuso quidem praevisum fuerit. Nec refert, quod actio fuerit illicita; hoc enim ad iustitiae rationem nihil pertinet. Sic Clericus, qui venationi contra Ecclesiae prohibitionem vacando, hominem pro fera occidit, non magis iniustitiae reus est, quam laicus qui hoc fecisset. Imo damnum *per accidens* illatum ne reparari quidem debet, etiamsi occasione actionis *iniustae* evenerit, quia connexionem cum illa actione non habet. Hinc ad restitutionem non tenetur, qui occidit Titium, quem minime videbat, nec praesentem sciebat, dum sclopetum in Caium dirigeret. — *Ita communissime.* — *Vogler, n. 170. — Lugo, D. 8. n. 72. et 82. — S. Lig. Hom. apost. n. 39.*

664. — QUAER. 6° *An tenearis reparare damnum quod alicui ex errore intulisti, dum alteri nocere intenderes, v. gr. si incendas domum Caii, quam putas esse domum Titii inimici tui?*

Resp. Affirmandum videtur. In eo enim casu adsunt omnes conditiones requisitae ad restitutionem urgendam, scilicet actio iniusta, causa damni efficax, et culpa theologica. Nec dicas, actionem tuam

(*a*) Hinc fit, ut retractatio ne illud quidem impediat, quominus nempe effectus postea sequutus forte inducat irregularitatem aut aliquam censuram. Quod quidem iam adverterat Suarez (*De Peccat. Disp. 5. Sect. 4. n. 7.*), et Lugo deinde (*De Poenit. Disp. 16. n. 445.*) uti communem sententiam tradit: *Quantumcumque* (inquit) *de facto retractetur voluntas praeterita, adhuc, si postea subsequitur effectus mortis, incurret irregularitatem aut excommunicationem qui dederat venenum, iuxta communem fere omnium sententiam, quam si non fuisset retractata voluntas: quia nimirum per illam retractationem non tollitur, quod effectus sequutus sit voluntarius..., unde absolute denominat homicidam; alioquin non redderet irregularem.*

Neque valet ratio, quam contra ex Salmanticensibus (*De Cens. Cap. 1. n. 155.*) refert S. Alphonsus (*Lib. 7. n. 40.*), quod nempe censurae non ferantur nisi in contumacem; talem autem non esse, qui malam voluntatem iam retractaverit. Respondetur enim, contumaciam voluntatis, quae requiritur ad censuras incurrendas, eam esse, qua quis sciens et volens legem transgreditur, non vero defectum retractationis ante ultimum effectum; neque enim censura punit peccatum malae voluntatis perseverantis usque ad effectus consummationem, sed peccatum voluntatis mortem per causae positionem inferentis, licet expediret, sapienterque ab Ecclesia provisum sit, ut poena eiusmodi non incurreretur nisi effectu sequuto, ne scilicet ob incertum criminis eventum incerta esset censura, neve contingeret, ut haberetur ceu excommunicatus ob homicidium ille, qui deinde detegebatur non reus homicidii, cum mors sequuta non esset.

non esse iniustam relative ad Caium, cuius damnum noluisti; nam rem istam, omnino determinatam, destruere intendebas: porro eam destruendo suscepisti onus eamdem reparandi. Nihil porro refert, cuiusnam sit; nam quaestio non est de *nomine,* sed de *re.* Error igitur non afficit actus *substantiam,* sed quid mere *accidentale.* — *Ita communiter,* ut fatetur *S. Lig.,* etsi dissentiat. — *Vogler, n. 202.* — *Bonacina.* — *Sanchez.* — *Busemb.,* etc.

Nonnulli tamen *negant* cum *S. Alph. n. 629.,* nempe *Lugo, D. 17. n. 75.* — *Lacroix, n. 200. et seq.* — Ratio eorum est, quia actio non fuit voluntaria erga damnificatum, cum processerit ex inculpabili ignorantia iuris eius. Haec autem ratio ex dictis parum valere videtur (*a*).

** (*a*) VV. (*Pag. 923. in not.*) obiiciunt, opinionem S. Alphonsi inniti inconcusso huic principio: *Ut ad restitutionem tenearis, requiritur et sufficit, ut actio tua damnificans sit simul affective et effective, seu formaliter et materialiter iniusta: quorum si alterutrum deficiat, cessat restituendi obligatio.*

Resp. S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 556.*) cum Busembaum ita definit et distinguit iniuriam materialem, et formalem: *Iniuria damnosa est duplex, scilicet materialis, ut v. gr. cum quis rem alienam destruit, accipit, vel retinet bona fide, idest probabiliter iudicans id sibi licere, vel esse suam; formalis, qua quis rem alienam destruit, accipit, vel retinet mala fide, idest, cum sciat vel scire possit ac debeat, id sibi non licere, et rem non esse suam. Vid Less., Laym., Bonacin.* Porro ut insistamus exemplo, quo et S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 629.*), et VV. (*l. c.*) utuntur, quisquis incendit ac destruit domum amici, putans eam esse inimici, hic profecto non ignorat, domum, quam destruit, esse alienam, idque esse verum, etiamsi non sit illius, cuius esse illam credit. Ergo sciens et volens incendit ac destruit rem, quam scit non esse suam. Atqui ex definitione haec non materialis, sed *formalis est iniuria damnosa.*

Argumentum autem, quod contra afferri solet (*Vid.S.Alph.et VV.ll.cc.*), nempe ab occisione amici, qui putabatur esse alius, scil. inimicus, abesse dolum, quia nullo modo intendebas occidere Paulum amicum; quin potius nulla ratione occidisses, si nosses, eum esse Paulum amicum, hoc (inquam) argumentum sic praeoccupaverat iam Molina (*Tom. 4. Tr. 3. Disp. 30. n.5.*): *Ad argumentum* (ait) *contrariae opinionis neganda est consequentia. Quoniam licet homicida ille dolum non habuerit comparatione Pauli, habuit tamen dolum quoad occisionem illam, quatenus cuiusdam hominis, quem, praeter existimationem interficientis ita iniuste et cum dolo, accidit esse Paulum. Satis autem est, ut homicidium illud fuerit simpliciter cum dolo commissum.*

Quam responsionem Molina (*ibid. n. 2.*) confirmat ex L. *Eum qui 18. §. 3. De iniuriis,* ubi sic legitur: *Si iniuria mihi fiat ab eo, cui sim ignotus, aut si quis putet me Lucium Titium esse, cum sim Caius Seius, praevalet quod principale est, iniuriam eum mihi facere velle; nam certus ego sum, licet ille putet, me alium esse, quam sum, et ideo iniuriarum* (actionem) *habeo.* Subdit autem Molina: *Ubi vides, quod mihi iniuriam irrogans putet me esse alium numero hominem, quam sim, non tollere culpam eius, neque eum excusare a poena; quia revera intendit iniuriam facere, doloque eam facit*

Rem vero sic prius explanaverat (*ibid.*): *In ea Pauli interfectione duo sunt spectanda. Unum est interfectio hominis iniusta: alterum vero est, huius in singulari, puta Pauli... Interfectio autem illa, quatenus ratio-*

665. — Quaer. 7° *Ad quid teneatur ille, qui damnum grave quidem intulit, sed cum culpa levi, v. gr. defectu advertentiae,* etc. ?

Resp. Probabilius ad nihil tenetur. Etenim obligari non potest neque sub gravi, neque sub levi: 1° non *sub gravi;* gravis enim obligatio cum culpa levi proportionem non habet; 2° neque *sub levi;* quia levis obligatio non habet proportionem cum re gravi. — *Ita S. Lig. n. 552. — Lugo, D. 8. n. 56. — Vogler, n. 109. — Lessius. — Roncaglia, etc.*

Alii tamen eum obligant ad totum damnum sub gravi reparandum. — Alii ad totum quidem, sed sub levi. — Alii tandem ad aliquam partem tantum, iuxta culpae proportionem. Sed maxima incommoda hae sententiae videntur inducere.

666. — Quaer. 8° *An qui grave damnum intulit per plures culpas veniales deliberate commissas, teneatur sub gravi totum illud damnum reparare?*

nem habet interfectionis hominis iniustae, dolosa fuit, quia facta fuit ex intentione homicidium circa eum hominem committendi; per accidens autem est, ut ea interfectio rationem non habeat homicidii dolosi, quod terminata sit ad hunc in singulari.

Confirmatur et declaratur cum eodem Molina (*ibid.*): Quando (ait) in delicto quopiam adest scientia delicti coniuncta cum ignorantia invincibili alicuius circumstantiae, quae delicto vel gravitatem vel diversam speciem addit; tunc ignorantia illa sicut excusat a culpa, quae ex circumstantia illa resultat, ita excusat a poena, quae circumstantiae respondet. Sed sicut haec ignorantia non excusat a culpa pro ea parte, cuius scientia adest, ita nec a respondente poena et consequentibus oneribus excusare potest.

Et hinc patet, quousque valeat id, quod reponit post alios S. Alphonsus (*l. c.*): *Respondetur* (inquit) *id procedere in foro externo, ubi praesumptio scientiae personae laesae stat contra laedentem, cui fides minime praestatur, si asserat, alium voluisse offendere.* Non enim in foro externo damnatur et punitur delictum *praesumptum*, sed delictum patratum in iniusta occisione hominis, quisquis hic fuerit. Quinimo adeo a vero abludit, forum inniti eiusmodi praesumptioni scientiae, et non habere rationem eiusmodi erroris, ut expresse iura contrarium statuant. Ita (*L. Illud 3. §. 4. ff. de iniuriis*): *Si quis hominem liberum ceciderit, dum putat servum suum: in ea causa est, ne iniuriarum teneatur.* Et rursus (*L. Si cum servo 4. ff. eod. tit.*): *Si cum servo meo pugnum ducere vellem, in proximo te stantem invitus percusserim: iniuriarum non teneor.* Habet igitur et forum externum huius erroris rationem. Discrimen tamen inter praecedentem et hunc casum, innuit optime in nota Gotofredus: *Nam* (inquit) *mihi animus fuit vacandi rei legitimae, idest, puniendi servi.* Et praeiverat Molina (*l. c. n. 3.*) inquiens: *Is, qui ita percutere intendebat suum servum, nullam intendit facere iniuriam, sed iure suo utebatur, punire volens servum suum.* At vero dici non potest, usum fuisse iure suo, aut iniuriam facere non intendisse illum, qui inimicum voluit occidere seu percutere, aut inimici sui domum voluit incendere. Quisquis autem sciens, se damnosam iniuriam per actum suum inferre, libera omnino voluntate eam infert, consectaria sane actionis suae utique formaliter iniustae in se suscipit.

Ostendi hic facile posset, qua via et Tamburini, et Sporer, et nonnulli alii post ipsos, in transversum acti fuerint argumentis quibusdam mere petitis ab aliqua paritate, quae sane facillime deprehenditur claudicans. Verum haec argumentum brevi Notae idoneum esse nequeunt.

Resp. 1° *Affirm.*, si damnum illatum est *eidem personae*, licet damnificator graviter non peccaverit. Ratio est, quia hic tenetur reparare totum damnum voluntarie et libere commissum. Porro totum damnum libere illatum est, et insuper grave est in hypothesi; ergo illud totum (*a*) sub gravi reparandum est. — *Vogler, n. 124. et 126.* — *Lugo, D. 8. n. 69.* etc.

Resp. 2° *Neg.* autem *probabilius*, si damna minuta diversis personis illata fuerint. Ratio est, quia ex una parte nemo grave damnum patitur, et ex alia parte damnificator re aliena non ditescit (*b*). Hinc differt casus praesens a quaestione simili relata supra *n. 630.*, quia fur ditescit ex furtis minutis, non vero damnificator.

Quaer. 9° *An existimans ex errore invincibili, damnum a se illatum multo minus esse ac revera sit, teneatur ad totum illud restituendum, si postea verum pretium agnoscat, v. gr. si quis proiiciat in mare gemmam alterius valentem 100, dum credit eam 10 tantum valere?*

Resp. Probabiliter tenetur ad restituendum solummodo pro rata damni cogniti; quia non censetur volitum damnum, quod invincibiliter est ignoratum. — *S. Lig. n. 615.* — *Elbel, n. 90.* — *Vogler, n. 189.* — *Carrière, n. 1151.* contra alios.

Dabitur tamen obligatio reparandi totum damnum, si quando ob maioris pretii suspicionem saltem in confuso obortam totum damnum evadat voluntarium.

667. — Quaer. 10° *An dominus teneatur reparare damnum per sua animalia proximo illatum?*

Resp. 1° *Affirm.*, si ex culpa theologica in animalia invigilare neglexerit. Quisque enim ex iure naturali tenetur animalia sua dili-

(*a*) Monet tamen S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 553.*), quod *sufficit ad vitandum mortale, ut restituatur tantum materia illa parva, gravem materiam complens, ut probabilius tenent Sanchez, Lessius, Vasquez, etc.*

(*b*) Iam alias adnotatum est, furti pravitatem non in eo consistere, quod quis ex re aliena ditescat, sed quod ditescat *iniuste*. Porro haec iniustitia residet in iuris alieni violatione, quae eodem modo adest, tum si ex alieni iuris violatione quis ditescat, tum si non ditescat, quia, v. gr. vel rem surreptam statim absumit, vel amittit, vel destruit, aut damnum infert nihil sibi assumendo. Et cum iuris alieni violatio secum trahat eiusdem iuris reparandi obligationem, haec adest et adesse debet, tum si violator inde evaserit ditior, tum si ditior non evaserit. Quae cum ita sint, quoad rem praesentem palam esse debet, eum, qui pluribus per minuta damna nocuit ita, ut simul collecta damnorum omnium materia censeri gravis debeat, in eadem prorsus conditione versari, eademque propterea restituendi obligatione constringi, tum si ex singulorum furtorum materia ditior evaserit, tum si nihilo magis factus sit dives, quippe qui aut paulatim surrepta statim consumpsit, aut nocuit aliis nihil sibi surripiens. Ergo si qua restituendi obligatio inest ob minuta damna pluribus illata paulatim per furtula, e quibus ditior quis factus fuerit, eadem obligatio adesse dicenda est, etiam quando ex illatis damnis nulla damnificanti utilitas accessit. Eadem enim utrobique prorsus ratio militat.

genter custodire, ne damnum aliis inferant, sicut praecavere debet, ne ex actionibus suis proximo detrimentum eveniat.

Resp. 2° Seclusa vero culpa theologica, non tenetur quidem ante iudicis sententiam, ut patet ex principio II, *n. 659;* bene vero prolata sententia, ut ex principio III constat.

QUAER. 11° *An ille teneatur ad restitutionem, qui pravo suo exemplo alios ad damnum inferendum induxit, si praeviderit pravi exempli efficaciam?*

Resp. I° SENTENTIA *probabilior negat,* quia qui dat pravum exemplum, non est causa damni, sed mera occasio. Neque enim actio mala *per se* ad id tendit, ut alios ad eam imitandam excitet. Ergo alii damnificatores ex se omnino determinantur ad damnum inferendum. — *S. Lig. n. 537. et l. 2. n. 45. — Salmant. — Laymann.— Sanchez. — Lugo,* etc.

II° SENTENTIA *affirmat,* quia praebens pravum exemplum cum praevisione contagionis haberi potest ut causa efficax damni; quippe aliquo modo influit in determinationem eorum, qui damnum inferunt: et experientia docet, homines magis moveri exemplis quam consiliis, iuxta axioma: *Verba movent, exempla trahunt. — Antoine, p. 2. c. 3. qu. 13. — Billuart, diss. 8. — Cuniliati,* etc.

668. — QUAER. 12° *An teneatur ad restitutionem, qui dubitat an damni causa ipse fuerit?*

Resp. 1° Si dubium versetur circa existentiam damni, probabilius ad nihil tenetur, modo post diligentem inquisitionem dubium perseveret. Ratio est, quia cum factum damni non sit certum, non potest producere obligationem certam illud reparandi. Constat ex hoc principio: *Non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet.* Item ex hoc alio principio: *Factum non praesumitur, sed probari debet.— Ita S. Lig. n. 562. — Lacroix, n. 574. — Vogler, n. 73. et alii communius* contra nonnullos.

Resp. 2° Si dubium versetur circa influxum actionis in damnum, quod certo evenit, controvertitur, et duplex est sententia *probabilis.— Ita S. Lig. ibid.,* etc.

Probabilius tamen urgenda est restitutio, quoties certo constat de damno illato, et dubium est dumtaxat, quisnam fuerit damnificator inter plures, qui eodem modo actionem damnificam posuerunt: repugnat enim innocentem debere certo pati, eo quod non constet, cuinam damnum sit imputandum. Sic duo homines simul in tertium glandem explodentes videntur obligandi pro rata ad compensanda damna ex mutilatione vel occisione provenientia, quamvis compertum sit, hunc ab alterutro tantum laesum fuisse. Nonnulli tamen eos a restitutione omnino excusant, sed minus firmis argumentis id contendunt (*a*).

** (*a*) Differt quadantenus quaestio, quam postrema hac paragrapho tangit Auctor, ab illa, qua S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 562.*) disputat, *utrum in*

669. — Quaer. 13° *An tenearis reparare damnum alicui obveniens occasione iniustae actionis tuae, v. gr. si furatus fueris, et furtum illi imputetur?*

Resp. 1° *Neg.* certo, si damnum illud non praevideris. Patet ex dictis supra in principio II, *n. 659.*

Resp. 2° *Neg.* etiam *probabilius,* licet damnum hoc praevideris. Ratio est, quia actio tua, posita cum sola damni praevisione, non illius causa *per se,* sed tantum *per accidens* habenda est. Constat etiam ex II° principio, *ibid.* Excipe, si quando tales fuerint circumstantiae, ut inter eas et gravem de altero suspicionem vera daretur connexio. — *S. Lig. n. 655. — Lessius. — Lacroix, n. 157.* etc., contra alios.

Resp. 3° Imo probabiliter etiam negandum est, licet de industria egeris, ut actio tua ipsi imputetur; quia semper haec actio est tantum causa damni *per accidens,* et non *per se;* non enim in illud ex natura sua efficaciter influxit. Prava enim intentio non efficit, ut iniustum sit illud opus, quod ex se respectu tertii iniustum non est (*a*). Excipiendum tamen est, si quis iis uteretur mediis, quae gravissimam suspicionem alterius accusandi praebeant, v. gr., si vestibus eius indueretur ad homicidium patrandum, has sanguine foedatas proiiceret, etc. — *S. Lig. n. 656. — Lessius. — Vogler,* contra alios.

670.—Quaer. 14° *An teneatur ad restitutionem iniquus distributor officiorum?*

Resp. 1° *Probabilius* ad nihil tenetur erga dignum praetermissum, secluso casu concursus, quia nullius ius strictum violavit.— *S. Lig. l. 4. n. 106.— Vogler, n. 241., et alii communiter.*

Resp. 2° Ratione electionis *indigni* tenetur certo erga societatem de omnibus damnis exinde provenientibus. Ratio est, quia censetur adesse pactum strictae iustitiae inter societatem et electorem, quo iste adstringitur ad non eligendos ministros indignos.— *Ita communiter. — Vogler, ibid. — S. Lig. Hom. apost. tract. 13. n. 59.*

Probabilius autem ad nihil tenetur ratione electionis minus digni,

dubio, an tuum consilium, sive mandatum, consensus, recursus, palpatio, taciturnitas etc. fuerit causa damni etc., tenearis ad restitutionem. Nam in hac S. Doctoris quaestione adest certus aliquis, qui ad restitutionem tenetur, v. gr. executor. Contra vero in quaestione ab A. proposita id videtur deesse. Exinde VV. (*Pag. 924.*) huic resolutioni Auctoris opponunt non quidem ea, quae S. Doctor habet *cit. n. 562.*, sed quae idem tractat *n. 657. et 658.*, ubi *de restitutione ob adulterium;* quam peculiarem quaestionem cum et A. agitet *infr. n. 733.*, huic loco responsum ad obiecta praestat reservare.

(*a*) Alias advertimus cum Card. De Lugo, huius doctrinae patronos difficultatibus eiusdem, mere mutata facti specie, eo adigi, ut posthabere eam non dubitent. Quod idem notandum occurrit ad ea quoque, quae infr. ad Q. 16. dicuntur.

etsi graviter peccare possit. Ratio est, quia non censetur societas electores obligare titulo *iustitiae commutativae* ad digniores eligendos.— *Vogler, n. 243. — Hom. apost. ibid.*

671. — QUAER. 15° *An teneatur ad restitutionem, qui alium impedivit a consecutione alicuius boni vel beneficii?*

Resp. 1° *Affirm.*, si proximus habeat ius strictum ad rem obtinendam, v. gr. in casu concursus.

Resp. 2° Si proximus non habeat ius strictum ad rem consequendam, distinguendum est: 1° affirmandum, si *mediis iniustis* id impediatur, v. gr. *vi, fraude, calumnia, metu,* etc...; 2° negandum vero, si impediatur *mediis in se iustis,* v. gr. *suasione, precibus,* etc. Ratio est, quia nullum ius alterius tunc violatur, nec *in se,* nec *in mediis*. — *Ita communiter*. — *Hom. apost. n. 61.*

QUAER. 16° *An tenearis ad restitutionem, si ex mala intentione, v. gr., ex odio, seclusis tamen mediis de se iniustis, avertas alium a consecutione boni, ad quod ius strictum non habet?*

Resp. Neg. probabilius. Ratio est, quia nulla iniuria proximo infertur. Etenim ad iniuriam non sufficit mala intentio, sed requiritur actio externa, quae vera et efficax causa damni iniusti sit. — *S. Lig. n. 584. — Elbel, n. 108. — Antoine, qu. 15. et alii communius* contra *alios.*

672. **Casus.** — 1° *Didacus* vas crystallinum *Caii* valde pretiosum sub nocte reponit in angulo domus, qua nemo erat proxime transiturus, intendens illud summo mane in tuto loco collocare. Sed *Basilius* hac eadem nocte domum sine lumine ingrediens in vas offendit, illudque frangit. Quid iuris? — *Resp.* Nec *Didacus,* nec *Basilius* ad restitutionem tenetur, quia ex utriusque parte deest culpa theologica; neuter enim cogitavit de damno vel eius periculo. Imo nec teneretur alteruter, si aliquod valde remotum periculum praevidisset; quia in moralibus ad meram possibilitatem non attenditur. — *Vogler, n. 177., et alii communiter.*

2° *Quirinus* pannum furari intendens, officinam nocte ingreditur, et lumen accendit, adhibita diligentia ad omne periculum incendii vitandum; sed inopinato casu, nimirum saltu felis, candela in paleas deiicitur, et brevi tota officina incenditur, vixque arrepta fuga, incolumis fur evadit. Quid de *Quirino?* — *Resp.* Ad nihil tenetur, quia minime periculum praevidit. Imo nec tenetur de panno, quem furari voluit, etiamsi hunc apprehendisset, quia etiam illud damnum est involuntarium; nec apprehensio panni est causa damni, nec gestatio candelae proximum periculum incendii, adhibita sufficienti cautela, creabat. Si tamen pannum non tantum apprehendisset fur, sed furtum consummasset illum e potestate et custodia domini subducendo, quando casu, v. gr. candela accensa, pannus combureretur, de illo teneretur, sicut dicitur de qualibet re furtiva, quae casu fortuito apud furem perit.— *Ita Lugo, D. 18. n. 88.* — *Vogler, n. 178.— Lacroix, n. 165. et seq.—Reuter, n. 320.,* etc.

3° *Pomponius,* animo vindictae impulsus, dum a nemine cerneretur, glandem explosit in capram *Mauri* in praedio domini placide pascentem; sed loco caprae illaesae attigit et occidit vaccam *Marini* post sepem, ipso prorsus ignorante, iacentem. Ad quid obligandus sit *Pomponius?* — *Resp.* Ad nihil. Etenim non tenetur ad quidpiam pro capra praedicta, cum illaesa maneat; nec pro vacca, cum illius damnum nullatenus praeviderit. Quid autem si vacca ad eundem dominum pertineat? Crescit difficultas, siquidem damnificator tali personae damnum inferre vere intendit; quamvis enim non destruat rem specialiter intentam, cum in genere inimico nocere velit, actio damnificativa, quam ponit, eidem domino formaliter iniuriosa videtur. Attamen sistendo in rigore principiorum adhuc probabilius excusari potest, si nullatenus, ne in confuso quidem, hoc aliud damnum praeviderit. Dici enim potest, mere per accidens illud evenisse; nec prava intentio eidem nocendi facit, ut rei prorsus ignoratae damnum evadat voluntarium. Secus tamen, si volens generatim inimico nocere, quantum posset, varia obiecta damnificanda aliquatenus in confuso cognovisset (*a*). — *Recole dicta n. 659. et 669.*

4° *Sidonius* videns *Iustinum* praetereuntem, putansque esse *Titium,* dicit sociis: En, iste non est scrupulosorum *primipilus!* . . . Sed est homo nihili, fur, fornicator et bibulus. *Quaer.* Quid *Sidonius,* detecto errore? — *Resp.* Dicta retractare debet coram iisdem sociis, quamvis involuntarie in *Iustinum* haec dixerit; et ni faciat, omnia damna, quae ex diffamatione subsequuntur, reparare tenebitur. — *Reuter, n. 320. et alii communiter.*

5° *Babinus Rogerium* moribundum iterata prece et blanditiis, seclusa tamen omni fallacia, inducit ad lacerandum testamentum in favorem *Pauli* iam conditum, ut ipse, vel amicus, aut consanguineus heres constituatur. Determinatur autem *Babinus* ad id agendum praeter proprium, vel amici commodum, ex inveterato odio, quod contra *Paulum* fovet. An iniustitiae reus sit *Babinus?* — Nequaquam. Etenim licet propter odium graviter contra charitatem peccaverit, non tamen iustitiae virtutem videtur laesisse, quia nullum ius *Rogerii* strictum violavit. Idem dicendum foret, si quis ex odio avertisset testatorem a constituendo *Paulo* herede, ut alius quilibet eius loco constitueretur. — *Elbel, n. 115.* — *Antoine, c. 4. qu. 15.* — *Recole dicta, n. 671.* — *V. Casus, n. 627. et seq.*

(*a*) Nempe si cognovisset, ex glandis explosione damnum aliquod, utcumque a se non clare cognitum, sequi forte posse. Nam si nihil adsit, unde Pomponius putet, fieri posse, ut per explosionem inimico noceat, actus procedet ex ignorantia concomitante, atque adeo vaccae occisio erit involuntaria sin minus *contrarie*, saltem *negative*, erit scilicet *non voluntaria*.

ARTICULUS III.

DE INIUSTA COOPERATIONE

Cooperatio ad damnum proximi novem modis fieri potest, quorum sex priores sunt positivi, tres posteriores negativi. Omnes sequentibus versibus continentur:

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

§. I. *De iubente.*

673. — *Iubens* seu *mandans* dicitur, qui alterum inducit ad agendum, ut damnum suo nomine alteri inferat.

Iubens tenetur ad reparandum omne damnum imperatum et ex vi mandati illatum; secus autem, si damnum nomine suo factum solum approbet (*a*). Ratio est, quia in priori casu, non vero in posteriori, efficaciter in damnum influit. Ad hoc autem requiritur, ut egerit tanquam verus dominus, seu ut per vim, metum, vel auctoritatem, mandatarium moraliter coegerit (*b*).

674. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An teneatur ad restitutionem mandans, si mandatum revocaverit, antequam damnum fuerit illatum?*

Resp. Neg., si revocatio innotescat mandatario ante executionem mandati; secus autem, si nullatenus aut tardius innotescat: quia in priori casu non influit in damnum, bene vero in posteriori. — *Ita Vogler cum pluribus aliis.*

Quaer. 2° *An mandans teneatur de damnis, quae mandatario in mandati executione obveniunt?*

Resp. Affirmat *Lacroix* cum aliis, quia mandans, damnum iubendo, censetur suscipere in se obligationem mandatarium indemnem servandi. At videtur id coarctandum ad casum, in quo man-

(*a*) Mera facti approbatio nihil pertinet ad rationem *mandati*, atque adeo qui mere iam factum approbat, *mandans* dici neque debet, neque potest.

(*b*) *Mandatum* videtur Auctor accepisse pro morali quadam coactione seu necessitate agendi alteri imposita. At longe hoc distat a notione mandati, quod a iurisconsultis et theologis definiri solet *contractus bonae fidei, consensu constans, quo negotium alteri id suscipienti gratis committitur.* Nihil igitur huc spectat, num mandans sit mandatarii Superior, aut quovis alio titulo in mandatarium quasi in subditum auctoritate polleat. In definitione autem vox *gratis* additur, quae non respuit quidem *honorarium* seu *salarium*, sed tantum *mercedem* stricte sumptam, quae mandatum in contractum conductionis transferret: quamquam in delictis mandatum latius accipi solet, ut amplectatur etiam conductionem, v. gr. sicarii ad tertium occidendum.

dans per vim, aut metum, alium coegit. Secus enim mandatarius videtur sponte in se suscepisse totum onus et illius consectaria; et nisi pactum de indemnitate praecesserit, mandans tantum ex quadam aequitate tenebitur.

Quaer. 2° *An mandans teneatur reparare damnum, quod executor ex errore invincibili alteri intulit?*

Resp. Neg. Quia vera damni causa est error mandatarii (*a*).— *Ita Vogler, n. 279. et alii communiter.*

Quaer. 4° *An Superior, ratum habens damnum, mandanti comparandus sit?*

Resp. Neg., si ratihabitio executionem damni subsequatur, quia tunc in damnum influere nequit. Secus vero, si damnum praecedat, seu propositum damni inferendi respiciat, et in illud vere influat. — *Vogler,* etc.

675. **Resolves.**— 1° Mandans ad nihil tenetur, si tempestive mandatum revocaverit, licet mandatarius, ad mercedem promissam accipiendam, finxerit se revocationem ante damnum illatum non accepisse.

2° Si constet, mandati revocationem non fuisse auditam vel intellectam a mandatario ob surditatem vel distractionem, mandans ad restitutionem tenetur; quia effectus sequitur vi prioris mandati. Eadem ratio valet, si mandans litteras revocantes mandatum mittat, et hae casu aliquo intercipiantur.—*Lugo.—Vogler, n. 273., 277.*

3° Qui alium inducit precibus tantum ad damnum proximo inferendum, in suam propriam (inducentis) utilitatem, mandanti comparatur, licet damnum auctoritate non imperet (*b*), quia est principaliter agens in ordine morali. Executor enim agere non censetur nisi loco ipsius, adeoque ad damnum inducens omne onus reparationis in se assumere censetur. — *Vide Casus, n. 657.*

(*a*) Excipiendum tamen, si forte nimis difficile fuerit errorem cavere. Licet enim omnes consentiant, mandantem non teneri de damnis, quae mandatarius intulerit ultra mandatum; at id limitant, si in potestate fuit mandatarii fines mandati servare. Ergo et in casu si moraliter non erat possibile errorem cavere, error mandanti imputari debet. *Mandando quis illicitum* (inquit Perezius *in Lib. 4. C. Tit. 35. n. 7.*) *videtur omnia mandasse, quae probabiliter poterant concomitari.* Hinc *C. fin. de Homic.* in 6° irregularis pronunciatur mandans verberationem, si mandatarius fines mandati excedens mutilet vel occidat.

(*b*) Iam advertimus, ad *mandati* rationem nihil pertinere auctoritatem *mandantis; mandatum* enim dicit *contractum,* quo quis libere assumit onus gerendi alterius negotium, non vero officium subditi, qui superiori aut domino parcat.

Caeterum qui alium precibus inducit, inter consulentes potius, quam inter mandantes recenseri debet; et qui precibus cedit, suo ipsius, non vero nomine rogantis, quamvis in huius utilitatem, agit. Inter cooperatores igitur non primarium, sed secundarium locum in ordine ad onus restituendi occupabit.

§. II. *De consulente.*

676. **Principia.** — I. Consulens peccat contra iustitiam, quoties sciens et volens praebet iniquum consilium, quo alter efficaciter inducatur ad damnum iniuste inferendum; quia damnum est ut ipsi imputabile. Constat etiam ex propositione 39ª ab *Innoc. XI* damnata, quae sic iacet: *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.*

II. Consulens, qui bona fide dedit damnosum consilium, cognita veritate tenetur illud retractare, et quidem ex iustitia. Sequitur ex supra dictis de illo, qui inculpabiliter causam damni posuit, *n. 662.* — *Vogler*, etc.

III. Consulens vero non tenetur ad restitutionem, si executor absque illo consilio aeque bene et eodem modo damnum fuisset illaturus; quia tunc consilium non efficaciter in damnum influxit. — *S. Lig. n. 561.*

677. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An teneatur ad restitutionem consulens, qui consilium suum revocat ante executionem damni?*

Resp. 1° *Neg.*, si consilium fuerit *nudum*, id est simplex, quia per revocationem tollitur tota vis consilii.— *Ita communiter.*

Resp. 2° Si consilium fuerit *vestitum*, seu motivis innixum, controvertitur. *Probabiliter* etiam *neg.*, modo adhibita fuerint in retractatione alia motiva, saltem aeque efficacia (*a*). — *Ita Azor*, etc... contra *alios*, quorum sententiam probabiliorem dicit *S. Lig.* Excipe, si furi ad damnum inferendum determinato ostenderis modum ingrediendi domum, quem secus non invenisset, aut quid simile; quia cooperatio tua tunc fuit vere efficax, praesertim si praevideris, furem pravum suum propositum non esse mutaturum; nisi tamen monueris eum, cui damnum imminet, ad quod in casu teneris, ut censent Doctores apud *S. Alphonsum, n. 559.* (*b*).

Quaer. 2° *An teneatur ad restitutionem consulens minus malum ad maius avertendum?*

Resp. Neg., si agatur de eadem persona, quia consilium ipsi favet, nedum noceat; secus autem iuxta multos, si agatur de alia, de

(*a*) Efficaces suapte natura sunt quam maxime rationes a fide petitae: quibus si alter nihil deferat, in se totam damni causam retorquet. Caeterum etsi S. Alphonsus probabiliorem dicat oppositam opinionem, esse tamen hanc *satis probabilem* fatetur; et cum hanc ipsam alii *valde probabilem*, uti Laymann, alii etiam probabilissimam, uti Roncaglia (*apud S. Alph. Lib. 3. n. 559.*) dixerint, non debet sane, neque potest imponi restituendi obligatio, praesertim quod restituendi onus certissimum is habeat, qui damnum intulit, et sic damnificato satis sit consultum.

(*b*) S. Alphonsus allegat Salmanticenses et Sporer; qui tamen (*Tr. 4. Cap. 3. Sect. 1. n. 22.*) limitat, *si absque aequali vel maiori damno* (consulens) *possit damnificandum monere de damno imminente.*

qua damnificator non cogitabat, quia haec rationabiliter invita merito censetur. — *S. Lig. n. 565.* Contrarium tamen tenent alii ratione satis probabili ducti (*a*).

678. — QUAER. 3° *An consulens* SCIENTER *malum alteri teneatur etiam de damnis, quae hic passus est exequendo pravum consilium?*

Resp. Neg., per se. Ratio est, quia ipsi nullam intulit iniuriam, cum nulla iniuria *scienti* et *volenti* fiat. — Secus tamen, si consulens adeo executorem circumvenerit fraudibus vel sophismatibus, ut hic ad consilii iniquitatem non adverterit.

QUAER. 4° *An consulens tantum modum iniustae actionis teneatur ad restitutionem?*

Resp. Neg., si modus sit mere accidentalis, ut sunt communiter circumstantiae temporis, loci, medii. Secus autem, si modus aliquatenus redundet in substantiam, v. gr. si damnum augeat, etc. — *S. Lig. n. 563.*

QUAER. 5° *An teneatur ad restitutionem suadens, ut damnum citius inferatur?*

Resp. Neg., si certus sit, alterum esse ad malum determinatum, nec pravum animum esse mutaturum; secus in alia hypothesi. — *S. Lig. n. 563.*, etc.

679. — QUAER. 6° *An consulens primario vel secundario tantum ad restitutionem teneatur?*

Resp. Per se secundario tantum tenetur, quia executor est *principaliter agens,* utpote qui nomine proprio et in propriam utilitatem (*b*) agere censetur.

QUAER. 7° *An vel quomodo teneatur ad restitutionem dans consilium* doctrinale *nocivum ex ignorantia graviter culpabili?*

Resp. 1° Si dans consilium, id agat ex suo statu vel officio, v. gr. advocatus, medicus, Confessarius, etc., tenetur ad restitutionem de

(*a*) *Ratio est*, inquit Vasquez (*Op. De Scand. art. 1. dub. 2. n. 14.*), *quia hoc genus consilii eo tendit formaliter, ne committatur maius peccatum; ex quo fit, ut is, a quo latro furatur illud quod minus est, non sit rationabiliter invitus de eo, qui consilium praebuit.* Et Turrianus (*De Fid., Spe, etc. Disp. 95. dub. 6.*): *Mihi probabilius est, tale consilium esse licitum, quando nulla alia ratione posset quis retrahi a maiori illo peccato committendo, quia consulere minus peccatum in hoc casu malum non est. Deinde is, cui infertur iniuria, non est rationabiliter invitus respectu consulentis, quia ille tantum suasit minus furtum, ne latro committeret maius peccatum; esset tamen invitus respectu latronis.* Quae quidem animadversio Turriani sapientissima est, quod nempe qui damnum patitur, iustam querelae causam non in consulentem minus damnum, sed solum in latronem habeat. Et sane charitas postulat, ut volenti malum patrare, suadeam minus; itidemque charitas exigit, ut potius impediam damnum eius, qui plus pateretur, quam eius, qui minus. Hic igitur rationabiliter invitus esse non potest respectu illius, qui ex norma praecepti charitatis rem gerit.

(*b*) Non videtur ad rem pertinere, quod executor in propriam, necne, an in alterius utilitatem agat.

damno iniusto, quod ex suo consilio sequitur, sive erga petentem consilium, sive erga illum, contra quem datur. Ratio est, quia societas ius habet, ut ille scientiam habeat muneri suo convenientem. — *Ita communiter.*

Resp. 2° Si consulens non sit talis persona, quae ratione muneris vel status sui peritiam prae se ferat, 1° non tenetur erga petentem consilium, nisi ex consilio doloso, seu nisi affectet magnam peritiam, qua caret; 2° obligatur tamen erga tertiam personam, quae inde damnum patitur, si ipse propriam imperitiam noverit, et damnum secuturum saltem in confuso praeviderit.— *S. Lig. n.564. et alii communiter.*

680. **Resolves.**— 1° Mulieres, plebeii et alii generatim, quorum nota est insufficientia, nec peritiam dolose affectant, nihil restituere tenentur iis, qui consilium ab ipsis petierint. Attamen tenentur erga alios, quibus ex ipsorum consilio damnum illatum est, si damnum istud sufficienter praeviderint; rei enim sunt, dum temeraria dantes consilia in iis, quae ignorant, se exponunt periculo innocentem invitum laedendi. — *S. Lig. ibid.*

2° Si suasione vel hortatu causa fueris, ut maius damnum inferatur, quam alioquin illatum esset, teneris tantum de damni excessu. Unde si furi *per se* parato ad surripiendum 100 aureos, persuasisti, ut 200 surriperet, probabilius contrahis tantum obligationem 100 restituendi.

3° Si duo simul consulant furtum *Petro,* qui eorum consilio inductus furetur, uterque tenetur ad restitutionem; nam licet etiam altero tantum consulente *Petrus* furatus fuisset, de facto tamen uterque consilio suo influxit, et eo ipso uterque causa fuit furti. — *S. Lig. n. 561. — Lugo, D. 19. n. 2.*

4° Si fur iubeat ostendi sibi thesaurum meum, et ego ostendam thesaurum alterius, teneor restituere, quia sum causa damni; fur enim non habet determinatam voluntatem ad thesaurum alterius surripiendum. — *S. Lig. n. 565.* (*a*).

5° Consulens non eximitur ab obligatione reparandi damnum, quod consuluit, si executor, quem monuit ad restituendum, non restituat; quia efficaciter in damnum cooperatus est; cooperatio autem efficax reparationem efficacem necessario exigit. Damnificatus enim omnino indemnis fieri debet. — *V. Casus, n. 662. et 665.*

(*a*) S. Alphonsus hoc loco, nempe *Lib. 3. n. 565.*, nihil habet de speciali huiusmodi casu, sed solum generalem tangit quaestionem, an homini parato ad inferendum maius damnum possit suaderi minus etiam adversus alium; quam quaestionem etiam A. superius *n. 677. Q. 2.* tetigit. Si itaque tota resolutionis huius quartae vis pendet a principiis ibi praeiactis, ad casum hunc specialem ea revocari debent, quae ibi de generali quaestione dicta sunt.

§. III. *De consentiente.*

681. **Principia.** — I. Consentiens ad restitutionem tenetur, quotiescumque scienter ac libere emittit suffragium vel sententiam, ex quibus directe pendet violatio iuris alterius, id est, quoties dat consensum efficacem in damnum seu iniuriam proximi. Dixi, *consensum efficacem;* quia si consensus efficaciter in iniuriam non influeret, non teneretur ad restitutionem, cum affective quidem, sed non effective in nocumentum consentiret; itemque si, seclusa fraude aut pacto speciali, alium a consecutione boni, ad quod nullum ius haberet, suffragio suo impediret.

II. Non tenetur de damno, qui sententiam aut suffragium prius datum authentice revocat, antequam consummetur nequitia; neque suffragans bona fide, quamvis detecto errore teneatur ex charitate, imo ex iustitia, votum suum revocare, si per tempus id ipsi liceat.

682. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An teneatur ad restitutionem consentiens, qui dat iniustum suffragium, si non desint alia suffragia iam ad damnum sufficientia?*

Resp. 1° Certum est, consentientes omnes aeque ad restitutionem teneri, si de condicto suffragia dederint; cum inita conspiratione omnium sit unica actio moralis.

Resp. 2° Certum est etiam, omnes consentientes contrahere obligationem restituendi, quando eodem tempore suffragium tulerunt; quia cum nullus tunc prior fuerit neque posterior, sententia resultans ex suffragiorum summa singulis suffragantibus merito tribuitur.

Resp. 3° Certum quoque est, non excusandos esse a restitutione eos, qui primi dant suffragium, antequam numerus sit completus, etiamsi praevideant non defuturos alios, qui consentiant, quia vere influunt in damnum; quamvis enim sine illis esset inferendum, per illos tamen, quantum in iis est, de facto infertur. — *Ita communiter.* — *Vogler, n. 302.* — *Lugo, D. 19. n. 17.*

Resp. 4° Utrum vero, seclusa conspiratione et simultanea suffragiorum collatione, possint excusari a restituendi obligatione ultimi suffragantes, quando iam votorum numerus ad negotii definitionem requisitus expletus est, *controvertitur.* Plures graves theologi affirmant, quia eiusmodi suffragatores nullo modo sunt causa damni, cum iam illud sufficienter ab aliis praeparatum ac determinatum fuerit. — *S. Lig. n. 566.* — *Lugo, ibid. n. 22.*, etc. — *Negant* alii, quia cum nunquam perfecta censeatur sententia, nisi concludatur per omnium suffragiorum collationem, ultimi non secus ac primi in sententiam influunt (*a*).

(*a*) Etsi Confessario posterior haec opinio magis forte arrideat, non potest tamen onus restitutionis, utpote incertum ob rationes prioris opinionis, poenitenti imponere.

683. — Quaer. 2° *An obligationem restituendi contrahat ille, qui suffragium non fert, cum ferre possit?*

Resp. 1° *Neg.*, si suffragium dandum sit in merum favorem aut gratiam alicuius (*a*); quia nulla iniuria ei infertur.

Resp. 2° *Affirm.*, si dandum foret ex officio, et ipsius omissio esset causa efficax damni gravis et iniusti. — *Lugo et alii communiter.* — *V. Casus, n. 667. 670.*

§. IV. *De palpone.*

684. — *Palpo* dicitur, qui laudando, adulando, vituperando movet alium ad damnificandum. De palpone haec tenenda :

1° Qui induxit alium ad damnum inferendum proponendo laudem aut secus ignominiam secuturam, tenetur de damnis. Talis enim cooperatio se habet instar consilii, cum nempe agendi motiva de se communiter efficacia proponuntur. Quocirca palpo iisdem omnino obligationibus obnoxius est, ac consulens : de quibus vid. supr. n. 676. et seqq.

2° Qui homini iniuria affecto ita repraesentant huius iniuriae magnitudinem, ut ille commotus vindictam sumat, ad restituendum tenentur, modo saltem probabiliter damnum secuturum esse adverterint.

3° Non tenetur autem ad restitutionem, qui facinus iam patratum approbat vel ratum habet, nisi causa sit, cur non fiat restitutio, aut nova damna inferantur. — *S. Lig. n. 567.*

§. V. *De recursu, seu de receptante, vel recursum praebente,* haec tenebis:

685. — 1° Receptans, nimirum qui scienter ac libere latroni praebet assecurationem, tenetur de damnis exinde provenientibus. Sic enim furis voluntatem in proposito vel furandi, vel non restituendi, vel iterum furandi, efficaciter ac iniuste determinat, aut firmiorem efficit.

2° Pariter ad restitutionem tenentur mercatores et praesertim caupones, qui accipiunt furta filiorumfamilias, servorum, etc., vel ea occultant, aut etiam sibi vindicare in pretium mercium, compotationum, etc. solent.

3° Inter receptantes computandi non sunt illi, qui amicos vel consanguineos malefactores domi recipiunt; nec illi, qui eos sub spe emendationis occultant, vel iis ostendunt viam, qua fugere pos-

(*a*) Paulo obscurior est Auctoris sententia. Sensus est, non contrahi in casu obligationem restituendi, quando ius ferendi suffragii cuipiam concessum est in meram ipsius gratiam seu favorem. Quocirca in fine responsionis aptius diceres: quia nullam hic alteri iniuriam infert.

sint, cum ad carcerem vel ad necem quaeruntur. — *S. Lig n. 568.* — *V. Casus, n. 672. 674.*

§. VI. *De participante.*

Participans duplex est: alius in praeda, alius in actione damnosa. Hinc statuenda sunt sequentia

686. **Principia.** — I. Participans in praeda tenetur ad restitutionem partis, quam accepit et apud se detinet; patet ex superius dictis de possessore malae fidei.

II. Participans in actione damnosa, seu concurrens cum alio, sive immediate sive mediate, ad damnum physice inferendum, tenetur generatim loquendo ad restitutionem, quotiescumque cooperatio illius realiter influxit in substantiam damni. — *S. Lig. n. 571.*

III. Quandoque tamen a restitutione excusabitur participans in actione damnosa, praesertim si mediate tantum concurrit, dummodo adsint requisitae conditiones, nempe, 1° ut actus non sit intrinsece malus; 2° ut eliciatur ex causa relative gravi; 3° ut bonus effectus a cooperante intentus immediate oriatur a causa bona vel saltem indifferenti (*a*). *Recole dicta de Act. hum. n. 9., et de Charitate, n. 249. — Billuart, diss. 8. art. 13. — Carrière, n. 1197.*

687. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An vel quando licita sit immediata cooperatio ad damnum proximi in materia iustitiae?*

Resp. 1° Quoad *damnum vitae* nunquam licet immediate cooperari ne cum vitae quidem periculo; quia nunquam licet occidere directe innocentem.

Resp. 2° Quoad *damnum membrorum* nunquam pariter licet, ad mortem quoque vitandam, immediate concurrere ad alterius mutilationem, nisi forsan pro avertenda ipsius morte.

Resp. 3° Quoad *damnum in bonis fortunae,* tres *communiter* admittuntur casus, in quibus ex metu gravi licita est cooperatio, propterea quod dominus non censetur rationabiliter invitus, scilicet 1° si cooperans possit ac velit damnum, quando forte ad id teneatur, reparare; 2° si damnum grave absque cooperante aequaliter et certo ab agente principali illatum fuisset; 3° si damnum sit leve respectu domini, quippe ad leve alterius incommodum impediendum non teneor ipse grave subire.

Controvertitur autem, an tibi liceat cooperari immediate ad damnum grave proximi ex gravissimo metu, v. gr. mortis, si damnum reparare non possis aut non velis. — *Negant* quidam, quia actus videtur intrinsece malus, cum laedat ius proximi, qui rationabiliter invitus merito supponitur. Et sane persona laesa in hanc cooperationem neque ex iustitia, quae non obligat ad vitam alterius

(*a*) Sensus est, effectum immediatum non debere per se esse malum, etsi aliquod deinde bonum ex malo effectu expectari possit.

cum tanto gravamine proprio servandam, neque ex charitate, quae etiam cum tanto incommodo non urget, consentire tenetur. *Billuart*. — *Alii* tamen *probabiliter affirmant*. Etenim constitutus in extrema necessitate subripere id potest, quo mortem declinet, quia tunc omnia bona sunt communia, ut dictum est *supra n. 616*. Cur igitur ille, cui mors intentetur, non poterit cooperari subreptioni bonorum proximi ad propriam vitam e proximo periculo eripiendam? — *S. Lig. n. 571. — Molina,* etc.

688. — QUAER. 2° *Quaenam causa requiratur, ut licita sit cooperatio mediata in materia iustitiae?*

Resp. Licita erit, quoties adsunt conditiones in principio III indicatae. Difficultas autem non exigua consistit in decernendo, quandonam reperiatur ratio sufficiens sic cooperandi. De hoc porro ex aequo et bono iudicandum est. Generatim autem sequentes regulae proderunt, scilicet 1° Tanto maior requiritur ratio, quanto maior est effectus malus exinde secuturus. 2° Tanto maior requiritur ratio, quanto propinquius causa influit in damnum. 3° Maior requiritur ratio, quando damnum sine tua cooperatione non sequeretur, quam si nihilominus esset eventurum.

689. **Resolves.** — 1° Non peccant contra iustitiam fabri ferrarii, qui indiscriminatim vendunt arma, etsi cognoscant aliquos generatim iis abusuros esse; nam secus commercium prorsus tolleretur. Si vero praevideant in specie aliquos praedictis armis esse proxime abusuros, ea vendere non possunt ob ordinarium lucrum, sed requiritur causa gravis, prout maior vel minor est spes abusum impediendi (*a*).

2° Eximuntur ab omni restitutione atque peccato, qui coacti metu gravis damni, obeunt functiones ad damnum praevias, et in ipsum remote tantum influentes, v. gr. scalam applicare, murum conscendentem adiuvare...

3° Facilior adhuc est excusatio, si non deessent alii, qui instrumenta ad damnum necessaria suppeditarent.

4° Imo probabilius non peccas, nec ad restitutionem teneris (*b*), si pro vitanda morte reddas gladium apud te depositum domino petenti ad alium occidendum, licet occisio illius a gladii huius traditione pendeat; quia tua vitae proximi aequivalet. — *Billuart, diss. 8. art. 13. — Vogler, n. 318. — Carrière, n. 1203., et alii multi, cum S. Lig. n. 571.,* contra *plures. — V. Casus, n. 676-679.*

(*a*) Si tamen venderent, peccarent quidem contra charitatem, sed non contra iustitiam: neque enim, citra aliquam specialem ex officio aut contractu obligationem, damna aliorum impedire ex iustitia tenemur. Idcirco etsi vendendo arma peccarent, officio tamen reparandi damnum non tenerentur.

(*b*) Eadem, ac supra, recurrit animadversio; reddens enim gladium citra mortis aut gravis mali metum, contra charitatem peccaret, non vero contra iustitiam: unde huc non spectat quaestio de restitutionis obligatione, prouti et Auctor infra (*n. 690. res. 1.*) monet.

§. VII. *De muto, non obstante, non manifestante, seu de cooperatoribus negativis.*

Cooperatores negativi ii sunt, qui non impediunt damnum proximi, cum ex officio illud impedire teneantur. Dicuntur vulgo *mutus, non obstans, non manifestans.* 1° *Mutus* ille est, qui non loquitur, non clamat, non praemonet damnificandum, dum ad id ex officio vel contractu tenetur. 2° *Non obstans* dicitur, qui dum infertur damnum, non obstat, rem non custodit, licet id ex iustitia praestare debeat. 3° *Non manifestans* vocatur, qui post damnum illatum, damnificatorem domino laeso, vel Superiori non denuntiat, licet ex officio atque adeo ex iustitia denuntiare debeat. Caeterum eadem principia, eaedemque applicationes morales omnibus hisce conveniunt.

690. **Principia.** — I. Nemo ratione damni non impediti tenetur ad restitutionem, nisi ex officio illud impedire teneatur; qui enim non adigitur ad damnum ex officio impediendum, ex sola charitate obligatur, cuius violatio ad restitutionem non obligat.

II. Omnes, qui obligantur ex officio impedire damnum alterius, si id culpabiliter negligant, ad restituendum tenentur; ex iustitia enim damnum impedire debent. Ergo si omittant, contra iustitiam peccant, et proinde ad damna resarcienda obligantur.

III. Ut negative cooperans ad restitutionem teneatur, necesse est, ut damnum sine gravi incommodo impedire potuerit; quia nec contractus, nec lex positiva cum gravi onere, saltem ut plurimum, obligare solent. — *S. Lig. n. 573.*

691. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An Confessarius teneatur ad restitutionem, si poenitentem de restitutione facienda ex gravi negligentia vel ignorantia monere omiserit?*

Resp. Neg. probabilius. Etenim licet ex officio Confessarius teneatur bene instruere poenitentem, ideoque peccet graviter, si id omittat, quando necessarium est; non tamen ad hoc tenetur ex obligatione erga tertium. Excipe, si Confessarii silentium positivae approbationi aequivaleat, v. gr. si interrogatus responsum ita declinet, ut absentia obligationis poenitenti suadeatur. — *S. Lig. n. 578.* — *Lugo.* — *Suarez, et alii communiter.*

Quaer. 2° *An famuli teneantur ad restitutionem, quando culpabiliter* (*a*) *non impediunt damna, quae domino inferuntur?*

Resp. 1° *Affirm.*, ut videtur (*b*), si agatur de damno illato ab ex-

(*a*) Culpa aliqua adesse poterit etiam citra obligationem restituendi, quando ex sola charitate teneantur; in re praesenti enim obligatio ex charitate adesse potest in iis quoque casibus, in quibus nulla adsit obligatio iustitiae.

(*b*) Vox *videtur*, ex S. Thomae sententia, vox est *opinantis*. Et hoc sensu eam usurpasse Auctorem probabilius est. Equidem Lugo (*De Iust.*

traneis. Ratio est, quia eo ipso quod famuli in familiam admittantur, censentur obligationem suscipere eam adversus extraneos defendendi. — *S. Lig. l. 3. n. 344.* — *Lugo, Vogler*, etc.

Resp. 2° *Neg. probabilius,* si agatur de damno illato ab aliis famulis, nisi res ipsis specialiter commissa fuerit; quia non videntur conducti famuli nisi ad laborem et familiam ab extraneis defendendam. — *S. Lig. ibid.* — Alii tamen *non improbabiliter* dissentiunt (*a*).

692. — Quaer. 3° *An Superior teneatur ad reparandum damnum a suis subditis illatum?*

Resp. 1° Quoad *forum externum Affirm.* tum *ex Iure Romano* (praesertim si de servis et filiis agatur), tum *ex Iure Gallico* (*b*), in quo expressa mentio fit 1° de patre, et eo defuncto, de matre relative ad filios minores cum ipsis habitantes; 2° de hero vel mandante (*c*) relative ad famulos, aut mandatarios; 3° de institutore et artifice relative ad alumnos. Datur tamen Superiori recursus in damnificantem ad compensationem requirendam.

Resp. 2° Quoad *forum internum* 1° *Affirm.,* si Superioris (*d*) silentium positivo impulsui aequivaleat. 2° Non tenetur autem, quoties culpa theologica deficit. 3° Nec tenetur *probabiliter*, licet damnum non impediendo graviter peccaverit, si nullatenus silentio suo in illud influxerit, cum praecipue agatur de damno, quod alteri non subdito (*e*) illatum est. Ratio est, quia qualitas Superioris *per se*

Disp. 19. n. 106.), utcumque allegatis Soto, Navarro et Lessio huic sententiae adhaereat, non dissimulat, oppositae totidem adhaesisse, Molinam nempe, Rebellum, Azorium et Bonacinam. Idcirco Confessarius ab urgenda restitutionis obligatione abstinere debet.

(*a*) De hac re Lugo (*Disp. 19. n. 105.*): *Fatentur omnes, non teneri, quando furtum ab alio famulo domestico fieri videt, nisi ei cura et custodia speciali munere commissa sit.* Opposita ergo opinio habenda est ut alicuius recentioris anomalia. Haec autem Lugo quoad praxim subdit: *Teneretur etiam famulus, quando ei datur clavis ad extrahendum aliquid de aliquo loco, quia pro tunc custodia eius loci ipsi demandatur. Tenentur etiam, qui penus curam habent, vel ad custodiam et vigilantiam supra res domesticas vel familiam praeficiuntur.*

(*b*) Monet tamen Codex Gallicus (*art. 1384.*), in hoc iuri romano consonans, eiusmodi obligationem sive in parentibus, sive in praeceptoribus, sive in artificibus cessare, quoties planum faciant, non fuisse in sua potestate illud impedire factum, de quo alioquin respondere pro conditione sua tenentur. Quod vero speciatim ad parentes attinet, praeter quam quod generatim respondere de filiorum debent factis, quae impedire potuerint, triplex diserte in iure casus exprimitur, in quo illos hoc onus premit, nimirum 1° quando iis praecipientibus filius quidpiam gesserit; 2° quoties gestum a filio negotium in eorum utilitatem seu lucrum cesserit; 3° quando filius non caret adventitio peculio, cuius ipsi usumfructum percipiunt.

(*c*) Alias animadversum est, notionem *mandantis* nullatenus per se postulare, ut hic sit mandatario superior.

(*d*) V. gr. ducis militum cohortis.

(*e*) At etiamsi damnum illatum foret subdito, inspiciendum foret, an Superior *ex debito iustitiae* sibi assumat damna subditorum suorum impedienda.

non sufficit, ut quis constituatur quasi sponsor de damnis subditorum, nisi ex speciali officio publico ea impedire debeat. — *Lugo* — *Gousset,* contra *alios.* — *Vide S. Lig. n. 578.*

QUAER. 4° *An maritus teneatur de damnis ab uxore illatis, quae ipse non impedivit?*

Resp. In foro *interno* de uxore dicendum videtur, quod de filiisfamilias aliisve subditis in *Resp.* 2° praec. dictum est. Hinc *probabiliter* ad nihil tenetur ex mero silentio, etiam graviter culpabili. In foro autem *externo* nihil in Iure Romano, neque in Iure Gallico statuitur.

693. — QUAER. 5° *An consiliarius teneatur ad restitutionem, si per omissionem suffragii iniustae sententiae non obstiterit?*

Resp. Affirm., si suffragium ferre debeat *ex officio,* quia officium ex iustitia adimplendum est saltem communiter loquendo, et seclusa iusta causa. *Neg.* autem, si ius suffragii habeat *ex privilegio,* seu ex mero favore; tunc enim potest absque iniustitia suffragium omittere. — *Lugo, D. 19. n. 61. et seq.* — *Vogler, n. 304.*

QUAER. 6° *An teneatur ad restitutionem, qui accepit pecuniam a fure, ut taceat, si ex officio clamare non debeat?*

Resp. Neg. probabilius, saltem *per se.* Ratio est, quia tacere posset ob preces furis absque iniustitia, siquidem clamare ex iustitia non tenetur. Ergo *a pari* ob munera promissa vel tradita tacere potest absque iniustitia. — *Lugo.* — *Tamburinus,* etc. — Secus autem dicendum esset, si pecuniam acciperet, ut observet, num quis adveniat; quia tunc furto positive cooperaretur.

QUAER. 7° *An custodes non denuntiantes damnificatores teneantur compensare omnia damna et etiam solvere mulctam?*

Resp. ad 1um *Affirm., per se,* quia ad damna impedienda constituuntur; excipe, si agatur de rebus levioris momenti, pro quibus, ex consuetudine et praesumpta domini voluntate, sufficit secreta admonitio.

Resp. ad 2um *Neg. probabilius* ob praxim contrariam, cui communis sensus concordat. — *Lugo.* — *Lessius.* — *Vogler,* etc. Idem dicendum de iudice non procurante damni compensationem, vel mulctam punitoriam non exigente. Attamen si apud iudicem facta fuerit damnificatoris denuntiatio, ille ad puniendum, et ad damni reparationem tenetur. — *S. Lig. Hom. apost. tract. 13. n. 73.* — *V. Casus, n. 681. et seq.*

CAPUT III.

DE CIRCUMSTANTIIS RESTITUTIONIS

Praecipuae circumstantiae restitutionis hoc versu habentur:

Quantum restitues? cui? quo ordine? quomodo? quando?

ARTICULUS I.

QUANTUM SIT RESTITUENDUM?

694. — Quantitas restitutionis mensurari debet ex quantitate rei acceptae, vel ex quantitate damni illati, aut influxus in iniuriam proximi.

Cum speciales difficultates de sola *solidaritate* occurrant, de ea solum specialiter agemus.

De solidaritate.

Definitio. Solidaritas, seu obligatio restituendi *in solidum*, est onus incumbens singulis cooperatoribus integrum damnum illatum reparandi.

Divisio. Duplex distinguitur solidaritas, scilicet 1° *absoluta*, quae locum habet, quando quis tenetur totum damnum reparare; 2° *conditionata*, quando singuli cooperatores restituere tenentur pro aliis cooperatoribus deficientibus.

695. **Principia.** — I. Quilibet ex cooperatoribus concurrens efficaciter ad damnum, ita ut hoc *totum ei moraliter adscribi possit,* tenetur ad restitutionem in solidum, idest in integrum, sive absolute, sive saltem conditionate. Ratio est, quia quilibet est causa efficax et iniusta totius damni, et proinde totum reparare debet. — *Vogler, n. 342. et alii communiter.*

II. Alicui autem cooperatori *totum damnum adscribi potest* certo in casu duplici, scilicet 1° *quoties illius cooperatio est necessaria,* licet non sufficiens, ad totum damnum inferendum; v. gr. si praebeas suffragium necessarium ad iniustam sententiam; 2° *quoties cooperatio fit ex conspiratione efficaci,* qua damnificatores ita se efficaciter ad damnum excitant, ut singulis non concurrentibus damnum non eveniret. — *S. Lig. n. 579. — Lugo ....*

III. Quicumque est causa principalis damni, tenetur restituere in solidum *absolute;* caeteri autem cooperatores aequales, vel causae secundariae, *conditionate* tantum tenentur. Ratio est, quia principalis agens, uti mandans, dux, etc., ipso facto in se suscipit absolute totum onus damni reparandi cum ipse primario illud infe-

rat, nec utatur aliis nisi velut instrumentis ad proximum damnificandum. Quinam autem dici debeat causa principalis, dicetur infr. *n. 702.*

Quoad causas vero secundarias merito monet *S. Lig. Hom apost. n. 54.*, in praxi raro expedire rudes monere seu obligare ad totum damnum reparandum, licet certo teneantur in solidum; quia isti non facile sibi persuadent se teneri ad restituendam etiam partem ab aliis ablatam vel destructam.

696. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An tenearis* IN SOLIDUM *in dubio, an influxeris in totum damnum?*

Resp. Neg. probabilius cum sententia communi, quia onus certum imponi nequit pro incerta obligatione. — *S. Lig. n. 579.*, etc.

QUAER. 2° *An tenearis* IN SOLIDUM *in dubio, an alii suam partem pro rata restituerint?*

Resp. Neg. probabilius, si facta diligenti inquisitione dubium perseveret, quia cooperator non tenetur ad aliud praeter partem suam, nisi in defectu alterius; et si dubium sit de illo defectu, dubium est de obligatione. — *Roncaglia, Salmant.,* etc., contra alios.

QUAER. 3° *An detur obligatio restituendi* IN SOLIDUM, *ubi cooperatio influit quidem in totum damnum rei individuae, sed non est de se sufficiens, nec necessaria, neque procedit ex conspiratione stricta, v. gr. si quatuor asportent trabem, quam tres etiam asportassent?*

Resp. Neg., quia cum tota ratio obligationis sit influxus in damnum, illa non debet esse maior quam ipse influxus. Aliunde qui concurreret ad partem damni, licet cum aliis concurreret ad totum damnum (*a*), sane ad totum restituendum non teneretur; ergo, *a pari,* qui concurrit partialiter ad damnum individuum, partialiter tantum ad damni reparationem tenetur, quia causam partialem posuit. — *Lugo, D. 19. n. 82.* — *Vogler, n. 343.*— *S. Lig. hoc dicit probabile, n. 579.*

697. — QUAER. 4° *An tenearis* IN SOLIDUM, *si actio tua fuit quidem sufficiens ad totum damnum inferendum, sed minime necessaria, neque ex conspiratione processit, v. gr. si ignem domui alienae simul cum pluribus aliis apposueris?*

Resp. Controvertitur. Affirmant probabiliter, imo et *probabilius* non pauci, quia ubi actio tua fuit *sufficiens* ad effectum damnosum, reapse totum damnum moraliter tibi et singulis aliis est adscribendum. *Roncaglia, Salmant.,* etc. — *Negant* vero alii *probabiliter,* quia licet actio damnificativa sufficiens fuerit ad totum damnum, non habuit tamen nisi influxum partialem in illud, cum nec fuerit necessaria, neque communis cum aliis ex conspiratione. Ergo non

(*a*) Sensus est: si quis opere suo concurrat tantum ad partem damni, v. gr. vastationis horti, ad totum autem damnum eatenus cum aliis concurrat, quatenus reliqua horti pars vastata ab aliis iam fuerat, ipse autem quod integrum ab illis relictum reperit, hoc pessumdet; hic sane non tenetur reparare nisi partem damni, cuius auctor fuit.

est causa moralis totius damni. Nec refert quod de re *individua* agatur; quia cooperatio ad totum damnum non extenditur. Attamen id intellige, quoties sine tuo concursu damnum nihilominus evenisset; secus enim etiam actio tua ad illud necessaria dicenda foret. — *Sporer.* — *Navarr.* etc. — Utramque sententiam probabilem habet *S. Lig. n. 579. et Hom. apost. n. 55.*

698. **Resolves.** — 1° Si quis ex cooperatoribus totum damnum reparaverit, alii liberantur ab omni debito erga creditorem; sed ille, qui totum restituit, recursum habet contra alios damnificatores aeque obligatos, ut ratio perspicua demonstrat (*a*).

2° Si furi, qui propter efficacia motiva iam omnino determinatus est ad furandum, suggeras novum motivum, quod stimulum ei addat, non teneris, deficientibus caeteris cooperatoribus, totum damnum resarcire, quia motivum tuum in damni substantiam non influxit.

3° Imo *probabiliter* ob eandem rationem nihil refundere debes ex iustitia, si tantum inducas alium, ut aliquanto citius aut alacrius damnum inferat. — *V. Casus, n. 693.*

ARTICULUS II.

CUI SIT RESTITUENDUM?

699. — 1° Restituendum est domino certo et noto, quoties absque gravi difficultate et alterius iniuria fieri potest, nec alia adest causa a restitutione excusans. — *S. Lig. Hom. apost. n. 64.*

2° Qui subduxit rem apud alium depositam, vel locatam aut commodatam, non domino, sed ipsi possessori restituere debet. Possessor enim sine iniuria privari nequit iure custodiae, usus, vel possessionis, nisi ipse consentiat. — *Hom. apost. ibid.*

Quid autem agendum est, si dominus sit dubius, aut incognitus, vel si, licet cognitus sit, adiri non possit? Haec tenenda videntur:

1° Si post diligentem inquisitionem dubius sit dominus; vel dubium vertitur inter paucos, vel inter multos. Si prius, ipsis pro rata restituendum est, vel ad compositionem inducendi sunt domini praesumpti. Si posterius, v. gr. quia aliquis vendens in aliqua civitate defraudavit multos in pondere vel pretio, restitutio facienda est augendo eodem modo pondus vel mensuram, aut pretium minuendo erga ementes ordinarios, qui damnificati praesumuntur, si facile fieri possit; secus restitutio pauperibus facienda est. — *Hom. apost. ibid.*

2° Si dominus sit plane incognitus, vel si, licet cognitus, moraliter tamen neque immediate neque mediate adiri queat, distinguen-

(*a*) Haec resolutio intelligenda est de iis cooperatoribus, quorum quisque pro sua rata tenetur. Vid. infr. dicenda artic. III.

dum est; vel enim res aliena bona fide acquisita possidetur, vel mala. Si bona, tunc agendum est ut in rebus nuper amissis, quarum dominus inveniri non potest (*vide supra, n. 578.*), et proinde vel in causas pias erogandae, vel etiam a possessore retineri possunt. Si vero mala fide, possessor tali re omnino se expoliare debet, atque in opera pia, aut communi bono utilia impendere. Nefas enim est malitiam furi aut malae fidei possessori prodesse. — *Hom. apost. n. 67. 69.*

700. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An quando creditor tuus coactus fuit cessionem bonorum facere, ipsi vel eius creditoribus restituere debeas?*

Resp. Generatim loquendo, creditori tuo restituere non debes, sed creditoribus eius debitum tuum est a te manifestandum (*a*). Ratio est, quia licet creditores cedentis bona dominium directum in illius bona non habeant, iure tamen stricto gaudent, ut ex illis bonis indemnes serventur. Attamen quandoque posses tuo creditori restituere, v. gr. si debitum sit exiguum, si probus sit, et credas illum esse creditoribus restituturum; item si versetur in gravi necessitate, et debito illo valde indigeat ad vitam ducendam, quia, ut docent communiter theologi, bona cedens potest subducere ea, quae ad vivendum omnino necessaria sunt. — *S. Lig. n. 699.* — *Gousset, n. 772.*

701. — QUAER. 2° *Cuinam restituere debeat debitor* EX DELICTO, *si dominus laesus inveniri nequeat?*

Resp. Iuxta *communem sententiam* restituere debet pauperibus, vel causis piis. Ratio est, quia ex sensu communi dominus incognitus per pauperes vel pias causas censetur repraesentari; praesumitur enim talem esse eius voluntatem, quoties rem suam iniuste ablatam vel damnificatam recuperare nequit. — *Ita S. Thom. 2. 2. qu. 62. art. 5.*, etc. De hoc certo constat ex *Iure can.* quoad lucrum *usurarium* et *simoniacum*. Videtur etiam lex canonica *ex consuetudine* ad caeteros casus extendi: *Consuetudo autem optima est legum interpres.* Apparet igitur circa hoc *ius quoddam gentium* introductum esse.

Dicunt *quidam*, debitorem posse ea impendere in utilitatem quamlibet publicam etiam profanam. Verum in praxi consuetudini generali standum est. Numquam autem possessor malae fidei, neque

(*a*) Inspiciendum videtur, penes quem post factam bonorum cessionem administratio et custodia eorumdem maneat. Huic enim uni restitutio seu debitorum solutio fieri potest et debet, adeo ut, si alteri fiat, valida non sit, pereatque solventi, si forte res tradita ad manus administratoris non perveniat. Quod vero creditores illius, qui bonis cessit, moneantur, ad charitatem forte pertinere poterit, non autem ad iustitiam. Verum A. loqui videtur de creditis, quae ab eo, qui bonis cedit, occulta serventur. Et tunc utique huic fraudi cooperarentur illius debitores, qui, cognita bonorum cessione, ipsi debitum solverent; quocirca et in foro conscientiae tuti non forent, et conveniri in foro externo ad iterum solvendum possent.

damnificator iniustus debitum retinere potest praetextu quolibet, etiam paupertatis (*a*), quia nemo ex malitia sua commodum reportare debet, ut iam dictum est *supra n. 699*. Unde sola ratione impotentiae, et ad tempus excusari posset. Neque debitor ille obligationi satisfaceret, si alicui privato non pauperi restitueret.

ARTICULUS III

QUO ORDINE SIT RESTITUENDUM?

Ordo restitutionis spectari potest tum ex parte eorum qui restituere debent, quando plures in idem damnum cooperati sunt, tum ex parte eorum quibus restituendum est.

§. I. *De ordine restitutionis inter cooperatores.*

702. — Ad ordinem restitutionis *in solidum* assignandum inter cooperatores in damnum alienum, inspiciendum est, num damni causa sit *principalis,* seu primaria; utrum *secundaria,* seu subordinata; an denique *collateralis,* seu aequalis. Cooperatores enim in damnum concurrere possunt vel eodem modo seu gradu, vel modo diverso.

Principia. — I. Si omnes *eodem modo* concurrerint, singuli aequaliter *in solidum conditionate* restituere debent, absque ullo ordine determinato, quia nemo eorum maius periculum suscepit. Dixi, *conditionate,* id est, quando caeteri cooperatores non restituerent, vel nullus *in solidum* solveret. — *Vogler, n. 581.*, etc.

II. Si *diverso modo* concurrant, distingues iterum: nam vel ex furto, vel ex mero damno restituendum est.

Si *ex furto,* primo loco tenetur possessor, qui rem habet in individuo vel in aequivalenti, vel qui illam iniuste consumpsit; deinde mandans, vel raptor, si mandans desit; tertio tenentur caeteri cooperatores positivi; tandem cooperatores negativi.

Si vero *ex damno,* tenetur primo mandans, ut causa principalis; secundo executor, etiamsi nomine *mandantis egerit,* quia relative ad alios iuxta communem sententiam est causa principalis; deinde caeteri cooperatores positivi; demum cooperatores negativi. — *Vogler,* etc. — *S. Lig. n. 580.; Hom. apost. n. 60.*

703. **Resolves.** — 1° Ad nihil tenentur causae secundariae, si causa principalis restituerit aut remissionem debiti obtinuerit;

(*a*) Cum A. dicit, *paupertatis praetextu,* intelligendus est de *ficta paupertatis causa.* Nam, ut inquit Card. De Lugo (*De Iust. Disp. 20. n. 8.*), *si debitor, debens aliquid creditori incerto, atque adeo debens illud dare pauperibus, sit ipse vere pauper, potest ei applicari.* Quod quidem valere etiam de debitis *ex delicto, furto, rapina, et similibus,* ipse Lugo (*ibid. n. 6.*) aperte indicat.

causae enim secundariae tantum tenentur in defectu causae principalis, cuius obligatio cessavit. — *S. Lig. n. 581.*

2° Si una ex causis minus principalibus restituit, causa principalis tenetur eam indemnem facere, quia minus principalis ius creditoris contra principalem acquirit. — *S. Lig. ibid.*

3° Si creditor solvat ab obligatione causam secundariam, non ideo liberatur causa principalis, quia obligatio principalis causae est independens ab obligatione causae secundariae. Imo quamvis uni e secundariis creditor remittat, non ideo liberae sunt aliae causae secundariae ab obligatione suam partem restituendi, nisi condonatio fuerit omnino plena, vel talis merito praesumi possit. — *Lugo.* — *Vogler.* — *S. Lig. ibid.* — Excipe ex Iure Gallico, si debitum sit ex contractu (*Art. 1285.*).

4° Si una ex causis aequaliter obligatis totum debitum restituerit, aliae tenentur ei partem rependere, quia quisque prô rata suae culpae satisfacere debet (*a*). Quod si unus non posset aut nollet suam partem restituere, caeteri eam inter se dividere deberent.

5° Consulens vel consentiens non tenetur *per se* ante executorem; hic siquidem prior tenetur, quia executor, deficiente mandante, est causa principalis damni (*b*). — *V. Casus, n. 695. et 697.*

§. II. *De ordine restitutionis quoad creditores.*

704. — Agendum hic est de solo casu, in quo debitor ad satisfaciendum omnibus suis creditoribus impar est; alias enim nullus ordo in solvendis debitis necessario servandus est.

Creditores autem sunt 1° alii *privilegiati,* qui ex legis positivae privilegio ius habent debitum suum ante alios repetendi; 2° alii *hypothecarii,* qui ex titulo *hypothecae* seu *assecurationis* in bonis debitorum fundatae, ius habent solutionem obtinendi statim post creditores privilegiatos; 3° alii *communes,* qui nullo privilegii aut hypothecae beneficio gaudent.

705. **Principia.** — I. Ante omnia solvi debent debita privilegiata. Sic ex Iure Rom. et Gall. Debita autem privilegiata sunt v. gr. impensae quae dicuntur *iustitiae,* tum etiam expensae funebres, stipendia medicorum et famulorum pro anno currente et praecedenti, debita pro cibis, a sex ultimis mensibus. — *C. C. 2101.* (*c*).

(*a*) Id manifeste patet, si istae causae sunt aeque omnes primariae; si vero sint secundariae, id valet, si principalis (una vel multiplex) causa non restituit.

(*b*) Hoc verum est, quando consilium est utile soli executori. Nam si utile sit solum consulenti, hic tenetur primus, et executor solum in illius defectu. Si vero utrique pariter utile sit, aeque primi censentur ambo pro rata, et in solidum in alterius defectu.

(*c*) Pauca haec A. memorat, utpote quae caeteris itidem privilegiatis

II. Secundo loco satisfaciendum est creditoribus hypothecariis, servato temporis ordine, iuxta regulam 54 Iuris in 6°: *Qui prior est tempore, potior est iure.*

III. Demum tertio loco solvi debent debita communia, utpote nullum ius praelationis habentia.

Ex Iure Romano res aliena apud debitorem existens, v. gr. in deposito, locato, etc., ante omnia debita quantumvis privilegiata restitui domino suo debet; res enim illa in specie existens *domino clamat.* Item res empta ad creditum, non soluto pretio, si adhuc in sua specie exstet (*a*). — Ex Iure autem Gallico res vendita non soluto pretio repeti potest intra octo dies a traditione tantum, sed eius pretium semper est privilegiatum. — *C. C. 2102.* (*b*).

706. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An debita ex delicto sint solvenda ante debita ex contractu?*

Resp. Neg. probabilius, sed omnia aeque solvenda sunt pro rata, quia nullo iure constat, priora posterioribus esse praeferenda. — *S. Lig. n. 688.*

QUAER. 2° *An debita ex titulo oneroso solvi debeant ante debita ex titulo gratuito?*

Resp. Affirm., quia qui gratuito promittit, apponit semper tacitam conditionem: *si commode praestare valeam;* nec gratis bona expendere potest cum praeiudicio creditoris ex delicto vel ex contractu. — *S. Lig. n. 689. — Lugo. — Lessius. — Billuart.*

QUAER. 3° *An creditores pauperes divitibus necessario praeferri debeant?*

Resp. Neg., nisi sint in extrema necessitate, quia nullum ius praelationis habent; et ius divitis tam strictum est quam pauperis, cum iustitia commutativa ad personas non attendat. — *S. Lig. n. 691. — Lugo, D. 20. n. 161.,* etc.

QUAER. 4° *An praeferendi sint creditores tempore priores posterioribus?*

praeferuntur. Ast alia sunt credita privilegiata tum in bona debitoris *mobilia,* tum in *immobilia;* de quibus consulat quisque oportet patrios codices, etiam ut noverit, quo sese privilegia eiusmodi protendant. Nam quod v.gr. A. iuxta codicem gallicum innuit de credito famulorum *pro anno currente et praecedenti,* aut pro cibis *a sex ultimis mensibus*, non ubique servatur.

(*a*) Contractus venditionis ex iure romano seu communi, etsi pretio necdum soluto res tradita fuerit, duplicem admittit hypothesim, dominii scilicet in emptorem modo translati, modo non translati. Nulla porro est controversia, quando rei dominium translatum non fuerit; certe enim res domino, venditori nempe, restitui debet. At si dominii translatio facta fuerit, et nihil de hoc casu leges cuiusque loci propriae definiant, aut iudicis sententia decreverit, Confessarius nec prohibere potest, quominus venditor sibi rem suam vindicet, nec iterum praecipere aliis, ut rem venditori cedant. Ratio est, quia pro utraque opinione probabiles rationes militant, nec confessarii est cogere quempiam ad alterutram opinionem sequendam. *Vid. S. Alphonsus, Lib. 5. n. 685.*

(*b*) Codex Gallicus hoc loco de bonis dumtaxat *mobilibus* decernit.

Resp. Neg. probabilius, quia lex nullam praelationem inter haec credita assignat; ex iure autem naturali omnes creditores sunt aequales, cum singuli dumtaxat in debitoris personam, quae sola aeque singulis obligata est, non autem in huius bona ius habeant. Si enim essent obligata bona debitoris, creditores eorum dominium iam haberent, nec debitor ea vendere posset, quod falsum est. — *Vogler, n. 439. — Lessius. — Carrière, de Contr. n. 391.* (*a*).

Affirmant tamen *plures,* quia (aiunt) *prior tempore* debet esse *potior* etiam *iure.* — *Ita Lugo, Salmant.;* et hoc dicit probabilius *S. Lig. n. 690.,* licet priorem sententiam ut *probabilem* habeat.

707. — QUAER. 5° *An creditores certi incertis, seu incognitis, sint a debitore anteponendi?*

Resp. Affirm. probabilius, si creditor incertus inveniri nequeat. Ratio est, quia creditor ille incertus non censetur *rationabiliter invitus,* cum debitum suum recuperare nequeat. Aliunde durum foret denegare debitori facultatem liberandi se a creditore, a quo persequendus saepe foret, ut pauperibus obviis, creditorem incognitum repraesentantibus, restituat. Saltem creditores certi licite incertis anteponi possunt. — *Ita communiter. — Lugo, D. 20. n. 2. — Antoine. — Vogler,* contra *Billuart.*

QUAER. 6° *An prius petenti liceat prius solvere, etiamsi tempore posterior sit?*

Resp. 1° *Affirm., si iuridice* petat, quia legitima iudicis sententia vim privilegii creditori confert. — *Ita omnes. — S. Lig. n. 692. — Vogler, n. 444.*

Resp. 2° *Affirm. probabilius* etiam si petat extra iudicium; quia actionem personalem in debitorem habet, et totum debitum petendo, ius suum prosequitur. — *S. Lig. n. 692. (ut probabilius).— Billuart. — Lessius. — Salmant.,* etc. contra *Lugo. — Carrière.*

QUAER. 7° *Utrum debitor, sciens suum statum labilem, etiam non petenti integre satisfacere possit?*

Resp. Neg., quia cum omnes creditores sint iure aequales, nec ullus inter illos ius suum prosequatur, et proinde per diligentiam nemo potior in petendo evadat, postulat aequitas naturalis, ne alicui integra restitutio fiat cum aliorum praeiudicio. — *S. Lig. n. 692.— Lessius, et alii communiter.*

QUAER. 8° *An creditor, qui in hoc casu solutionem accepit, ad restitutionem erga alios creditores teneatur?*

(*a*) Carrière dixit, *hodie ita sentire plerosque theologos.* Verum quinam sint hodierni isti theologi, in quorum obsequium probabiliorem habeamus primam hanc opinionem, plane ignoramus. Quidquid sit, concedit tamen, probabilem esse et secundam sententiam, sicut et S. Alphonsus, qui secundam censet probabiliorem, concedit primam esse probabilem. Exinde sive posterior creditor quidpiam pro rata acceperit, et sic antiquiori aequiparatus fuerit, sive antiquior totum sibi debitum ita acceperit, ut posteriori pro rata solvi non possit, neuter a Confessario cogi ad restitutionem poterit.

Resp. Controvertitur. I[a] SENTENTIA *affirmat,* quia nullum ius habet, ut sibi integre solvatur cum aliorum detrimento. — *S. Lig. ibid.* — *Salmant.*, etc.

II[a] SENTENTIA *negat,* quia ex dictis *probabiliter* creditor ius *personale* habens, nemini facit iniuriam solutionem debiti etiam extra iudicium urgendo; ergo neque acceptando, cum ius exigendi habeat (*a*). — *Lessius et alii* apud *Lacroix.* Excipe tamen casus, in quibus talis solutio invalida per legem declaratur.

ARTICULUS IV.

QUOMODO SIT RESTITUENDUM?

708. — Generatim dici potest, requiri et sufficere, ut restitutio eo modo fiat, quo iustitia violata plene seu ad aequalitatem reparetur, et sic dominus laesus indemnis fiat.

Hinc 1° non est necessarium *per se,* ut restitutio palam fiat; imo saepe eo modo fieri nequit, quando famae quoque et honori restituentis consulendum est.

2° Non est necessarium, ut restitutio fiat per ipsum debitorem, sed fieri per alium potest, modo res domino reddatur. Potest aliquando fieri per Confessarium; magna tamen cautela tunc opus est, tum ut sigillum confessionis illaesum remaneat, tum ut poenitens resciat, creditori reipsa satisfactum fuisse, ne ulla suspicio contra Confessarii probitatem suboriri queat.

3° Non est necessarium, ut restitutio fiat advertente domino; quia hoc non requiritur, ut hic sit indemnis. Unde debitor restituere potest, v. gr. augendo pondus vel mensuram in vendendo, aut debitum opus in laborando, et sexcentis aliis modis.

709. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An valeat restitutio facta per simulatam donationem?*

Resp. Affirm., saltem *probabilius.* Ratio est, quia ad solutionem non requiritur, ut debitor externe fateatur, se solvere. Hinc satisfacit debitor, quoties solvit etiam in iis circumstantiis, in quibus creditor existimat sibi fieri donum. — *Ita communis.* — *Vogler, n. 534.*—*Carrière, n. 1265.* etc., contra *Billuart.*

QUAER. 2° *An si creditor gratitudine motus aliud donum illi rependat, hoc ei restituendum sit?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia donatio ista non videtur *plene voluntaria* et *spontanea,* prout esse debet essentialiter donatio mere *gratuita;* procedit enim ex opinione obligationis antidoralis seu gratitudinis, quae falso nititur fundamento. — *Ita Carrière, ibid.,* contra *Tamb.,* etc.

(*a*) Huic sententiae adstipulantur leges civiles, quod *solutum non revocetur.* Vid. S. Alph. (*Lib. 3. n. 693.*), et Lugo (*De Iust. Disp. 20. n. 179.*).

QUAER. 3° *Quo loco, et cuiusnam expensis facienda sit restitutio?*

Resp. 1° Si obligatio restituendi sit ex re bona fide accepta et retenta, restitutio non necessario facienda est in alio loco, quam in quo nunc res existit; nec huiusmodi debitor in alium locum, ubi iam dominus forte degit, rem transmittere tenetur. Ratio est, quia non tenetur dominum in statum pristinum restituere, ex quo illum non deiecit per formalem iniuriam.

Resp. 2° Si obligatio restituendi orta sit ex delicto, restitutio facienda est in loco, in quo dominus rem esset possessurus, si ablata non fuisset, idque debitoris sumptibus. Ratio est, quia creditor debet indemnis servari, et nullum ex iniquitate debitoris damnum pati, sed in statum pristinum restitui. — *S. Lig. n. 677.*

Resp. 3° Si res ex contractu solvi debeat, standum est clausulis contractui appositis, si de loco et modo translationis fuerit conventum. Quando autem nulla de his conventio facta est, ad leges speciales pro contractuum diversitate attendendum est.

710. — QUAER. 4° *An debitor ex delicto etiam expensas solvere debeat pro re domino remittenda, si illae expensae valorem rei ipsius superent?*

Resp. 1° *Affirm.*, si excessus non sit valde notabilis, quia et debitor, committendo iniustitiam, tale onus in se suscepit, et dominus non tenetur rei suae iacturam pati. — *Ita communiter.* — *Lugo, D. 20. n. 190.*

Resp. 2° *Neg.* autem *probabilius,* si istae expensae essent maximae respectu valoris rei remittendae. Tunc autem ex praesumpta creditoris voluntate restitutio pauperibus facienda esset. Recta enim ratio et charitas dictant, creditorem non posse exigere, ut sibi fiat restitutio cum quibuscumque expensis. — *Ita Vogler, n. 415.* — *Lugo, n. 185.* — *Billuart, diss. 8. art. 16.* — *S. Lig. n. 598.*, ubi dicit, hanc esse *sententiam communissimam.*

Quanta autem esse debeat iactura debitoris, ut a restitutione ipsi domino facienda excusari possit, non conveniunt theologi. Hanc regulam sat communiter tradunt: Quando omnibus pensatis damnum, quod debitor patietur, damnum creditoris tantum duplo superat, non est sufficiens, ut dominus re sua privetur. Si vero hanc proportionem superet, sufficit ut restitutio saltem differatur. Sed pro variis circumstantiis haec regula modificanda est. — *Ita Lugo, D. 20. n. 190.* — *S. Lig. n. 598.*, etc. Hodie vero haec controversia vix locum habere potest propter facilitatem res vel pecuniam alio transferendi.

711. — QUAER. 5° *An debitor iterum restituere debeat, si debitum per personam fidelem miserit, et illud casu vel culpa tertii pereat?*

Resp. 1° Debitor *ex possessione bonae fidei* ad nihil tenetur; quia, seclusa culpa et pacto, res perit domino, qui est ipse creditor. Teneretur tamen post iudicis sententiam si culpa iuridica intercessisset.

Resp. 2° Debitor *ex contractu* ad nihil tenetur, si agatur de re alterius existente in natura, accepta in commodatum vel depositum, etc., quia res perit domino, nisi aliter conventum sit. Secus, si agatur de re in genere debita; quia debitor dominium in illud servat, donec ad creditorem pervenerit, et respondere debet de casibus pretii vel rei transmissae, usquedum in manus eiusdem tradatur.

Resp. 3° Debitor *ex delicto* a restitutione non liberatur, et tamdiu ad illam obstrictus manet, quamdiu dominum vere indemnem non effecerit; quia semper remanet culpabilis causa damni, quod hic patitur. — *S. Lig. n. 704.*, ubi tamen non audet damnare excusantes huiusmodi debitorem, qui per Confessarium rem debitam remisit.

Excipe casum triplicem, in quo ab omni onere debitor eximitur, nempe 1° si dominus designaverit personam, per quam sibi rem debitam mitti velit; 2° si creditor personam quidem non elegerit, sed debitori reliquerit libertatem eligendi quam vellet, modo prudens et fidelis eligatur; 3° si persona haec arbitrio iudicis designata fuerit.

712. — Quaer. 6° *Quomodo restituendum pro damnis reipublicae illatis?*

Resp. Restituendum est per media ab ipso Gubernio constituta, si huiusmodi media existant. Attende igitur ad varias locorum leges. Si vero talia media constituta non fuerint, alii dicunt restituendum esse per tributorum praepositos, alii vero tenent obligationi iustitiae satisfieri, si pauperibus restituatur. — Vide *Carrière, n. 1240.* ubi nullum dicit existere modum legalem in Gallia, quo huiusmodi restitutiones fiant. — *V. Casus, n. 707.*

ARTICULUS V.

QUANDO SIT RESTITUENDUM?

712. — I. Quoad debita *quaelibet*, generatim restituendum est quamprimum fieri potest sine gravi incommodo. Ius enim naturale exigit, ut rem alienam, invito rationabiliter domino, non retineas.

Hinc 1° qui culpabiliter differt restitutionem (*a*), manet in peccato continuo, et absolvi nequit. Insuper si ex dilatione restitutionis damna domino obveniant, ea compensare tenetur.

2° Si quis habens propositum restituendi, aliquo tempore differat citra grave domini incommodum, non facile damnandus est de peccato mortali, imo nec de veniali, si aliqua sit causa differendi, v. gr. spes occasionis commodioris, etc... — *S. Lig. Hom. apost. n. 104. 105.*

(*a*) Adde, et *notabiliter*, ut dein A. explicat, et *si agatur de materia gravi.*

3° Qui vellet restituere per partes, cum facile possit totum restituere, non esset absolvendus (*a*); quia dominus etiam in hoc est rationabiliter invitus. Idem dicendum de eo, qui cum per vitae decursum possit restituere, differt tamen usque ad mortem; vel qui in periculo mortis constitutus reiiceret absque ratione sufficienti obligationem restituendi in heredes suos; nisi forte de restitutione bonorum incertorum agatur. — *Hom. apost. ibid.*

II. Quoad debita *ex iniuria:*—compensanda sunt damna omnia, quae ex dilatione secuta sunt, etiam quando mora fuit inculpabilis. — *Hom. apost. ibid.*

Utrum autem debeant compensari etiam damna extraordinaria, seu quae non necessario sequuntur ex dilatione restitutionis, *controvertitur.* — ***Probabiliter*** negandum videtur, quia haec damna praevideri non potuerunt, nec proinde imputari possunt. — *Vogler, n. 426.*— *Lugo,* etc.

714. — III. Quoad debita *ex contractu,* generatim standum est conditionibus contractui appositis circa tempus, vel circa alias circumstantias; nisi prudenter praesumatur, aliam esse alterius contrahentis voluntatem.

Hinc 1° restitutio, seu potius solutio fieri debet tempore, de quo expresse vel tacite conventum est.

2° Debitor anticipare potest, si terminus solutioni assignatus sit in eius favorem, ut ordinarie fieri solet; secus vero, si idem terminus in creditoris utilitatem vergat, ut v. gr. in praestatione pecuniae cum lucro percipiendo.

3° Si terminus non sit fixus, ex plurium sententia debitor absque peccato saltem gravi exspectare potest generatim, donec moneatur a creditore, nisi tamen hic inde damnum capiat, vel ex timore monere non audeat, vel ex oblivione aut impotentia monitionem omittat.

4° Si debitor habeat iustam causam differendi, non tenetur ad compensandum damnum ex dilatione proveniens. — *Ita communiter,* cum *S. Lig. n. 680.*

Quaer. *An qui distulit restitutionem ex iusta causa, teneatur compensare lucrum cessans vel damnum emergens?*

Resp. Tenetur, quando debitum provenit *ex delicto;* quia licet non peccaverit restitutionem differendo ex iusta causa, attamen ex praecedenti laesione est vere causa iniusta et culpabilis illius damni, si tunc sufficienter praevisum fuit (*b*). — *Ita communiter,* cum

(*a*) Intellige, quando sit materia gravis.

(*b*) Doctores, qui hanc sententiam tenent, non restringunt onus restitutionis ad damna aliquo modo praevisa, sed etiam ad fortuita (*Vide Lugo, Disp. 21. n. 17.*). Licet vero hanc sententiam et communiorem et probabiliorem dixerit S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 680.*); non pauci tamen etiam oppositam censent probabilem (*apud S. Alphonsum, l. c., et Croix Lib. 3. P. 2. n. 252.*): idque usui esse Confessariis poterit, ut difficultatem, nunquam non arduam, restituendi imminuant.

S. Lig. n. 680. et 704. contra alios. — Si vero debitum *ex contractu* proveniat, non tenetur; quia tunc debitor non est causa iniusta et culpabilis illius damni, cum in mora culpabili minime supponatur, adeoque non apparet, quo titulo ad id teneatur. — *S. Lig. ibid., et alii communius. — V. Casus, n. 704.*

CAPUT IV.

DE CAUSIS A RESTITUTIONE EXCUSANTIBUS

715. — I. *Excusant ad tempus* 1° *impotentia physica,* seu omnimoda impossibilitas, quae habetur in necessitate extrema; imo etiam in necessitate valde gravi sive debitoris ipsius sive suorum, id est uxoris et proximorum consanguineorum; 2° *impotentia moralis,* seu gravis difficultas restituendi, quando nempe restitutio fieri nequeat absque gravi incommodo debitoris, v. gr. si debeat restituendo notabiliter decidere e statu suo iuste acquisito, aut in gravem necessitatem incidere, etc... Ratio est, quia tunc est vera impossibilitas restituendi; in moralibus enim dicitur impossibile, quod est valde difficile, et quod decenter et honeste fieri non potest. — Hinc si nobilis non potest restituere, nisi se privet famulis, equis, armis; vel civis primarius, nisi obeat artem mechanicam sibi insuetam; vel opifex, nisi vendat artis suae instrumenta, aut magnum damnum subeat, restitutionem differre potest, et debita paulatim solvere. — *S. Lig. Hom. apost. n. 117.*

Excipiunt plures, si debitor culpabiliter, v. gr. ludis, crapulis, in talem necessitatem se coniecerit. — *Ita Laymann, Lacroix, Busemb.* cum *aliis.* Sed *S. Lig., Hom. apost. n. 118.* ait: *Hoc non obstante, si debitor e statu suo* iuste acquisito *casurus esset, mihi et aliis doctis durum videtur ad integram restitutionem illum obligare. Caeterum recte advertunt S. Anton., Sporer, Elbel, quod in tali casu semper tenetur debitor expensas diminuere, ut restituat saltem quod potest.*

716. — II. *Excusant in perpetuum* 1° *remissio,* vel condonatio debiti ex parte creditoris; requiritur autem, ut creditor possit condonare, et dominium et administrationem rei sibi debitae habeat: item ut remissio non fiat vi vel fraude, sed omnino libere et spontanee; 2° *compensatio,* id est, quando creditor auctoritate propria aequivalens sibi vindicat, vel idem debitum sibi retinet; 3° *praescriptio* debitis vestita conditionibus. Praescriptio autem pro debitis non completur regulariter nisi per 30 annos; nec communiter haberi potest quoad ipsum debitorem qui debitum contraxit, quia bona fides in eo reperiri nequit. — *S. Lig. n. 700.,* etc... *Recole dicta de praescriptione, n. 580. et seq.*

717. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An debitor restituere teneatur, si versetur in eadem necessitate sive gravi sive extrema cum creditore?*

Resp. 1° Si creditor iam reperiatur in gravi necessitate, et debitor restituendo in illam decidat, restituere debet iuxta omnes.

2° Si uterque iam reperiatur in necessitate gravi, et debitor restituendo in extremam decideret, *disputatur. Probabilius* excusatur a restitutione, quae non debetur *ex delicto.* Imo probabiliter etiam si *ex delicto* debeatur; quia debitor tunc restituendo se subiiceret damno sane graviori. Excipe, si res ipsa in specie adhuc existat. — *Ita communiter.*

3° Si uterque sit in extrema necessitate, *probabilius* omitti potest restitutio; quia tunc omnia fiunt communia.—*Bonac.—S. Lig. n. 701., Hom. apost. n. 119. Lugo* tamen cum *aliis* non minus probabiliter oppositum tenet.

718. — Quaer. 2° *An restituere teneatur, qui rem alienam in extrema necessitate accepit et consumpsit?*

Resp. 1° Si habeat alibi propria, *affirm.;* ratio est, quia etiam tempore necessitatis non est vere impotens. — *S. Lig. n. 520. et alii communiter.*

2° Idem dicendum est, si actu quidem nihil habeat, sed habeat in spe probabili; quia eiusmodi necessitatem patienti sufficienter per pecuniam mutuam sine censu prospicitur. — *S. Lig. n. 520.*

3° Si nulla spes affulgeat actu, non tenetur; quia tunc rem suam fecit. — *Ita communius theologi.* — *S. Lig. ibid.*

Quaer. 3° *An excusetur a restitutione qui debiti immemor aliquid gratuito creditori suo donavit?*

Resp. Duplex datur sententia:

I° Sententia *negat.* Ratio est, quia quod gratuito donatur, nequit haberi ut debiti solutio. — *Ita Sanchez.* — *Vogler.*

II° Sententia *affirmat* cum *Lacroix, n. 452.* — *Tamb.* etc. Ratio est, quia censetur quisque velle prius obligationi iustitiae satisfacere, quam merae liberalitati. Prima sententia est *communior* et *valde probabilis;* sed secunda non caret sua probabilitate, ait *S. Lig. n. 700.;* et hanc sat probabilem dicit, *Hom. apost. n. 120.*

Quaer. 4° *An gravatus debitis possit ingredi religionem, et liberetur a debitis, si ingressus fuerit?*

Resp. ad 1um *Neg.,* si brevi habere possit unde solvat; secus *probabilius per se,* si debeat per tempus notabile exspectare.—*S. Lig. n. 71. de Statibus, Vogler,* etc... Attamen, si debita sint magni momenti, talis ingressus, licet *validus,* Iure canonico prohibetur ut *illicitus.*

Resp. ad 2um 1° Religio non tenetur haec debita solvere ex bonis propriis, ut patet; 2° Religiosus tenetur exsolvere ex bonis, quae habuit ante professionem, vel quae ei obveniunt per legatum, si vota simplicia tantum emiserit; secus vero, si solemniter professus fuerit. — *Ita communiter.*

719. — Quaer. 5° *An cessio bonorum sive iudiciaria, sive voluntaria, excuset a restitutione in perpetuum?*

Resp. 1° *Neg.* prorsus quoad cessionem *iudiciariam,* quia illa cessio est merum beneficium, quod lex concedit debitori bonae fidei et infelici, ut bona cedens libertatem conservet, et a coactione in foro externo immunis evadat. Constat ex terminis expressis Iuris tum Romani, tum Gallici.

Resp. 2° Imo *Neg.* etiam quoad cessionem *voluntariam,* seclusa conventione vel *expressa,* vel saltem *implicita.* Ratio est, quia quamvis creditores tunc componant cum debitore de certa tantummodo parte solvenda, sic tamen agunt, quia plus habere nequeunt, nec propterea renuntiant iuri, quod ad integram solutionem habent, si debitor aliquando solvere queat. — *S. Lig. n. 669.* — *Billuart, diss. 8. art. 20.*

Dixi *seclusa conventione;* quia si creditores *expresse* liberent, vel clare videantur liberare *totaliter* debitorem, hic ad nihil ulterius tenetur.

720. — Quaer. 6° *An liberetur a restitutione, qui debitum solvit creditori creditoris sui, v. gr. tibi debeo 100 francos, tu vero debes 100 Titio, an satisfaciam solvendo 100 Titio?*

Resp. Affirm., per se ad iuris apicem. Ratio est, quia ego solvens creditori tuo id, quod ipsi debes, acquiro ius, quod ille habebat suum a te debitum requirendi: unde ius quod in te habeo, iuri quod in me habes, aequivalet, et fit compensatio. Etenim potest creditor tuus in me ius suum transferre, seu possum ego illud emere, sicut quilibet alius, qui nihil tibi debeat. — *S. Lig. n. 700.* — *Billuart, diss. 8. art. 14.* §. *1.* — *Vogler., n. 541. et alii communiter.*

Dixi 1° *per se,* quia non liberor, si forte tu adhuc cogeris solvere, vel creditores privilegiatos aut hypothecarios habeas.

Dixi 2° *ad apicem iuris;* quia talis solutio, si absque causa fiat, illicita erit ob varia incommoda, quibus obnoxia est. Est autem ratio sufficiens, si creditor tuus debitum suum recuperare nequeat. — *Billuart, ibid.*

721. — Quaer. 7° *An debitor liberetur in dubio, vel probabilitate solutionis?*

Resp. 1° *Neg.* in *mero dubio,* ut patet. Obligatio enim semel contracta adimplenda est, nisi solida ratio peractam esse solutionem suadeat. — Idem tenendum est, ubi praesumptio debitori adversatur; quod saepius evenire solet, praesertim quando dubium eius negligentiae tribuendum est.

Resp. 2° In *vera probabilitate, controvertitur.*

1ª Sententia *communior negat.* Ratio est, 1° quia non satisfit obligationi *certae* per impletionem dubiam; 2° quia onus debitori incumbit attendendi et invigilandi, ut certo restituat; unde exortum dubium imputandum est ipsius negligentiae, ex qua creditor damnum pati non debet — *S. Lig. n. 700. et l. 1. n. 27. et seq.*— *Lugo, D. 18. n. 12.*—*Lacroix, n. 571.* (licet oppositum teneat sic-

ut ipse *Lugo,* ubi de alia obligatione ac de iustitia agitur) *et alii multi.*

IIª Sententia dicit restituendum esse pro rata dubii, saltem si uterque dubitat; quia cum creditor non habeat ius nisi probabile, aequum non est, ut tantum ipsi solvatur, quantum solveretur, si ius certum haberet. — *Tambur., Laymann.* — *Diana.* — *Reuter* dicit hoc *probabile, n. 449.,* licet oppositum ut *probabilius* habeat.

IIIª Sententia debitorem ab omni obligatione liberat, quia non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet. *Ita Bossius.* — *Tannerus.* — *Viva,* etc., apud *Lacroix* et *Reuter.* Licet haec tertia sententia speculative sua gaudere possit probabilitate, in praxi tamen generatim non videtur sequenda, quia debitor communiter dubium imputare suae negligentiae debet.

Attamen si debitori faveat maior probabilitas, et sit probus, diligensque in debitis solvendis, inquietandus non foret; maior enim praesumptio pro solutione peracta tunc haberetur. *A fortiori* restitutionem non urgebis, si debitor dicat, se certe satisfecisse, licet creditor adhuc reclamet.

722. — Quaer. 8° *An excuset a restitutione condonatio rationabiliter praesumpta?*

Resp. Affirm. saltem *probabilius,* quia retentio rei alienae, seu omissio restitutionis, non est iniusta, nisi invito domino fiat. Non fit autem invito domino vel creditore, si fiat ex eius voluntate rationabiliter praesumpta. Ergo, etc. Sic excusari possunt facilius filiifamilias, si pecuniae summam sat exiguam parentibus surripuerint. Item famuli, qui esculenta communia consumpserunt. Sed abusus hac in re quam maxime cavendus est, ne sic ianua innumeris iniustitiis aperiatur. — *Lacroix, n. 462.*—*Lugo, D. 21. n. 54.* — *S. Lig. n. 700.* — *Vogler,* etc. — *V. Casus, n. 714. et seq.*

SECTIO II.

DE RESTITUTIONE IN SPECIE

Agendum hic de restitutione ob damnum proximo illatum in bonis 1° animi, 2° corporis, 3° fortunae in quibusdam casibus.

CAPUT I

DE RESTITUTIONE OB DAMNUM IN BONIS ANIMI

Generatim quisque tenetur ex iustitia reparare damnum, quod efficaciter et iniuste attulit proximo in bonis tum naturalibus tum supernaturalibus animi, dummodo damnum istud in eodem ordine

reparari possit. Neque enim ius minus strictum quisque habet, ne in bonis huiusmodi, quam ne in bonis fortunae laedatur.

723. **Resolves.** — Quoad damnum in bonis supernaturalibus:

1° Qui vi, mendacio, fraude, metu iniusto induxit aliquem in peccatum letale, tenetur sub mortali ex iustitia ad damni reparationem, vim vel seductionem tollendo, errorem manifestando, etc. Qui autem sine vi aut fraude, sed tantum consilio induxit aliquem ad peccandum letaliter, tenetur quidem ex charitate ad consilium illud revocandum, non vero ex iustitia, quia *scienti et volenti non fit iniuria.* — *S. Lig. n. 660-661.* (*a*).

2° Qui dolo induxit alium in errorem praesertim practicum, ex quo damnum grave oriri illi possit in materia morum, ex iustitia tenetur reparare damna, quae inde proveniunt, et idcirco omni cura eum ab errore removere. Idem dicito de errore speculativo circa Fidei articulos.

3° Qui per vim, metum gravem, vel fraudem, aliquem ab ingressu Religionis impedivit, aut iam ingressum ad religionem deserendam induxit, ex iustitia tenetur fraudem et dolum amovere; quisque enim ius habet, ne iniuste a consecutione aut possessione tanti boni impediatur vel abstrahatur. — *S. Lig. n. 662.*

724. — Quoad damnum in bonis naturalibus:

1° Qui alium privavit memoria, ratione, etc., per venenum, philtrum, etc., tenetur ex iustitia reparare id omne, quod ex damno iniuste illato reparabile est.

2° Qui fraude impedit, ne alter scientiam, artem... addiscat, vel alios doceat, tenetur fraudem depellere, et damna temporalia, quae inde sunt orta, reparare.

3° Qui ex officio docere debet artem vel scientiam, tenetur errores corrigere, si quos alicuius momenti admiserit. Eadem obligatio ipsi quoque incumbit, si probabilia improbabilibus ex incuria vel levitate permiscuerit.

4° Si quis autem gratuito et sine obligatione pacti vel officii male doceret ex negligentia vel ignorantia, seclusis fraude et dolo, ad reparationem non teneretur (*b*).

(*a*) Auctor tum in praesenti, tum in sequentibus resolutionibus omittit hypothesim damni, cuius causa reipsa fueris, sed absque dolo, narrans v. gr. alteri quaedam falsa, quae vera putabas. Huc porro faciunt, quae *sup. n. 662. q. 3.* Auctor tradidit de non impediente damna, quibus inculpabiliter causam dederit.

(*b*) Ex mente Auctoris, *qui male docet,* hic intelligendus ille est, e cuius magisterio aut nullus aut exiguus profectus hauriatur, non vero is, qui auditores erroribus imbuat. In hac enim secunda hypothesi male feriatus doctor aequiparandus saltem illi foret, qui sine formali iniuria damnum cuipiam infert, v. gr. qui artem medicam nullatenus professus, inconsideranter cuipiam aegrotanti pharmacum noxium suadeat; ubi enim suum errorem advertat, tenetur sane damnum praecavere cum minori maiorive sui incommodo pro maiori vel minori negligentiae ac temeritatis suae culpa, et maiori vel minori damni alieni periculo.

CAPUT II.

DE RESTITUTIONE OB DAMNUM IN BONIS CORPORIS

Scilicet 1° ob homicidium, 2° stuprum, 3° adulterium.

ARTICULUS I.

DE RESTITUTIONE OB HOMICIDIUM

725. **Principia.** — I. Homicidae vel mutilatores et ipsorum heredes tenentur ad compensanda omnia damna temporalia, si quae ex homicidio vel mutilatione secuta fuerint (*a*). Nihil autem probabilius restituere debent praecise pro vita, membro, etc. (*b*), quia haec non sunt pretio aestimabilia. — *S. Lig. Hom. apost. n. 82-83.*

II. Omne et solum homicidium voluntarium et iniustum hanc obligationem parit, quia sola damnificatio iniusta et voluntaria est radix obligationis. Hinc ad nihil tenetur, qui mere causa defensionis alterum occidit, etc.

III. Restitutio, si persona laesa mortua sit, facienda illis est, qui defuncto sunt proxime coniuncti, scilicet filiis, patri, matri caeterisque ascendentibus vel descendentibus in linea recta, et eius uxori, quia isti censentur esse una eademque persona cum defuncto. — *S. Lig. n. 631.* — *Probabilius* vero non reliquis heredibus naturalibus; quia si damnum istis eveniat, remota tantum et velut per accidens illius causa homicidium habendum est (*c*). — *S. Lig. n. 636.* — *Lugo.* — *Salmant.*, etc.

(*a*) Intellige damna, quae *directe* sequuta fuerint. *Vid. infr. q. 2.*

(*b*) Hoc intellige, prouti communiter aiunt DD., *secundum rigorem.* Nam, ut habet S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 627.*), *communiter Auctores monent, vel congruum esse, ut Confessarius imponat poenitenti pro poenitentia, vel ex aequitate, aliquid laeso elargiri.* Ad quod aequitatis debitum referri poterunt verba S. Thomae (*2. 2. q. 62. art. 2. ad 1.*): *Quando id, quod est ablatum, non est restituibile per aliquid aequale, debet fieri compensatio, qualis est possibilis; puta cum aliquis abstulit membrum, debet recompensare vel in pecunia vel in honore, considerata conditione utriusque personae secundum arbitrium boni viri.*

(*c*) Tertium hoc principium valde obscurum manet, nisi accurate distinguatur triplex damnorum genus, quae occisor reparare tenetur. Nam 1° alia sunt damna, quae personae laesae inferuntur ante ipsius obitum, de quibus *vid. notam ad seq. q. 5.*; quae quidem dicuntur *debita realia* contracta cum ipso laeso, et nisi ab hoc condonentur, solvenda sunt eiusdem heredibus, quicumque illi sint, ad quos iura occisi transeunt. 2° Alia sunt damna non quidem occiso illata, sed necessario obvenientia uxori, filiis, aut parentibus occisi, de quibus *vid. q. 1. mox seq., et not. ad q. 5.* Horum autem damnorum reparatio praedictis debetur non quidem titulo

726. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An homicida teneatur ad restitutionem erga uxorem et filios occisi etiam pro damnis futuris, si isti sibi facile subvenire possint?*

Resp. Controvertitur. Iª Sententia *communior affirmat,* quia damnificator totum damnum a se illatum reparare debet. — *Lugo, D. 11. n. 87.*

IIª Sententia *sat probabilis negat,* quia proxime cognati non habent ius nisi ad ea, quae occisus ex stricta pietate ipsis erogare debuisset (*a*). — *Reuter, n. 384.* — *Elbel, n. 215.* — *Lacroix, n. 309.* — *S. Lig. Hom. apost. n. 87.*

Quaer. 2° *An aliquid restituendum sit creditoribus occisi?*

Resp. Neg. probabilius, etiamsi homicida praeviderit, dummodo *directe* non intenderit illorum damnum (*b*), quia tale damnum *per accidens* tantum consequitur. — *S. Lig. n. 634.* — *Lugo.* — *Salm.*

727. — Quaer. 3° *An remaneat obligatio iustitiae in heredibus, si homicida morte plectatur, quin damna reparaverit?*

Resp. Affirm. Poena enim satisfacit iustitiae vindicativae, non vero commutativae. Heredes igitur debita ex iustitia commutativa solvere debent, nisi laesi non reclament; tunc enim hi iuri suo cedere censentur. — *Hom. apost. n. 90.*

hereditatis, quo in iura occisi succedant (neque enim uxor est heres necessarius mariti), sed titulo damnificationis, qua suum ipsorum ius laesum fuit, quodque nec ipse occisus cedere seu remittere potuit. 3° Alia demum sunt damna quaevis et quorumcumque, quae *apposite* per eam mortem *occisor inferre voluerit,* de quibus nonnulla habes *in seq. q. 2.* Haec autem debita ab occisore solvenda iis sunt, qui damna subierunt; nec ea potuit occisus condonare, quia disponendi de aliorum iuribus nullam potestatem habebat.

(*a*) Confer Card. De Lugo (*Disp. 11. a n. 84.*), qui ostendit, hanc opinionem niti falso principio, quasi nempe occisor obligationem reparandi eiusmodi damna ideo contrahat, quod occisus quidpiam alii deberet titulo pietatis aut iustitiae: quae quidem ratio obligationem induceret restituendi indiscriminatim etiam occisi creditoribus. Veram porro huius obligationis rationem ipse assignat *ibid. n. 79-84.,* eam nempe connexionem actionis cum damno, ut hoc non per accidens, sed per se ac necessario ex illa sequatur.

Et quoad istius restitutionis praxim illud advertendum est, quod iuxta communem DD. sententiam monet S. Alph. (*Lib. 3. n. 631.*), non integrum lucrum, quod ante mortem a persona laesa percipi consueverat, sed iuxta quandam spem esse restituendum. Quae autem prae oculis haberi debeant, ut aequa huius spei habeatur aestimatio, apud Card. De Lugo (*Disp. 11. n. 42-47.*) fac sedulo inspicias.

(*b*) Habes hic manifestum exemplum actionis, quae iniuria vel non iniuria in alium censetur, et vere est, pro sola agentis intentione. Merito igitur alias animadvertimus, Auctores, qui contra Cardinalem De Lugo negant, solam agentis intentionem efficere posse, ut actio fiat *iniusta,* et hoc tamen loco contendunt, eum, qui occidat ex intentione nocendi creditoribus occisi, peccare contra iustitiam, et ad restitutionem erga eosdem teneri, hos, inquam, Auctores sibi non cohaerere, et facto ipso ostendere, suam ipsorum opinionem non esse undecumque veram. Vid. Auctores hosce penes S. Alph. *Lib. 3. n. 633. et Hom. ap. Tract. 10. n. 87.*

QUAER. 4° *An ad restitutionem teneatur, qui alium occidit excedendo modum iustae defensionis, seu* MODERAMEN INCULPATAE TUTELAE?

Resp. Affirm., si deliberate excesserit, quia invasor ius habet, ne iniuste occidatur: ergo occisor limites iustae defensionis scienter excedendo gravem committit iniuriam.— *Ita communius. S. Lig. n. 637. cum Lugo disp. 11. n. 54.* contra nonnullos antiquiores apud eundem *Lugo, ibid. n. 51.*

QUAER. 5° *An ad aliquid teneatur, qui alterum occidit in duello?*

Resp. Neg. probabilius, sive fuerit provocans, sive provocatus. *Scienti* enim *et volenti non fit iniuria,* quando ius remitti potest; atqui etiam acceptans pugnam voluit et potuit damnum temporale remittere (*a*). Ergo... — *S. Lig. n. 638. — Lugo, n. 66.*, etc.

Alii dicunt ad restitutionem teneri quidem provocantem, si adversarium occiderit, non vero provocatum. — Alii autem utrumque obligant. Sed hae sententiae sat probabiles non apparent.

ARTICULUS II.

DE RESTITUTIONE PROPTER STUPRUM ET FORNICATIONEM

Recole dicta de stupro et fornicatione in sexto Decalogi praecepto, n. 421. et 425., etc.

728. **Principia.** — I. Pro damno mere naturali, seu pro laesione integritatis corporalis et amissione virginitatis, nihil, *saltem probabilius*, restituendum est; quia damnum illud pecunia compensari nequit.— *S. Lig. n. 640.— Elbel, n. 220.*, etc. — *Recole dicta supra, n. 628.*

II. Etiam pro damno temporali, quod ex turpi consortio subse-

(*a*) Distinguendum est, ut (*in not. ad n. 726.*) innuimus, duplex damnorum genus, quae ex occisione sequuntur. Alia enim sunt damna illata laeso seu occiso, cuiusmodi sunt expensae in morbo curando factae, et si quid per id temporis et eam ob causam perdidit vel ex operae intermissione, vel ex omissa negotiatione, vel impedito lucro , etc. Quorum restitutio cum debeatur ipsi laeso, aliis autem eatenus tantum, quatenus in iura laesi succedant, laesus renuntiare suo iuri potest, nisi forte ita pauper sit, ut ex suis bonis expensas solvere non possit, et sic iniuriam inferat aliis, qui forte ad eas solvendas cogantur. Et huc spectat, quod communiter tradunt DD., haec *debita,* ut vocant, *realia* posse occisori condonari a laeso, qui iuri suo cedat.

Ast alia sunt damna, quae non ipsi occiso, sed aliis per eius mortem inferuntur, quaeque idcirco cum non occisi sed aliorum ius violent, ab occiso remitti nullatenus possunt. *Qui per vim* (ut habet Lugo *Disp. 11. n. 63.*) *impedit, ne pater amplius possit filiis alimenta praestare, non potest a patre solo remissionem illius debiti obtinere, sed a filiis, qui ius habebant, ne vi vel fraude impedires eum, a quo alimenta acciperet debebant.*

Attamen cum in casu duelli occisor non per vim alimenta seu emolumenta uxoris ac filiorum impediverit, cessat ratio, cur ille ad damnum reparandum teneatur. *Ita Lugo* (*ibid. a n. 70.*).

cutum sit, nihil, excepta prolis educatione, restitui debet, quando mulier sollicitationi consenserit; quia *scienti et volenti non fit iniuria.* — *S. Lig. n. 641.*

III. Si stuprator vi, fraude, dolo, minis puellam violaverit, tenetur reparare omnia damna ei vel eius parentibus inde obvenientia; quia horum damnorum est causa efficax et iniusta (*a*). — *S. Lig. ibid.* — *Elbel, ibid.*

729. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An violator teneatur ducere puellam violatam sub promissione matrimonii?*

Resp. Ia SENTENTIA *affirmat.* Ratio est, quia contractus innominatus *Do, ut des*, etc., tunc perficitur, quando fit rei traditio seu operis praestatio, et tunc cessat ratio et vis legum, quae pacta turpia irritant; neque enim obligatio, quae tunc contrahitur ab altera parte, turpis est, aut ad rem turpem adigit. — *S. Lig. n. 642.* (*b*), *et alii communissime.*

(*a*) *Conveniunt omnes* (ita De Lugo *Disp. 12. n. 11.*), *defloratorem teneri in conscientia compensare illa omnia damna; quae compensatio fieri debet vel ducendo illam in uxorem, vel augendo dotem, aut aliter procurando, quod nubat aeque bene, ac nupsisset, si non fuisset deflorata.* Num vero et quando permitti queat optio aut defloratori offerendi alterutrum, aut defloratae alterutrum exigendi, vid. apud eundem Lugo (*l. c. a n. 12.*).

(*b*) Mirum sane videri potest, quod S. Alphonsus (*cit. n. 642.*) quaestionem proponat de obligatione defloratoris tum *si vere*, tum *si ficte matrimonium promiserit;* neque tamen vel ullum verbum de prima quaestionis parte iniiciat, sed unice immoretur in asserenda matrimonii obligatione, licet promissio *ficta* extiterit. At forte supervacuum sapienti viro visum est de hypothesi *verae* promissionis disserere; tum quia luculentissima, quae protulit, sive e ratione sive ex auctoritate argumenta ad obligationem matrimonii evincendam, etiamsi *ficte* deflorator nuptias promisisset, a fortiori id evincebant, quando *vera* accesserat promissio, et quando idcirco (cum rei indoles manifeste suadeat, ex mulieris quoque parte repromissionem matrimonii intercessisse) verissima habentur sponsalia; tum quia prior illa pars adeo erat in scholis extra controversiam, ut nemo unus e DD. allegari posset, qui eam doctrinam nedum impugnare, sed ne in dubium quidem vocare ausus esset.

Et haec quidem perrara atque adeo stupenda Theologorum aeque atque Canonistarum in eam doctrinam consensio manifesto ostendit, quo loco secunda illa, quam A. subiicit, quorumdam recentiorum sententia, quam melius abnormem dixeris aberrationem, habenda sit; eo vel magis, quod isti paradoxum eiusmodi ex natura contractus turpem aliquam conditionem involventis sibi suaserint confirmari luculentissime, quasi vero turpis dici deberet aut posset etiam contractus sponsalium, qui inibi intercedit! At enim nonne instar portenti foret, universos ad aetatem usque nostram Theologiae Iurisque Doctores caecutivisse adeo, ut in re plane obvia et ad prima naturalis iuris elementa spectante, de qua insuper nemo eorum non subtilissime et diligentissime inquisivit ac fuse disputavit, tam turpiter impingerent? Hoc ipsum autem nonne permovere recentiores istos debuit, ut saltem suspicarentur, a recto sese tramite aberrare?

Dixi, S. Alphonsum obligationem contrahendi matrimonii, etiamsi promissio *mere ficta* intercessisset, validissimo auctoritatis robore confirmasse. Sed et illud addendum est, probabilitatem, si quam oppositae senten-

II* Sententia quorundam recentiorum *negat* ex generali principio de contractibus ob conditionem turpem invalidis, de quibus infra dicetur, ubi de contractibus in genere loquemur.

tiae tribuere nonnulli visi sunt, inani dumtaxat falsarum allegationum fuco inniti.

Et sane 1* pro ea opinione Schmalzgrueber (*Lib. 4. Tit. 1. n. 32.*) allegat S. Antoninum, Gabrielem Biel, Bartholom. De Ledesma, Bonacina, Martinum Perez, et Viestner, a quo deceptus (*Lib. 4. Tit. 1. n. 20.*) et thesim et plerasque harum allegationum mutuatus est. — Atqui et Gabriel Biel (*In 4. Dist. 28. q. 1. art. 2. Concl. 5.*), et Mart. Perez (*De Matrim. Disp. 2. Sect. 4. n. 3.*), et Bonacina (*De Matrim. Disp. 1. q. 1. p. 2. n. 9.*), et S. Antoninus (*Sum. Part. 3. Tit. 1. Cap. 19. §. 1.*) id affirmant tantummodo de *ficta* promissione viri qui *notabiliter conditionem mulieris excedat;* quae conclusio, uti patet, ad rem non facit. 2* Probabilem dici eam opinionem a Dicastillo, asseruerunt Salmanticenses (*De Matrim. Cap. 1. n. 33.*), ut etiam S. Alphonsus innuit (*Lib. 3. n. 642. §. 2.*). — Atqui Dicastillus (*Lib. 2. Tr. 2. Disp. 7. Dub. 9. n. 135-136.*) loquitur de mera *promissione ficta absque defloratione:* et hoc pariter ad rem non facit. 3* Probabilem dici a quibusdam eam opinionem asseruit etiam Petrus De Ledesma (quod innuunt tum Dicastillus *l. c. n. 128.*, tum Sanchez *De Matrim. Lib. 1. Disp. 10. n. 2.*), et praeter consuetos S. Antoninum et Biel, allegavit Tabienam (*V. Matrim. II. n. 8.*), et Francisco De Victoria tribuit, quod (*Sum. n. 254.*) *oppositum non probari sufficienter* dixerit. — Atqui Tabiena (*l. c.*) disserit solum de eo, *qui ficte* CONTRAHIT MATRIMONIUM, *et deinde habet copulam;* qui casus abs re nostra est. Victoria vero (*l. c.*) non de defloratione cum ficta matrimonii promissione, sed quaestionem facit *de illo, qui contraxit cum aliqua, proferens exterius verba, et interius non habens consensum, an sit matrimonium?* Et postquam respondit, ex S. Thoma non constare, quod eam teneatur ducere, subdit verba a Petro Ledesma allegata: *Nec qui dicunt, quod tenetur eam ducere, sufficienter probant:* quae in rem nostram, ut patet, dicta non sunt.

Unicum itaque e Theologis habemus Ioan. Praepositum (quem innuit et S. Alphonsus *l. c.*), quem quidem pro ea opinione *scite unicum* affert Diana (*Tom. 2. Tr. 6. R. 149.*), quia alios perperam afferri adverterat. Utitur autem Praepositus (*De Matrim. Q. 9. Dub. 4. n. 48.*) sophistico argumento, quod et Schmalzgrueber (*l. c.*) innuit, nimirum quod deflorator non teneatur ratione promissionis, quae ficta fuit, sed solum ratione damni, quod aliter, quam per matrimonium, compensari possit. Sophistice, inquam. Nam obligatio oritur ex iniuria, quam facis alteri, quando illud neges, sub cuius conditione et exegisti et recepisti id, quod alter sub eo tantum pacto praestitit; quae iniuria reparari nullatenus potest, nisi alter illud recipiat, sub cuius conditione suum dedit.

** Quaecumque in hac Nota dicta fuerunt, omnia, uti patet, conferunt ad sententiam S. Doctoris Alphonsi confirmandam. Verumtamen VV. in ea quaerunt, quod reprehendant, et (quod enimvero stupeas) eo deveniunt, ut tuendam pro viribus suscipiant causam eorum, quos S. Doctor confutat. Per viginti itaque columnas (*Pag. 361-371.*) VV. 1° quidem contendunt, per iniuriam traduci in Nota ceu *abnormem aberrationem*, et immane paradoxum quorundam recentiorum opinionem; 2° contendunt, in Nota nimis extenuari pondus sive rationum sive auctoritatis, quae pro eadem opinione militant; 3° demum contendunt, alibi, nimirum in Nota, quae infra subiicitur *n. 760. Q. 6.*, minus recte exponi incidens quoddam ad historiam pertinens.

Postremam hanc incusationem perpendendam reservamus, ubi de allegata hac Nota sermo erit. Nunc de duobus prioribus capitibus.

QUAER. 2° *An violator ad aliquid teneatur erga parentes virginis violatae, si ipsa libere in peccatum consenserit?*

Resp. Neg. probabilius, quia nullum eorum ius strictum violatum fuit; nec impedire possunt filiam, quominus de iure suo quo-

Et ad primum quod attinet, breviter respondendum venit: *Nego suppositum;* et est ratio manifestissima. Nam VV. (*Pag. 361.*) supponunt quaestionem ibi esse de promissione *ficta.* Ita ipsi: *Perpendemus, utrum circa quaestionem propositam adeo stupenda sit Theologorum et Canonistarum consensio, ut revera immane paradoxum, et* (*prout infra dicet cl. Prof.*, scil. P. Ballerini) *abnormis aberratio censenda sit sententia negativa, scilicet nullam esse obligationem ducendi puellam* SUB FICTA DATA MATRIMONII FIDE *violatam.* Atqui (subsume) in Nota, ut legenti patet, *stupenda ista Theologorum et Canonistarum consensio*, atque adeo *immane paradoxum et abnormis aberratio recentiorum* contra sentientium, dicitur non de hypothesi *promissionis fictae,* sed de hypothesi *promissionis verae,* et quando idcirco *vere intercesserint per mutuam promissionem sponsalia.* Ergo negandum est suppositum, cui tamen VV. iterum (*Pag. 363.*) insistunt.

Ex hoc autem falso supposito VV. in aliud itidem falsum suppositum delabuntur, quasi scilicet prior Notae pars spectet ad Auctores, qui utcumque contra S. Alphonsum senserint in quaestione de *promissione ficta;* quocirca hac de causa VV. describendis hisce Auctoribus per decem columnas (*Pag. 365–370.*) immorantur. Atqui palam est, ad hosce auctores eam Notae partem nequaquam pertinere. Et si quidem scire cupiunt, quinam sint recentiores, qui ad paradoxum illud declinarunt, adeant Editiones huius Compendii P. Gury, quotquot decimam sextam (Lugduni an. 1865. procusam, sed romanis curis demum emendatam) praecesserunt, non exclusa et quae typis de Propaganda Fide prodierat; inibi hoc paradoxum ceu probabiliorem sententiam propositum invenient. Adeant et Theologiam Moralem Emi Gousset, ubi haec (*Vol. 1. n. 1015.*) scripta reperient: *Celui qui a séduit une personne par la promesse du mariage, est-il obligé de l'epouser? Suivant le sentiment du plus grand nombre des théologiens et des canonistes, il est obligé de l'epouser, soit que la promesse ait été feinte, soit qu'elle ait été sincère. Il y est tenu dans le premier cas, généralement, non en vertu de sa promesse, puisqu'elle n'oblige pas, mais bien en vertu de l'injure qu'il a faite à la personne, en la trompant par une fausse promesse. Il y est également tenu, dans le second cas, parce que, dit-on, la condition étant remplie, la promesse devient absolue, et par là même obligatoire. Mais, comme cette question rentre dans celle des contrats faits sous une condition illicite, nous regardons la promesse dont il s'agit comme nulle, comme ne pouvant, par conséquent, produire aucun effet:* « Toute condition d'une chose contraire aux bonnes mœurs, *porte l'article 1172. du Code civil,* est nulle, et rend nulle la convention qui en dépend. » *Or, telle est évidemment la convention de celui qui promet d'épouser une personne, si elle consent à commettre le péché de fornication. Ce sentiment est plus favorable aux bonnes mœurs que le sentiment contraire; S. Alphonse de Liguori lui-même en convient:* Adnotare iuvat, *dit-il,* valde utile fore ad huiusmodi flagitia vitanda, quod promissiones matrimonii ad obtinendam deflorationem, etiam forte iuramento firmatae, invalidae declarentur ab Episcopis. *C'est aussi la pensée de M. Carrière, et de l'auteur de l'Examen raisonné sur les Commandements de Dieu.* Isti ergo, et non alii, recentiores sunt, qui immane paradoxum contra unanimem DD. sententiam deprompserunt. Et haec satis sint de primo incusationis capite.

Quoad alterum caput accusationis VV. 1° obiiciunt, Gabrielem Biel *de*

ad temporalia damna cedere possit. — *S. Lig. n. 641.* — ***Billuart.*** — ***Lugo.***

730. — Quaer. 3° ***Ad quid teneatur violator erga prolem spuriam?***

conditione viri notabiliter excedente conditionem mulieris nihil dicere.— Resp. *Transeat A.; et N. Consequentiam.* In textu enim Biel, quem ipsi describunt (*Pag. 364.*), ne verbum quidem occurrit de promissione matrimonii sive vera sive ficta. Ergo frustra et abs re Biel allegatur contra S. Alphonsi doctrinam, quia quaestionem ille nullo modo tangit.

2° Obiiciunt VV., iuxta Bonacinam (*l. c. n. 5.*) *virum non teneri ducere virginem aut viduam bonae famae, quam defloravit ficta promissione matrimonii, quando... nullum sit infamiae periculum.* Hinc VV. exprobrant, quod id in Nota omissum fuerit. — Resp. 1° In contextu Bonacinae haec est exceptio a doctrina communi, quam et ipse defendit, non secus ac ipse excipit, si vir sit conditionis notabiliter excedentis. Exceptio autem ex notissimo effato firmat regulam in contrarium. 2° Bonacina per hanc exceptionem contradictoria aperte loquitur. Haec enim ille (*n. 4.*) praemiserat: *Neque satisfaciet dotando praedictam virginem aut viduam, si ipsa non est contenta dote. Ratio est, tum quia promissio non fuit de dote, sed de matrimonio; tum quia cum ipsa adimpleverit contractum* do ut facias, *par etiam est, ut ficte promittens adimpleat illum ex parte sua, ne commodum reportet ex suo delicto.* Atqui istae rationes excludunt, imo et perimunt vim ratiunculae, qua exceptio illa nititur. 3° His adde, quod Bonacina in ea exceptione aut mentem suam non satis explicavit, aut certe dormitasse videtur. Ex octo enim auctoribus, quos ibi allegat, omissis nunc Lessio et Filliuccio utpote nihil habentibus quod ad rem faciat, sex reliqui quaestionem faciunt de *ficta* promissione facta mulieri *iam corruptae,* et idcirco ab obligatione matrimonii vel excusant vel allegant excusantes, quod proportio desit inter rem acceptam et promissam. Obiectio itaque VV. nihil multiplici de causa concludit.

3° Obiiciunt VV. (*Pag. 365.*) quoad Martinum Perez, taceri in Nota, illum in praecedenti Sect. 3. negasse ficte promittentis obligationem ducendi defloratam. — Resp. Negavit innixus tribus falsis allegationibus, et itidem claudicanti paritati ex diverso casu ductae; Transeat.

4° Contra id, quod in priori Notae parte dicitur, *universos ad aetatem usque nostram Theologiae Iurisque Doctores consensisse in re plane obvia et ad prima naturalis iuris elementa spectante,* obiiciunt VV. (*Pag. 365.*), *plures esse Auctores recentiores, qui sententiam negativam tenent, aut saltem probabilem iudicant.* — Resp. Iam superius dictum est, hanc VV. instantiam falso supposito laborare; quia verba Notae spectant ad casum *sincerae promissionis mutuae,* quae vera sponsalia constituit: ipsi vero congerunt Auctores de *promissione ficta* disserentes.

Eodem argumentandi vitio scribunt VV. (*Pag. 368.*): *Modo videamus, quinam sint illi alii insigniter abutentes* etc.; quae eorum verba id incusant, quod infr. in Not. ad *n. 760. Q. 6.* sic legitur: *Haec paulo diligentius exponenda fuerant, postquam fictitia ista probabilitate* (de nullo turpis contractus effectu post operis positionem), *quam huic opinioni quidam tribuere visi sunt, insigniter alii abutuntur ad tuendum immane illud paradoxum de nulla matrimonii obligatione quoad eum, qui sub data matrimonii fide puellam violaverit.* Heic, uti patet, sermo est non de *ficta,* sed de *sincera* matrimonii promissione. Idque inde confirmatur evidenter, quod ibi mox sermo iniiciatur de quorundam desiderio, *ut lege episcopali invalidae censeantur promissiones matrimonii ad obtinendam deflorationem etiam forte* IURAMENTO FIRMATAE; quod et in Emi Gousset verbis paulo ante vidimus. Verumtamen ecce tibi VV. etiam hic supponunt,

Resp. 1° Si matrem vi oppresserit, ad omnes expensas nutritionis et educationis tenetur. Ratio patet ex dictis. Attamen in eius defectu mater curam filii suscipere debet, licet nullam culpam admiserit, *quia mater est.* Sed tunc recursum servat in corruptorem, qui omnes expensas, quas occasione prolis illa fecit, ipsi compensare tenetur.

Resp. 2° Si vero mulier in peccatum consenserit,

1° *Ex Iure Romano* mater tenetur alere infantem per tres annos, et postea ei pater providere debet.

2° *Ex iure Gallico* nihil expresse statuitur. Iurisperiti tamen agnoscunt, parentes aeque et in solidum obligari saltem ad alendos et educandos filios *legaliter* recognitos. Hoc ex *art. 203.* eruunt. Etsi autem filii non fuerint recogniti, attamen iure naturali eadem obligatio ipsis incumbit. — *Carrière, n. 1371.* — *Gousset, n. 1016.* — *V. Casus, n. 737, et seq.*

ARTICULUS III.

DE RESTITUTIONE PROPTER ADULTERIUM

Obligationes utriusque adulteri spectandae sunt iuxta varias circumstantias, prout scilicet adulterium fuerit, nec ne, plane ex utraque parte voluntarium, num familiae damnosum, vel non.

731. **Principia.**—I. Uterque adulter tenetur in solidum ad omnia damna familiae reparanda, si ex utraque parte crimen voluntarium fuerit, quia totum utrique imputandum est. Hinc 1° restituendi sunt

hoc logo agi de *promissione ficta;* et postquam ostenderunt (*P. 368–369.*), nec *Schmalzgrueber*, nec *Wiestner*, nec *Henricum a S. Ignatio* (in damnato opere suo), nec *Collet*, nec *Henno,* nec *Concina,* nec *Amort* in quaestione de FICTA promissione usos fuisse argumento petito ex nullo contractus turpis valore, concludunt, inaniter igitur in Notis laboratum fuisse circa turpis contractus valorem. Ita illi (*Pag. 369.*): *Si igitur cl. Prof.,* scil. P. Ballerini, *quaestionem de promissione pro re turpi ideo diligentius exposuit, ut immani paradoxo et abnormi aberrationi aliquorum recentiorum occurratur, inutili labori parcere profecto potuisset. Sed utinam diligentius quaestionem exposuisset, Auctores recte fideliterque allegasset, et adversarios immeritis iniuriis non cumulasset.* Quae quidem omnia cum supposito evidenter falso superstruantur, hinc quoque candidus lector diiudicet, quid de huiusmodi Vindiciis definiendum sit.

Quod nunc interest, inspiciendum hic superest, quid ea valeant, quae VV. congesserunt, ut pondus ac probabilitatem concilient opinioni, quae in praesenti quaestione ficte promittentem a ducendi defloratam puellam obligatione eximit. In quo mira haec scena oculis nostris offertur, prout diximus, in qua VV. adeo cupidine et studio abreptos impugnandi adversarium putatitium cernimus, ut non dubitent robur, quomodocumque possint, tribuere illi opinioni, cuius oppositam ipsimet *veram* proclamant, et *omnino tenendam* profitetur etiam S. Alphonsus, quem vindicandum assumunt. At res breviter expediri potest; quemadmodum enim et Schmalzgrueber et Wiestner, ita et alii plerique ad tribuendam aliquam illi opinioni probabilitatem putatitia quorundam auctoritate permoti sunt.

omnes sumptus, quos maritus in prole alenda et educanda sustinuerit; 2° si filius illegitimus cum legitimis iam hereditatem acceperit, istis pro rata compensatio facienda est. — *S. Lig. n. 659.*

II. Adultera, si paraphernalia habeat, ex ipsis restituere debet marito et filiis laesis per donationes manuales, per contractum, testamentum, legata..., etc. Si non habeat, diligentius familiam administret, parciorque sit in sumptibus privatis, laboret diligentius, in quantum status permittit.

III. Si adulter vi aut metu gravi consensum mulieris extorserit, solus ad totum damnum reparandum ex *dictis supra n. 728.* tenetur.

732. **Quaesita.** — QUAER. 1. *An mulier crimen suum revelare teneatur, si alio modo damnum reparare nequeat?*

Resp. Neg. generatim loquendo. Ratio est, 1° quia communiter haec revelatio sine magna infamia, et saepe etiam sine periculo mortis, vel odii perpetui, aliorumve gravium malorum fieri nequit; 2° quia difficile damnum reparare etiam per id posset, praesertim cum filius matri fidem adhibere non teneatur. Excipiunt quidam, si mater sit perditae famae (*a*), etc.... — *S. Lig. n. 653.*

733. — QUAER. 2° *Quid in dubio, an proles sit mariti aut adulteri, vel ex hoc adultero potius, quam ex alio?*

Resp. ad 1um *Probabilius* ad nihil tenentur adulteri, quia de damno non constat. — *S. Lig. n. 657.* — *Lugo, D. 13. n. 17. et alii plures* contra alios, qui dicunt pro rata restituendum esse.

Resp. ad 2um Uterque adulter pro rata ad restitutionem tenetur iuxta sententiam communiorem, quae tenenda videtur. Ratio est, quia certum est damnum, et constat illud ab alterutro peractum esse; singuli autem sunt causa efficax et iniusta incertitudinis, quae impedit ne compensatio ab uno determinate exigi possit. Aliunde ex hac incertitudine innocens pati non debet. — *Lacroix, n. 337.* — *Lugo, n. 19.* — *Roncaglia, c. 2. qu. 3.*

Dissentit tamen *S. Lig. n. 658.* quia, ut ait, onus certum imponi non potest, ubi dubia est obligatio (*b*). Excipit nihilominus,

(*a*) Sed eiusmodi exceptio alio incommodo laborat. Si enim filius unico matris testimonio credere non tenetur, multo minus testimonio unius mulieris, quae insuper sit perditae famae, fidem habere tenebitur.

**(*b*) Quid senserint DD. de hac controversia, aegre profecto ille intelliget, qui mere ex allegationibus a S. Alphonso productis de re iudicium ferat. Pro sententia enim sua, quam *probabiliorem* dicit, sic DD. refert (*Lib. 3. n. 658.*): *Ita* (inquit) *Sanchez Cons. Lib. 4. C. 3. Dub. 1. n. 3. Disp. 13. n. 20., Zachar.* (idest Croix) *Lib. 3. P. 1. n. 704., cum Gob., Less., Fill., et Bon., ac Salm. ibid.* (idest de Restit. C. 3.) *n. 32. cum Sot., Trull., Lop. etc. contra Dicast., Mol., et alios.* Et in prima quidem Editione an. 1748. S. Doctor post Salmanticenses addiderat pro sua opinione etiam *Lugo;* sed in aliis deinde Editionibus sublatum videmus nomen *Lugo*, retenta tamen sine nomine eius allegatione *Disp. 13. n. 20.*, quae vacua allegatio cernitur et in recentibus Editionibus Taurinensi et Ratisbonensi an. 1846. Sub-

si adulter secundus adverterit saltem implicite se incertitudinis illius causam fore. Item si adulteri ex communi consilio adulterium patraverint.

latum autem nomen *Lugo* ab ipso S. Alphonso fuisse id suadet, quod (*l. c.*) dein ipse contra se allegat Lugo (*Disp. 13. n. 24.*), quasi hic statuat, *adulteros teneri ad alimenta pro rata dubii:* quod tamen ipsum minus exactum est. Namque ibi Lugo contra propendet in sententiam, quae negat *obligationem alendi prolem,* licet admittat in adulteris *obligationem restituendi marito et filiis legitimis saltem quoad partem pro damno illis illato ex prole adulterina.*

Sed ut ad reliquas allegationes veniamus, S. Alphonsus, ut vidimus, pro se citat *Zachariam,* idest *Croix, Lib. 3. P. 1. n. 704.* At ecce idem S. Doctor paulo post (*l. c.*) scribit: *Attamen ipse Croix Lib. 3. P. 2. n. 337. cum Lugo n. 24. loquens de prole adulterina, absolute dicit cum Illsung, adulteros teneri ad alimenta pro rata dubii.* Quomodo itaque S. Doctor pro se allegat Croix, quando, ipso fatente, Croix *absolute* dicit, adulteros ad alimenta suppeditanda teneri? Neque licet coniicere, differre quaestionem S. Alphonsi, qui generatim de *restitutione* damnorum agit, a thesi Croix, qui forte loquatur de solis alimentis. Nam 1° Croix *Lib. 3. P. 1. n. 704.* (quem locum pro se S. Alphonsus citat) quaerit nimirum, *a quo proles sit alenda;* 2° in alio loco (*P. 2. n. 337.*) loquitur etiam de restitutione *partis hereditariae filiis legitimis subtractae.* Quid certi igitur deduci hinc potest? S. Doctor affert deinde Gobat, locum tamen non indicans; et forte hanc allegationem sumpsit ex *Croix Lib. 3. P. 1. n. 704.* At enim 1° Gobat ibi allegatur a Croix non circa praesentem quaestionem, sed circa aliam; 2° in praesenti autem quaestione Gobat (*Quin. Tr. V. Cap. 28. n. 58.*) sententiam Molinae, contra quam a S. Alphonso citatur, vocat *probabilissimam.*

Affert deinde S. Alphonsus pro se et Bonacinam. Atqui vel ipsi Salmanticenses (*Tr. 13. C. 3. n. 31.*), quos S. Doctor allegat, Bonacinam referunt pro sententia opposita. Et reipsa Bonacina (*De Matr. Q. 4. Punct. 15. n. 10.*) haec habet: *Quando duo adulteri cognoverunt unam et eandem feminam coniugatam, quae concepit tunc temporis, quo maritus absens erat, uterque tenetur et restituere pro parte sua etc. Ita Azor, Rebell., Molina, et alii.*

Addit S. Doctor allegationem Sanchesii, quae ex Salmanticensibus desumpta videtur. Verum haec vel minus, quam aliae, videtur ad rem facere. Quaerit nempe Sanchez (*Cons. Lib. 4. C. 3. Dub. 1.*), quinam dicantur filii *naturales,* quinam *spurii.* Infert vero (*ibid. n. 3.*) *naturales* non dicendos, quos quis habuit ex concubina extra domum, si pater non recognoscat eos in filios; secus, si semper eos recognovit in filios. Quae, uti patet, ad praesentem quaestionem nihil pertinent.

Quod ad Soti allegationem spectat, primo quidem nimis hoc argumentum probaret; quippe in quacumque hypothesi Sotus (*De Iust. Lib. 4. Q. 3. art. 2. ad fin.*) negat, adulterum *ex iustitia* ad aliquam restitutionem teneri. *Re vera* (inquit) *non plane video, cur adulter ad aliquam de iustitia teneatur restitutionem.* Quam opinionem et Sayrus (*Lib. 8. C. 3. n. 20-21.*) cum aliis confutat.

Lopez vero (*Instr. P. 1. C. 90.*), cui addi hic debent Villalobus (*Sum. Part. 2. Tr. 11. Diffic. 34.*), et Sayrus (*l. c.*), non definit, duos adulteros ad aliquam restitutionem non teneri, sed solum hi dicunt, neutrum eorum teneri ad habendam illam prolem tamquam suam. Quod vero haec sententia non excludat obligationem restituendi, patet tum ex rei natura, tum ex facto. Ex rei quidem natura, quia obligatio restitutionis hic non petitur ex eo, quod uterque adulter suam esse prolem debeat credere, sed ex alia

Quaer. 3° *An filius teneatur credere matri etiam iuranti, illum illegitimum esse?*

ratione, quam et Auctor in textu innuit. Ex facto autem, quia reipsa DD. utramque sententiam ita conciliant, ut utramque doceant ut veram. Ita praeter allegatos etiam Molina (*Part. 4. Disp. 103. n. 3.*), et Trullench (*Lib. 7. C. 9. Dub. 7. n. 5.*), quem idcirco pro opposita sententia immerito allegant Salmanticenses (*l. c. n. 32.*), et post eos S. Alphonsus.

Supersunt Lessius (*Lib. 2. C. 10. n. 40.*), et Filliuccius (*Tr. 32. C. 8. n. 223.*). Verum hi non perpendunt ullatenus controversiam istam de incertitudine inter duos adulteros, sed solum quaestionem generice instituunt de casu, quo quis dubium dumtaxat habeat, an ipse sit pater. Porro id non excludere diversam sententiam circa casum, de quo agimus, ex eo manifeste patet, quod et Bonacina, et Molina, et Lugo, et Trullench, etc. eadem, ac Lessius et Filliuccius, principia illa generalia statuant, neque tamen consequenter eandem sententiam de casu nostro tenendam putaverunt. Et ratio diversae pro casus diversitate sententiae non est obscura; videlicet, ut iam innuimus, obligatio restitutionis non ex eo quaeritur, quod alteruter adulter certe censeatur pater.

Quid denique valeat suffragium Salmanticensium, inde iudicare licet, quod universa eorum supellex ex allegationibus hic perpensis constat.

Addit S. Alphonsus (*l. c. n. 650.*) opinionem, quam sequitur, *communem dici a Lugo Disp. 13. n. 19.* Sed reipsa hic Lugo prorsus asserit oppositum. *Communis* (inquit) *certe sententia affirmat, singulos debere ex parte concurrere ad alimenta* etc.

Quod vero attinet ad intrinsecas rationes, S. Alphonsus non longe abest ab admittenda vi argumenti, quod ab oppositae sententiae patronis adhibetur, et sic apud Croix (*Lib. 3. P. 2. n. 337.*) effertur: *Ratio est, quia licet qui dubitat, an damnum iniustum caussarit, ad nihil teneatur* (quod est argumentum S. Alphonsi), *tamen hic singuli communi opera sunt caussa ipsius incertitudinis, quae iniuste impedit, ne ab uno determinate exigi possit debita restitutio, et in hoc damnum singuli consenserunt volendo copulam per se caussativam eiusmodi damnorum, uti argumentatur Ills. n. 97. etc.* Et hanc quidem rationem egregie urgent Dicastill., Reding, Pettschacher, Illsung, Mezger etc. apud Babenstuber (*Tr. 7. Disp. 5. art. 3. §. 3. n. 38.*), et Elbel (*Theol. Sacr. Part. 3. Conf. 18. n. 452.*). Porro S. Alphonsus vim argumenti non negat, sed mere exigit, ut adulteri hoc damnum praeviderint: quae quidem praevisio cuiusmodi esse debeat, docet idem S. Doctor (*De Act. hum. n. 10.*), ubi postulat, *quod agens ponendo causam, advertat, saltem in confuso, huiusmodi effectum fore ex illa causa secuturum.* Quae quidem verba non ita sunt accipienda, quasi agens nosse debeat, ex actione sua eum effectum certo secuturum esse, sed ita, ut, si effectus sequatur, agens noscat, effectum actioni suae tribuendum esse. Licet ergo incertum sit, an ex adulterio mulier conceptura sit, aut ex armorum explosione occisio sit secutura, si tamen aut proles ex adulterio, aut mors sequatur ex armorum explosione, nemo dubitat, quin effectus adscribi positae causae debeat. Porro cum ex adulterio patrato aut susceptio prolis, aut incertitudo, de qua sermo, si forte alter adulter ad adulteram accesserit, eiusmodi sint effectus, qui non *per accidens*, sed *per se* ex utriusque adulterio sequuntur; nimis profecto aegre praetendi potest excusatio, quod sequuti damni nulla, ne implicita quidem, praecesserit praevisio. Secus excusandus videretur etiam adulter, qui de secutura ex proprio crimine prole nihil omnino cogitasset, aut etiam qui sibi suasisset firmiter, prolem ex eo adulterio secuturam nullam esse. At eiusmodi excusationibus praevalet, quod quisquis crimen aggreditur, consectariorum quoque ex eo per se obvenientium onus aut explicite aut implicite in se

Resp. Neg., quia ex iure et sensu communi nemo tenetur credere uni testi etiam probatissimae fidei. Secus tamen, si praeter testimonium matris accederent indicia evidentia, v. gr. absentia patris a longo tempore. — *S. Lig. n. 654.— Laymann. — Roncaglia.*

754. — Quaer. 4° *An si adulteri, vel fornicatores opulenti prolem ad brephotrophium miserint, ad impensas resarciendas teneantur?*

Resp. Controvertitur. Iª Sententia *communior et probabilior affirmat.* Ratio est, quia brephotrophia sunt instituta in gratiam infantium, non vero parentum; nec praesumendum, eorum fundatores a solvendis expensis divites eximere voluisse. — *Lugo, D. 13. n. 3. — Billuart. — Bouvier, de Restit., p. 2. art. 2. — Carrière, n. 1373. — Rousselot opusc. de sexto praec.*

IIª Sententia *negat,* quia brephotrophia erecta sunt pro omnibus indiscriminatim infantibus, qui a parentibus abiiciuntur. Neque obstat, quod subsidia a Gubernio vel a Municipio pro istis parvulis praebeantur; quia haec pro puerulis derelictis generatim tribuuntur, quin ad parentes attendatur. Insuper huiusmodi hospitia instituta sunt eo fine, ut infantes illegitimi liberentur a periculo mortis tum aeternae, tum temporalis, cui maxime exponerentur, nisi in piis illis locis exciperentur. Quot enim parentes impios et barbaros infamiae metus adegit, sive ad abortum prolis suae procurandum, sive ad necem ipsi inferendam? Porro filii divitum non minus ac filii pauperum tale periculum incurrunt. — *Ita S. Lig. n. 656.,* qui hanc sententiam putat probabiliorem.

Attamen conveniunt etiam patroni huius sententiae, in praxi *enixe* adhortandos esse genitores ad aliquid, saltem titulo poenitentiae, brephotrophio tribuendum.

755. — Quaer. 5° *Quantum hospitio tribui debeat, iuxta prioris sententiae patronos* (*a*)?

Resp. Non potest certa regula definiri. Solutio enim quaestionis pendet a variis rerum et locorum adiunctis, a vita producta, aut a morte praematura prolis. Vix autem (aiunt) sexta pars puerorum ad aetatem duodecim annorum pervenit, et saepius a genitoribus ignoratur, utrum vivant, necne. Unde, concludunt, satis erit, si parentes pro rata dubii 200 vel 150 fr. brephotrophio solvant. — *Bouvier, ibid. — V. Casus, n. 743. et seq.*

suscipit. Inde factum cernimus, ut cum tot Auctores gravissimi hanc controversiam omni ex parte accurate tractaverint, solus tamen Pettschacher, quem dein utcumque secuti sunt Elbel et Babenstuber, hanc exceptionem obiter deprompserit.

(*a*) Cum secunda quoque sententia satis probabilis, imo S. Alphonsi iudicio sit probabilior, inutilis videtur haec quaestio; quia obligationem solvendi aliquid tamquam ex iustitia debitum Confessarius imponere non potest; si vero de eleemosyna *libere* tribuenda sermo sit, quantitas arbitrio tribuentis permittenda videtur.

CAPUT III.

DE RESTITUTIONE OB DAMNUM

In bonis fortunae in casibus particularibus, scilicet 1° quoad tributa; 2° quoad militiam; 3° quoad direptionem bonorum tempore perturbationis Galliae sub fine saeculi XVIII.

ARTICULUS I.

DE TRIBUTIS

736. — Tributi nomine intelligitur pensio, quam subditi solvunt de propriis bonis Gubernio vel Principi ad sumptus Reipublicae communes.

Alia sunt tributa *directa*, quae actualia et determinata bona privatorum afficiunt; alia *indirecta,* quae immediate respiciunt certas merces, et mediate tantum personas, quae eas transvehunt, vendunt, emunt, etc., ut sunt gallice: *les droits réunis, les douanes,* etc.

737. **Principia.** — I. Impositio tributi est actio supremi dominii in bona subditorum, et proinde ad illa imponenda requiritur suprema et legitima auctoritas. Ea enim sola iure dominii alti (*a*) pollet, quia sola toti communitati praestat.

II. — Princeps habet potestatem tributa imponendi; etenim potestas eius ad totum illud extenditur, quod requirit bonum commune; bonum autem commune exigit, ut subditi ad onera Reipublicae ferenda concurrant. — *S. Lig. n. 615.* etc.

III. — Oportet, 1° ut tributa pro necessitate vel utilitate communitatis exigantur; 2° ut aequalitas inter subditos servetur, habita ratione facultatum, quas possident. — *S. Lig. n. 615. — Lugo.— Billuart.*

IV. — Leges, quae versantur circa tributa, generatim spectatae, non sunt mere poenales, sed in conscientia obligant. Deducitur 1° ex verbis Christi, *Matth. 22. 21: Reddite quae sunt Caesaris, Caesari. — Ad Rom. 13. 5: Subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam; ideo enim et tributa praestatis... — Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.*— 2° Patet etiam ex ratione; Princeps enim ad onera Reipu-

(*a*) Ius *alti dominii,* prouti communiter accipitur, nihil huc pertinet. Potestas imponendi tributa ideo supremo tantum reipublicae rectori tribuitur, quia ad ipsum solum spectat cura communitatem ad finem suum per media idonea dirigendi. Aliquod tamen tributum exigendi facultas fieri solet etiam municipiorum magistratibus, quo scilicet specialibus singulorum locorum necessitatibus prospiciatur.

blicae ferenda tenetur: ergo *a pari* subditi tenentur ex iustitia (*a*) ad media pro bono communi promovendo necessaria subministranda. — *S. Lig. n. 615. 616.*

738. Quaesita. — QUAER. 1° *An semper urgenda sit sub poena peccati et denegandae absolutionis obligatio tum solvendi vectigalia seu tributa indirecta, tum restituendi pro rata peractae defraudationis?*

Resp. Solutio huius quaestionis difficultate non caret; de sequentibus conveniunt sat *communiter*.

I. Adhortandi sunt sedulo fideles, ut tributa diligenter solvant, et ab omni eorum defraudatione abstineant. Neque tamen expedit, ut Confessarius petat a poenitentibus, qui in confessione de tributis tacent, utrum alicuius defraudationis rei sint; ne forte iis, qui in bona fide sunt, malam fidem inutiliter iniiciat.

II. Damnandi sunt autem,

1° Qui vectigalibus exigendis praepositos mediis iniustis (*b*) corrumpunt, ne officio suo fungantur; peccant enim saltem ad horum peccatum cooperando.

2° Qui non solvunt tributa iam a longo tempore imposita, quaeque ab omnibus soluta fuere, nec unquam reclamatio de ipsorum iniustitia (*c*) audita fuit.

3° Qui violenter resistunt ministris vectigalia exigentibus; hi enim peccant 1° contra obedientiam: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Ad Rom. 13. 2.;* — 2° contra iustitiam legalem; nam lex quae respicit tributa, etiamsi aliquando ut mere poenalis haberetur, gubernatoribus tamen ius certum tribuit ad multam exigendam (*d*), si subditi in fraude deprehendantur.

4° Qui per fas et nefas defraudationem veluti commercium quoddam exercent, atque animo resistendi etiam armati diu noctuque vagantur; huiusmodi enim homines fiunt cives rebelles et societati perniciosissimi.

5° Nec indulgendum est iis, qui licet nunquam resistant, nec animum resistendi habeant, omni tamen studio et opera in artem defraudandi incumbunt, eamque veluti vitae professionem habent; hi enim saltem animae periculis haud raro exponuntur (*e*).

(*a*) Intellige *iustitiam legalem*, qua et princeps et subditi pro sua quisque parte tenentur oneribus societatis ferendis necessaria praesidia conferre.

(*b*) Muneribus videlicet, promissionibus, metu, etc.

(*c*) Haec resolutio forte supponit, quod est in quaestione. Deinde quomodo sciam, aliquod tributum (nisi ex illis sit, quae exigentium oculos fugere non possunt) semper ab omnibus fuisse solutum?

(*d*) Ius tamen ad multam non fundat debitum iustitiae commutativae; quocirca multae evasio non metitur cum obligatione restituendi.

(*e*) Potiusquam animae, ingens utique fortunarum periculum isti subeunt. Nam et mercium amissio et superaddita multae irrogatio, quoties deprehendantur in fraude, potest eos et cum ipsis etiam familiam ad extremam egestatem adducere.

739. — Verum quot et quantae in caeteris casibus occurrant difficultates, neminem fugit. Utrum aliquando cum poenitentibus mitius agere liceat, duplex datur sententia, affirmans scilicet et negans. Non audet rem dirimere ipse *S. Ligorius,* qui expositis rationibus nonnullorum theologorum in benigniorem partem propendentium (*n. 616.*), ait: *An autem, propter has rationes, quae caeterum non videntur contemnendae, ipsa* (affirmativa sententia) *sit sufficienter probabilis, sapientioribus me remitto.* Et *Hom. apost. n. 18.* concludit: *Hoc tamen non obstante, ego non omitto primam* (negantem) *sententiam suadere.* — Praecipua autem eorum Doctorum ratio in consuetudine universali *taliter* legem accipiendi et interpretandi innititur. Quamobrem nobis quoque satis erit, si expositis sententiis nonnullorum theologorum pietate ac doctrina praestantium, pio lectori electionem relinquamus. Sic igitur illi:

740. — Bonacina, *disp. 2. de Restitut. quaest. 9. punct. 1. prop. 2.*, quoad tributa indirecta, ait: — *Nobis sufficiat dicere, probabiliter defendi posse quod asserimus, ne onus nimium grave poenitentibus imponamus post factum, quamvis ante factum haec sententia benignior non sit consulenda, cum Principis edicta non sint facile reprehendenda.*

Vogler, *n. 332.* — *Etiamsi fideles sint maxime hortandi, ut tributa diligenter solvant, si tamen subinde aliquantum defraudant, non obligandi videntur ad restitutionem, quia communissima praxis id habet, Principes connivent, et in tanta multitudine tributorum sapientissimi quique dubitant, an omnia sint iusta* (*a*).

Lugo, *D. 36. n. 43.* — *Mihi,* inquit, *semper maxime placuit consilium* P. Molinae... *ante factum, consulendum esse ne tributa defraudentur; post factum, si poenitens sibi certo aut probabiliter persuadeat in tanta tributorum multitudine esse aliquid iniustum..., non esse cogendum a Confessario ad restitutionem; hac tamen doctrina prudenter utendum esse, tum ne Sacramentum Poenitentiae reddant nimis grave, et ne viam salutis praecludant multis, qui si a Confessario obligentur, non restituent et aeternam damnationem incurrent.*

741. — Scavini (*Theologia moralis,* ed. Novariae, 1845), *de Restitut., c. 1. art. 1.* exposita negativa sententia, quam communissimam et probabiliorem agnoscit, sic ait: *Secunda sententia, quae affirmat, non caret sua auctoritate et probabilitate... Quidquid sit*

(*a*) Vogler, uti patet, rationes congerit ex utraque opposita sententia: ex prima quidem, cum ob praxim communissimam et principum conniventiam defraudantes ab obligatione solvendi eximit; e secunda vero, cum obligationem supponit, sed non solventes ratione alicuius in tributis ipsis iniustitiae excusat. Nec aliter etiam De Lugo, qui mox ab A. allegatur, inter utramque sententiam claudicans, iuxta alteram dicit utendum potius *consilio,* iuxta alteram excusat a restitutione ob aliquem forte tributorum excessum.

circa tam primae quam etiam secundae sententiae probabilitatem (quod sapientioribus definiendum remittimus), unum nos pro praxi monemus cum doctissimo Card. de Lugo: Generaliter loquendo, admonendi sunt populi et excitandi ad tributa solvenda, sed post factum non sunt cogendi ad restitutionem tributi defraudati, si probabiliter sibi suadeant in tanta vectigalium multitudine aliquid iniuste solvisse, vel competenter contribuisse ad publicas necessitates (*a*).

742. — Rousselot *(in notis ad Theolog. mor. Saettler, de Leg. part. 2. c. 2. art. 3.)* quoad tributa imposita in merces, quarum commercium omnibus permittitur sub conditione tributi solvendi, haec habet: *Non datur obligatio solvendi quaedam tributa antequam petantur, v. gr. tributa ad portam civitatis, ad pontem, etc. Sic enim fert consuetudo, et leges ultra consuetudinem non obligant. Caeterum cum auctore (Saettler) et aliis bene multis extraneis probabilius asseri potest, tributa illa, pro quibus exigendis constituti sunt custodes et exactores, neque in conscientia solvenda esse, nec ea fraudantes ad restitutionem teneri.*

His rite perpensis, non statim nec facile pronuntiandum, tributorum indirectorum fraudationem peccaminosam esse, et ad restitutionem obligare. Attamen haec non praedicentur super tecta; sed cum S. Ligorio et Saettler, Pastores et Confessarii legum observantiam etiam in hac materia urgeant, a transgressionibus pro virili absterreant; at transgressores non statim peccati gravis (*b*) *damnent, nec eos ad restituendum adigant, praesertim si maiora mala, v. gr. Sacramentorum desertio, sint reformidanda. Aliunde bona fides saepius intercedit, cui merito relinquuntur.*

Card. Gousset *(Theolog. moral. t. 1., n. 999.)* urget generatim obligationem solvendi omnia tributa cuiusvis generis sint, non obstante contraria consuetudine, quam errorem vulgarem appellat (*c*). Prudentiam tamen sedulo commendat Confessario, ne forte remota spe fructus, et accedente summo salutis periculo, defraudantes ex bona in malam fidem inducat.

(*a*) Sed Lugo (*cit. Disp. 36. n. 42.*) monuerat, neque obligationem contribuendi ad necessitates publicas, neque maius aliorum gravamen ob aliorum defectum, cogere ad negandam oppositam sententiam, quae non damnat eum, qui sese eximere forte a solvendo potuerit.

(*b*) Ecce tibi hominem inter incerta claudicantem. Prius negare videtur obligationem indirecta tributa sponte solvendi; dein addit, id *non statim nec facile* pronunciandum; postea rem constringit ad quaestionem peccati *gravis;* demum quasi non concedit usum primae doctrinae, nisi graviora mala timeantur. Quae methodus utrum ad conscientias laqueis expediendas, an magis implicandas conferat, alii iudicent.

(*c*) Quod intrepide tamquam *vulgi error* traducatur doctrina, quam vel professi sunt, vel ut probabilem permiserunt, vel saltem non ausi sunt improbare tot summi viri, quos suspicere merito solemus et debemus, id enimvero difficile est. Itemque quod contrariae consuetudini nihil deferendum sit, ubi de legis alicuius obligatione et interpretatione quaestio sit, hoc etiam perarduum est.

743. — Quaer. 2° *Cuinam debeat fieri restitutio, si quando facienda sit ratione tributi defraudati* (*a*)?

Resp. Duplex datur sententia: iuxta antiquos Doctores restituendum est Principi, cuius violatum ius fuit. At iuxta multos recentiores pietate et doctrina conspicuos, teste *Bouvier*, non Principi, nec subditis est restituendum; sed in usus pios vel in pauperes defraudata pecunia impendi debet. 1° *Non Principi*, quia non suppetit modus, quo id fieri possit. Praeterea Principes nullum damnum patiuntur; praevidentes enim fraudes, maiora imponunt tributa. 2° *Non subditis laesis*, quia singulis restitutio fieri nequit: ergo in pauperes, vel in publicas utilitates summa impendi debet. Concinit *Gousset, n. 999*. — *Recole dicta supra n. 712.*

744. — Quaer. 3° *An peccent et ad restitutionem teneantur importantes merces prohibitas?*

Resp. 1° *Quoad restitutionem neg.* absolute, quia nullius ius strictum laedunt. Etenim non violant ius *Principis*, quia illas merces sibi non reservavit, nec tributum ullum in eas imposuit; nec *privati alicuius*, quia nullus est, qui privilegium has merces vendendi habeat (*b*). — *Bouvier, Tract. de Restitutione in fine, et alii communiter.*

Resp. 2° *Quoad peccatum*, controvertitur: *alii affirmant*, defraudantes peccare, et quidem *per se graviter*, quia violant leges, quae vere obligant in conscientia *per se*, et non solum *per accidens*. — *Bouvier, ibid.* — Alii vero *negant*, quia istae leges ex consuetudine habentur ut mere poenales.

Saltem non sunt damnandi de peccato, qui merces prohibitas important in parva quantitate et ad usum proprium, praesertim si sint pauperes. Caeteri vero facile peccare possunt contra charitatem in seipsos, poenis gravissimis se exponendo.

745. — Quaer. 4° *An peccent contra iustitiam praepositi, quoties tributum non exigunt?*

Resp. Affirm., per se generatim, et quidem graviter in materia gravi. Ratio patet, siquidem se obligarunt ad rite invigilandum, et ad tributa diligenter exigenda. Quare si officio suo desint, ad restitutionem tenentur erga Principem, vel Rempublicam. — *Ita communiter.*

Dixi *generatim*, quia iuxta plures praepositi vectigalibus exigendis non semper damnandi sunt, quando subinde benignius agunt in

(*a*) Cum fere unanimis DD. sententia sit, fideles ad restitutionem fraudati tributi aut adigi licite non posse, quippe desit culpa, aut saltem nullo modo expedire, ut haec obligatio urgeatur; haec quaestio inutilis videri potest. Ast utilis saltem est, si quando alio modo, v. gr. per furta damnum publicae rei quispiam intulerit.

(*b*) Etiamsi princeps hoc sibi ius reservasset, aut imposuisset tributum, aut privilegium vendendi eas merces cuipiam tribuisset, attamen de obligatione restituendi non magis constat, quam superius disputata suadeant.

re levi, praecipue cum pauperibus, vel etiam cum iis, qui alias diligenter solvunt. — *V. Casus, n. 751. et seq.*

ARTICULUS II.

DE DAMNO OCCASIONE MILITIAE ILLATO

746. **Principia.** — I. Ad nihil tenentur milites ratione damni per actionem communem illati, nisi ipsis de iniustitia belli constet, quia non sunt damnificatores *formaliter* iniusti. — *Recole dicta de quinto praec. Decalogi, n. 406. et seq.*

II. Milites autem in bello *evidenter iniusto* tenentur de damnis omnibus, quae per actionem privatam intulerunt; et tenentur singuli pro rata de damnis a toto exercitu illatis, nisi forte ex gravi metu ad belligerandum coacti fuerint. — *Vide supra de iniusto damno n. 658. et seq.*

III. Duces autem seu Principes tenentur primario et in solidum de toto damno per exercitum illato, quia sunt vere mandantes; vel sin minus damnum imperarunt, illud tamen ex officio impedire tenebantur.

747. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An singuli milites in aliorum defectu teneantur in solidum de toto damno ab exercitu illato?*

Resp. Neg. probabilius; quia singuli non totius damni causa sunt, sed partis tantum. Caeterum in praxi ex impotentia absoluta forent excusandi. — *Lugo* cum *aliis.*

QUAER. 2° *Ad quid teneantur milites conscripti desertores?*

Resp. 1° Ex obedientia seu ex iustitia legali tenentur ad castra redire. — *Ita communiter.*

Excipe 1° si grave salutis periculum offenderent, v. gr. si media confitendi non suppeterent...., etc... ut aliquibus in locis evenire potest...; 2° si redeuntes morte, triremibus, aliisve gravissimis poenis plectendi forent; 3° si bellum sit evidenter iniustum.

Resp. 2° Certo autem ad nullam restitutionem tenentur desertores, ubi lex alios ipsorum loco non requirit: quia nullo modo iustitiam commutativam laedunt, cum nulli alteri damnum inferant. (Sic in Gallia ex nova lege *conscriptionis* data *10 martii 1818*).

748. — QUAER. 3° *Ad quid teneantur, qui se locaverunt pro aliis, et deinde militiam deseruerunt?*

Resp. Per se tenentur pretium acceptum restituere illi, a quo acceperunt, quia ipsis deest ratio retinendi pecuniam, quae non nisi propter militiae onus erogatur.

Attamen hoc videtur valere tantum, ubi ille, qui militem loco sui conduxit, periculo militiam subeundi exponitur. Periculum autem illud in Gallia non datur, excepto primo militiae anno, pro quo solo conductores respondent.

749. — QUAER. 4° *Ad quid teneantur sorte designati ad mili-*

tiam, qui ab hac se subtrahunt, vel exemptionem sine veris causis obtinent?

Resp. 1° Qui magistratus vel medicos corrumpunt, ut ab eis invalidi declarentur, ad restitutionem certo tenentur (*a*). — *Ita omnes.*

Resp. 2° Item iuxta communiorem sententiam qui mendaciis, fraudibus aut praevia mutilatione magistratus decipiunt. Ratio est, quia postquam sors, prouti leges statuunt, definivit, quinam militiae onus subire debeant, quinam vero eo eximantur, postulant sane iustitiae iura, ne militiae iam adsignati iniquis mediis utantur ad onus excutiendum, quod in exemptos recidat, necesse est. — *Ita Bouvier, de Restitutione, quaest. 2. art. 2. — Gousset, n. 1002. — Collat. Andeg.*, etc.

Negant tamen alii *plures*, quorum sententia sat probabilis apparet. Ratio horum est, quia hi conscripti non sunt causa efficax, cur alii requirantur; deceptio enim neque *physice* neque *moraliter* incitat magistratus ad alios inscribendos. Nec sunt etiam causa iniusta, siquidem non constat, alios ius strictum habere, ut sorte designati in militiam proficiscantur. Igitur licet peccent contra iustitiam legalem seu obedientiam legi debitam, non tamen peccant contra iustitiam commutativam, nec proinde ad restitutionem tenentur. *Ita Collat. Anic. de Restit., n. 172.* Utramque opinionem aeque probabilem admittit *Lyonnet, de Restitutione in fine.* — Nec desunt, qui hanc legem iustitiae distributivae adversari existiment, cum solae familiae iuvenes militiae idoneos habentes tantum onus subeant.

Quidquid sit, in praxi sapientissimum erit, etiam in prima sententia non valde urgere iuvenes, qui praedictis mediis a militia sese liberarunt (*b*). Plerique enim nequaquam committi iniustitiam putant, et alioquin raro monitis obtemperarent. — *Ita auctores citati. — V. Casus, n. 757. et seq.*

ARTICULUS III.

DE DIREPTIONE BONORUM TEMPORE PERTURBATIONIS GALLIAE

§. I. *De bonis ecclesiasticis.*

756. **Notanda.** — I. Bona Ecclesiae alia direpta fuere a Gubernio ipso, alia a privatis.

(*a*) Haec enimvero aegre cum iis compones, quae dein A. subiicit iuxta aliorum sententiam. Neque in hanc rem ullius momenti discrimen est, quod inter istam et sequentem hypothesim habetur. Perinde enim est, sive ad militiam sorte designati per se soli fraudem moliantur, qua se inique subtrahant, sive fraudis socios medicos aut magistratus adhibeant.

(*b*) Si secundae quoque sententiae sua probabilitas constat, non solum *in praxi* erit sapientissimum non urgere ad restitutionem, sed iniquum

II. *Pius VII.* conventionem inivit 15 Aug. 1801 cum Napoleone, primo Consule, qua a restitutione liberavit acquisitores bonorum ecclesiasticorum.

III. *S. Poenitentiaria,* in Rescripto ad Illustriss. *D. Bouvier,* 20 Martii 1818 ita declaravit: *S. Poenitentiaria de expressa auctoritate apostolica consulenti oratori declarat bona ecclesiastica a Gubernio occupata ante conventionem initam anno 1801 inter S. Sedem et Gubernium Gallicanum, in plena acquirentium potestate esse.*

IV. *Pius VII* Breve ad Episc. Pictaviensem 20 Octobris 1821 direxit, in quo declaravit, concessionem bonorum prius a S. Pontifice factam applicari posse omnibus bonis ecclesiasticis a Gubernio prius usurpatis, sive ea iam alienaverit ante conventionem ann. 1801, sive nondum tunc alienaverit.

751. **Resolves.** — 1° Qui bona ecclesiastica propria auctoritate usurparunt, graviter peccarunt, et adhuc ad restitutionem tenentur; fures enim sunt, nec ulla eis condonatio facta est.

2° Qui vero ea bona occuparunt favente lege civili, peccarunt, et ad restitutionem tenebantur ante conventionem ann. 1801, non vero postea ex concessione S. Pontificis.

3° Qui post hoc pactum acceperunt bona Ecclesiae non adhuc alienata, contra iustitiam peccarunt, et ad restitutionem fuerunt obligati, quia vi conventionis concessio facta non fuerat nisi pro bonis iam alienatis (*a*).

§. II. *De bonis privatorum.*

752. **Notanda.** — I. Bona privatorum iniuste proscriptorum *(des émigrés),* alia a Republica, alia a privatis occupata fuere, prout modo de bonis ecclesiasticis dictum est.

II. Ludovicus XVIII, an. 1814, Constitutionem publicam tulit ad huiusmodi possessiones confirmandas. — Carolus X, lege lata die 27 Apr. 1825, declaravit omnes proprietates nationales inviolabiles, et statuit indemnitatem privatis laesis esse solvendam. *Trente millions, au capital d'un milliard, sont affectés à l'indemnité par l'Etat au Français, dont les biensfonds situés en France, ou qui faisaient partie du territoire de la France au 1er Janv. 1792, ont été confisqués, ou aliénés, en exécution des lois sur les emigrés, les déportés et les condamnés révolutionnairement.*

753. **Resolves.** — 1° Privati, qui propria auctoritate bona haec occuparunt, adhuc ad restitutionem tenentur, et numquam praescribere poterunt, cum malae fidei possessores fuerint.

foret restitutionem exigere. Et ratio manifesta est; quippe iniustum est et contrarium axiomati, quod *melior sit conditio possidentis,* imponere certum restitutionis onus, quod probabile est, nullam huius oneris obligationem existere.

(*a*) Haec resolutio ex praemissis (*n. praec.*) videtur intelligenda de bonis, quae quis a gubernio acquisiverit post an. 1801. et ante Breve an. 1821.

2° Acquisitores bonorum nationalium ad restitutionem tenebantur usque ad tempus *Restaurationis;* nulla enim legitima dominii translatio facta fuerat.

3° Iidem acquisitores ab ann. 1814 et praesertim a die 27 April., quo lex indemnitatis sancita est, non amplius ad restitutionem tenentur, modo acquisitio fuerit legalis seu auctoritate Gubernii facta.

4° Non constat, bona mobilia comprehendi sub beneficio ratihabitationis: lex enim anni 1814 nullum de istis verbum habet; et lex anni 1825 non loquitur nisi de immobilibus. Attamen plurimi de mobilibus, quae praediis aut domibus adnexa sint, idem ac de immobilibus sentiendum putant; quia accessorium principale sequitur.

FINIS TRACTATUS DE IUSTITIA ET IURE.

TRACTATUS

DE CONTRACTIBUS

Scientia, quae circa contractus versatur, nostra praesertim aetate, necessaria prorsus existimanda est. Commercium enim tam longe lateque ubique terrarum exercetur, tantum artes illiberales in dies perficiuntur, ut de contractuum aequitate in sacro tribunali saepe saepius sententia ferenda sit. Verum hic potissimum apparet difficultas leges in conscientia inscriptas cum legibus Codicis civilis conciliandi. Deo tamen opem, ut confidimus, praestante, tanta incedemus cautela, ut ducibus melioris notae Doctoribus, neque intempestivae severitatis, neque nimiae indulgentiae macula inuramur.

Agendum 1° de contractibus in genere; 2° de contractibus in specie.

PARS PRIMA

DE CONTRACTIBUS IN GENERE

744. — Definitio. Contractus est conventio, per quam unus aut plures se obligant erga unum aut plures alios ad aliquid dandum, faciendum vel omittendum.

Divisio. Contractus praecipue distinguitur 1° *unilateralis*, vel *bilateralis*. Prior fit, cum unus aut plures se obligant erga unum aut plures non obligatos, ut in contractu gratuitae promissionis. Posterior habetur, quando unus aut plures se obligant erga unum aut plures pariter obligatos, ut in permutationibus. Contractus bilateralis dicitur etiam *synallagmaticus* ex verbis graecis σύν *cum* et ἀλλάσσω, *permuto*.

2° *Gratuitus* seu *beneficientiae*, vel *onerosus*. Contractus dicitur *gratuitus*, si quis ex contrahentibus alteri aliquid tribuat, nihil ab eo ex obligatione exigens. *Onerosus* autem dicitur, si quilibet contrahentium ad aliquid alteri praestandum se obliget, ut in contractu venditionis. Haec divisio in praecedentem recidit. Contractus enim gratuitus est *unilateralis*, et onerosus *bilateralis*.

Contractus vero onerosus iterum subdividitur in *commutativum* et *aleatorium*. Est commutativus, si unus contrahens det rem in una specie, et alter det rem aequivalentem aut diversae speciei.

Est aleatorius, si unus det rem, alter vero contrahens det non rem, sed spem probabilem rei alicuius adipiscendae: quae spes cum falli possit, efficit ut contractus huiusmodi aleae similitudinem prae se ferat.

3° *Solemnis* vel *simplex*, prout requirit speciales legis formalitates, vel dispositionibus communibus tantum subiicitur.

4° *Nominatus* vel *innominatus*, prout nomen proprium habet, sicut, v. gr. *venditio*, aut proprio nomine caret, v. gr. *do ut des, facio ut facias*, etc.

5° *Nudus* aut *vestitus*. Contractus *nudus* dicitur, qui in foro externo non parit obligationem, sed tantum exceptionem (*a*): tales sunt conventiones, quae absque scripto aut testibus fiunt, ut pactiones in ludis etc. Contractus *vestitus* est, qui praeter conscientiae obligationem parit in foro civili actionem, ut sunt contractus formalitatibus lege requisitis muniti etc.

6° *Formalis* seu *expressus*, aut *virtualis* seu *tacitus*. Prior ille est, qui fit verbis, scriptis, aliisve signis consensum explicite manifestantibus; posterior vero est, cuius consensus in rem conventam existit quidem realiter, sed implicite tantum aliquo dicto vel facto manifestatur. Sic medicus artem suam exercens promittere censetur, se facturum id esse, quod eius professio requirit. Contractus iste communiter etiam *quasi-contractus* nuncupatur.

7° *Absolutus* vel *conditionatus*, prout nulla, vel aliqua conditio ei apponitur. Dicitur etiam *purus* aut *non purus* (*b*).

(*a*) Si v. gr. ex venditione tibi debeo centum nummos die mensis ultima solvendos, tu vero mihi promisisti daturum centum mutuos; petenti tuos possum *exceptionem* opponere, quia naturalis illa mutuandi obligatio nondum extincta superest.

Sed et alios effectus etiam quoad externum forum nuda pacta habent. Nam 1° si solutum fuerit, quod ex huiusmodi pacto debetur, non conceditur repetitio; 2° pro naturalibus hisce obligationibus obstringitur fideiussor; 3° creditor pignus retinere potest.

Insuper duo pacta excipiuntur, quae licet *nuda*, obligationem et actionem civilem pariunt, nempe 1° quae manente simplici conventionis forma specialem obligationis efficaciam habent a iure civili: quae pacta dicuntur *legitima*, v. gr. pactum donationis, aut dotis; 2° quae eandem vim habent a iure *praetorio*, ut conventio de pignore. Vid. Vinnius (*Ad Lib. 3. Tit. 14. §. 2. n. 6.*).

Item in foro canonico, si causa ad ipsum ratione vel personarum vel materiae spectet, actio datur pro *nudo* (promissionis) pacto, quoties hoc cum expressione causae initum fuerit. Imo neque causae expressio requiritur, si donatio Ecclesiae facta fuerit; quippe sufficiens semper praesumitur, pietatis scilicet ac religionis ratio. Conf. Laymann (*Lib. 3. Tr. 4. Cap. 3. n. 3.*).

(*b*) Fac addas aliam partitionem, iuxta quam contractus alii dicuntur *bonae fidei*, alii *stricti iuris*. In primis iudex multa potest ex aequo et bono arbitrari; in secundis standum verbis contrahentium est (*Lugo Disp. 22. n. 10.*). *Bonae fidei* contractus sunt *emptio, venditio, locatio, conductio, negotiorum gestio, mandatum, depositum, societas* etc. Contra censentur contractus *stricti iuris* plerique innominati, itemque *mutuum, census*,

755.— In omni contractu tria sunt distinguenda, scilicet essentia, natura et accidentalia. 1° Ad *essentiam* pertinent ea, sine quibus contractus existere nequit. Sic v. gr. in contractu venditionis tria dantur essentialia, nempe, *res, pretium* et *consensus*. Uno deficiente, nullus est contractus. Si loco pretii, v. gr. res alia detur, iam non erit contractus *venditionis*, sed *commutationis*. 2° Ad *naturam* vero spectant ea, quae licet non expressa, ex lege tamen vel consuetudine vel aequitate in contractu comprehensa intelliguntur, quamvis essentialia non sint, v. gr. rei venditae praestita ab evictione securitas, quae a contrahentibus excludi posset, quin invalida foret venditio: conditione non expressa, venditor rei venditae securitatem praestare debet. 3° *Accidentalia* vero dicuntur ea, quae contractui speciali conventione adiungi possunt, quin lege, aut rei natura, censeantur adiecta: v. gr. talis pretii dilatio, aut alia huiusmodi. — *Bouvier*, etc.

Hisce praemissis, tractandum occurrit 1° de requisitis ad contrahendum; 2° de obligatione contractus; 3° de modificationibus contractuum.

CAPUT I.

DE REQUISITIS AD CONTRAHENDUM

Tria requiruntur: 1° materia apta; 2° subiectum capax; 3° consensus legitimus.

ARTICULUS I.

DE MATERIA CONTRACTUS

756. — Materia contractus generatim sunt res et facta, seu ea omnia, quae sub hominis dominium cadere possunt, et de quibus contrahentes liberam administrationem habeant.

Materia contractus hisce conditionibus gaudere debet, scilicet, debet esse possibilis, existens, honesta, propria contrahentis, certa, pretio aestimabilis.

1° *Possibilis*, tum physice, tum moraliter; quia ad impossibile nemo obligari potest. Nemo igitur obligari potest ad fortuitos casus vitandos, cum id impossibile sit. Proinde si quis eos in se suscipiat, tantum se obligat ad reparanda damna ex eis provenientia.

2° *Existens* vel in re, vel saltem in spe certa, seu probabili exstitura; secus nullum ius in illam haberi posset, utpote quae nullo foret pretio aestimabilis.

gratuita stipulatio aut donatio: quo spectat L. 99. ff. De verb. oblig. *Quicquid adstringendae obligationis est, id nisi palam verbis exprimatur, omissum intelligendum est; ac fere semper secundum promissorem interpretamur.*

3° *Honesta* et *licita in se*, id est nullo iure prohibita; quia ad rem inhonestam et prohibitam nulla dari potest obligatio. Ad contractus autem validitatem satis est, ut materia sit *substantialiter honesta;* contractus enim validus esse potest, licet ob aliquam accidentalem circumstantiam illicitus sit.

4° *Propria contrahentis;* nemo enim potest in alium transferre ius, quod ipse non habet. Hinc si quis rem furtivam emat, invalide emit, etiamsi bona fides in utroque contrahente adfuerit, ut constat ex dictis de possessore bonae et malae fidei, *n. 635. et seq.*

5° *Certa* et *determinata,* sive in individuo, sive in quantitate et qualitate; secus enim illusorius foret contractus.

757. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An possis pretium accipere pro actione tua ex iustitia alicui iam debita, si eadem actio alteri prodesse possit, illaeso iure prioris, cui debetur?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia non laedis ius prioris, quocum contraxeras, et posteriori te utilem praestas. Sic v. gr. si *Titius* te conduxerit, ut pergas ad certum locum negotii alicuius pertractandi gratia, potes etiam a *Petro* conduci ad iter illud peragendum pro tractando novo negotio, modo posterius mandatum priori non noceat. — *S. Lig. et alii.*

QUAER. 2° *An pretium accipi possit pro re debita, non quidem ex iustitia, sed ex alia virtute, v. gr. si accipias pecuniam ad ieiunandum tempore Quadragesimae?*

Resp. Affirm. saltem *probabilius,* quia illud ex mera liberalitate datur, et donum mere gratuitum censetur. — *S. Lig. n. 713. et alii communiter.* — Supponitur tamen, actionem vel rem, ad quam donatarius tenetur, esse pretio aestimabilem; secus enim invalidus foret contractus. Hinc ad restitutionem teneretur qui pecuniam exigeret ad viam homini transeunti ostendendam, quando absque nullo labore aut temporis iactura ostendere eam possit; quippe actio ista non est pretio aestimabilis (*a*).

QUAER. 3° *An valeat contractus, si materia sit ex parte tantum possibilis?*

(*a*) Auctor in postrema hac particula evidenter mutat hypothesim, et quempiam inducit aliquid *exigentem*, cum prius quaestio fieret solum de *accipiente.* Neque vero eiusmodi discrimen nullius est momenti. Nam si fingas alterum quidem mere *accipientem,* alterum vero ex *liberali dono* quidpiam tribuentem, nihil sane interest, utrum res seu ratio, propter quam tribuitur, sit pretio aestimabilis; donatio enim utpote plane gratuita, nullum operae pretium in donatario requirit. Secus vero dicendum, si alterum fingas quidpiam quasi sibi debitum *exigentem,* cum tamen nihil per se pretio dignum praestet, quando cessaret etiam ratio doni, quae hypothesi exacti pretii repugnat. Verum in hisce Auctor adhibita hypothesi exigentis pretium pro via transeunti indicanda insinuare voluit principium alioquin verissimum, pretium *alicuius operis* desumi quidem posse tum ex labore aut incommodo ad id necessario, tum ex communi aestimatione, non vero ex singulari cuiuspiam necessitate, aut ex commodo, quod quasi *per accidens* alicui ex eo obveniat.

Resp. Affirm., si res sit divisibilis in se, et divisibiliter de ea contractum sit; secus, si sit indivisibilis vel indivisibiliter de ea conventum fuerit. Hinc v. gr. si emeris 100 modios tritici, ita ut contractus non sit perfectus nisi re tradita, et 50 pereant, contractus pro reliquis 50 adhuc tenet. Si vero horologium manuale promiseris, et rescias, te ius non habere nisi partiale in illud, promissio tua nulla erit.

758. — QUAER. 4° *An res mere spiritualis possit esse obiectum contractus sive gratuiti sive onerosi?*

Resp. ad 1um *Affirm.* Nihil enim obstat ius naturae, cum huiusmodi conventiones nihil inordinati habeant; sed neque ius divinum, cum Deus permiserit, imo praeceperit rerum spiritualium gratuitam communicationem: sic ex obligatione fidelitatis promittere potes orationes, Missas, Reliquias, etc.

Resp. ad 2um 1° *Affirm.,* si res spiritualis sit ex utraque parte (*a*), quia tunc nulla Simonia in permutatione adesse potest, siquidem nulla est comparatio rei spiritualis cum temporali.

2° *Neg.* autem, si res mere spiritualis sit ex una parte, temporalis vero ex altera; quia nulla comparatio inter spirituale et temporale dari potest, ut constat ex dictis *de Simonia, n. 287. et seq.*

759. — QUAER. 5° *An materia contractus onerosi esse possit res temporalis spirituali adnexa?*

Resp. 1° *Affirm.,* si adnexa sit *antecedenter,* seclusa Ecclesiae prohibitione in casibus particularibus; modo tamen pretium propter spirituale adnexum non augeatur. — *Vide dicta de Simonia, ibid.*

Resp. 2° *Neg.,* si adnexa sit *consequenter,* saltem ex Iure ecclesiastico. Haec autem quaestio praecipue beneficia respicit.

Resp. 3° Si vero adnexa sit *concomitanter, disting.* 1° *Neg.* si adnexa sit *intrinsece* et necessario, quia tunc res temporalis nullum habet valorem independenter a re sacra, ut est labor Sacerdotis in celebrando, absolvendo, etc. — 2° *Affirm.* vero, si adnexa sit *extrinsece,* ut dictum est *de Simonia, ibid.*

760. — QUAER. 6° *An semper restituenda sit res ex turpi contractu accepta?*

Resp. 1° Ante positionem operis turpis, *affirm.;* quia dominium rei huius non fuit valide translatum. — *Ita omnes.*

Resp. 2° Post operis positionem, *controvertitur.* Duplex datur sententia probabilis.

1° SENTENTIA *communior* dicit, pretium posse accipi et retineri, imo et dari ex iustitia debere. Ratio est, 1° quia ibi intervenit duplex contractus, unus *absolutus,* nempe de opere turpi pro pretio ponendo, et hic irritus est; alter *conditionatus* de tradendo pretio, si opus turpe positum fuerit, et hic, impleta conditione, fit validus.

(*a*) Intellige, nisi accedat Ecclesiae prohibitio, ut contingit, v. gr. in permutatione beneficiorum, quae privata fiat auctoritate.

Etenim, posito opere, iam insurgit contractus *do ut des*, cuius natura exigit, ut semper, quoties unus contrahens praestitit partem suam, teneatur alter suam implere, si licite possit; 2° quia licet actio turpis, quatenus illicita, nullo pretio digna sit, pretium tamen, quatenus laboriosa, ignominiosa, periculosa agenti, vel utilis alteri, habet. — *S. Lig. ut probabilis, n. 712.* — *Lacroix.* — *Lugo.* — *Lessius.*

IIª Sententia negat, quia contractus invalidus ante operis positionem, per hanc validari nequit. Hinc regula Iuris 18. (*a*): *Non*

(*a*) Regulam XVIII Iuris, utut notissimam, nemo e veteribus in hanc rem allegavit, quia prorsus est abs re. Noverant nempe veteres, obligationem tunc oriri, cum perficitur contractus; contractus autem, de quo sermo, sicut et omnes contractus innominati (*Vid. Lugo De Iust. Disp. 22. n. 19.*), non perficitur nisi secuta ex parte unius traditione. Initium ergo obligatorii contractus non a promissionis data fide, sed ab opere praestito desumitur. Non secus ac videlicet promissio venditionis non est venditio, nec promissio matrimonii confundi cum matrimonio debet, ita in re praesenti praecedens promissio vim in se non habet innominati contractus, de quo disserimus, in quem propterea Regulae Iuris XVIII allegatio, ut arbitratus est *Carrière*, quadrare possit.

Roncaglia autem et Comitolus falso allegantur. Roncaglia enim (*De Restit. Cap. 6. Q. 1. Resp. 2.*) haec scribit: *Post malum perpetratum (praescindendo modo a prohibitione iuris positivi) danda est pecunia promissa malefactori, e. gr. meretrici, homicidae, sive cuicumque, qui in gratiam promittentis fecit aliquod malum. Pro quo observandum, quod quamvis peccatum consideratum in se et formaliter sit semper detestabile ac nullo pretio dignum, nihilominus consideratum secundum materiale, hoc est, quatenus potest alicui afferre delectationem, commodum, utilitatem, etc., reputatur pretio aestimabile..... Hinc meretrices posse retinere pretium, quod ipsis datur, habetur L. Idem 4. De Condict. ob turp. caus., et docet S. Thomas*, etc.

Comitolus autem quamvis per invia et devia pro indisciplinato ingenio suo discurrat, tamen (*Resp. moral. Lib. 3. Q. 5. n. 13.*) eo demum devenit, ut definiat, post crimen patratum promissam mercedem meretrici solvendam esse. Et parum refert, quod miram pro genio suo rationem reddat, nimirum promissam mercedem ceu multam crimini per leges impositam solvi debere non expectata iudicis sententia: quae portentosa ratio eo rem adduceret, ut potiusquam poena plectatur, ex lege cumulari praemio rea femina debeat, merces vero solvi debeat ab eo quoque, qui non promiserit. Sed omnia haec auctoris ingenio plane sunt congrua, sicut et illud, quod ipse (*ibid. n.2.*) viderit, ferme omnium doctorum *esse sententiam, quod facinorosae operae locatori nihil debeatur*, quando Card. De Lugo (*Disp. 18. n. 59.*) videbat, communem, *veramque sententiam esse, obligationem esse solvendi pretium promissum.*

Et quidem ex Comitolo corrogatae videntur allegationes aliae, v. gr. Adriani, Io. Medinae, et Navarri, quas penes alios (Vid. S. Alphonsus, *Lib. 3. n. 712.*) pro ea opinione reperis. Sed et in his videas facinus Comitolo dignum. Equidem Adrianus (*In IV. De Rest. §. Restat. Fol. LXXVI. Edit. Rom. 1522.*) haec disertissima habet: *Qui officio vel actu sibi vetito aliquid consequitur,... nihil facit contra iustitiam commutativam. Ergo non obligatur restituere.* Tum ad obiectionem, quod meretricii pretium offerri in templo interdiceretur, reponit: *Pretium carnis licite et iure possidetur; tamen aeque prohibetur... offerri in domo Domini.* Ad textus autem Iuris, quibus irritae declarantur pactiones turpes, respondet: *Nec textus ibi*

firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit. Ergo, etc... — *Ita Roncaglia. — Comitolus. — Carrière, n. 333.*

aperte dicit, promissionem factam viro ob turpem causam praecedentem non valere, sed solum... de turpi causa futura... Secus videtur, cum iam turpitudo transierit, et sit quasi purgata.

Quae afferuntur ex Medina, nihil ad rem faciunt. Tantummodo enim hic (*Cod. De Restit. pag. 156.*) vi iuris (*L. Lucius 9. ff. De Iure Fisci*), quod fisco cedi iubet bona hereditate acquisita ab uxore per venenum marito propinatum, contendit addicenda fisco esse, quaecumque acquirantur delicto per leges punito. Unde concludit, fisco addicenda lucra meretricis occultae, non autem publicae, quam leges tolerant. Et missa quidem fiat heteroclita ista conclusio, quam nemo alius ex eo textu deduxit (*Vid. Covarruv. In C. Peccatum, De Reg. Iur. in VI. §. 2. n. 3.*). At enim quid ex his in rem nostram extundas? Imo quod restituenda velit tantum lucra ex delictis, quae lex ulciscitur, eo ipso concedit, caetera ex delicto lucra retineri posse. Quin et lucri ex delictis, quae lex punit, dominium acquiri a delinquente aperte docet, inquiens: *Iura tamen differentiam ponunt inter hanc* (meretricem publicam), *et illam* (occultam). *Nam si occultae sint meretrices, lucra, quae sic acquirunt, amittere merentur, et datur actio fisco, ut possit ea a talibus auferre. Verum ante sententiam condemnationis contra eas latam, dominium lucri apud ipsas est.*

Denique ut Navarri sententia pateat, sufficiat haec attulisse *ex Man. Cap. XVII. n. 34.: Dico quarto principaliter, quod acceptum a meretrice ob turpem causam fornicationis, non est necessario restituendum etiam in foro conscientiae. In qua conclusione fere omnes tam Theologi, quam Canonistae, et Legistae conveniunt:* quae postrema verba rursus evincunt, quanta levitate Comitolus fere *omnium doctorum esse* iactaverit oppositam sententiam. Caeterum Navarro displicebat ratio, *quam* (ut ait) *etiam sequitur S. Thomas et omnes alii post eum. Quia* (subdit) *videtur sibi repugnare, cum praesupponat turpe esse meretricari, et non esse turpe mercedem pro meretricio capere;* quando (uti *infr. n. 41.* explicat) mercedis receptio est peccati commissi approbatio, atque adeo novum peccatum. Quocirca hoc saltem exigit (*ibid. n. 41.*), ut *delictum non sit causa principalis petendi promissa, sed causa impulsiva et occasio, sine qua non peteret:* quasi vero, v. gr. calceamenta per nefas die festo confecta non possint esse causa, sed solum occasio, ob quam merces seu pretium sutoribus solvatur. Sed quando in eandem conclusionem cum communi DD. sententia demum convenit; reliqua, prorsus singularia, quae vel ipse Thomas Tamburini (*Decal. Lib. 7. Cap. 5. §. 3. n. 20.*) *procul a veritate abesse* affirmat, quaeque contra communem omnium sensum se proferre ipsemet Navarrus sincere fatetur, viro alioquin egregio facile sunt condonanda.

Et ista quidem potiora sunt, quae ad huiusmodi causae defensionem afferuntur. Nam quae in eandem rem congessit Collet (*De Iust. et Iur. P. 4. Cap. 1. art. 4.*), adeo misera vel ipsi visa sunt, ut eum, licet eiusmodi opinionis studiosissimum, non ulterius pertrahere potuerint, quam ut *se in eam propendere* dixerit. Dixi *Collet huius opinionis studiosissimum;* nam amore tam perdito eam deperibat, ut cum scriptores, quos communissimae fere omnium in Theologia ac utroque iure Doctorum certae sententiae opponeret, ad manum nisi quatuor non haberet, satis id illi fuerit, ut intrepide pronunciaret: *Duplex est in hoc puncto Theologorum etiam saniorum opinio!* Caeteroquin autem quinam isti pro sua parte *saniores* Theologi? *Comitolus nempe, damnatum opus Henrici a S. Ignatio*, ignotus anonymus *Collat. Paris. auctor* cum compendio *Sambovii!* Et quidem, quod etiam maius est, ne hos quidem quasi pro ea opinione certantes ausus est proferre, sed, ut ipse inquit, *hanc tenent, aut ad eam accedunt;* quibus

Quaer. 7° *Si vir aliquid mulieri ad eam seducendam donaverit, an illa, denegato consensu, rem retinere possit?*

dein (et hoc magis adhuc mirum, ferreaque fronte dignum) favere dicit Ioannem Pontas, qui alioquin, ipso non diffitente, plane oppositum docet! Dignum sane huiusce causae patrocinium, dignumque patronum!

Denique ut nihil, quod huc spectat, omittatur, quidam advertunt (*Vid. S. Alph. Lib. 3. n. 712. q. 1.*), hanc opinionem habitam fuisse *ut probabilem* tum a Lessio, tum a Diana; Tamburinus vero (*Decal. Lib. 7. Cap. 5. §. 3. n. 20.*) addit, eam docere *non ignobiles Doctores,* ipsamque placuisse *multis Canonistis apud Azorium* (*P. 3. Lib. 4. C. 21. q. 2.*).

Verum quod ad Lessium attinet, hoc affirmavit *tantummodo de criminibus, quae positivo iure puniantur,* v. gr. si parochorum examinatores quidpiam ratione examinis a candidatis receperint (*Vid. Lib. 2. Cap. 14. n. 60.* et *Cap. 18. n. 20.*). Haec autem nihil ad generalem quaestionem secundum ius naturae pertinent.

Quoad Dianam autem duo advertere satis sit: 1° Hanc qualemcumque probabilitatem (nam oppositam dicit probabiliorem et communem) ipse (*Tom. 8. Tr. 7. R. 59. n. 3.*) tribuit auctoritati *Durandi, Medinae, Navarri, Comitoli et Valeri.* Atqui Medina, Navarrus et Comitolus perperam, ut vidimus, in patrocinium vocantur. Durandus, cuius allegationem Diana sumpsit ex Valero, mere contendit (*In 3. Dist. 39. q. 4.*), *nullam obligationem oriri ex iuramento seu voto de re illicita, quasi haec Deo placeat:* quae, uti patet, non sunt ad rem. Valerus demum (*Differ. utriusq. Fori V. Promissio, Diff. VIII.*) concedit, usum corporis esse vendibilem, licet neget, dandum esse pretium, ne hoc solvi pro peccato videatur. At simul (*ibid. Diff. IX. n. 1.*) statuit, in foro conscientiae eum, qui promisit centum pro faciendo homicidio, ad solvendum teneri post opus perfectum, quamvis in foro externo ea alter exigere non possit. Ergo auctoritates, quibus Diana qualemcumque illam nectebat probabilitatem, evanescunt. — 2° Diana (*l. c.*) ex mente eorum, quos allegat, unicam urget rationem, quod peccatum non sit vendibile aut pretio dignum. Atqui hanc rationem ipse (*Tom. 6. Tr. 7. Res. 140. n. 4.*) contendit esse falsam. Ergo per se ipse inanem istam probabilitatem destruit, quae nec ratione ulla, nisi falsa, nec ulla, nisi ficta, auctoritate nititur.

Denique quod attinet ad *doctores non ignobiles,* quos Tamburinus appellat, neminem alium reipsa memorat praeter consuetos Navarrum, Comitolum, et Valerum, quorum nomina e Diana se mutuatum dicit. — Opinio autem, quae iuxta Azorium (*l. c.*) communis est multis Iurisconsultis et Canonistis antiquioribus, nihil distat ab ea, quam superius a Medina tradi vidimus, nimirum pretium per leges permitti meretricibus publice expositis, non vero aliis feminis. E quibus non secus ac Medina, Azor concludit: *Sola igitur differentia est, quod per leges in iis, quae dantur publicis meretricibus, non datur repetitio pretii in foro exteriori.... At vero in ceteris feminis conceditur per leges ius repetendi datum eis.* Quocirca etiam Azor aeque ac Medina subiicit: *Quidquid igitur sit de foro exteriori, lucrum acceptum in quacumque alia copula ob luxuriosum actum perpetratum, in conscientia non est restituendum, quia nec lex ulla ad id cogit.* Incassum igitur recidit et subsidium, quod quispiam in *doctoribus non ignobilibus* et Iurisconsultis atque Canonistis a Tamburinio appellatis inesse putet.

Haec porro paulo diligentius exponenda fuerant, postea quam fictitia ista probabilitate, quam huic opinioni quidam tribuere visi sunt, insigniter alii abutuntur ad tuendum immane illud paradoxum de nulla matrimonii obligatione quoad eum, qui sub data matrimonii fide puellam violaverit. Qua de re et illud advertendum occurrit, esse qui narrent, imo et sibi gra-

Resp. Affirm., quia nullum intercessit pactum de peccato patrando, et proinde donatio omnino liberalis habenda est, cum mu-

tulentur, alicubi Episcopali lege sancitum fuisse, ut invalidae censerentur promissiones matrimonii ad obtinendam deflorationem etiam forte iuramento firmatae; auctoremque huius historiae perhibent Collet, ut videre est penes S. Alphonsum (*Lib. 3. n. 641.*). Verumtamen Collet (*loc. ab iis allegato*) ista non habet; sed mere tradit, ad moram iniiciendam pessimo huic abusui, qui in quapiam paroecia latissime invaluerat, inter parochum et Episcopum convenisse, ut deinceps ad proclamationes nuptiarum, quibus crimen huiusmodi praeivisset, nisi prius consulto Episcopo, non procederetur. Nam caeterum, omissa modo quaestione, an Episcopi potestas eo usque protendatur, ut invalidam reddere queat matrimonii promissionem, erunt sane, qui facile pervideant ab eo consilio sane imprudentissimo hunc unice fructum expectari posse, ut improbi de criminis impunitate iam certi audaciorem animum sumant ad imbelles feminas seducendas, quae alioquin ardentissima, ut assolent, nubendi cupiditate abreptae nunquam non plenissimam etiam mendacibus seductorum promissionibus fidem habebunt.

** Quatuor et quinquaginta columnas (*Pag. 334-361.*) VV. contra hanc Notam scripserunt; quibus et tres aliae addendae sunt, quas alibi (*Pag. 370-371.*) postremae parti huius Notae iidem VV. opposuerunt. Utinam ista rerum congeries aliquid lucis quaestionibus afferret!

Primum omnium id expediamus, quod ad postremam huius Notae partem spectat. VV. *falsi* crimen affingunt (*Pag. 371.*) hisce verbis: *Nequaquam S. Doctor dicit, alicubi Episcopali lege sancitum fuisse, ut invalidae censerentur promissiones matrimonii ad obtinendam deflorationem, ut falso ipsi tribuit P. Ballerinius... S. Alphonsus* (cum Collet) *nonnisi pia vota profert, et remedium proponit, quo seductioni virginum sub spe matrimonii meliori modo occurratur.*— Resp. P. Ballerini reverentiae causa scripserat, *esse qui narrent*, et tacuerat narrationis auctorem; sed libido contradicendi impulit VV., cum nihil opus esset, ut narrationis auctorem esse S. Alphonsum divulgarent. Caeterum ecce verba S. Doctoris Alphonsi (*Lib. 3. n. 641.*), quae etiam VV. (*Pag. 370.*) referunt: *Hic obiter adnotare iuvat cum Tournely* (idest Collet), *valde utile fore ad huiusmodi flagitia vitanda, quod promissiones matrimonii ad obtinendam deflorationem, etiam forte iuramento firmatae, invalidae declarentur ab Episcopis; prout fert Auctor praefatus in praxi deductum in quadam dioecesi gallicana cum magno profectu.* Quaero nunc: quid illud est, quod ex testimonio Colleti S. Alphonsus dicit *in praxi deductum in quadam dioecesi gallicana?* Numquid mere *pia vota* ex corde fuisse elicita? An non apertissime in praxim deductum dicitur, *in quadam dioecesi gallicana ab Episcopo declaratas fuisse invalidas promissiones matrimonii etiam forte iuramento firmatas?* Porro Collet hoc non dicit. Ergo potius quam *falsi* P. Ballerinium VV. incusent, in nova, quam parant, S. Alphonsi editione verba S. Doctoris aptius componant, ut veritati plene respondeant.

Sed propius ad argumentum Notae proprium. Quoad regulam 18. iuris: *Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit*, contendunt VV. (*Pag. 337.*) falso a P. Ballerini asseri, *neminem e veteribus illam in hanc rem allegasse;* et opponunt quod S. Alphonsus ait (*Lib. 3. n. 712.*): *Regula communis est, quod illud, quod ab initio non subsistit, tractu temporis convalescere nequit.* — Resp. Est regula *communis*, prout regulae omnes iuris immo sunt *communissimae, Concedo.* Ergo a veteribus in hanc rem allegatur, *Nego Consequentiam.* Producantur itaque *veteres*, qui in hac controversia regula ista usi fuerint.

2. Contendunt VV. (*Pag. 337-338.*) *immerito* dici a P. Ballerini, hanc *regulam afferri prorsus abs re.* Obiiciunt autem cum Comitolo, in casu

lier nihil prorsus ex sua parte promiserit. — *S. Lig. n. 712., et alii communiter.* De Lugo tamen *(Disp. 18. n. 50.)* sic rem tem-

stipulationem semper praecedere; et cum stipulatio sit nulla ante factum flagitiosum, nulla esse debet etiam post factum. In eandem rem integram describunt paragraphum De Lugo (*Disp. 22. n. 19.*), quae supra allegatur in Nota. — Resp. Illa Lugonis paragraphus ideo solum allegatur in Nota, quia communem doctrinam innuit, nempe contractus innominatos non perfici *nisi traditione secuta, et completo contractu ex parte unius.* Nam quae Lugo ibi disserit de speciali contractu *permutationis,* nihil huc pertinent. Dixi, innui ibi *doctrinam communem,* quam sic effert Molina (*Tr. 2. De Contr. Disp. 254. n. 14.*): *Alii denique contractus sunt, qui re ipsa, traditioneve perficiuntur, neque antea censentur consummati... Idemque est de caeteris respectivis contractibus innominatis.* Et Laymann (*Lib. 3. Tr. 4. Cap. 3. n. 2.*): *Re, sive traditione perficiuntur contractus, qui ipso nomine suo dationem vel factionem significant... Tales sunt mutatio, commodatio... et omnis innominatus contractus.* Atqui contractus, de quo nobis est hic sermo, ex omnium consensu est contractus innominatus. Ergo non perficitur (ut sophistice ratiocinatur Cornitolus) *stipulatione,* sed *re ipsa* seu *traditione* saltem unius partis. Quid autem sit *perfici contractum,* praestat audire ex Lugo, ad quem VV. placuit appellare. Sic itaque Lugo (*Disp. 22. n. 15.*): *Sciendum est, contractus quatuor modis perfici: sermo autem est de perfectione non quoad effectum, sed quoad essentiam ipsius contractus. Nam quoad effectum contractus tunc est perfectus, quando impletur id, ad quod obligabat: hoc tamen non est aliquid pertinens intrinsece ad ipsum contractum, sed est effectus illius.... Nunc ergo loquimur de complemento intrinseco, quo contractus in se dicitur perfectus et essentialiter integer.* Unde sic: id, quo perficitur contractus, est de eiusdem contractus essentia; atqui contractus quilibet innominatus perficitur *rebus,* seu *traditione;* ergo traditio pertinet ad huius contractus essentiam. Atqui contractus sine sua essentia non subsistit; ergo hic contractus non subsistit ante rei traditionem. Ergo abs re allegatur Regula iuris XVIII, dum supponitur hic contractus in praecedenti quavis conventione consistere. — Communem hanc omnium doctrinam proponunt non minus clare Salmanticenses (*Tr. 14. C. 1. n. 5.*) aientes: *Inquires, quot modis contractus perficiantur. Et loquimur de substantiali perfectione quoad substantiam contractus, quando nimirum omnia necessaria apponuntur, ut secundum suam speciem subsistat.* Ergo absque iis, quibus contractus perficitur, contractus *nullo modo subsistit.* Hinc quoad rem praesentem Salmanticenses (*ibid.*) recte concludunt: *Contractus, qui traditione rei perficiuntur, non censentur celebrari ante rei traditionem,.... nec pariunt ullam obligationem.* In hoc consentit vel ipse Concina, qui postquam praemisit (*De Contr. Disp. 1. C. 3. n. 1.*) quosdam contractus *perfici rei traditione,* mox (*ibid. n. 2.*) subdit, contractus, qui *rei traditione perficiuntur, non ante, sed post traditionem inducere obligationem contrahentes obstringentem.* Atqui, uti dictum est, contractus innominatus, cuiusmodi praesens est, perficitur *rei traditione.* Ergo abs re fingitur tum contractus tum fons obligationis huius contractus propriae subsistere ante rei traditionem. Ergo 18. Regula iuris abs re allegatur. Legitimum Regulae huius sensum sic praeter alios exponit Reiffenstuel (*Tom. VI. ad Reg. 18. Iur. in VI. n. 4.*): *Verus sensus Regulae sequens est: « Nullus actus, qui dum perficitur, ipso iure invalidus et nullus est; solo tractu et lapsu temporis sine alio adminiculo convalescit, ut vim et effectum actus ab initio valide gesti habeat. »* Atqui, iterum, contractus hic innominatus *perficitur traditione.* Ergo inaniter obiicitur nullitas praecedentis promissionis. Et de hoc satis.

perat: *Certum etiam mihi est, non esse peccatum contra iustitiam, licet animum habeat* (femina) *non consentiendi turpitudini deside-*

3. Contendunt VV.(*Pag.338-340.*), Roncaglia non *falso*, sed *recte* allegari pro sententia, quae negat valorem contractus, de quo agimus: quod mirum sane videri debet, cum luce solari clariora sint eius verba allegata in Nota pro sententia affirmante. Sed VV. obiiciunt, Roncaglia ea dixisse *attento iure naturae;* secus vero eum sentire, *si quid detur contra id, quod disponunt leges* (positivae). Hinc afferunt hanc illius resolutionem (*Tr. 13. De Restit. C. 6. q. 4.*): *Videtur, nullatenus posse retineri, quod datum est donatione illicita et reprobata per leges.* — Resp. Quod Roncaglia a thesi generali, quam clarissime statuerat, excipiat *donationem reprobatam per leges positivas*, id nihil detrahit ipsius thesis veritati, immo illam confirmat iuxta effatum: *Exceptio firmat regulam.* Caeterum nihil reipsa excogitari miserius illa Roncagliae paragrapho potest. Sed hisce immorari nunc nihil attinet.

4. Itidem contendunt VV. (*Pag. 340-342.*), non *falso*, sed *iure* pro eadem sententia negante allegari Comitolum. Quippe omnes de re turpi conventiones, *excepto meretricio*, irritas esse tenet. — Resp Auctoris thesis, cui Nota subiicitur, generalissima est *de re ex turpi contractu accepta;* et pro hac thesi allegatur Comitolus, ut ipsi VV. advertunt. Ergo cum, fatentibus VV., Comitolus quoad meretricium utcumque affirmet, acceptum pretium retineri posse, eo ipso pro generali thesi negante *falso* allegatur. Caeterum quaecumque demum sit Comitoli de hac quaestione sententia, nequaquam par sane est ad ullam conciliandam probabilitatem immanis illa et sophismatum, et falsarum tum allegationum tum assertionum congeries, qua omnia susque deque adeo confundit, ut vel ipsa quaestionis propositio absurditatem praeferat, dum quaerit, *An ex turpi promisso, stipulationeve aliqua oriatur obligatio.* Nemo enim somniavit, in contractibus eiusmodi innominatis perfectionem, unde est obligatio, in *verbis*, cuiusmodi est promissio, aut in *stipulatione* quaerendam esse. Et VV. quidem non dubitarunt defendere etiam absonam rationem, propter quam Comitolus solvendum meretrici pretium dixit, dum tamen vel ipse Comitolus illius paradoxi novitatem timens, scribebat (*l. c. n. 13.*): *Sequitur, ut meam ipse sententiam exponam: cuius expositio vereor, ne novitate ipsa minus alicui probabilis videatur.* Neque ad rem facit, quod VV. afferunt ex Lessio aiente, *mentem esse legum, ut is, qui dedit, in poenam criminis non possit recuperare.* Leges quippe, de quibus ibi Lessius, ad quaestionem spectant, ubi utriusque, *dantis scilicet et recipientis sit turpis causa*, definiuntque ita *potiorem esse possessorem*, ut nec petenti promissum, nec repetenti datum actio concedatur. Porro, prout Lessius ibidem (*Lib. 2. c. 14. n. 58.*) advertit, leges meretrici ad pretium acquirendum concedunt actionem. Ergo aliud est, de quo ibi Lessius, argumentum. Et hic proderit non omisisse, etiam Concinam, qui alioquin magno cum honore Comitolum nominat, non potuisse non notare falsum Comitoli testimonium, de quo in Nota dictum est. *Paulus Comitolus,* inquit Concina (*De Iust. et Iur. Disp.2. Cap. 10. n. 8.*), *contendit, hanc esse omnium Doctorum sententiam, duobus exceptis, Soto et Caietano..... Fallitur Clariss. Comitolus, dum oppositam sententiam Soto et Caietano tantum adscribit. Compertum quippe est, maiorem Theologorum partem in eandem concedere opinionem.* Sed de hoc scriptore satis superque, et ad aliorum allegationes deveniendum.

5. Ac primo quidem VV. conqueruntur (*Pag. 342.*), quod in Nota dicatur, Adriani, Io. Medinae, et Navarri allegationes, quas etiam S. Alphonsus refert, videri e Comitolo corrogatas. *Sed falso,* inquiunt (*Pag. 342.*), *hoc asseritur.* — Resp. In Nota id dicitur *opinando;* nam vox *videtur,* ut

ratae; quia acceptio muneris non includit promissionem tacitam vel expressam consentiendi, sed includit solum obligationem moralem gra-

ait S. Thomas, *est opinantis*. In hanc autem opinionem adducere id potuit, quod utrobique tum apud S, Alphonsum tum apud Comitolum cernitur erronea ista Iuris allegatio: *L. Mercedem C. De Condict.*, cum legendum sit, *Mercalem*, prouti bene correxit Cl. P. Haringer in Edit. Ratisbon. 1846. Caeterum cum haec ipsa erronea Iuris allegatio recurrat apud Concinam (*l. c. n. 7.*), verba autem, quibus et haec ipsa iuris citatio, et Adriani, Medinae, et Navarri allegationes referuntur apud S. Alphonsum, multo magis similia sint verbis, quibus allegantur a Concina, quam quibus utitur Comitolus, utique probabilius videtur, allegationes illas a Concina potius, quam a Comitolo fuisse deductas.

6. Insuper VV. (*ibid.*) criminantur, quod in Nota Comitolus traducatur ut *facinorosus*, propterea quod ibi dicatur, *in hisce allegationibus cerni facinus Comitolo dignum*. — Resp. *Facinus* latinis, sicut et graecis ἀνδραγάθημα, valet *insigne aliquod factum, actio forti viro digna*. Et utique apud latinos accipitur tum in bonam tum in malam partem; at vero male eo ipso concluditur, traduci quempiam ceu *facinorosum*, cum facinus aliquod ipsi tribuitur; nonnisi enim in malam partem vox *facinorosus* usurpatur.

7. Sed ut ad allegatos Auctores veniamus, duo sunt, quae quoad Adrianum VV. (*Pag. 342-343.*) advertunt: 1° Comitolum de Adriano hoc tantum affirmare, meretrices posse acceptum retinere non tamquam debitum ex iustitia, sed solum ut donatum. — Resp. *Transeat*. Nam primo utcumque falsam rationem Comitolus adhibeat, non respuit tamen, imo admittit ab Adriano teneri thesim, contra quam allegatur, nempe non esse restituendum quod ex turpi contractu acceptum fuerit. Ergo perperam Adrianus contra thesim allegatur. Sed deinde falsum est, a Comitolo eam rationem reddi; nam ut ibidem habent ipsi VV., iuxta Comitolum meretrix *accipit tamquam lucrum sibi a lege tributum*, neque hanc rationem, quam a se inventam dicit, Comitolus Adriano tribuit.

Addunt 2° VV. (*Pag. 343.*), Adrianum plures adducere casus, in quibus restitutionem faciendam docet propter laesam iustitiam; nihil vero opus esse Adriani sensa exquirere circa meretricium, quod alioquin S. Alphonsus excludit. — Resp. Quod restitutio facienda sit propter laesam iustitiam, non ea est aut esse potest quaestio, circa quam S. Alphonsus dixit (*Lib. 3. n. 712.*), *duplicem esse sententiam probabilem*; nam retineri id non posse, quod *iniuste* retineretur, certum est apud omnes. Et si quidem hoc loco S. Doctor non agit de *lucro commutativam iustitiam laedente*, neque iterum de *lucro ex meretricio*, et alioquin ne ipsi quidem VV. apud Adrianum quidpiam inveniunt, quod speciet ad *lucrum ex facto utique turpi, non tamen iniusto*; quorsum igitur S. Alphonsus allegat Adriani textum §. *Restat inquirere*, ubi agitur *de concussione seu extorsione*, idest de peccato contra iustitiam? Concedant ergo, Adrianum gratis et abs re afferri, et S. Alphonsum eam allegationem bona fide transcripsisse, a Comitolo ne, an a Concina, nihil refert. Sed insuper multo melius VV. veritatis iura servassent, si non tacuissent, Adrianum de alio quolibet turpi lucro (non laedente iustitiam) idem plane sensisse, quod de lucro meretricio, ac proinde in quaestione, quam tractat S. Alphonsus, sententiam tenuisse plane illi oppositam, quam ipsi S. Doctor adscribit. Et sane Adrianus in quaestione, a Comitolo quoque allegata, quae incipit, *Oritur alia quaestio* (*Fol. 76. Edit. Rom. 1522.*), postquam dixit, meretricem *licite tenere percepta, et de illis pro arbitrio disponere posse*, et idem tenendum esse de *meretrice non publica*, subdit: *Idem puto de iis, qui sceleribus suis favorem aliorum et munera sibi impetrarunt*. Hic, uti patet, sermo est de

titudinis in licitis et honestis. Sibi autem imputare debet nimis credulus amator, qui plus speravit, quam debuit. Difficile tamen est, quod

delictis a meretricio diversis. Cur ergo hoc VV. dissimularunt? Rursus in Nota cernuntur ea, quae Adrianus respondet ad textus iuris, quibus irritae declarantur pactiones turpes. Respondet enim : *Nec textus ibi aperte dicit, promissionem factam viro ob turpem causam* PRAECEDENTEM *non valere*, SED SOLUM.... DE TURPI CAUSA FUTURA.... *Secus videtur, cum iam turpitudo transierit, et sit quasi purgata.* Porro Adrianus hic neque de crimine contra iustitiam loquitur, quia negat alibi lucra *iniusta* posse retineri; neque de meretricio, pro quo etiam Comitolus fatetur, actionem ad pretium repetendum a iudice non consuevisse negari; ergo agit de lucro ex aliis praeter meretricium turpibus factis percepto. Cur igitur et hoc VV. dissimularunt? Ergo concedant, S. Alphonsum bona fide allegasse Adrianum pro opinione, cuius contrariam Adrianus docet; et simul concedant, ex huiusmodi allegationibus nullam, nisi fictitiam, probabilitatem opinionibus accedere.

8. Transeamus ad Io. Medina, de quo, non secus ac de Adriano, VV. desiderandum relinquunt sincerum illud veritatis studium, quo nulla huiusmodi discussio carere debet.

De Medina, in Nota A. subiecta solum curae fuit, particulam illam tangere, e qua ansam quidam sumpserant eum opponendi communi DD. sententiae. Mentem illius itaque heic praestat exponere; exinde enim quaelibet evanescet dubitatio. Et in primis est profecto aliquid, in quo Medina ab aliis discedere videtur; sed id non spectat ad quaestionem, an accipi ac retineri licite turpe lucrum possit, sed mere ad rationem reddendam; non secus ac S. Alphonsus (*l. c.*), dum communem sequitur sententiam, quam probabiliorem dicit, rationem tamen aliam, ac quidam alii attulerint, maluit adoptare. Medina itaque (*Cod. de Rest. pag. 133. Edit. Ingolst. 1581.*) censet, titulum contractus non debere dici *pretium* nefarii operis, sed potius *donationem.* Ita ille: *Meretrix nec publica nec occulta potest pretium prostibuli recipere nec retinere velut pretium illi nefario operi correspondens, nisi alia causa concurrat, qualis est donatio ipsius dantis, qui libere illi vult donare, non obstante quod opus ipsum turpe sit causa sine qua non talis donationis. Nec placet eorum sententia, qui dicunt, meretricem posse licite mercedem prostibuli recipere per viam mercedis, etiam via donationis seclusa.* Ita Medina, nimirum ne diceret, vendi peccatum. Verumtamen cum notio *donationis*, quae onus alteri imponit, sit absurda; Medina tandem rem explicat plus minus, sicut et alii, et adoptat rationem, quae deinde etiam S. Alphonso placuit. Nam (*Pag. 134.*) sic sibi obiicit: *Sed obiicies, quia in lucro meretricio non videtur concurrere donatio liberalis, sed alius contractus locationis, quo corpus ad usum fornicarium locatur, vel innominatus, scilicet, dabo ut facias vel consentias in hoc, ut in exemplo supra ex Genesi citato apparet, in quo Iudas et Thamar expresse super pretio convenerunt.* Quid ad ista Medina? nimirum necesse illi fuit obiecta concedere, licet conciliare utcumque ista cum praecedenti theoria studeat. Sic itaque ipse: *Respondetur: Esto ita sit, quod talis contractus et pactum interveniat; adhuc est in illo contractu admixta donatio, qualis reperitur in actu emptionis aut locationis, in quo quis dat pretium excedens valorem rei, in cuius datione nec metus, nec coactio, nec ignorantia intervenit, sed spontanea voluntas.* Non quaeramus modo, quo pacto iuxta Medina secerni possit, quae pars *mercedis*, quae *donationis* locum teneat; hoc interim manifestum est, aliquid tribui, quod *pretii*, seu *mercedis* rationem habet. Medina ergo demum ad communem sententiam se recipit: quae vero ab eo additur explanatio, eo tandem spectat, ne, quidquid detur, pretium peccati dicatur, quia, uti

excusetur a peccato scandali et contra charitatem; quia ipsa acceptio est causa, quod ille det, et certum est, non daturum sine novo peccato. — V. Casus, n. 762. et seq.

cum aliis ipse repetit, peccatum, qua tale, *est invendibile.* Qua de causa etiam S. Alphonsus (*l. c.*) vult, ut titulus pretii non sit *peccatum;* sed opus, qua *laboriosum,* qua *ignominiosum,* qua *periculosum* est.

Neque opponant hic VV., haec a Medina dici de *meretricio,* quod in quaestione S. Alphonsus excludit, non vero de aliis delictis. Nam deinde Medina de aliis quoque turpibus causis (*Fol. 134.*) haec addit: *Ex dictis patet, qualiter possint a debito restituendi turpiter acquisita excusari lenones, histriones, adulatores, et reliqui ad opera nefaria conducti, ut ad occidendum, percutiendum, infamandum, aliasque iniurias inferendum.* Concedant igitur VV., etiam Medina in hac quaestione perperam pro opposita opinione a S. Alphonso allegari, undecumque demum S. Doctor allegationem istam desumpserit; concedant etiam, allegationem Medinae non posse probabilitatem, nisi solum fictitiam, illi opinioni conciliare. Levissimis autem quaestiunculis, quibus VV., nodo controversiae omisso, fusius circa discrimen occultae aut publicae meretricis immorantur, operae pretium non est detineri.

9. Quod ad Navarrum attinet, scribunt VV. (*Pag. 346.*): *Sententiam Navarri P. Ballerini perverse allegat, prout ex seqq. propositionibus videre licebit.* — Resp. Quae pauca de sententia Navarri in Nota dicuntur, his continentur: 1° Acceptum maleficii seu turpis operis causa retineri etiam in foro conscientiae posse, nec necessario esse restituendum, contra ac S. Alphonsus ipsi Navarro affingat; 2° Non placuisse Navarro rationem, quam de hac doctrina omnes reddunt cum S. Thoma. Atqui nihil per quinque illas suas columnas VV. promunt, quod his contradicat.

Et re ipsa I. ex *Man. C. 17. n. 32.* VV. haec Navarri obiiciunt (*l. c.*): *Licet pactum vel conventio, qua quid ob maleficium datur, non valeat in illa forma, quam partes solae praetendunt facere; valet tamen, ut donatio quaedam virtualis, vel ut quidam actus habendi pro derelicto.* — Resp. Haec id confirmant, quod in *Nota* dicitur, nempe 1° retineri posse accepta ob maleficium; 2° Navarrum, relicta ratione, quae ab aliis affertur, aliam qualemcumque excogitasse.

II. Afferunt VV. (*l. c.*) ex *n. 38.*, Navarrum non admittere, quod habet Sotus, scil. *foedam operam, licet nullius sit pretii, quatenus est peccatum, nihilominus pretio aestimari posse, quatenus est res quaedam usui humano accommodata.* Et ratio Navarri est, *quoniam omnis opera exterior, qua peccator operatur peccatum, ut plurimum est talis* (scil. usui humano accommodata); *et tamen nullus unquam catholicorum dixit licite posse pro ea, saltem quando est intrinsece mala..., capi aliquam mercedem.* — Resp. Haec confirmant id, quod dicitur in Nota, rationem, ab aliis allatam, non placuisse Navarro nunquam non urgenti, peccatum, *qua tale,* non esse vendibile. Caeterum haud inutiliter VV. etiam ad defendendum S. Doctorem Alphonsum notassent hic in Navarro sophisticam agendi rationem, quando ex eo quod *nemo catholicorum dixit, peccatum,* QUA TALE, *mereri mercedem;* idipsum concludit contra Sotum de opere peccaminoso etiam qua *utile* est. Numquid enim non huc collineat ratio, quam Navarrus ipse fatetur ab omnibus communiter cum S. Thoma adduci, et cui etiam S. Alphonsus insistit? — Eodem autem spectant ea, quae VV. (*Pag. 347.*) proferunt ex *n. 40.*, ubi Navarrus concludit: *Sic ergo actus delinquendi, licet sit in se vendibilis, coniunctus tamen peccato, quod est invendibile indivisibiliter, non potest licite vendi.* Qua de re idem Navarrus (*n. 38.*) iam scripserat: *Licet argumentum Medinae non concludat, operam illam de se et in genere entis esse invendibilem, concludit tamen, esse inven-*

ARTICULUS II.

DE SUBIECTO CONTRACTUS

761. — I. De iure naturali contrahere possunt ii omnes et soli, qui liberum rationis usum habent, quia isti soli dominium bono-

dibilem in genere moris, quia nempe *peccatum nullius est pretii*, prout ibidem praemiserat cum Soto; et (*n. 40.*) in eundem sensum addit: *licet aliquid sit in se vendibile, non tamen potest licite vendi, cum miscetur invendibili.* Nimirum chorda semper oberrat eadem, *peccatum non esse vendibile*, dum alioquin concedens opus *per se* esse vendibile, arma contra se adversariis suppeditat; qui ad instantiam, quod opus illud non sit vendibile in genere moris, forte respondebunt, opus ipsum in se vendi et pro opere pretium exigi, non vero vendi *operis moralitatem*; et si quidem vendi non potest opus per se vendibile, quia, ut Navarrus ait, indivisibiliter iungitur invendibili, nempe operis moralitati, forte videbitur ne opus quidem recte factum vendi licite posse, ne scilicet vendatur eius moralitas; neque enim magis vendibilis videtur bona moralitas, quam moralitas mala. Sed haec iam seponendo, satis patet, nihil hucusque VV. protulisse, quod ostendat, *in Nota sententiam Navarri fuisse perverse allegatam.*

III. Denique afferunt VV. ex *n. 41.*, quid Navarrus dicat suadendum iis, quibus promissum quidpiam pro turpi opere fuerit. Et hoc iam in *Nota* indicatum a nobis fuerat, scilicet, ut *delictum non sit causa principalis petendi promissa, sed causa impulsiva et occasio, sine qua non peteret.* Quo spectat etiam, quod VV. afferunt ex *n. 40.*, ubi Navarrus loquens de sententiis a se retractatis, monet perperam id accipi, quasi fateretur, promissum pro turpi causa peti posse. Quocirca neque quoad hoc accusare VV. *Notam* possunt, quasi perverse Navarri sententia ibi allegetur. Contra desiderandum erat, ut non obtruncarent responsum eiusdem Navarri ad eum, qui ipsi obiiciebat retractationem. *Quidam*, inquit (*n. 40.*), *hic opponit, Primum tenuisse me in Enchiridio Hispano feminas coniugatas et Deo sacratas peccare accipiendo turpe lucrum pro causa turpis concubitus* (non bene VV. hic substituunt, *causa fornicationis*). *Secundum etc.* Et huic primo capiti reponit: *Respondetur primo, supervacuum fuisse notare primum..., cum ipsemet asseverem ore pleno, praefatam mutationem fecisse.* Et reipsa sicut (*n. 34.*) de meretrice scribit: *Acceptum a meretrice ob turpem causam fornicationis, non est necessario restituendum etiam in foro conscientiae;* ita id extendit ad alia crimina (*n. 31.*) inquiens: *Meretrix non tenetur de praecepto restituere id, quod pro mercede prostibuli accipit, et neque aliae mulieres solutae, coniugatae, vel sacrae.* Itemque (*n. 41.*) loquens de homicida, qui illectus promissis, et *accepta parte eorum* crimen commiserat, *Consuluimus* (inquit Navarrus), *ut caveret, ne peteret reliqua* (promissa scil., sed ex parte nondum soluta) *tamquam sibi debita, iustitia legali;* sed de restituendis iis, quae acceperat, Navarrus sibi cohaerens penitus silet. Hoc autem adnotandum erat, ut constaret, Navarrum, ubi negat restituenda esse accepta ob turpem causam, id non de meretricio solummodo, sed et de aliis criminibus, de quibus S. Alphonsus disserit, statuisse.

Illud itaque, quod de Adriano et Medina diximus, et de Navarro concludamus, scilicet quod ad controversiam attinet, possitne licite retineri acceptum pro aliis praeter meretricium causis turpibus, nullo iure Navarrum allegari, adeoque et eiusmodi allegationem non posse, nisi fictitiam, probabilitatem addere.

rum suorum transferre, et obligationes suscipere possunt. Hinc contrahere nequeunt 1° infantes usu rationis necdum pollentes; 2° amentes et furiosi; 3° perfecte ebrii.

10. Carpunt VV. (*Pag. 348.*) exemplum allatum in *Nota*, *sutoris calceamenta per nefas conficientis die festo, quasi calceamenta non possint esse causa, sed solum occasio solvendi pretium dici debeant*, prout Navarrus de maleficiis dixit; et subdunt: *Exemplum non quadrat, quia de opere agitur, quod in se malum et illicitum non est, ac sutor iustum titulum habet pretium operis exigendi, scilicet iustum validumque contractum, qui alteram partem ex iustitia ad solvendum obligat.* — Resp. Quaero: Contractus conficiendi per nefas calceamenta die festo, validusne est, an irritus? Si validus dicitur, ergo obligabit sutorem ad peccandum? Si irritus, quo titulo sutor pretium exigit? Alterutrum ergo definiendum: Aut enim cum communi sententia dicendum est, eiusmodi contractum innominatum, *do ut facias*, perfici solum rei traditione seu operis positione, et post factum obligationem solvendi adesse, licet alter in opere ponendo peccaverit, pretio autem opus dignum duci, ut ait S. Alphonsus, qua *laboriosum;* aut cum Navarro dicendum est, opus in se quidem vendibile esse, sed cum coniunctum sit indivisibiliter cum invendibili, id est, cum peccato, eo ipso, utpote nullius pretii, non posse licite vendi; opus ergo peccaminosum (ut concludebat Navarrus) non posse causam principalem esse petendi promissa, sed *causam dumtaxat impulsivam aut occasionem*, sine qua non peteretur. VV. nimirum communibus hic principiis ratiocinando utuntur; at communibus principiis qui utatur, aegre rationem potest reddere anomaliarum Navarri, qui in hac controversia discedere se a communibus omnium principiis sine ambagibus profitetur. Caeterum iustum titulum exigendi VV. in sutore ideo reperiunt, quia consuendi calceamenta labor est idonea materia contractus. At enim numquid idonea materia contractus non est usus concessus corporis? Profecto hanc dicimus omnes esse materiam contractus matrimonialis, et quidem ita, ut si coniux coniugi hunc usum neget, aut copiam sui faciat alteri praeter coniugem, graviter dicamus contra iustitiam peccare. Ideo et Navarrus, hoc opus per se esse vendibile infitiari non potuit.

11. Valde commoventur VV. propter ea, quae in Nota de *Collet* dicuntur, et hunc per sex columnas (*Pag. 348–351.*) assumunt, uti aiunt, *vindicandum ab immeritis P. Ballerini obiurgationibus.* Verum non levis hac in re intercedit difficultas. Quippe quae in *Nota* dicuntur, sunt ex *Colleti* Editione Parisiensi; VV. vero utuntur Editione Veneta, quae a Parisiensi quoad hoc argumentum valde differt: quin et ipsi VV. (*Pag. 349.*) monent, *duplex esse opus a Collet conscriptum.* Et si res ita se habet, numquid obiurgatio eorum, quae prostant in editione Parisiensi, ideo immerita erit habenda, quia ista in editione Veneta diversimode leguntur? Caeterum quoad quaestionem nostram, quod nosse nunc interest, non est utrum Collet obiurgatione quapiam sit dignus, sed utrum quid extundi ab eo pro causa possit. Porro nihil, quod alicuius sit momenti, ipse affert; tempora vero, per quae auctoritati Collet et huius farinae scriptoribus aliquid deferretur, ex quo divina benignitas praesertim per S. Doctorem Alphonsum disciplinam moralem in antiquiorem reduxit viam, iam transierunt. His adde, quod Collet quaestionem, *an retineri turpe lucrum licite possit,* restringat ad meretricium; de quo S. Alphonsus (*l. c.*) scribit: *Quoad meretrices commune est et certum inter DD., quod possint retinere pretium meretricii praestiti.* Quid igitur probabilitatis, nisi prorsus *fictitiae,* ex Colleti allegatione apud ipsum S. Alphonsum erui potest, quando quaestionem, de qua S. Alphonsus, Collet ne minimum quidem tangit?

12. Quoad Lessium dictum fuerat in *Nota,* frustra eum apud S. Alphon-

II. De iure positivo praeter usum rationis et voluntatem liberam contrahendi, quae de iure naturali exiguntur, requiritur etiam,

sum allegari, ut probabilis censetur opinio negans, tum posse retineri pro turpi causa acceptum, tum valere ob turpem causam promissionem. Ratio reddebatur, quia Lessius id *affirmat tantummodo de criminibus, quae positivo iure puniuntur; quae quidem nihil ad generalem quaestionem secundum ius naturae pertinent.* At ecce VV. (*Pag. 351–352.*) *Notae* intentant accusationem falsae allegationis vel interpretationis, et aliquatenus lepide concludunt (*Pag. 352.*): *Si falsa alicuius auctoris allegatio vel interpretatio facinus esset, prout supra dixit P. Ballerini,.... ipse cl. Professor hac Lessii interpretatione certe facinus non leve commisisset.*

Resp. Quoad huiusmodi *facinora* illud vere dolendum, quod VV., viri alioquin egregii, semet adeo peregrinos in latina lingua omnibus probent. Sed, his praetermissis, ad rem veniamus.

Allegant VV. (*l. c.*) haec ex Lessio (*Lib. 2. C. 18. n. 20.*): *Adverte tamen, probabile esse, eum, qui aliquid promisit pro opere malo,* QUOD LEGIBUS PUNITUR, *ut pro homicidio, adulterio, furto et similibus, non teneri ad implendum promissum etiam opere secuto: quia est communis sententia Doctorum utriusque iuris, ut docet Covarruvias sup. n. 6.* Et subdunt: *Claris ergo et disertis verbis loquitur de maleficiis iuri naturali adversantibus... ac proinde id ipsum dicit quod dicit S. Alphonsus: Pro aliis vero maleficiis ... duplex est sententia probabilis.* — Resp. Lessius disserit de obligatione, quae proficiscitur non ex iure naturae, sed ex *iure positivo;* et idcirco apposuit illa verba, quae et in *Nota* signanter expressa cernuntur: *opere malo, quod* LEGIBUS PUNITUR. Alia vero est, nec speciali hoc limite constricta, thesis S. Alphonsi, qui idcirco recenset inter ea crimina etiam *fornicationem;* de qua silet Lessius, quia scilicet non est crimen, quod puniatur. Propterea Lessius mox subdit: *Quamvis responderi possit,* LEGES ILLAS ET SIMILES *ita accipiendas esse, ut significent non valere tales stipulationes ante factum, neque etiam post factum dari ius petendi promissum in foro externo: non autem earum mentem esse,* TOLLERE OBLIGATIONEM NATURALEM, QUAE EX EIUSMODI OBLIGATIONIBUS *oritur. Vid. sup. Cap. 14. Dub. 8.* Ita Lessius, cuius textus ideo quoque non debuit a VV. per horum praeteritionem succidi, ne quis forte in ipsos retorqueat non leve illud *facinus,* quod P. Ballerini ipsimet impegerunt. Et quidem haec Lessii mens etiam magis elucet inspicienti, quaenam sit communis illa DD. sententia, pro qua ad Covarruviam remittit. Eo enim loco (*In C. Peccatum Part. 2. §. 2. n. 6.*) has conclusiones proponit: *Apud iudicem exteriorem nemini licet agere ad mercedem vel pretium eius operis, quod habet crimen ab eodem iudice poena exteriori puniendum.* Quoad forum autem internum aliam conclusionem sic subdit: *Utcumque humana lege denegata sit repetitio eius, quod ob crimen et maleficium datum fuerit, non tamen ideo accipiens tutus erit in animae iudicio, si alioquin vel ratione materiae, quae vendibilis non erat, vel ex eo quod conventio fuerit iniqua, tenetur ad restitutionem:* quibus docet, retineri posse acceptum, nisi forte laesa in eo iustitia fuerit. Secus enim, subdit ipse, *sequeretur inde artificem aut fabrum conductum ad fabricandum id, quod iure vetitum extat,... teneri ad restitutionem eius, quod ob fabricam in mercedem laboris acceperit; sic et miles conductus ad bellum iniustum, quodque ipse iniquissimum esse certo scit, teneretur restituere mercedem iure conductionis sibi praestitam; et tamen nec artificem nec militem ad restitutionem..... damnarem, nec compellerem in animae iudicio, nec opinor cogi posse. Mille profecto possent ad haec exempla proponi.* Concludatur ergo quaestionem Lessii diversam omnino esse a quaestione S. Alphonsi; atque adeo hanc eiusdem allegationem ad asserendam probabilitatem opinionis, pro qua allegatur, conferre nihil.

ut contrahens liberam habeat bonorum dispositionem, nec lege incapax contractus faciendi declaretur. Inhabiles autem sunt ad con-

Rursus de Lessio VV. scribunt (*l. c.*): *Cap. 14. Lessius quaestionem pertractat, Utrum acceptum ob turpem causam sit necessario restituendum. Exponit primum et approbat sententiam negativam; ac dein n. 60. addit: Dico tertio. Etsi haec sententia verior sit, contraria tamen, quae censet, id quod acceptum fuerit ob crimen legibus punibile* (*nisi censeatur donatum*), *esse restituendum, non est improbabilis, ut docet Covarruvias sup. n. 6.... habetque rationes ex legibus petitas utcumque probabiles.* Et post haec immediate concludunt, in *Nota* falso allegari aut explicari Lessium. — Resp. Eadem, ac supra, recurrit responsio; et reipsa Lessius ibi (*Cap. 18. n. 20.*) ad hunc locum (*Cap. 14. n. 8.*) lectores remittit. Respondendum igitur, Lessium haec non dixisse *spectato iure naturae,* sed *iure mere positivo.* Et reipsa quod attinet ad *ius naturae,* absolute in antecessum statuerat (*n. 52.*) hanc thesim: *Dico primo: Si solum ius naturae spectetur, acceptum ob turpem causam, seu propter opus, quod est peccatum, opere impleto non est necessario restituendum, sive illud opus sit contra iustitiam, sive non.* Transiens deinde ad *ius positivum,* minus absolute sic proponit (*n. 56.*) secundam thesim: *Dico secundo: Verius etiam videtur, neque iure positivo id necessario restituendum.* Demum post solutas contra secundam hanc thesim obiectiones, tertiam thesim (*n. 60.*) sic proponit: *Dico tertio: Etsi haec sententia verior sit, contraria tamen, quae censet, id quod acceptum fuerit ob crimen legibus punibile... esse restituendum, non est improbabilis.* Porro verba illa: *Etsi haec sententia verior sit,* manifeste referuntur non ad *remotam primam* thesim, quae rem tractat iuxta ius naturae, sed ad *proximam* secundam, quae agit de *iure positivo;* idque ex eo confirmatur, quod tertia thesis a Lessio constringitur ad crimina *legibus punibilia,* quod locum quoad ius naturae nullum habet; ac demum idipsum evincitur ex citatione Covarruviae, ad quem etiam hic lectorem Lessius amandat. Atqui S. Alphonsus de hac quaestione disputat secundum *ius naturae,* non vero disserit de exceptione criminum, quae in foro externo positivis legibus puniantur. Redit ergo conclusio, quod allegatio Lessii apud S. Alphonsum probabilitatem mere *fictitiam* inducere potest.

13. Quod attinet ad Diana, quem VV. (*Pag. 352–354.*) iure contendunt apud S. Alphonsum allegari, brevissime res expediri potest.

Nam 1° Diana (*Tom. 8. Tr. 7. Rel. 59.*) quaestionem non facit, nisi de meretricio, ut manifestum est etiam ex textu a VV. prolato. Atqui S. Alphonsus (*l. c.*) de aliis tantummodo criminibus disputat, non vero de meretricio, quod a controversia sua, ut non semel ipsi VV. fatentur, positive et expresse excludit. Ergo allegatio Dianae ad quaestionem S. Alphonsi nihil pertinet. Ergo probabilitas, quae ab allegatione Dianae quaeritur, est prorsus *fictitia.*— 2° Diana qualemcumque illam probabilitatem superstruit auctoritati Durandi, Medinae, Navarri, Comitoli et Valeri. Atqui ex praemissis patet, Navarrum, Medinam et Comitolum inaniter invocari: circa Durandi vero et Valeri sententiam, utpote in re manifesta, ne ipsi quidem VV. dubitationes iniicere tentarunt. Ergo quoad argumentum extrinsecum nulla, nisi *fictitia,* exfundi potest probabilitas. — 3° Quoad intrinseca vero argumenta, Diana ipse (ut diximus in *Nota,* nec VV. ausi sunt in dubium vocare) *falsam* alibi contendit esse rationem, quam hic affert. Ergo, prout in *Nota* iam dictum est, ipse per se Diana inanem istam probabilitatem destruit, quae nec ratione ulla, nisi *falsa,* nec ulla, nisi *fictitia,* auctoritate nititur.

14. Advertunt VV. (*Pag. 354-355.*), in *Nota* silentio praetermissum Concina, quem S. Doctor cum praemissis allegat; et deinde eius doctrinam ex

trahendum, saltem *in multis*, aut *firmiter* 1° minores; 2 uxores; 3° mortui civiliter; 4° interdicti et prodigi. Pauca de singulis.

Compendio excerptam referunt. — Resp. Concina nititur allegationibus, quarum partim in *Nota*, partim in hac additione ostensum est, nullam esse vim, nec alias rationes affert, quam quae a S. Alphonso refutantur. Praeterea, uti alias iam dictum est, S. Alphonsus Concinam appellat *rigidissimum;* repetendum igitur etiam hic est, Auctoris rigidi suffragium satis valere, cum indulget, non item quando damnet. Ergo de Concina disserere hic supervacaneum est.

15. Denique cum in Nota diceretur: *Quod attinet ad Doctores non ignobiles, quos Tamburinius appellat, neminem alium reipsa memorat praeter consuetos Navarrum, Comitolum et Valerum, quorum nomina a Diana se mutuatum dicit;* subdunt VV. (*Pag. 355.*): *Hinc abs re non erit, et huic animadversioni respondere; etenim praeter auctores, quos pro eadem sententia, secluso meretricio, S. Alphonsus, Collet et Concina citant, reipsa multi sunt doctores non ignobiles, qui hanc sententiam aut indistincte, aut quoad peccata contra iustitiam commissa tenent atque propugnant, aut saltem probabilem censent.*

Sed duo quoad ista occurrunt animadvertenda. Nam primo quidem Collet, sicut et Diana, quaestionem agit solum de *meretricio:* porro VV. expresse hic quaerunt auctores pro quaestione, quae *meretricium* excludit; ergo abs re quaerunt Doctores a Collet allegatos. Deinde vero non minus abs re invocantur auctores, qui eam sententiam aut teneant aut probabilem censeant *quoad peccata contra iustitiam commissa.* Etenim praetermisso nunc, quo sensu accipienda sit haec quaestio, et utrum alii statum quaestionis rite intellexerint, hoc interim manifestum est, hanc esse controversiam omnino specialem, quae et specialibus rationibus dirimenda venit, atque adeo ad summum praeferre potest exceptionem a thesi generali. Atqui praesens quaestio generalis est, non vero versatur circa casum quempiam speciali de causa forte exceptum. Ergo quatuor auctores, quos VV. (*Pag. 356-357.*) in hanc rem promunt, abs re allegantur.

Supersunt itaque tredecim alii a VV. allati (*Pag. 356-360.*), nempe *Henno, Amort, Trullench, Dicastillus, Mastrius, Bassaeus, Tamburini, Herincx, Wigandt, Billuart, Gotti, Struggl,* et *Cuniliati.*

Atqui ex tredecim istis delendi sunt omnino *octo*, nimirum *Trullench, Dicastillus, Mastrius, Bassaeus, Herincx, Billuart, Gotti* et *Struggl.* Ratio est, quia, ut palam faciunt horum auctorum textus ab ipsis VV. allati, auctores isti non generalem quaestionem ibi instituunt secundum *ius naturae,* cuiusmodi est quaestio, quam S. Alphonsus pertractat, sed quaestionem tractant specialem de *crimine seu opere malo, quod legibus punitur;* et controversia sic proposita, utique, non secus ac affirmari a Lessio superius vidimus, aliquam probabilitatem tribuunt opinioni a iurisconsultis praesertim et Canonistis receptae, nempe, *spectato positivo iure,* turpis operis mercedem retineri non posse, sed restituendam esse aut danti, aut fisco, aut pauperibus, de quo deinde DD. inter se disputant. Atqui qualiscumque eiusmodi probabilitas de speciali hac opinione nihil omnino detrahit certitudini sententiae circa generalem quaestionem ex naturali iure diremptam; imo cum sit exceptio a thesi generali, iuxta notum effatum, confirmat regulam in contrarium. Ergo.

Qua in re minus est probandum, quod VV. sententiam Trullenchi desumunt ex Summario praemisso *dub. 2. c. 17. Lib. 7.*, ubi legitur: 1. *Ante operis patrationem nec promissor nec promissarius tenetur, imo promissor tenetur revocare promissum: patrato autem opere malo, obligatur ex iustitia solvere promissum; 2. oppositum probabile.* Postrema haec verba avide arripiunt VV. (*Pag. 358.*), quasi probabilis ibi dicatur opinio ge-

§. I. *De minoribus.*

762. — *Minores* appellantur qui aetatem lege praefixam non attigerunt, ut seclusa patris aut tutoris vel curatoris auctoritate, *ci-*

nerali illi thesi opposita. Atqui non ita se res habet. Quod enim in §. 2. ad rubricam illam Summarii spectat, hoc est: *Lessius ait probabile, eum, qui aliud promisit pro opere malo, quod legibus punitur, ut pro adulterio, homicidio, furto et similibus, non teneri adimplere promissum etiam opere secuto.* Ergo, ut superius dictum est, hic proponitur tantummodo exceptio de casu speciali non secundum *ius naturae,* de quo in prima thesi, sed secundum *leges positivas;* nequaquam autem ibi probabilis declaratur propositae thesis contradictoria. Quin imo Trullench post Lessium ibidem subdit, *mentem harum legum non esse, tollere obligationem naturalem, quae ex huiusmodi promissionibus onerosis oritur.*

Quinque ex auctoribus, quos prompserunt VV., supersunt: e quibus *Henno* et *Amort* revera pro opposita stant opinione. At enim quibus rationibus rem evincunt? Audiatur Henno (*De Rest. Disp. 6. q. 5. Concl. 1.*): *Contractus illi* (inquit), *utpote onerosi, debent tam promissarium, quam promittentem obligare.... atqui non obligant promissarium, cum nemo obligari possit ad peccandum; ergo nec obligant promittentem.* Ita textus Henno ab ipsis VV. relatus. Porro hoc est, uti patet, vel ignorasse vel posthabuisse prima huius materiae elementa, quae tradunt, huiusmodi *innominatos contractus* non promissione perfici, sed perfici, atque adeo parere obligationem solum post rei, seu operis traditionem, aut positionem. Suntne ista eiusmodi, ut aliquam vel modicissimam thesi dent probabilitatem? Atqui iisdem armis pugnat et Amort (*Tr. 6. §. 1. Q. 7. Prob. 3.*): *Si contractus* (ait) *de opere turpi essent validi et obligatorii, tum vel obligarent utrumque contrahentium, vel unum tantum; neutrum dici potest; ergo. Min. prob. Si dicitur obligari utrumque, tunc manifestum esset, unam partem contrahentium obligari ad peccandum; sed hoc implicat; ergo.* Ita Amort, prima moralis disciplinae principia conculcans. Porro ut opinio aliqua censeatur aliquo modo probabilis, etiam S. Alphonsus postulat, ut *gravi* aliqua et *solida* ratione nitatur. At vero estne solida ratio, quae ex oblivione primorum principiorum sua habet natalia? Concludamus itaque, et quidem duce S. Alphonso, tantum probabilitatis hosce auctores addere illi opinioni, quantum ista sophismata valoris habent.

Reliqui ex tredecim allegatis iam sunt tres, *Wigandt* scilicet, *Cuniliati* et *Tamburini.* Et de Tamburini quidem nihil attinet nunc ea repetere, quae dicuntur in *Nota,* videlicet eum nulla, nisi falsa, auctoritate assertum suum communivisse; et hoc quidem hic evidentius facto ipso confirmatum est. Illud addi potest, eum non minus false *Valentiam* aliis falsis allegationibus coniunxisse. Neque enim Valentia, qui (*In 2. 2. Disp.5. Q. 7. Punct. 5. §. 2.*) communem sententiam tuetur, dixit unquam, oppositam opinionem esse probabilem. Insuper Valentia disserit solum, *An publicae meretrices possint pro turpi actu accipere et retinere aliquid tamquam mercedem.* Ergo Valentia hic allegaretur abs re, quippe controversia S. Alphonsi casum meretricii expresse, ut pluries iam diximus, excludit. Addiderim vix apparere, quomodo VV., dum auctores corrogant, ut ostendant, Tamburini iure dixisse, non deesse *non ignobiles scriptores* etc., inter hos scriptores etiam Tamburini enumerent.

Quod attinet ad *Wigandt,* eatenus hic (*Tr. 8. Exam. 4. n. 54.*) videri potest oppositae opinioni aliquam tribuisse probabilitatem, quatenus sententiam communem dicit *probabiliorem;* nam reipsa oppositam opinionem

viliter agere valeant. In Iure Romano filii minores sunt usque ad aetatem 25, et filiae 21 annorum (*a*). In Iure vero Gallico filiifamilias utriusque sexus minores sunt usquedum aetatem 21 annorum expleverint. Attamen respectu matrimonii contrahendi, viri qui habent parentes aut ascendentes, non reputantur *maiores,* nisi ad aetatem 25 ann. pervenerint.

ne memorat quidem, neque innuit, duplicem de hac re esse sententiam. Porro aliquid ponderis huic argumento concedi posset, si divinare nobis daretur, forte nova quapiam ratione, aut suffragio auctoritatis aliquo nobis adhuc incomperto *Wigandt* ductum fuisse. At quousque id non appareat, licebit profecto assertionem istam Wigandt eo loco habere, quo habetur aliquid gratis assertum.

Superest denique *Cuniliati,* cui iungemus et *Mastrium;* quandoquidem uterque, non secus ac Wigandt, *probabilem* censeri possent habuisse oppositam opinionem, quia et ipsi *probabiliorem* appellant communem, quam defendunt, sententiam. At qualecumque hoc Mastrii suffragium satis miserabile se prodit. Pro opinione opposita illud nimirum miserum argumentum affert, quo et consodalem suum *Henno* usum esse iam vidimus, et post eos etiam *Amort.* En Mastrii argumentum, uti etiam apud VV. (*P.358.*) prostat: *Contractus de re turpi ante factum est nullus: alioquin ad peccandum obligaret...; ergo etiam post factum.* Quid porro huic argumento respondeat, quisquis prima elementa *de contractibus* non ignoret? *Concedo,* inquiet, *Antecedens;* et *Nego Consequentiam;* quia huiusmodi innominati contractus non *verbis* et *promissione*, sed *rebus,* seu *traditione* aut *operis positione* essentialiter constant et perficiuntur, et tunc solum obligandi vim assumunt.

Nec minus misera dici debet allegatio Cuniliati, quam VV. (*Pag. 360.*) sumpsisse se dicunt ex Editione Veneta an. 1796. In primis enim verus Cuniliati (*Tr. IX. Cap. V. §. 10.*) doctrinam communem docet absolute, neque oppositae sententiae ullam mentionem iniicit. Quae autem a VV. afferuntur, non sunt Cuniliati, sed pertinent ad additamentum, quod manifeste apparet alterius manus assumentum. Et quidem ignotus hic additionum auctor, si aliquatenus a sententia *Cuniliati* discedit, rationem non dissimulat, qua fuit permotus. Videsis enim ibi consuetas allegationes *Comitoli* et *Collet* cum *damnato opere Henrici a S. Ignatio*, et *ignoto Anonym. auctore Collat. Paris.* a Collet allegatis: quibus deinde subiicit compendiatim quae de hoc argumento Concina et Antoine dixerunt. Quid itaque hoc valeat eiusmodi fundamentis innixum? Sed deinde quoad VV. causam alia ex parte claudicant. Nam superius iam advertimus, tum *Concina,* tum *Collet cum suis* de meretricio dumtaxat disceptare. Atqui VV. *probabilitates* quaerunt a *Scriptoribus non ignobilibus* non in causa meretricii, quam et ipsi huc non pertinere cum S. Alphonso contendunt, sed in causa turpis lucri ex aliis criminibus quaesiti et recepti. Ergo et istae allegationes pares non sunt ad probabilitatem, nisi *fictitiam,* pariendam.

Liceat igitur tandem concludere, VV. per quinquaginta et quatuor illas columnas nihil prorsus attulisse idoneum ad id infirmandum, quod in *Nota* dicebatur, nempe *probabilitatem opinionis,* quam et S. Alphonsus posthabet, *fictitiam prorsus esse, utpote quae nulla ratione, nisi falsa, nec ulla, nisi ficta, auctoritate nititur.*

(*a*) Vetus Romanum ius annum, quo quis expleto esse desineret *minor,* indiscriminatim tum pro masculis tum pro feminis vigesimum quintum assignat; recens vero sub Gregorio XVI editum indiscriminatim pro utroque sexu annum vicesimum primum definit. Attamen ex veteri iure venia aetatis concessa feminis biennio ante quam masculis reperitur.

Minores alii non sunt emancipati, alii vero emancipati. Priores simpliciter auctoritati patris, vel tutoris subiiciuntur. Posteriores autem ii sunt, qui a praedicta auctoritate per beneficium emancipationis liberati sunt iuxta formas lege praescriptas. Minores in Iure *Romano* et in Iure *Canonico*, alii sunt *puberes*, et alii *impuberes*. Puberes dicuntur pueri, qui ad aetatem 14 et puellae 12 annor. pervenerunt. Caeteri impuberes appellantur. Impuberes orbati patre, et sub auctoritate tutoris constituti, nomine pupillorum veniunt. Ex eodem Iure Rom. tutor datur pupillis ad omnia, curator vero puberibus ad bonorum administrationem tantum. His positis,

I. *Ex iure Romano.*

763. — 1° Filiusfamilias impubes etiam si cum consensu patris et de bonis castrensibus contrahat, non obligatur; e contrario si filius puber contrahat de castrensibus et quasi castrensibus, obligatur, modo de alienandis immobilibus, aut mobilibus pretiosis non agatur; at de profectitiis et adventitiis minime disponere potest, quia regulariter eorum administrationem non habet.

2° *Pupillus*, seu impubes, patre orbatus, auctoritate tutoris, minor vero cum consensu curatoris valide contrahunt, nisi agatur de immobilibus aut mobilibus pretiosis, pro quibus decretum iudicis requiritur (*a*).

II. *Ex iure Gallico.*

764. — 1° Minor non emancipatus contrahere *firmiter* nequit absque assistentia tutoris. Contractus tamen, si taliter fiat, validus erit *per se*, sed rescindibilis, nisi minori faveat. Unde si ex huiusmodi contractu sequatur laesio, minor ad beneficium restitutionis admittitur; secus, si nulla laesio subsecuta fuerit. Hinc axioma: *Minor restituitur, non ut minor, sed tamquam laesus.*

2° Minor emancipatus habilis est ad faciendos omnes administrationis actus a lege determinatos. Pro reliquis autem assistentia curatoris requiritur.

Restitutio locum non habet, 1° si minor dolo, non vero si mera affirmatione, alteri persuaserit, se esse maiorem; 2° si laesio proveniat a casu fortuito, et non praeviso; 3° si obligatio oriatur ex delicto, vel quasi delicto; 4° si commercium aut artem exercens, pro rebus commercii aut artis suae contraxerit; 5° in aliis quibusdam casibus a lege exceptis (*Art. 450..., 476..., 1304. et seq.*).

765. **Resolves.** — 1° Minor tuta conscientia uti potest beneficio legis secluso casu malae fidei, cum lex in eius favorem lata

(*a*) *Attamen pupillus potest in suum commodum alium sibi obligare* (v. gr. acceptando donationem) *etiam sine tutoris auctoritate, ut constat ex §. Pupillus, Instit. De inutil. stipul.* — Lugo *De Iust. Disp. 22. n. 283.*

sit. Non potest tamen rescissionem postulare, ut eximatur a restitutione pecuniae, quam mutuo accepit et dilapidavit, licet nullum lucrum inde reportaverit; tenetur enim adimplere obligationem, quam certe novit, dum pecuniam postulabat et recipiebat. Aliunde ipsius culpae tribui debet, si nullum inde emolumentum perceperit. — *Pothier (Traité des obligations n. 52.)*, cui consonant *Toullier cum aliis iurisperitis, et Gousset (n. 747.)*.

2° Qui contraxit cum minore, contractui stare potest, donec nullitas a *minore*, vel ab eius patre aut tutore invocetur. Sufficit tamen postulatio privata, ut ad rescissionem teneatur, quando laesio omnino aperta est.

3° Minor solus tum per seipsum, tum per alios, a quibus repraesentetur, rescissionem contractus postulare potest; unde ii, qui cum ipso contraxerunt, eius incapacitatem opponere nequeunt (*Art. 1125.*).

4° Minor non potest amplius actum in minoritate peractum impugnare, quando illum iam maior factus ratum habuit; quia plene habilis erat ad contrahendum, quando actum ratum habuit (*Art. 1311.*). — *V. Casus, n. 770. et seq.*

§. II. *De uxoribus.*

I. *Ex Iure communi.*

766. — 1° Uxor non potest contrahere aut disponere de dote eiusque fructibus, nec de bonis familiae, marito praesente et valente haec bona administrare, quando hic rationabiliter invitus sit. Secus, si maritus sit absens, amens vel fatuus, vel si expresse aut tacite consentiat, vel si non sit rationabiliter invitus.

2° Uxor pro libitu contrahere vel disponere potest, etiam invito marito, de bonis paraphernalibus, idest de bonis quae praeter dotem attulit, et sibi reservavit. — *Recole dicta de dominio uxorum, n. 548. et seq.* — *Vide Billuart, Reuter,* etc.

II. *Ex Iure Gallico.*

767. — 1° Uxor generatim contrahere non potest sine speciali consensu mariti, et in huius defectu sine iudicis auctoritate, ut dictum est in *Tract. de Iustitia, ibid.* — (*C. C. 217. 219.*). Ideoque actus, quos sine tali auctoritate posuit, rescindi debent, si ipsamet uxor, vel eius maritus, aut ipsorum heredes, non vero alii, nullitatem opponant.

Dixi 1° *absque consensu speciali mariti;* quia non sufficit consensus generalis in contractu matrimonii datus; sed requiritur, ut sit specialis pro singulis uxoris actibus, et quidem scripto datus.

Dixi 2° *vel absque auctoritate iudicis;* quia uxor potest ad iudi-

cem recurrere, si maritus consentire nolit, aut etiam non possit, v. gr. si absit, si sit interdictus, etc.

2° Uxor tamen contrahere potest absque speciali consensu viri, 1° quando vacat commercio publico et separato, quia tunc maritus consentire censetur, excepta immobilium alienatione; 2° quando comparat ea, quae necessaria sunt ad familiae sustentationem.

3° Uxor iuxta leges generales pro libitu disponere potest de bonis suis per testamentum absque ulla mariti interventione. Ratio est, quia parvi refert mariti, quatenus mulieris domini, quaenam futura sit uxoris dispositio testamentaria, cum testamentum effectum suum non sortiatur, nisi post matrimonii dissolutionem.

768. — Quaer. *An nullitas, quae afficit contractus uxorum, sit* PLENI IURIS, *seu ipso facto, vel tantum post iudicis sententiam vim habeat?*

Resp. Nullitas non est habenda, ut *pleni iuris,* cum requiratur iudicis sententia ad eam declarandam. Nec est absoluta, sed relativa tantum, seu pronuntiari tantum potest in favorem quarumdam personarum, quae solae illam invocare possunt, nempe in favorem uxoris, mariti, eiusque filiorum.

769. **Resolves ex Iure Gallico.** — 1° Si uxor contrahat sine consensu mariti cum laesione iurium vel bonorum eiusdem, v. gr. respectu bonorum communitatis, vel redituum a viro percipiendorum, irritus omnino est contractus. Sed uxor malae fidei, licet in eo casu neque maritum neque bona communitatis obligare possit, tenetur tamen damnum alteri illatum reparare. — *Carrière, n. 203, et alii communiter* contra alios, qui dicunt alterum contrahentem sibi imputare debere, quod cum illa contraxerit, et sic deceptus fuerit.

2° Nullitas contractus uxoris a viro invocari potest in conscientia, etiamsi laesionem proprie dictam non passus fuerit, quia nullitas praecipue in eius gratiam sancita est.

3° Nullitatem contractus etiam uxor ipsa invocare potest, ut videtur, quamvis lex praecise ipsi favere non intendat; quia non videtur sufficiens motivum eam a beneficio legis excludendi, modo alteram partem non deceperit. — *Carrière, ibid.* contra alios. Sed reddere debet id omne, in quo ditior evaserit, et res restitui debent in eumdem statum ac erant ante contractum, modo ipsa laesa et decepta non fuerit. Saepius autem ratione doli a beneficio legis excludenda est.

4° Uxor, quae ab alio pecuniam mutuam petit pro marito, se obligans ad eam restituendam in mariti defectu, restituere tenetur, si vir restitutionem facere non possit, aut nolit: fuit enim causa absolute determinans contractus. Ergo obligationem libere susceptam adimplere debet, praesertim viro defuncto; secus malae fidei evaderet. *A fortiori* uxor restituere debet pecuniam a se in propriam utilitatem, inscio marito, mutuatam. Sic enim clamat naturalis aequitas. — *V. Casus, n. 773. et seq.*

§. III. *De civiliter mortuis.*

770. — Mortui civiliter dicuntur, qui ad mortem, ad triremes perpetuas, vel ad deportationem damnati fuerint. Hi autem sunt praecipui mortis civilis effectus: 1° amittere proprietatem bonorum, quae ad heredes transeunt, quin valeat testamentum, si quod fecerint; 2° non posse accipere hereditatem aut donationes, praeter id quod ad eorum sustentationem destinatur; 3° non posse donare bona, quae acquisierint, sive inter vivos sive testamento. — Haec videntur generatim effectum habere in foro conscientiae. Attamen iuxta communem interpretationem non prohibentur civiliter mortui ab accipiendis donationibus manualibus quibuslibet. Inhabiles enim sunt ad ea dumtaxat, quae lege determinantur, unde plerosque contractus valide ineunt, et agendi commercii non sunt incapaces. — *Ita Ius Rom.*

§. IV. *De interdictis et prodigis.*

771. — Interdicti sunt illi, qui iudicis sententia incapaces declarantur actus civiles exercendi ob statum imbecillitatis aut dementiae, aut furoris. Designatur autem illis aliquis ut tutor, omnesque eorum actus iure sunt irriti; non tamen absolute nulli aestimandi sunt ante sententiam iudicis. Cessat interdictio, cessante causa; cuius cessatio declarari debet a iudice, ut interdictus possit iterum civiliter agere. Prodigi iuridice denuntiati inhabiles sunt ad certos ineundos contractus lege determinatos, absque adsistentia consiliarii a iudice constituti.

Nullitas porro contractuum initorum ab interdictis et prodigis opponi quidem ab ipsis potest aut ab agentibus illorum causam, non vero ab iis, qui cum illis contraxerunt, sicut de minoribus dictum est.

ARTICULUS III.

DE CONSENSU REQUISITO

1° Eius dotes; 2° vitia opposita.

§. I. *De dotibus legitimi consensus.*

772. — Consensus esse debet externus, internus, mutuus, liber et deliberatus.

1° *Externus,* id est manifestatus, quia comparti manifestari debet; nequit autem alteri parti patefieri, nisi aliquo signo visibili exterius prodeat.

2° *Internus*, quia obligatio contractus oritur a sola contrahentis voluntate. — *Ita communiter.*

3° *Mutuus*, quia contractus est conventio duorum vel plurium; hinc si sit onerosus, requiritur ex utraque parte cessio et acceptatio. Si gratuitus sit, requiritur cessio ex una parte et acceptatio ex altera.

4° *Liber* et *deliberatus*, ita ut contrahens non solum sit sui compos, sed etiam agat cum ea deliberatione, quae ad peccatum grave requiritur; secus enim voluntas esset imperfecta, atque adeo imperfectus actus, qui perfectam obligationem parere non posset.

773. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An valeat contractus initus* (*a*) *sine animo se obligandi, vel sine animo illum implendi?*

Resp. ad 1um *Probabilius* non valet, quia conditio apposita est contraria substantiae contractus (*b*). *S. Lig. n.* 710. — *Alii* dicunt valere contractum, prout praevalet, aut non praevalet volitio contractus. — *Lacroix.*

Resp. ad 2um Valet contractus. Ratio est, quia potest consistere voluntas non implendi cum voluntate se obligandi. — *S. Lig. et alii communiter.*

QUAER. 2° *An consensus utriusque partis simul elici debeat?*

(*a*) Intellige contractum initum *cum animo contrahendi*, quamvis *sine animo se obligandi* etc. Nam secus quaestio redibit de *ficte contrahente;* de qua dein A. in prima Resolutione tractat.

(*b*) Quidam (apud Lugo *Disp. 22. n. 38.*) affirmant, quia quisquis vult causam, vult et effectum, et qui dat formam, vult consequentia ad formam. Alii vero negant, tum quia in contractibus obligatio nisi ex propria voluntate oriri non potest; tum quia (quod etiam A. tangit) conditio, quae contraria sit substantiae, contractum destruit: quo spectat Cap. *Si conditiones fin. De conditionibus appositis.*

Aptior tamen erit quaestionis solutio, si opportunis utaris distinctionibus. Namque aut promissio et animus te non obligandi versantur circa idem omnino obiectum, eodemque sub respectu seu sensu; et tunc promissio est prorsus illusoria; quippe promissio est fidei obligatio, et nihilominus ex hypothesi non vis hanc obligationem. Si vero promissio et animus te non obligandi referantur ad obiectum, quod multiplicem habet considerationem; tunc rursus distinguendum est cum De Lugo (*Disp. 22. n. 39.*). Inspicere enim oportet, utra e duabus voluntatibus contrariis praevalere dicenda sit; praevalere autem debet, quae magis efficax est et absoluta, seu quae habet modum volendi magis universalem et cum reflexione formali vel virtuali supra alteram. Ergo si magis efficax et absoluta sit voluntas promittendi et contrahendi, quam voluntas te non obligandi, orietur obligatio, etiamsi ex errore putes, e contractu aut promissione obligationem non oriri, atque adeo non velis te obligare. Ita qui absolute vult professionem religiosam, ignorans alioquin quodpiam onus illi adnexum. Si vero voluntas te non obligandi magis efficax est et absoluta, quam voluntas contrahendi aut promittendi, obligatio non sequetur. Vere enim non adest voluntas promissionis efficax et absoluta, sed solum conditionata, si nempe ex ea obligatio illa non oriatur. Quod si fingas, aeque efficacem esse utramque voluntatem, actus esset nullus, utpote effectum intendens impossibilem. Et cum promittendi voluntatem non habeas, nisi id careat obligatione, nulla reipsa est voluntas promittendi absoluta, sed solum chimaerica.

Resp. Neg., quia consensus unius semel datus, nec revocatus, moraliter perseverat, ita ut accedente alterius consensu, statim perficiatur contractus.

774. **Resolves.** — 1° Qui ficte in contractum consentit, tenetur in conscientiae foro partem deceptam indemnem facere, et, si aliud non suppetat medium reparandi iniuriam, consensum internum praebere et contractui stare. — *Hom. apost. tract. 10. n. 93.*

Quod si contractus ficte initus executioni fuerit mandatus, nullum dominium reipsa translatum est. Unde ratione rei acceptae, deceptus habendus est tanquam possessor bonae fidei, deceptor autem tanquam possessor malae fidei.

2° Si offeram tibi domum 100 aureis venalem, et tu acceptes, contractus perficitur, non quando interne consentis, sed quando tua acçeptatio mihi per aliquod signum externe prodit. Consensus autem meus est tibi sufficienter intimatus per hoc, quod tibi domum meam pro pretio statuto offeram.

3° Si mecum contrahas per procuratorem, contractus perficitur, quando tuus procurator acceptat, licet tu necdum acceptaveris, quia acceptatio tui procuratoris moraliter tua est.

4° Taciturnitas regulariter reputatur pro consensu, si materia sit favorabilis tacenti. Hinc regula iuris: *Qui tacet, consentire videtur.*

5° Si *Paulus* dicat coram *Ioanne:* Do 100 aureos *Petro;* et si *Ioannes* iniussus *Petro* id referat, et hic dicat: *Accepto; Paulus* non censetur obligatus; quia intimatio promissionis non fuit facta *Petro* de mandato *Pauli*, qui caeteroquin per relata verba nihil aliud ostendit nisi merum dandi propositum. — *V. Casus, n. 776.*

§. II. *De vitiis consensui oppositis.*

Praecipua sunt error, dolus, vis et metus, quae ad errorem et metum reducuntur (*a*).

(*a*) Compendii studio prorsus debetur, quod A. cuncta ista ad *errorem* ac *metum* reducenda dixerit, et propterea sic ea tangat, ut plura, eaque gravis momenti praetermittat. Et quidem quod vim ad metum ita reducat, ut de illa prorsus sileat, nemo improbaverit. *Nunc enim,* ut docet S. Thomas (*4. Dist. 29. q. 1. art. 1*), *agitur de consensu interiori, in quem non cadit coactio seu vis, quae a metu distinguitur: et ideo quantum ad propositum pertinet, idem est coactio quod metus.* At non idem esse potest iudicium, cum ita dolus reducitur ad errorem, ut quae ad primum illum specialius spectant, omitti queant. Ut enim advertit Lugo (*Disp. 22. n. 68.*) valde interest, utrum contrahens decipiatur ab altero contrahente, vel a tertio quopiam sine culpa alterius contrahentis, vel etiam a se ipso, qui erronee putaverit, rem meliorem utilioremve esse, et ideo illam emat, vel pluris emat, alias non empturus aut certe non tanti empturus: et rursus utrum, quando ab alio decipitur, id fiat cum huius culpa vel sine culpa; quod notandum, quia licet utraque deceptio minuat voluntarium in altero contrahente, non tamen eandem utraque obligationem in decipiente parit.

PUNCTUM I.

De errore.

775. — Error in contractibus versari potest 1° circa substantiam rei, ut si emas cuprum pro auro; 2° circa naturam seu speciem contractus, v. gr. si sumas locationem pro venditione; 3° circa qualitatem seu accidentia rei, puta si equus sit tardus, dum reputatur velox; 4° circa personam, v. gr. si quis daret *Petro*, volens dare *Paulo*; 5° circa motivum, v. gr. si quid dares *Caio* ob paupertatem vel pietatem, dum dives est vel impius.

Error tamen circa qualitatem, licet *accidentalem*, potest esse *causa* contractus.

776. — **Principia.** — I. Omnis error circa rei *substantiam* aut contractus *naturam*, contractum nullum reddit. Ratio est, quia tunc nullus est consensus, qui rem omnino diversam respicit. — *S. Lig. n. 714.*

II. Error circa *solam qualitatem* non invalidat *per se* contractum, saltem si, cognito errore, nihilominus contractus fuisset initus. Consensus enim prorsus voluntarius circa obiectum principale conventionis habetur. — Si autem, cognito errore, initus non fuisset contractus, *controvertitur*, ut statim dicemus.

777. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An error circa qualitatem dans causam contractui irritet contractum sive onerosum, sive gratuitum?*

Resp. 1° *Neg. probabilius* quoad contractus *onerosos*, quia talis error non impedit *cognitionem*, neque *consensum* quoad rei substantiam. Secus vero vix ullus contractus validus foret, quod in commercii humani subversionem cederet. Excipe, si qualitas velut *conditio, sine qua non,* expresse intendatur, quia tunc in rei substantiam transit.

Resp. 2° Quoad contractus *gratuitos affirm. probabilius.* Ratio, quia tales contractus ex natura sua plenum voluntarium et omnimodam spontaneitatem requirunt; atqui haec plane defuit, quando causa ad donandum movens deesse supponitur. — *Ita communiter* contra *nonnullos*, qui cum caeteroquin admittant, hosce contractus ad nutum donatoris sic decepti esse rescindibiles, quoad praxim vix altera ab altera sententia differt (*a*). — *Vid. S. Alph. n. 714, 715.; Hom. apost. n. 124, 125.*

(*a*) Verumtamen inter duas sententias, quarum altera quosdam contractus *per se irritos*, altera solum *rescindibiles* dicit, magni momenti discrimen adesse potest quoad effectus. Ita v. gr. si sermo sit de sponsalibus, iuxta sententiarum istarum diversitatem definietur, num ex contractu inductum, nec ne, impedimentum publicae honestatis fuerit.

Eundem porro sententiarum dissensum, eandemque inter illas discriminis indolem cernere est penes DD. quoad onerosos quoque contractus,

QUAER. 2° *An error circa personam contractum invalidet?*

Resp. 1° *Neg. generatim loquendo* quoad contractus *onerosos,* quia in his error huiusmodi est mere *accidentalis*; et parvi sane inter-

quibus tamen causam *dolus alterutrius contrahentis* dederit; *alterutrius,* inquam, *contrahentis;* nam si dolus adhibeatur a quodam tertio, nec doli particeps sit altera contrahentium pars, validus citra controversiam habetur contractus, licet decepto detur actio adversus tertium illum, qui dolum adhibuit (*Vid. Molina Tr. 2. Disp. 352. n. 7.*).

Quando itaque dolus, dans causam contractui, ab altera contrahentium parte adhibeatur, aut si adhibeatur a tertio, eius tamen altera pars sit particeps, conveniunt Doctores, ut validos sustinendos esse contractus *stricti iuris;* at quoad contractus *bonae fidei* inter se dissentiunt. Et Molina quidem (*Disp. cit. n. 2.*) cum plerisque vetustioribus eos irritos esse contendit; recentiores vero (*Vid. Lugo Disp. 22. n. 70.*) communius ut validos habuerunt, licet ad arbitrium decepti rescindi postea debeant. Inter dissidentes autem veluti sequester intercessit Card. De Lugo, eos quodammodo conciliaturus. *Utraque sententia,* inquit (*Disp. 22. n. 73.*), *conciliari fortasse potest, si dicamus, eiusmodi contractus de iure naturae atque etiam de iure positivo esse quidem partim validos, partim irritos, atque omnino irritandos ad libitum eius, qui dolum passus est.* Quam quidem viam egregius theologus ideo maxime inivit, ut reddi ratio posset, cur in libera potestate decepti sit stare vel non stare contractui, decipiens vero pro arbitrio decepti stare contractui teneatur.

Et has quidem DD. opiniones satis sit innuisse; neque enim earum vim rationesque expendi Notae brevitas sinit. Praetermittendas tamen non censemus conclusiones, quae ad praxim faciunt, eo vel magis quod in eas sententiae omnes conveniant, utcumque in reddenda earum ratione pro suis quaeque principiis nonnihil forte discrepent. Haec itaque habe ex Molina (*l. c. n. 16.*):

Aut quis decipitur ignorante id altero contrahente: et tunc si nulla inaequalitas in contractu oriatur, quia nulla facta fuit transgressio limitum iusti valoris, contractus in utroque foro est validus ac firmus, in quo nullam mutationem fieri necesse est. Si vero inaequalitas oriatur, quia vel acceptum fuit ultra pretium iustum rigorosum, vel datum est infra pium ac infimum: tunc reduci in foro conscientiae debet ad aequalitatem solum usque ad limites iusti, atque etiam in (foro) exteriori, si transgressio fuit intra aut ultra dimidium iusti pretii.

Si autem deceptio sit, sciente quidem altero contrahente, sed sine dolo, nec subtacente quae manifestare tenebatur, tunc eadem prorsus dicenda sunt, quae diximus proxime, quando ignorante altero contrahente quis fuit deceptus.

Quod si mendacia ac dolus intervenere, distinguendum est. Quoniam vel eis est inductus alius ad contrahendum, aut ad augendum pretium seu recompensationem, vel non, quia fidem non adhibuit, sciens id esse consuetudinem celebrantium similes contractus, aut, esto illa non adhiberentur, similiter contraxisset: et tunc idem prorsus dicendum est, quod in duobus superioribus eventibus, eo quod dolus adhibitus neque fuerit causa contractus, neque augendi recompensationem aut minuendi de illa. Atque hinc saepe mercatores mentientes ac iuramento affirmantes, vel rem plus valere, vel carius eam emisse, multaque alia confingentes, tam ut vendant aut carius vendant, quam ut emant aut vilius emant, excusabuntur tum ab onere rescindendi eiusmodi contractus, tum etiam a restitutione partis eius, quod ita acceperunt.

Quando mendaciis aut aliis dolis inductus quis fuit ad contrahendum, aut ad augendum pretium seu recompensationem, dicitur dolus intervenire

est tum venditoris, cuinam rem vendat, dummodo congruum pretium accipiat, tum emptoris, a quonam emat, si res ipsi conveniat. Excipiendus est contractus matrimonii, in quo consensus ipsammet afficit personam, quae fit simul et pars contrahens et ipsius contractus obiectum.

Resp. 2° *Affirm.*, plerumque quoad contractus *gratuitos*, quia in his persona donatarii a donatore specialiter intendi solet. Spectanda sunt tamen rerum adiuncta, e quibus benefactoris voluntas dignosci melius potest.

778. — Quaer. 3° *An contractum invalidet error circa motivum?*

Resp. 1° *Affirm.*, si error cadat in motivum *finale:* v. gr. si dares eleemosynam *Titio*, quia illum pauperem reputas, cum dives sit; tuus enim consensus quoad ipsam rei substantiam deficit.

Resp. 2° *Neg.*, si error eadat solum in motivum *impellens*, v. gr. si eleemosynam dares *Petro* pauperi, quem valde probum credis, cum sit minus probus; hic error enim mere accidentalis est. — *S. Lig. n. 737.; Hom. apost. n. 137.*

779. **Resolves.** — 1° Si sacerdos sub nocte emat pro se pannum putans esse nigri coloris, dum viridis aut violacei est, non valet contractus, si expresse declaravit, se nigri coloris pannum velle;

in contractu in sensu, in quo hactenus in hac disputatione sumus locuti. Quod si tunc dolus causam dedit contractus, invalidus est in foro conscientiae, si ita velit deceptus, atque etiam in foro exteriori, si contractus fuit bonae fidei, esto nulla ex ipso orta sit inaequalitas.

Observa tamen, quando nulla est inaequalitas, regulariter non esse culpam letalem eum contractum non rescindere, idve decepto non offerre; reque non integra, ut contractus possit dissolvi, regulariter non consurgere obligationem aliquid restituendi sub culpa letali. Atque hinc a letali culpa et a restituendi onere sub culpa letali excusabuntur, qui mentientes, vinum esse plurium annorum, aut esse unius loci, illud vendiderunt ei, qui si sciret, non esse tot annorum, aut non esse eius loci, illud omnino non emisset, aut non tanto pretio, quando vinum in se, computatis omnibus circumstantiis, erat aeque bonum et aequalis valoris. Itemque, quando non tanti illud emisset, pretiique incrementum non esset tantum, quantum ad letalem culpam requiritur.

Semper tamen, re integra, obligatio tunc est sub culpa veniali rescindendi contractum, idve offerendi decepto, aut illi restituendi, quod minus erat daturus, saltem quando ab alio emisset minori pretio, nisi ita ab hoc fuisset deceptus, esto intra limites pretii iusti rigorosi emerit ab hoc: quando enim a nullo alio emisset melius vinum aut viliori pretio, tunc licet iniuria fuerit illi facta ita illi vendendo, quia tamen nullum damnum etiam lucri cessantis inde fuisset ei sequutum, nulla consurgeret restituendi obligatio.

Dixi, regulariter non intervenire culpam letalem non rescindendo similes contractus, aut non restituendo: quoniam si res esset magni valoris, et praesertim si aeque bonam minori pretio alioquin ille erat empturus, ita ut decrementum hoc in pretio ad culpam sufficeret letalem, utique culpa esset letalis et inire eum contractum interveniente dolo, et re integra illum non rescindere, et denique re iam non integra omittere restitutionem damni ex eo contractu illi sic decepto subsequuti.

licet enim color in se sit mera qualitas, in hoc casu transit in substantiam, proindeque error evadit substantialis.

2° Si tibi volenti emere vinum Burdigalense, Burgundinum offeratur, valet contractus *per se,* non obstante errore vel dolo, quia error non est substantialis. Sed iustitia laeditur accidentaliter, si Burdigalense carius sit; ideoque venditor restitutioni obnoxius erit. Si vero utriusque vini pretium sit aequale, vel si pretium imminuatur pro rata excessus, venditor immunis erit ab iniustitia, quamvis non a peccato mendacii. Dixi, *per se;* quia facile error posset esse *substantialis,* ut v. gr. si emptor intentionem expressis verbis Burdigalensi vino alligasset ob certum finem, ad quem aliud quodlibet non conduceret. — *Reuter, n. 113. et seq.*

3° Qui apud bibliopolam emit librum, quem existimat bonum, et postea deprehendit esse pravum, nihilominus valide contraxit, quia hunc praesentem absolute et sine restrictione emere voluit, quamvis certe non emisset, si pravum cognovisset. Secus vero, si falsus titulus libro inscriptus fuisset; quia tunc titulus causam erroris substantialis praebuisset. — *V. Casus, n. 779. et seq.*

4° Dolus in eo differt a simplici errore, quod error ex dolo proveniens, productus fuerit artificiis ad hunc finem adhibitis. Error, qui *per se* non esset sufficiens ad irritandum contractum, potest nullitati locum dare, si dolus intercesserit ex parte alterius contrahentis.

PUNCTUM II.

De metu.

Metus est 1° vel gravis vel levis; 2° inductus a causa intrinseca vel extrinseca, necessaria vel libera, iusta vel iniusta; 3° incussus in ordine ad contrahendum, vel ad alium finem. — *Recole dicta in Tract. de Act. hum. n. 17. et seq.*

780. **Principia.** — I. Metus quilibet ita perturbans rationis usum, ut a gravi culpa excuset, contractum, qui ex eo subsequitur, prorsus irritat ex omni iure. Ratio, quia tunc deficit consensus ad contrahendum requisitus, sive usum rationis metus omnino tollat, sive ita impediat, ut consensus dici plenus et perfectus non possit.

II. Nullus contractus ex metu ab intrinseco, aut causa necessaria, seu naturali est invalidus, nisi forte qui ex timore contrahit, sui compos non fuerit. Ratio est, quia nulla iniuria contrahenti irrogatur, et aliunde hic sufficientem servat libertatem. Idem dicendum est, si metus a causa libera seu ab homine iusta de causa incussus fuerit; hinc stuprator metu gravi, sed iusto, adactus ad ducendam puellam, quam seduxit, valide contrahit.

III. *Probabilius* (*a*) nullus contractus, *saltem onerosus,* initus ex

(*a*) Cum de his in utramque partem a DD. disputetur, opportuniorem forte locum inter *Quaestiones*, quam inter *Principia*, haec materia sibi vindicat.

metu levi, est invalidus, nec rescindibilis ad nutum illius, qui metum passus est. Ratio est, quia metus undecumque levis in iure pro nullo reputatur, cum facile contemni possit. — Secus enim gravissima incommoda in commercio humano sequerentur, cum metus levis frequentissimus sit. *Ita S. Lig. Hom. apost. tract. 10. n. 125.*, etc. Contradicit tamen *Lugo* cum *aliis*, quorum sententia probabilis a *S. Alph.* dicitur, praesertim si metus, licet levis, unica sit contrahendi causa.

Dixi, *saltem onerosus;* nam si agatur de contractibus gratuitis, eiusmodi contractus *probabilius* videntur irriti, quoties metus levis iniuste incussus fuerit ad eiusmodi extorquendum consensum. His enim contractibus essentiale est, ut procedant ex benevola et ultronea liberalitate. Sententia tamen opposita aliis visa est probabilis (*a*).

781. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An metus gravis incussus a comparte in ordine ad contrahendum, irritet contractum, si rationem minime perturbet?*

Resp. 1° Ex omnium sententia contractus huiusmodi sunt rescindibiles, sive gratuiti sint, sive onerosi.

Resp. 2° Quoad contractus *gratuitos, affirm.* Hoc enim *a fortiori* patet ex dictis de metu levi. Et sane si eiusmodi contractus valeret, qui metum incutit, ius acquireret in rem sibi traditam aut promissam; hoc autem repugnat, tum quia deest animus gratuito donandi, tum quia ius ex iniustitia oriri nequit (*b*). — *Ita communiter. — S. Lig., n. 716., id admittit ut probabile.*

Resp. 3° Quoad contractus onerosos, valde *controvertitur,* et duplex datur sententia probabilis.

Iª Sententia *communior* affirmat huiusmodi contractus esse validos. Ille enim, qui patitur metum, vult *vere* et *absolute* ex suae voluntatis motu contrahere. — *Ita S. Lig. ibid. — Lugo, et alii.*

IIª Sententia docet, contractus illos ex iure naturae esse plane irritos. Ratio est, quia secus ius ab iniustitia oriretur; et proinde incutiens metum posset rem extortam sine iniustitia retinere usque ad iudicis sententiam, quod tamen adversarii plerique omnes negant. Nec dicas, dari compensationem in contractu oneroso per solutam pecuniam vel aequivalens traditum; nam saepe durius est proprietario rem suam a se alienare, quam pecuniam gratuito ex metu tribuere.

Caeterum in praxi non valde differunt hae sententiae, cum

(*a*) Si probabilitas requirit iudicium prudens atque adeo solida quapiam ratione innixum, vix apparet, undenam huic opinioni probabilitas conciliari possit. Cum enim gratuitus contractus suapte natura procedat ex spontanea liberalitate, eiusdem ergo naturae repugnat consensus metu extortus, quem propterea quis invitus eliciat.

(*b*) Intellige, quod qui iniuriam infert, non potest per id acquirere ius contra laesum, cum potius reparandae iniuriae obligationem contrahat.

utraque in favorem coacti tandem quaestionem resolvat, ut iam diximus de casu simili, *n.* 777.

Adverte tamen, ex iure canonico certo invalidos esse contractus ex metu gravi elicitos, ubi agitur 1° de matrimonio, et probabiliter etiam de sponsalibus; 2° de traditione rerum Ecclesiae et renuntiatione beneficii; 3° de voto et professione religiosa; 4° *probabiliter* etiam de iurisdictione ecclesiastica et absolutione a censuris (*a*).

782. — Quaer. 2° *An rescindibilis sit contractus propter metum reverentialem initus?*

Resp. Neg. probabilius (*b*), quia non videtur *per se* sufficiens causa rescindendi contractum, nisi simul includat metum gravem, puta diuturnae indignationis, etc. ... Item nec preces importunissimae metum gravem constituunt, nisi forte cum metu reverentiali erga Superiorem iungantur. — *Sanchez.* — *Salm. et alii communiter.* — *Vide S. Lig. n.* 717.

Quaer. 3° *An sit irritus, vel privata auctoritate rescindibilis contractus, si metus gravis et iniustus a tertio tantum incutiatur, ita ut pars altera non sit iniuriae particeps?*

Resp. Controvertitur. Iª Sententia *probabilis affirmat*, quia ratione iniuriae, etiam a tertio illatae, res priori domino obligata manet, et consequenter cum illo onere ad quoslibet transit; non autem par est, ut quis per alterius iniuriam ius omne in rem suam amittat. — *Billuart*, etc.

IIª Sententia, et ipsa probabilis, *negat;* quia cum neutra pars iniuriam fecerit, nulla ex natura rei ratio adest, cur irritus sit contractus, et cur possit ad libitum unius rescindi, invito altero. — *Lugo, D.* 22. *n.* 117. (*c*). — *Reuter, n.* 126.

(*a*) Quaestio de iurisdictione ecclesiastica per metum extorta distingui debet a quaestione de absolutione a censuris. Postrema haec enim irrita manifeste in iure declaratur, prouti decrevit Gregorius X in Conc. Oecum. Lugd. (*Cap. unic. de iis quae vi metusve causa fiunt in VI*): *Absolutionis beneficium ab excommunicationis sententia, vel quamcumque revocationem ipsius, aut suspensionis, seu etiam interdicti per vim vel metu extortam, praesentis constitutionis auctoritate omnino viribus vacuamus* (*Vid. Lugo, Disp.* 22. *n.* 129.). Secus vero de priori dicendum, pro cuius invaliditate affertur tantum *L.* 2. *De Iudic.*, quae lex nihil ad rem facit; quippe loquitur de iudice, cuius iurisdictioni litigatores non sint subiecti, quam nullam esse declarat, *si cum restitisset quivis e litigatoribus, viribus Praeturae compulsus est.* Hinc De Lugo (*Disp.* 22. *n.* 131.) probabiliorem dicit eorum sententiam, qui validam habent eiusmodi iurisdictionem. Quae sententia usui esse aliquando poterit, ut minus certa hac iurisdictione, rationabili id causa expostulante, ad absolvendum quis utatur, etsi iurisdictionem ob metum aliquem a superiore collatam suspicetur.

(*b*) Brevius et clarius responderi posset, *affirmative*, quando reverentialis metus gravis haberi queat; secus, *negative*. Quando autem reverentialis metus *gravi* aut *levi* aequipolleat, traditum supponitur in Tractatu *De Actibus Humanis.*

(*c*) Lugo (*l. c.*) tenet, *loquendo de iure naturae, non posse rescindi,*

783. — QUAER. 4° *Quid si metus gravis fuerit quidem iniuste incussus, sed non ad consensum extorquendum?*

Resp. Controvertitur, sed videtur sic distinguendum : 1° Si metus ab altero contrahentium sit incussus, non valet contractus vel saltem rescindibilis est, quia incutiens metum tenetur tollere omnia incommoda, quae ex iniuria proveniunt. *Reuter, n. 127.* — *Lugo, Disp. 22. n. 177.*, etc.... — 2° Secus, si metus proveniat a tertio, quia nullus contrahentium iniuriam intulit; tertius autem, qui metum infert, non potest auferre contractus obligationem, consentiendo in eius rescissionem, siquidem contractus cum ipso initus non fuit: tenetur tamen inducere ad rescissionem, ut ab innocente iniuriam avertat, si hic velit. Hinc valida est emptio gladii facta ex metu hostis tui. Excipit *Lugo, n. 178.*, contractum matrimonii, quem ex tali metu initum putat esse invalidum. Alii excipiunt etiam contractus gratuitos, quia sic melius innocenti consulitur, et alter conqueri non potest, siquidem solo lucro privatur, ac manet in statu, in quo antea versabatur; et sicut ipse nollet in iis adiunctis obligari, ita nec alterum obligare debet.

784. **Resolves.** — 1° Si mineris alicui in furto deprehenso, te eum delaturum esse ad dominum laesum, vel ad custodem, aut iudicem, nisi munus certum tibi promittat, tenet promissio, nec munus acceptum teneris reddere, nisi forte iudicio viri prudentis excessivum videatur (*a*). Hoc etiam verum est, etsi intentionem illum deferendi non habuisses, sed solum terrendi, quia cederes e iure tuo id faciendi, quod pretio aestimabile est. — *Elbel, n. 307.* — *Reuter, n. 120.*

nisi qui metum intulit, faciat aliquo modo unum cum contrahente, adversus quem rescindendus erat, sed dari metum passo actionem adversus illum, qui metum intulit, pro damno illato. Haec Lugo, *spectato iure naturae;* nam (*ibid. n. 118.*) de iure positivo cum communi sententia tenet, contractus esse validos, sed irritandos, exceptis aliquibus, qui eodem positivo iure irriti sunt.

(*a*) De hoc casu ita ius romanum habet: *Si dederit fur, ne proderetur, quoniam utriusque* (nempe dantis et accipientis) *turpitudo versatur, cessat repetitio,* scilicet negatur actio ad recuperandum, quod datum fuerit. Et rursus : *Si a* (*servo*) *fugitivo meo acceperis, ne eum indicares, condicere tibi hoc, quasi furi, possim* (*L. Idem 4. §. 1. et 4. De condictione ob turpem causam*). Ad quae Ioannes Voet (*Lib. 12. Tit. 5. n. 3.*): *Cuius intererat, ob turpem causam non esse datum, condictio datorum concessa legitur; ut puta domino, a cuius servo fugitivo vel fure pecuniam acceperas, ne eum indicares.* E quibus satis colligitur, hanc quaestionem fere recidere in contractum de re turpi. Idcirco potiusquam dicas, eum qui silentium furi pollicetur, *e iure suo cedere,* dicendum forte erit, hunc discedere ab officio seu iustitiae, seu charitatis, seu iustitiae legalis aut charitatis in rempublicam; neque titulum accipiendi aut retinendi accepta a fure alium illi suppetere, nisi quod periculo alicui seu damno vel spirituali vel temporali semet exponat. Confer De Lugo (*Disp. 19. n. 103-104.*) et Molina (*De Iust. et Iur. Tr. 2. Disp. 735. n. 3.*), qui negant, promissum silentium, si praedicta damni pericula absint, pretio ullo esse aestimabile atque adeo retineri acceptum pretium posse.

2°. Si *Titius* intulit tibi metum, ut rem aliquam *Caio* tradas, non tenet contractus. Etenim si *Caius,* quo tempore rem a te acceptat, iniuriam tibi illatam novit, metum ipse incutere censetur per *Titium.* Si vero novit posterius, assimilandus est possessori bonae fidei, qui rem possessam restituere debet, statim ac comperit esse alienam.— ***Billuart**, diss. 1. art. 4.*

3° Si quis tibi damnum ex mera malevolentia paret, atque adeo nihil a te postulet; tu vero sponte pecuniam promittas, ut illaesus evadas; eam tradere non teneris; quia licet metus non fuerit in ordine ad contrahendum, habet tamen pro obiecto solam iniustae vexationis cessationem: atqui vexator hanc cessationem vendere nequit: ergo quidquid sic acquirit, ut male fidei possessor accipit, adeoque restituere debet.— *Billuart, ibid.*

4°. Si viator a latrone oppressus transeuntem hominem in auxilium advocaverit, ei pecuniam promittendo, valet promissio, quia metus non est eius causa, sed occasio tantum; et aliunde auxilium a transeunte praestitum est pretio aestimabile. Attamen, si summa enormis esset, imminuenda foret.— *V. Casus, n. 785. et seq.*

CAPUT II.

DE OBLIGATIONE CONTRACTUS

Obligatio contractus est vinculum, quo quis vi contractus adstringitur ad aliquid dandum, faciendum vel omittendum.

785. **Principia.**— I. Quilibet contractus rite initus parit obligationem in foro conscientiae, saltem ex parte unius e contrahentibus; quia in contractu ius aliquod tribuitur uni vel utrique parti; omni autem iuri sua correspondet obligatio; ergo, etc.

II. Contractus rite initus, nisi quid aliud pro casu particulari leges statuant, vim non habet, nisi inter solas personas contrahentes, aliasve, quae aut eorum locum teneant, aut cum iisdem causam habeant, ut sunt heredes, mandantes, etc. Ratio est, quia nemo privatus alteri invito onus imponere, vel beneficium concedere potest, nec alioquin contractus vim habent, nisi a privata contrahentium voluntate.

III. Contractus rite initus non solum obligat ad id, quod pacto exprimitur, sed ad omnia consectaria, quae pro conventionis natura postulant aequitas, lex, aut usus. Ratio est, quia contrahentes censentur agere cum bona fide, et propterea velle non tantum quod expresse in stipulatione includitur, sed etiam quod ab ea nasci solet.

Hinc studiose inquirenda est contrahentium intentio, si de ea clare et expresse constare possit. Si autem obscura et ambigua maneat, explicari potest tum ex materia conventionis, tum ex usu locorum,

tum ex indole personarum. Tandem si omnibus perpensis dubium tolli nequeat, amicabilis transactio suadenda est.

786. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quorsum obliget contractus rescissioni obnoxius ?*

Resp. Contractus ille dici potest conditionate obligans, scilicet si nullitas non invocetur. Ratio est, quia legislator ad bonum pacis noluit, ut eiusmodi contractus invalidi censerentur et essent, nisi quando eorum nullitas expresse invocaretur, et obtineretur. Sequitur ex dictis de contractibus minorum, uxorum, et interdictorum, *n. 762. et seq.*

QUAER. 2° *An valeant et in conscientia obligent contractus initi absque formalitatibus ad ipsorum valorem a iure praescriptis ?*

Resp. Triplex est sententia probabilis:

I[a] SENTENTIA *affirm.*, quia de iure naturali solus consensus partium sufficit ad obligationem inducendam, et lex humana naturalem obligationem inter personas aliunde habiles non tollit, quamvis actionem civilem neget. — *Molina,* etc...

II[a] SENTENTIA *negat,* quia leges irritantes contractus praedictos fundantur in praesumptione non tantum doli, sed etiam periculi communis; postulat siquidem bonum commune, ut ansa quibuslibet fraudibus tollatur; et proinde naturalem quoque obligationem contractus irriti in foro externo lex tollere potest et debet. — *Lessius, l. 2. c. 19.,* etc.

III[a] SENTENTIA tenet, in his contractibus praeferendum esse possessorem, donec per sententiam iudicis condemnetur ad restituendum (*a*). — *Ita S. Lig. n. 711.,* ubi addit, *Hanc sententiam esse in praxi omnino tenendam, ex eo quod, cum possessio ius certum tribuat, nequit possessor re exspoliari, nisi constet de iure alterius.*

787. — QUAER. 3° *Quomodo cesset obligatio contractuum?*

Resp. Obligatio contractuum cessat 1° Per *solutionem,* seu per *praestationem* cuiuslibet rei debitae, aut etiam per *executionem* obiecti promissi aut alias debiti.

2° Per *novationem,* seu substitutionem novi debiti debito veteri, quod sic extinguitur: v. gr. promisi tibi dare singulis annis decem vini dolia; nunc convenio tecum, ut vinum amplius dare non tenear, sed mille francos: obligatio dandi vinum tunc extinguitur.

3° Per *condonationem,* seu actum, quo creditor debitori suo ex

(*a*) Clarius Lugo (*Disp. 22. n. 251.*), qui hanc opinionem reipsa futilem esse evincit. *Tertia sententia media dicit, non esse omnino nullum testamentum vel contractum sine ulla solemnitate factum; sed valere ad hoc, quod possessor potest retinere, donec per sententiam condemnetur; post sententiam vero tenetur restituere.* Negat proinde, ius aliquod ex possessione fieri; sed (ut subdit) *haec videtur esse sola legislatoris intentio, et ita videntur leges usu proborum hominum receptae, ut solum detur ius petendi in iudicio et obtinendi contra eiusmodi testamenta et contractus, non vero quod ipse, qui possidet, debeat se spoliare, quod nimis rigidum esset.*

plena libertate debitum remittit. Quisque enim de iure suo cedere potest in iis omnibus, quae ad bonum publicum non spectant, modo ad contrahendum inhabilis non fuerit.

4° Per *compensationem*, seu fictam et reciprocam solutionem, quae locum habet, quando personae sunt erga se invicem debitrices.

5° Per *confusionem*, quae locum habet, cum obligatio debitoris et ius creditoris in eadem persona coadunantur, v. gr. si creditor fiat heres sui debitoris, vel debitor sui creditoris, vel eadem persona fiat heres creditoris simul et debitoris.

6° Per *destructionem*, aut *perditionem* rei debitae, quae aliquando debitorem ab obligatione liberat, ut in contractibus mere gratuitis, et aliquando in aliis, ubi non incidit culpa debitoris . . . Aliquando vero non liberat, v. gr. si evenerit culpa debitoris, vel fuerit in mora culpabili... etc.

7° Per *rescissionem*, seu *rescindibilitatem*, quae locum habet, quando contractus essentialibus conditionibus constans ob aliquos defectus dissolubilis est. Contractus ille valet, donec rescindatur, *ut supra dictum est (C. C. 1234.)*.

8° Per *praescriptionem*, de qua dictum est supra, *Tract. de Iustitia, n. 580. et seq.* (*a*).

788.— QUAER. 4° *An cessio bonorum a solutione integra liberet?*

Resp. 1° *Neg.* quoad cessionem voluntariam, seclusa speciali conventione inter creditores et debitorem, vi cuius hic omnino liberetur. Ratio est, quia creditores non sunt facti omnino indemnes, et proinde remanet adhuc inaequalitas reparanda.— *S. Lig. n. 669. — Gousset, n. 772. — Vogler, n. 542. — Vide supra de Iustitia, n. 719.*

Resp. 2° *Neg.*, etiam quoad cessionem iudiciariam; privilegium enim cessionis consistit tantum in eo, quod debitor infelix et bonae fidei, amplius iudicialiter urgeri non possit; proinde si nova bona acquirat, usque ad integram solutionem creditoribus satisfacere debet.— *S. Lig. ibid.* Excipe, si ex rerum adiunctis videantur creditores omnia antiqua debita condonare.

QUAER. 5° *An bona cessurus aliquid occulte sibi reservare possit?*

Resp. 1° Certo peccat contra iustitiam, si res magni valoris retinet, quia damnum creditoribus infert.

Resp. 2° Qui cedit bonis, si in magna versetur indigentia, non peccat contra iustitiam, si bona quaedam servet, quibus sustentetur cum familia, donec per iudicem ipsi provisum fuerit. Post factum autem inquietandi non sunt illi, qui res vere sibi necessarias, modici valoris, sibi retinuerunt.— *Vogler, n. 542. — Gousset, n. 772.*

(*a*) Inter modos, quibus cessat contractuum obligatio, praeter alios minoris momenti accenseri non incongrue potest etiam mutuus contrahentium dissensus.

789.— QUAER. 6° *Quibusnam signis distingui possit, utrum lex irritet contractum* IPSO FACTO, *ob defectum solemnitatis, vel post iudicis sententiam tantum?*

Resp. Vix ac ne vix quidem regulae omnino certae in hoc dari possunt; nec concordant inter se sive Theologi, sive Iurisperiti. Generatim tamen lex videtur ipso facto irritare in conscientia et ante iudicis sententiam,

1° Quando irritatio fundatur in lege determinativa proprietatis; quia ad Principem vi supremae potestatis pertinet, dominium rerum determinare. Hinc ipso facto irritae sunt dispositiones, quibus reservatio heredum necessariorum laeditur.

2° Quando irritatio spectat actum bono publico nocivum; quia Princeps habere debet potestatem impediendi, ac proinde in conscientia irritandi actus civiles bono communi noxios; secus deordinationem in societate efficaciter non impediret. Hinc ipso facto irritae sunt ex utraque parte conventiones ob causam turpem.

3° Quando irritatio directe fundatur in motivo boni publici; quia secus legislator scopum suum sufficienter non obtineret. Sic irritae sunt ipso facto dispositiones immobilium dotalium.

Quando vero difficile sit, ut saepe contingit, praefatas regulas applicare, ad interpretationem Doctorum, et ad consuetudinem recurrendum est.

CAPUT III.

DE CONTRACTUUM MODIFICATIONIBUS

Modificationum nomine designantur quaedam clausulae praeter contractuum naturam et essentiam adiectae, ita ut eorumdem contractuum obligationem nunc obfirment, nunc etiam augeant vel determinent, nunc suspendant vel perimant.

Praecipuae autem contractuum modificationes sunt 1° iuramentum; 2° modi; 3° conditiones.— De his tribus breviter agendum.

ARTICULUS I.

DE IURAMENTO CONTRACTUI ADIECTO

790. — Iuramentum, prout hic sumitur, est advocatio Dei in testem eorum, quae per contractum promittuntur. Obligatio iuramenti ab obligatione contractus in hoc etiam differt, quod obligatio iuramenti afficit et obstringit immediate iurantis personam, unde ad heredes non transit; obligatio vero contractus confert alteri ius *strictum,* seu ius *proprietatis,* afficiens contrahentis bona, ideoque ad heredes obligatio integra transit.

791. **Principia.** — I. Contractus iure naturae irriti, iuramento non firmantur. Ratio est, quia iuramentum est actus omnino

extrinsecus contractui, et proinde eius vim supplere nullatenus potest. Hinc axioma: *Iuramentum sequitur naturam actus.* — *Billuart.* — *Reuter,* etc.

II. Nec firmantur iuramento contractus ipso facto *irriti* de iure positivo. Ratio est, quia lex irritans innititur motivo boni communis, atque ordinis publici; iuramentum igitur foret contra bonum commune, et proinde vinculum immorale, quod Deus, societatis auctor, sancire non potest.— *Ita communius* cum *Billuart.*

III. Iuramentum semper est invalidum, quoties sine iurantis peccato servari non potest. Ratio est, quia iuramentum nequit esse vinculum iniquitatis, nec contra bonos mores obligare valet.— *Ita omnes Theologi.*

792. **Quaesita**.—QUAER. 1° *An iuramentum firmet contractus, non quidem lege positiva irritos, sed rescindibiles tantum?*

Resp. 1° *Neg. probabilius,* quando rescindibilitas intuitu boni publici inducitur. Ratio patet ex dictis. Hinc non valent iuramenta minorum, uxorum et similium ad firmandos contractus lege irritos, etsi lex in ipsorum utilitatem sit constituta; quippe perversi homines semper iuramentum ab iis exigerent, quod in detrimentum societatis cederet.

Resp. 2° *Probabilius* autem iuramentum valet, si rescindibilitas inducta fuerit in privatam contrahentium utilitatem: quia unusquisque renuntiare potest beneficio in sui gratiam constituto: iuramenti autem interpositio in eo casu est quaedam renuntiatio beneficio rescissionis, in gratiam contrahentis inducto. Hinc videtur stare iuramentum, quo quis promittit libere alteri, se non revocaturum testamentum, vel legatum in ipsius favorem factum, quia iurans e iure suo cedere potest.— *Ita communius.*—*Lugo,* etc.

793. — QUAER. 2° *An valeant iuramenta metu extorta ad firmandos contractus ob metum per se invalidos?*

Resp. Duplex sententia datur probabilis:

I. SENTENTIA *communior affirmat,* quia ex motivo Religionis iuramentum servari debet, quoties sine peccato servari potest. — *S. Lig. de Iuram. n. 174.* — *Lugo, Billuart.*

II. SENTENTIA *probabilis neg.,* quia iuramentum naturam actus sequi debet; iuramentum enim actum de natura nullum confirmare nequit. Praeterea iuramentum esset actus prorsus inutilis imo ridiculus. Nam v. gr. post pecuniae traditionem a te vi iuramenti factam latroni, eamdem pecuniam statim a latrone, etiam vi adhibita, recuperare posses; quod prorsus illusorium foret.— *S. Antoninus.*— *Sanchez,* etc.

ARTICULUS II.

DE MODIS CONTRACTUI PRAEFINITIS

794.— Modus est qualitas adiecta, plerumque non suspendens contractum, sed addens aliquid in onus aut favorem unius contrahentium.

Contractus modales praecipue fiunt 1° in diem,— 2° sub causa, — 3° sub poena,— 4° sub demonstratione,— 5° sub disiunctione.

Resolves. — 1° Modus servandus est ex iustitia, nisi repugnet substantiae contractus.

2° Illius violatio ordinarie, et nisi aliter conventum fuerit, non irritat contractum; quia ut quid mere accidentale habetur.

3° Si modus sit turpis aut impossibilis, habetur pro non adiecto; nec contractus est invalidus, nisi modus illius naturae repugnet, vel nisi voluntas contrahentis omnino ad illum restricta fuerit.

4° In contractu *ad diem,* obligatio statim oritur, sed *effectus* ad diem determinatum suspenditur.

5° In contractu *sub causa (quia),* vel sub *demonstratione* (vendo hoc vel tantum), error non invalidat, nisi ad essentiam rei pertineat.

6° Si error sit in quantitate, res tota debetur, si quantitas designata fuerit *demonstrative;* si vero *taxative,* ut aiunt, excessus quantitatis non debetur. Porro res censetur designata *demonstrative,* si res primo loco exprimatur, et postea eius quantitas: v. gr. lego *Titio* praedium meum triginta iugerum; *taxative* vero, si primo loco quantitas exprimatur, deinde res; v. gr. lego tres aureos in tali capsula. Sed adiuncta rerum perpendenda sunt.

7° In contractu *sub poena,* id est, quoties resilienti poena imponitur, poena haec ex iustitia debetur, si petatur, saltem si culpabiliter contractus adimpletus non est. Poena tamen moderata esse debet; secus non obligaret.

8° In contractu *sub disiunctione,* v. gr. promitto bovem aut equum, nulla res determinata debetur, et unius solutio totam obligationem tollit. Electio rei *per se* pertinet ad debitorem.

ARTICULUS III.

DE CONDITIONIBUS CONTRACTUI APPOSITIS

795.— Conditio est qualitas (*a*) contractui adiecta, quae plerumque illum suspendit, donec impleatur. Exprimi solet per particulam: *si, nisi, modo ...,* etc.

(*a*) Conditionem hic, potius quam *qualitatem,* definies esse *circumstantiam* dispositioni seu contractui adiectam, a cuius existentia dependere volumus illius valorem (*Schmalzgr. Lib. 4. Tit. 8. n. 1.*).

Multiplex est conditio, quae contractibus apponi potest, scilicet 1° *expressa*, vel *tacita;* — 2° de *praesenti*, vel de *futuro;* — 3° *possibilis*, vel *impossibilis;* — 4° *necessaria*, aut mere *contingens;* — 5° *honesta*, vel *inhonesta;* — 6° *potestativa*, vel *casualis*, prout est in potestate contrahentis, vel non est (*a*); — 7° *positiva*, vel *negativa;* — 8° *contraria* substantiae contractus, vel non.

796. **Resolves.** — 1° Omnes conditiones impleri debent eo sensu, quo contrahentes prudenter censentur se obligare voluisse.

2° Conditio de re turpi aut impossibili contractum nullum tum iure naturae tum civili reddit. Ratio est, quia nemo potest ad aliquid turpe aut prohibitum se obligare. Excipiuntur tamen in Iure civili, tum communi, tum Gallico, donationes inter vivos et per testamenta, in quibus conditiones *turpes* pro non adiectis habentur. — *Cod. civ. 900.* — Idem dicendum de conditione turpi aut impossibili matrimonio adiecta, modo substantiae contractus contraria non sit. — *Ita ex Iure canonico.*

3° Conditio de *praesenti* et *praeterito* non suspendit obligationem, sed illam statim vel adducit, aut non inducit, quia vel existit, vel non; proinde hic et nunc vel contractus validus est, vel nullus.

4° Conditio non tantum aequivalenter, sed in propria forma adimpleri debet. Excipiunt aliqui conditionem, *si nupseris*, quam impleri dicunt per ingressum in Religionem; secus enim conditio turpis esset. — *Vide S. Lig. n. 930.* Excipe, si conditio esset determinata ad aliquam personam, v. gr. si nupseris *Paulo;* quia iusta et honesta ratio tunc adesse potest.

5° Conditiones *potestativae*, seu quae a voluntate unius contrahentium pendent, adimpletae censentur non solum cum id praestatur, quod instar conditionis iniunctum fuit, de quo nulla esse potest controversia, sed etiamsi id reipsa non praestetur, quando scilicet ille, qui se obligavit, vel 1° impedivit quominus conditio adimpleretur (*b*); vel 2° ab altero impeditus est, ne conditioni satisfaceret (*c*). — *V. Casus n. 787. et seq.*

(*a*) Huic partitioni tertium alii addunt membrum, conditionem nempe *mixtam*, quae partim ab contrahentis arbitrio, partim ab incerto eventu pendet.

**(*b*) Non ita semper contingit; potest enim quis contractui apponere conditionem, quam implere vel non implere sit in eiusdem apponentis libera potestate. Sic v. gr. potest quis nuptias promittere, nisi sacris malit initiari. Imo haec conditio tacite subintelligitur in contractu sponsalium, nempe, nisi malim religionem ingredi, aut sacros ordines suscipere etc.

(*c*) Duplicem casum, in quo etiamsi non id praestetur, quod pacto cautum fuerat, conditio tamen impleta censetur, habes 1° Si implementum conditionis impediverit tertius, cuius intererat eam haud impleri, cum contrahens implere ipsam vellet; 2° Si impeditum sit implementum facto tertii, in cuius persona conditio implenda erat.— *Vid. Voet, Lib.28.Tit.7.n.19.*

PARS SECUNDA

DE CONTRACTIBUS IN SPECIE

AC 1° DE CONTRACTIBUS GRATUITIS; 2° DE CONTRACTIBUS ONEROSIS

SECTIO I.

DE CONTRACTIBUS GRATUITIS

Nimirum 1° de promissione; 2° de donationibus; 3° de commodato et precario; 4° de deposito et sequestro; 5° de mandato et gestione negotiorum; 6° de mutuo...

CAPUT I.

DE PROMISSIONE

797. — Promissio est contractus, quo quis libere et spontanee sese obligat ad aliquid gratuito praestandum vel omittendum in alterius favorem. Conditiones ad obligationem promissionis requisitae sunt, 1° Ut adsit voluntas se obligandi, saltem virtualis et implicita, quam censetur habere, quisquis serio vult promittere, etsi ad obligationem non advertat.

2° Ut consensus eiusdem promittentis plene sit liber et spontaneus, ac proinde absit omnis error et dolus circa substantiam et causam finalem, omnisque coactio vel metus iniustus.

3° Ut ipsa promissio sit exterius manifestata, et acceptata; siquidem omne pactum debet constare mutuo consensu duorum vel plurium in idem obiectum; et aliunde nemo censetur velle sese erga aliquem obligare, nisi iste acceptet.

798. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Quae et quanta sit obligatio promissionis semel acceptatae?*

Resp. Controvertitur inter Theologos. Triplex datur sententia probabilis, iuxta *S. Lig. n. 720.* (*a*).

** (*a*) Utique haec trium diversarum sententiarum distinctio apud S. Alphonsum cernitur (*Lib. 3. n. 720.*), sicut et apud Salmanticenses (*Tr. 14. Cap. 4. n. 78-83.*), e quibus eam S. Doctor desumpsit. Alio tamen ordine tres sententiae apud hos proponuntur. *Primam* enim hi ponunt, quam A. *secundo* loco habet; *secundam*, quam A. *ultimam* refert; *tertiam* vero, quam A. *primam* exhibet.

Caeterum Salmanticenses tantum non hanc suam ipsorum fabricam destruunt. Primam enim (apud A. *secundam*) sic proponunt (*l. c. n. 79.*):

I· Sententia tenet, promissionem, *per se*, solum obligare sub peccato veniali, ex mera fidelitate. Ratio est, quia contractus gratuitus obligat solum vinculo fidelitatis, et fidelitas non videtur obligare sub peccato mortali, si alia incommoda absint. —*Salmant.*—*Saettler*, *et alii.*

Prima sententia dicit, esse peccatum mortale non implere promissionem acceptatam, et esse ex iustitia promissorem obligatum, etiamsi nullum aliud damnum eveniat promissario. Sed deinde ubi de *secunda* (apud A. *tertia*) disserunt, subdunt (*l. c. n. 81.*) plerosque pro illa sententia citatos potius stare pro ista. Ita illi: *Et ex auctoribus primae sententiae plures reipsa illi* (*sc. secundae*) *adhaerent, cum eandem obligationem gravem in promissione ad intentionem promittentis reducant, et nos multoties in hoc Cursu obiter de hac re agentes cum hac probabilissima opinione conformati sumus.* At si ita se res habet, cur ergo Salmanticenses pro prima illa sententia eos auctores allegant, et non potius citarunt pro secunda? Adde insuper, quod alii ab ipsis pro prima illa sententia allegati de promissione disputant, prout etiam locum habet in contractu *oneroso*, uti v. gr. Silvester (*V. Pactum q. 4.*), Sotus (*De Iust. et Iur. Lib. 7. Q. 2. art. 1. ad 1.*), S. Antoninus (*Part. 2. Tit. 10. Cap. 1. §. 4.*) et Covarruvias (*In C. Quamvis pactum, Part. 2. §. 4. n. 13.*), quas binas postremas allegationes adoptavit, sicut et quas alias habet, S. Alphonsus (*l. c.*). At enim cum in contractu *oneroso* necessario intercedat obligatio *iustitiae*, Salmanticenses vero non disputent de promissionibus *contractus onerosi* propriis, iam et isti auctores abs re citantur. Itaque prima ista sententia, prout a Salmanticensibus exhibetur, tantum non apparet ceu figmentum ab ipsis excogitatum.

Sed rursus cum ad tertiam veniunt (prima est apud A.), sic eam describunt (*l. c. n. 82*): *Tertia sententia, quam modo amplectimur,.... asserit, per se loquendo promissionem simplicem et gratuitam solum obligare sub veniali.* Verumtamen ecce (*l. c. n. 83.*) subiungunt: *Nec obstant, quae pro sua parte adducit secunda sententia; non enim negamus, posse quemlibet se ex iustitia obligare, nullo debito praecedente, sicut potest gratis pro alio fideiubere, quia fideiussio in fieri est gratis, et semel facta obligat ad solutionem ex iustitia.* Ergo hic fatentur, promissorem posse semet obligare ex iustitia, quae ex genere suo importat gravem obligationem, et cuius violatio ex genere suo est grave peccatum. Ergo demum Salmanticenses recidunt in sententiam secundam (apud A. *tertiam*), quae ab ipsis ita describitur (*l. c. n. 80.*): *Secunda sententia dicit, pendere ex promittentis intentione, quod promissio acceptata in gravi materia obliget graviter, vel non: si enim voluit promittens se ex iustitia et graviter obligare, hac adstrictus obligatione manebit; si solum ex honestate et fidelitate, quomodo contingit frequenter, solum leviter obligatus erit: et ita asserit iudicandum esse, quoties non constiterit de opposito.*

Concludere igitur demum licebit, et primam (apud A. *secundam*), et tertiam (apud A. *primam*) Salmanticensium sententiam ex ipsorum confessione in eorum secundam (apud A. *tertiam*) recidere; unde sequitur, hanc trium diversarum sententiarum distinctionem figmentum quoddam esse, quod ipsimet eius fabricatores suis manibus destruunt.

Illud difficile Salmanticensibus visum est (*l. c. n. 83.*), quod quispiam *nude velit promittere non addito alio, et quod amplius se velit obligare, quam ex fidelitate.* Verum non item difficile hoc visum est Lugo, qui rem sic explicat (*Disp. 23. n. 91.*): *Non apparet, cur non possis gratuito et sine ullo debito praecedenti velle te ex iustitia obligare alteri ad dandum vel faciendum aliquid postea in eius gratiam. Sicut enim potes ei gratuito donare domum, atque ideo transferre in ipsum ius aliquod reale in domum tuam, quod sit obiectum propriae iustitiae, cur non poteris trans-*

Iª Sententia dicit, promissionem seriam in re gravi obligare sub gravi ex iustitia, independenter ab intentione promittentis. Ratio est, quia promissio gratuita non est diversi ordinis ac promissio onerosa, ratione obligationis.— *Antoine, qu. 3.*, etc.

ferre in ipsum gratuito ius, non in re sed ad rem, et te constituere debitorem eius ex debito iustitiae? Totum quippe illud, quod potest ex pretio dari, potest etiam dari gratis; et sicut potes domum pretio vendere, ita potes eam etiam gratis dare, et ita in utroque casu aeque das ius proprium iustitiae in domum; ergo sicut potes pretio accepto ex iustitia te obligare ad aliquid postea faciendum vel dandum, ex qua obligatione das ius ex iustitia propria adversus te, ita poteris hoc ipsum ius dare gratis et constituere te debitorem ex iustitia, velut si pretium pro hac obligatione accepisses.

Discrimen autem inter promissionem, quae ex *iustitia*, et quae ex mera *fidelitate* obliget, sic idem Lugo (*l. c. n. 14.*) proposuerat: *Respondeo, differentiam magnam esse quoad hoc* (scil. vim promissionis iuxta diversam promittentis intentionem) *inter iustitiam et fidelitatem: nam iustitia solum obligat ad non laedendum ius alienum, seu ad non usurpandum id, quod est alterius, sine eius consensu: quando autem non fuit voluntas in promittente dandi ius alteri, non fuit translatum tale ius, quia res nostra sine consensu nostro transferri non potest: unde non potest iustitia obligare ad servandum ius alienum, quod revera non est, quia illi nihil debeo, quando promissio erat mere gratuita, et sine alio promissarii praeiudicio. Fidelitas autem, ut communiter dici solet, non obligat ad id, quod alteri debeo, sed ad id, quod mihimet ipsi debeo: ideo enim dici solet, Deum, qui non ex iustitia obligatur, sed ex fidelitate, non debere quidquam alteri ex promissione sua, sed sibimet ipsi: quia obligatio illa non oritur ex iure, quod promissarius habeat, et quod illaesum promittens servare debeat, sed ex obligatione, quam ipse habet servandi fidelitatem in promissis. Nam sicut obligatio ex veracitate ad dicendum verum non oritur ex iure proximi, sed ex debito, quod ego habeo non impediendi mihi commercium humanum, et non abrogandi mihi fidem in assertis; sic obligatio ex fidelitate non oritur ex iure alieno, sed ex debito, quo mihi debeo non impedire mihi commercium humanum, et fiduciam aliorum ex meis dictis.* Quod brevius alibi idem Lugo sic effert (*l. c. n. 91.*): *Ostendimus differentiam inter fidelitatem et iustitiam in eo esse, quod fidelitas nullum det ius promissario, sed solum obliget ex eo, quod quilibet debet sua facta conformare promissis, quatenus necesse est ad convictum humanum, non solum quod verba concordent menti, quod pertinet ad veracitatem, et opponitur mendacio,.... sed etiam quod facta concordent promissis, quod pertinet ad fidelitatem, et opponitur infidelitati.*

Et haec quidem doctrina vere communissima dici debet, prouti etiam ex Salmanticensibus superius colligere licuit. Si qua enim dissensio inter Doctores appareat, ea potius ad modum loquendi, quam ad rei substantiam referenda est. Sunt videlicet, qui *promissionem veram,* ut inquiunt, aut *proprie* seu *stricte dictam* appellant eam tantummodo, quae ex *iustitia* obligat, atque adeo gravem ex genere suo infert obligationem; hanc autem distinguunt a promissione non *vera,* aut *minus proprie* ac *late* dicta, quam et *assertionem* vocant, quae ex *fidelitate* tantum promittentem constringit. Ita v. gr. Laymann (*Lib. 3. Tr. 4. C. 12. n. 1.*): *Duplex est promissio: una improprie dicta, cum intentio dicentis, se facturum aliquid in alterius hominis gratiam, solum est ad obligandum se ex virtute fidelitatis et veracitatis, secundum quam in dictis constantes, veraces, ac fideles esse debemus· cuiusmodi constantiae et fidelitatis obligatio ex genere*

III[a] SENTENTIA, *communior* et *probabilior,* docet obligationem promissionis pendere ex intentione promittentis. Unde si ille intendat se ex iustitia obligare, obligatur sub mortali in gravi materia; si autem solum intendat se obligare ex fidelitate, sub levi tantum obligatur. — *Lugo.* — *Billuart.* — *Sporer,* — etc. Porro ad materiam gravem in promissione requirunt quantitatem quadruplo maiorem quam in furto mortali.— *S. Lig.*

Et haec quidem de promissione *proprie* sumpta. Nam saepius promissiones, quales communiter fiunt, neque ex iustitia, neque ex fidelitate obligant; quia promittens non intendit suam fidem stricte obligare, sed mere propositum suum enuntiare.

799. — QUAER. 2° *Quid in dubio, an aliquis voluerit se obligare sub gravi aut sub levi iuxta patronos tertiae sententiae ?*

Resp. Probabilius pro minima parte standum est, quia in dubio non est imponendum onus certum, praesertim in promissione, quae maximam requirit spontaneitatem. — *S. Lig. n. 720.* Certum praeterea est, promissionem serio factam et acceptatam in re gravi posse, *per accidens,* obligare sub gravi ex iustitia; ut si intercederet ratio ingentis damni proximo obvenientis ex promissione non servata. — *Scavini.*

QUAER. 3° *An aliquis possit promissionem acceptare per alium ?*

Resp. Affirm. Potest quis acceptare promissionem per quempiam ad id electum, aut per familiarem, quia una moraliter personam cum eo constituere censetur. Potest etiam promissionem acceptare per alium, qui eius curam gerit, v. gr. pater pro filiofamilias. Religiosus pro monasterio, Praelatus pro Ecclesia sua, uxor pro marito.

QUAER. 4° *Quandonam cesset vis promissionis acceptatae?*

Resp. 1° Si promissarius sponte condonet, aut iuri suo cedat. — 2° Si res promissa fiat illicita vel inutilis. — 3° Si promissarius non stet suis promissis. — 4° Si status rerum vel personarum ita mutetur, ut promissio non videatur illum eventum comprehendere. — 5° Si causa, quae ad promittendum movit, nullatenus subsistat (*a*). — *S. Lig. ibid.*

800. — QUAER. 5° *An, vel quatenus obliget promissio, si ante executionem moriatur promissarius, vel promittens ?*

suo et per se loquendo levis est, solum sub peccato veniali... Altera vero est promissio proprie dicta, cum intentio promittentis est ex iustitia se obligare, ita ut alteri promissionem acceptanti ius et actio, tamquam vere debitum exigendi, saltem in conscientiae foro, acquiratur...: et talis promissio ex genere suo obligat sub peccato mortali. Eadem prope habes apud Lessium (*Lib. 2. C. 18. n. 55. et 58.*), Sanchez (*De Matrim. Lib. 1. Disp. 5. n. 20.*), Palaum (*De Matrim. Disp. 1. P. 2. n. 14.*), Trullench (*Lib. 7. C. 16. Dub. 6. n. 2. 3.*), etc.

(*a*) Postremum hoc, si universim sumatur, verum non est. Nam causa *praeterita,* utut falsa, generatim loquendo non nocet, et pro non adiecta habetur. *Vid. Voet, In Pand. Lib. 35. Tit. 1. n. 9.*

Resp. ad 1um *Disting.* Nullo modo obligat, si promissio facta fuerit principaliter in gratiam promissarii; quia, eo mortuo, cessat finis in promissione intentus; secus autem, si promissio facta sit praecipue intuitu familiae promissarii, vel ipsius heredum.

Resp. ad 2um Mortuo promittente, promissio debitis vestita conditionibus ab eius heredibus adimplenda est; quia omnis obligatio realis ad heredes transire debet eodem modo, eodemque titulo, quo promittens obligabatur. Proinde sub gravi vel sub levi, ex iustitia vel fidelitate, tenebuntur heredes, sicut promittens, dum vivebat, tenebatur. Poterunt tamen ab omni obligatione liberari, si ex adiunctis rei, aut ex signis manifestum sit, promittentem voluisse tantum se personaliter obligare. — *Lugo.* — *Reuter*, etc.

Casus. *Sylvinus* famulae suae *Perpetuae* interdum dictitat, se ipsi, praeter annuum stipendium, centum scutata erogaturum esse, vel eamdem pecuniae summam in suo testamento mox conficiendo, legati instar, esse relicturum. Sed ecce ! repentina morte corripitur *Sylvinus,* antequam propositum perficere potuerit. *Perpetua* vero absque mora promissam sibi pecuniam clam surripere festinat. An recte? *Resp.* Minime. Promissio enim non dat ius *in re,* nec proinde ullam facultatem rem promissam propria auctoritate occupandi (*a*). — *Vide supra, de Iust., n. 521.* — Caeterum communiter hae promissiones non sunt nisi mera *propositi* significatio, et dumtaxat voluntatem aliquid donandi enuntiant. — *Gousset.* — *V. Casus, n. 797. et seq.*

CAPUT II.

DE DONATIONIBUS

ac 1° de donationibus in genere; 2° de variis donationum speciebus.

ARTICULUS I.

DE DONATIONIBUS IN GENERE

801. — Donatio in genere est cessio gratuita alicuius rei in favorem alterius. Duobus praecipue modis fieri potest, nempe *inter vivos* et *per testamentum,* ut dicemus in articulo sequenti. Nunc autem dicendum occurrit 1° de conditionibus donationis; 2° de casibus nonnullis, in quibus donationes, licet validae, non plenum sortiuntur effectum.

(*a*) Promissio tamen, si ex iustitia fiat, dat promissario ius ad rem (*De Lugo Disp. 23. n. 100.*). Vide praeterea, quae Auctor *infr. n. 836.* habet. In casu autem et illud advertendum, quod promissio Sylvini censetur remuneratoria: donationes autem remuneratoriae (quod etiam Auctor *infr. n. 828.* notat) quamdam potius debiti solutionem, quam gratuitam cessionem praeseferunt.

§. I. *De conditionibus donationis* (*a*).

802. **Principia.** — I. *Ex parte donantis* requiritur, 1° ut non sit incapax *de facto,* id est, ut sit sanus mente, quando vel donatio *inter vivos* perficitur, vel conficitur testamentum, et ut cum sufficiente libertate agat; 2° ut non sit incapax de iure, quando donationem perficit, aut testamentum condit.

II. *Ex parte donatarii* requiritur habilitas ad recipiendum. Habiles autem sunt omnes homines, qui recipiendi donationes per legem non constituuntur incapaces. Nec inhabiles habendi sunt infantes, amentes, vel alii usu rationis carentes, cum sint dominii capaces, et res acceptare vel occupare per alios possint, v. gr. per parentes, tutores, etc., iuxta dicta in *Tractatu de Iustitia, n. 542.*

803. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quinam* EX IURE *inhabiles sint ad donandum?*

Resp. 1° *Ex Iure Romano* sunt sequentes: 1° surdi simul et muti a nativitate, nisi scribere sciant; 2° damnati crimine capitali; 3° pupilli vel impuberes, nisi agatur de rebus parvi momenti; 4° coniuges inter se, nisi donatio sit modici momenti; 5° pater erga filium sub sua potestate manentem, excepta causa matrimonii, belli, studiorum et similium (*b*).

Resp. 2° *Ex iure Gallico* incapaces sunt 1° minores, nisi ratione contractus coniugalis; 2° interdicti, qui egent assistentia consiliarii a iudicibus concessi; 3° uxores absque consensu mariti, aut

(*a*) Ex mente Auctoris intelligenda hic est ea *donatio in genere,* quam paulo ante definit per *cessionem gratuitam alicuius rei in favorem alterius.* Et cum sequutus Gallicum Codicem (*art. 893.*) idem Auctor duplicem cessionis huius gratuitae modum statuat, nimirum *per donationem inter vivos,* et *per testamentum;* proinde hac paragrapho complecti voluit quae ad utrumque istud cessionis genus pertinent. At enim haec materiae dispositio haud mediocrem inducit confusionem, ut legenti facile patet: quippe quae ad alterutrum cessionis modum spectant, haec ceu pertinentia ad genericam cessionis gratuitae rationem traduntur. Quae rerum confusio cum perspicaciam Auctoris effugere non potuerit, dicemus, eum criterio legentium plane fuisse confisum, et idcirco nullam periculi ex hac confusione impendentis rationem habendam iudicasse.

(*b*) Quae hac responsione continentur, accipienda sunt de *donatione inter vivos,* non vero de donatione *in genere,* quae complectitur etiam cessiones per testamenta. Nam coniuges et pater reipsa non sunt inhabiles ad illas donationes per testamentum. Sed et illud, quod de impuberibus dicitur, non undecumque verum est. Nam valet, absolute loquendo, de testamentis; sed donatio proprie dicta non est impuberibus interdicta, ubi accedat tutoris auctoritas, et quidquid aliud ad alienationem bonorum pupillarium requiritur. Idipsum dicito etiam de iis, quae in responsione secunda subiiciuntur secundum ius Gallicum. Nam praeterquam quod minores ne per testamentum quidem disponere quidquam possunt, nisi ad annum 16. pervenerint, reliqua tantum ad donationes inter vivos spectant.

iudicis auctoritate; 4° negotiatores, qui obligationibus adimplendis impares sunt in casibus lege determinatis. — *Art. 446. Cod. comm.*

804. — Quaer. 2° *Quinam donationem accipere nequeant?*

Resp. 1° *De iure communi* acciperent invalide 1° omnes accipientes ab iis, qui donationes facere nequeunt, iuxta dicta supra *n. 803.;* 2° accipientes ab iis, qui sunt aere gravati: et hi quidem iuxta veriorem sententiam ad compensationem damni creditori inde obvenientis tenentur. — *S. Lig. n. 722.;* 3° accipientes in defraudationem *legitimae*, quae heredibus necessariis debeatur. — *S. Lig. n. 722. 740.*, etc.

Resp. 2° *De Iure Gallico* inhabiles sunt 1° qui non erant concepti tempore donationis, vel, quoad testamentum, tempore mortis testatoris; 2° tutor respectu pupilli, antequam administrationis bonorum reddiderit rationem, nisi sit unus ex ascendentibus; 3° filii adulterini et incestuosi, excepta alimentorum causa; 4° filii naturales, etiam legaliter recogniti, praeter id, quod illis conceditur iure successionis; 5° medici, chirurgi, pharmacopolae, qui defunctum curaverunt in ultimo morbo, necnon Confessarii, si donatio durante morbo facta fuerit, exceptis casibus quibusdam; 6° Communitates quaelibet (*a*), sine Principis approbatione, vel Praefecti, si donatio excedat 300 fr. *(C. C. 25. 762. 338. 906. et seq.).*

805. — Quaer. 3° *Quaenam quantitas bonorum dari possit ab iis, qui sunt habiles ad donandum?*

Resp. Si nullos habeant heredes necessarios, nullis constringuntur limitibus. Si vero necessariis heredibus minime careant, eis licebit ad modum donationis *inter vivos* eam bonorum quantitatem erogare aliis, quam per legata elargiri potest, qui testamentum condit. Igitur conferas dicenda de testamentis, *n. 825.* — *V. Casus, n. 802. et seq.*

§. II. *De casibus, in quibus donationes non plenum sortiuntur effectum.*

806. — Si quis fiat heres eius, a quo aliquid antea accepit, et defunctus nihil expresse statuerit, quo aequalitati inter heredes derogetur; omnis dispositio, sive directa sive indirecta, qua laedatur illa aequalitas, supponitur in intentione eius tantummodo fuisse

(*a*) Eiusmodi lex odio in Christi Ecclesiam et in profitentes evangelica consilia, Ordines scilicet religiosos, potissimum debetur. Iniquissimae enim eorum hominum improbitati (quae ne inter paganos quidem locum invenit) satis non fuit, bona omnia communitatum Dei cultui sacrarum diripuisse sacrilege, nisi praeterea lege caverent, ne libere bona, quibus illae restituerentur ac sustentarentur, relinqui iis possent. Quas quidem leges dum ferebant, iniquitati insignem adhibentes hypocrisim, omnium iura, communemque omnium libertatem tueri se velle iactabant! Hae nimirum leges conscientias obligant non secus ac lex, quae forte interdicat, ne quis eleemosynas pauperi absque Principis aut Praefecti approbatione elargiri queat.

temporanea concessio fruitionis rei datae; idcirco mortuo donatore res ipsa debet in successionem referri vel reduci pro rata iuris laesi, nisi tamen donatarius ea contentus hereditati renuntiare malit: hoc est, quod lex vocat collationem. — *Art. 843. et seq.* (*a*).

Collatio igitur est actus, quo unus ex heredibus ad summam bonorum, quam testator inter heredes dividendam reliquit, ea bona refert, quae a donatore accepit, ut inter omnes ex aequo dividantur.

Reductio vero, ut aiunt, donationis vel legati, est eiusdem rescissio pro rata excessus supra quantitatem disponibilem; quae quidem rescissio auctoritate publica fiat oportet.

807. **Principia.** — I. Omnis heres veniens in successionem, referre debet, quaecumque accepit a defuncto per dispositionem gratuitam *inter vivos,* nisi adsit expressa dispensatio ex parte donatoris. Sic ex *Iure Romano* et *Gallico.* — *S. Lig. n. 954.*

II. Collatio duplici modo fieri potest: 1° *in specie,* id est, referendo rem ipsam donatam; 2° minus accipiendo.—Prior modus fit ordinarie in immobilibus, posterior autem in mobilibus.—*Cod. civ. 858. et seq.*

III. Eximuntur a collatione variae donationes, scilicet 1° si quae testator dedit, heredem a collatione nominatim eximendo, vel titulo *praecipui iuris* intra limites partis, de qua disponere poterat; 2° si expensae factae a donatore fuerint in alicuius favorem, v. gr. in alimenta, vestes, munera consueta, etc. Item expensae nutritionis, educationis, nuptiarum, artis addiscendae, et similia.—*S. Lig. n. 955.*—*Cod. civ. Gall. 843. 852.*

Nec sunt necessario referendae donationes manuales, nisi maximi sint momenti. —*Gousset, n. 794.,* etc.

808. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An referendi sint fructus rerum referibilium, quos percepit donatarius ante mortem testatoris?*

Resp. Neg., quia non subiiciuntur collationi, nisi a die qua successio aperta fuit; secus omnino frustranea fuisset donatio. — *Cod. civ. 856.*

Quaer. 2° *An filius teneatur referre ea, quae de bonis paternis male expendit, v. gr. in ludis, potationibus,* etc.?

Resp. Neg. nisi expensae fuerint excessivae; minime vero, si plus

(*a*) Cum Auctor afferre soleat, quaenam tenenda sint iuxta Ius commune seu romanum, posset quis suspicari, ea quoque, quae hac particula continentur, utrique iuri, romano et gallico, esse communia. At non ita se res habet; quippe ista ad solum ius gallicum pertinent. In iure autem romano si descendentibus institutis extranei quidam mixti fuerint, seu simul cum descendentibus ad hereditatem vocati, nec liberi conferunt hisce extraneis, nec extranei liberis; sed potius ante omnem collationem id tantum, quod a defuncto vere relictum est, inter liberos et extraneos institutos secundum voluntatem testatoris dividendum est; tum deinde, dimissis iam extraneis, descendentes ita inter se conferunt et dividunt, quae conferenda sunt, ac si nullus extraneus eis ab initio adiunctus fuisset. Vid. Voet (*In Pandect. Lib. 37. Tit. 6. n. 6.*).

non expendit, quam pater contentus fuisset, ut in honestas recreationes impenderet. — *S. Lig. n. 957.*

QUAER. 3° *An conferendae sit expensae factae a patre in gratiam filii pro doctoratu, beneficio, studiis, libris,* etc., etc. ?

Resp. Neg., quia haec in bonum commune familiae cedunt, nempe in eius honorem, commodum, etc. Aliunde gratuito a parentibus filio donata censentur. — *S. Lig. n. 955.* Excipe tamen, si expensae extraordinariae fiant (*a*).

809. — QUAER. 4° *An conferri debeat pecunia adhibita ad filium ex militia redimendum ?*

Resp. Affirm., si redimatur in propriam utilitatem, quia id aequalitas postulare videtur; secus, si filius redimitur in utilitatem patris, v. gr. infirmi, senis vel pauperis, aut familiae sustentandae; quia familia, quae commodum percipit, onus etiam ferre debet. — *Rogron, in art. 851. Cod. civ. — Gousset, Cod. civ. commenté, art. Cod. civ. 852.*

ARTICULUS II.

DE VARIIS DONATIONUM SPECIEBUS

Nempe 1° de donatione *inter vivos;* 2° per testamentum; 3° mortis causa; 4° per fideicommissum.

§. I. *De donatione inter vivos.*

Haec donatio est actus seu contractus, quo donator privat se actualiter, et modo irrevocabili, re aliqua in favorem donatarii acceptantis.

810. — Donatio *inter vivos* etiam mere verbalis, debitis vestita conditionibus, *per se* seu *de iure naturali,* statim transfert irrevocabiliter dominium, ut constat ex dictis *n. 802.* De iure autem positivo donationes confici debent iuxta formas lege praescriptas, saltem ut effectum in foro externo obtineant.

Quoad ius vero gallicum haec praecipue adnotanda sunt: 1° actus, quibus donationes fiunt, a notariis conficiendi sunt ; 2° acceptatio donationis fieri debet vel in actu ipso donationis , vel alio medio authentico donatori denuntianda est ; secus donatio perfecta non censeretur; 3° bona futura invalide donantur: quod tamen non impedit, quominus quis donare illud possit, quod in spe determinata habet, v. gr. fructus ex agro quodam nascituros hoc anno, pisces quos e piscatione referet. — Excipitur spes futurae hereditatis,

(*a*) *Extraordinariae* merito existimari possunt, etiamsi filio illud mere tributum fuerit, quo tenuiter in dissita urbe ratione studiorum aleretur, dummodo illud, utut in se modicum et tenue, magnum quid tamen facta cum exiguis familiae facultatibus comparatione haberi debeat, v. gr. si de filio fabri lignarii agatur.

circa quam omne pactum prohibetur (943). 4° Ex principiis iuris concluditur, donationes manuales valere sine scripto.

811. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quid requiratur, ut valeat donatio in gratiam absentis?*

Resp. Donatio sicut et promissio absenti facta per litteras ad ipsum nominatim scriptas, vel per nuntium aut procuratorem, debet acceptari coram nuntio aut eo, qui donatorem repraesentat, vel per alias litteras ad donatorem ex parte donatarii missas; aliter enim constare nequit de mutuo donatoris et donatarii consensu in idem placitum. — *S. Lig. Hom. apost. n. 130.* (*a*).

QUAER. 2° *Quid si donator, misso nuntio, donationem revocaverit?*

Resp. 1° Si donator revocet donationem antequam acceptetur, et revocatio innotescat nuntio quem misit, iam nuntius nihil amplius potest efficere; siquidem omnis potestas offerendi vel tradendi est ipsi adempta. — *Hom. apost., ibid.*

** (*a*) Quaestio moveri hic solet, an valere incipiat promissio seu donatio statim ac promissarius seu donatarius acceptavit, an vero tunc solum, cum acceptatio significata sit promittenti seu donatori, qui idcirco revocare eam possit, antequam de acceptatione quidpiam resciat.

Qua de re S. Alphonsus (*Lib. 5. n. 728.*) scribit: *Si donatio offeratur per litteras, Viva dicit sufficere, ut litterae ad donatarium perveniant. At Lessius (Lib. 2. c. 18. n. 43.), et Salmanticenses (cap. 4. n. 73.) dicunt, requiri amplius, ut remittantur litterae, vel nuntius acceptationis, ut donatio sit valida.*

Et Salmanticenses quidem, e quibus haec S. Alphonsus desumpsit, eam opinionem Lessio tribuisse videntur; quia apud hunc ista (*l. c.*) leguntur: *Si per litteras promissionem tuam absenti obtuleris, ut acceptatio eius sit valida, ita ut retrocedere nequeas, requiritur, ut ea tibi vicissim per litteras vel per nuntium ad te missum innotescat.* At 1° advertendum erat, Lessium (*ibid.*) mox subdidisse, quod id *maxime locum habet in promissionibus respectivis, quae requirunt repromissionem; hae enim omnes hanc tacitam conditionem habent: Si is, cui promittis, vicissim repromittat, seseque obliget: quod fit signo externo ad promissorem directo.* Quamquam et de contractibus onerosis idem Lessius (*ibid.*) praemiserat: *Non est de essentia contractus, ut consensus absentis, cum quo contrahis, tibi innotuerit. Si enim mens tua est, ut statim contractus valeat posito alterius consensu, etiam antequam tibi innotescat, statim valebit. Hoc tamen non praesumitur, nisi clare sit expressum.*

2° Sed insuper nunc non de contractu oneroso agitur, sed de gratuito. Porro de hoc casu clarissime Lessius (*ibid.*) sic tradit oppositum, ac ipsi tribuatur. *In gratuitis tamen* (inquit) *promissionibus vel donationibus non puto necessarium, ut litterae acceptationis vel nuntius ad donatorem pervenerint: quia non tanti interest eum, qui gratis donat, scire suam donationem acceptari, quam eum, qui sub onere aliquid offert, et repromissionem expectat, nosse, alterum repromittere; cuius signum est, quod donator non sit multum de eo cognoscendo sollicitus. Secus vero in eo, qui contractum onerosum init.* Aliam quoque rationem sic (*ibid.*) addit Lessius: *Denique qui gratis donat, non videtur beneficium suum ad hoc velle restringere, ut non habeat vim, nisi litteras de acceptatione acceperit: sed potius cupit illud, simul atque debito modo acceptatum fuerit, efficax esse.* Eadem videsis apud Lugo *Disp. 22. n. 33-34.* quoad contractus onerosos, et *n. 29-30.* quoad gratuitos.

Resp. 2° Si autem revocatio non innotescat nuntio ante executionem, tunc distinguendum est: Vel ille se habet solum instar nuntii referentis alterius donationem, aut rem tradentis, vel habet mandatum faciendi donationem. Si prius, per factam revocationem donatio subsequens irritatur, quia deest omnino consensus ex parte donantis. Si posterius, valent eius acta, et donatio valide acceptari potest. Tenetur enim mandans ratum habere id, quod ex vi mandati bona fide eius nomine gestum est.

812. — Quaer. 3° *An valeat donatio, si donator ante acceptationem moriatur?*

Resp. Neg., si tantummodo mandatum donationis faciendae dederit. — *S. Lig. n. 730* (*a*). *Affirmant* tamen probabiliter (*b*) *plures,* si donatio iam facta sit, et donans ante mortem mittat nuntium aut epistolam ad illam manifestandam. Hoc tamen ex Iure Gallico non admittitur.

Quaer. 4° *An mortuo donatario ante acceptationem, possit heres eius donationem acceptare?*

Resp. Neg. probabilius, quia heres succedit quidem in iuribus realibus defuncti, non vero in personalibus, cuiusmodi ius est acceptandi donationem; nisi forte sit filius donatarii (*c*), quia tunc paesumeretur, talem esse donantis mentem, prouti quidam admittunt, sin minus stricto iure, saltem ex quadam aequitate. Volunt tamen aliqui, ut donatio etiam aliis heredibus prodesse possit.

Quaer. 5° *An obliget donatio iurata, sed non acceptata?*

Resp. Neg., quia iuramentum sequitur naturam actus; atqui do-

(*a*) Si tamen tum mandatarius tum donatarius mortem mandantis ignorent, valere dicenda est donatio. Gesta enim per mandatarium, quamdiu mandantis aut revocatio aut mors ignoratur, valida sunt, *ex* §. *10. Instit. De Mandato,* et *L. Inter causas 26. ff. Mandati,* ubi dicitur: *Si tamen per ignorantiam* (mortis) *impletum est, competere actionem utilitatis causa dicitur.* Et rursus ibid. §. 1: *Si quis debitori suo mandaverit, ut Titio solveret, et debitor, mortuo eo, cum id ignoraret, solverit, liberari eum oportet.* Vid. S. Alph. *n. 730. in fin.*

(*b*) Alii nimirum malunt probabilem, imo et probabiliorem, oppositam opinionem, ea unica demum adducti ratione (*Vid. S. Alph. Lib. 3. n. 729.*), quod *post mortem donantis nequit voluntas eius uniri cum donatarii consensu, ut ad acceptationem requiritur:* quasi scilicet desit id, quod in contractu est veluti essentia, *duorum nempe consensus in idem placitum.* At enim tantum non futilis haec ratio videri queat. Ut enim habet Lugo (*Disp. 23. n. 81.*), numquid magis coniungitur voluntas testatoris cum voluntate heredis aut legatarii, qui fere ne notitiam quidem testamenti, nisi post mortem testatoris, habent?

(*c*) Quaerens Lessius (*Lib. 2. Cap. 12. n. 35.*), an heres possit donationem acceptare, respondet: *Ex rigore iuris non posse, quia ad illos* (heredes) *directa non fuit. Videtur tamen posse ex quadam aequitate, quia heredes personam defuncti repraesentant; et praesumendum est, eam esse mentem donatoris, ut si defunctus beneficio eius frui non possit, heredibus illius prosit, nisi de contrario constet: quod intellige, si illius heredes sint liberi; secus, si extranei.*

natio ante acceptationem non est firma. Ergo... — *S. Lig. n. 727.* — Affirmat tamen *Laymann,* dicens servandum esse iuramentum, quamdiu sine peccato servari potest.

813. — Qaer. 6° *Quas ob causas donatio revocari possit?*

Resp. Donator hanc revocationem obtinere potest 1° si conditiones appositae non praestentur; 2° si donatarius se exhibeat ingratum erga donantem in casibus a lege determinatis (953. 955.), nisi tamen sint donationes matrimonii causa (959.).

Revocatur ipso iure, si donatori, nullum descendentem viventem tempore donationis habenti, filius etiam postumus natus sit, vel si legitimaverit filium naturalem post donationem natum. Excipiuntur quaedam donationes matrimonii causa (*a*) (*960. et seq.*).

Quaer. 7° *Quid coniuges sibi invicem donare possint?*

Resp. 1° *Ex Iure Romano,* generatim invalidae sunt coniugum reciprocae donationes. Excipe, 1° nisi donatio iuramento sit firmata; 2° si interveniat mors donantis, qui ante donatarium decedat, modo res in vita tradita sit; 3° si donatio sit remuneratoria, vel fiat causa mortis; 4° si uxor donet viro, ut aliquam dignitatem consequatur. — *S. Lig. n. 723.*

Resp. 2° *Ex Iure Gallico,* coniuges generatim invicem sibi donare possunt *inter vivos,* vel per testamentum 1° si non adsint descendentes, quidquid extraneo donare possent quoad proprietatem, et insuper usumfructum partis hereditatis ascendentibus reservatae; 2° si adsint descendentes, vel quartam bonorum partem quoad proprietatem, et simul aliam quartam quoad usumfructum, vel dimidiae tantum partis usumfructum; 3° si coniux habeat filios ex praecedenti matrimonio, non potest donare novo coniugi ultra partem, quae filio, minus prae caeteris accipienti, contingit, neque quartam bonorum partem excedere (*C. C. 1093-1098.*).

Omnes autem donationes etiam *inter vivos*, ab alterutro coniuge alteri factae, semper revocari possunt (*C. C. 1096.*). — *V. Casus, n. 802. et seq., n. 822. et seq.*

§. II. *De testamentis.*

Videlicet 1° de natura, divisione et forma testamentorum; 2° de testatore et heredibus; 3° de dispositionibus testamentariis; 4° de revocatione testamentorum; 5° de executore testamenti.

(*a*) Excipitur nimirum, si quid coniugibus matrimonii causa ab eorum ascendentibus, aut alteri ipsorum ab altero donatum fuerit.

PUNCTUM I.

De natura, divisione et forma testamentorum.

814. — Definitio. Testamentum est legitima dispositio de iis, quae quis vult fieri de suis bonis post mortem suam cum directa heredis institutione. — *S. Lig. n. 919.* — Vel ex Iure Gallico: Est actus essentialiter revocabilis, quo testator de bonis suis disponit pro tempore mortem eius subsecuturo (*a*).

Divisio. Testamentum varie distinguitur:

I. *Ex Iure communi.*

1° *Solemne,* in quo servantur omnes conditiones legibus praescriptae. Est autem duplex: 1° *Clausum,* quod sigillo signatum traditur subscribendum septem testibus, idoneis, masculis, puberibus, etc., quibuscum subscribit testator, si possit; si vero nequeat, octavus testis accedere debet; 2° *Apertum,* quod fit coram septem testibus, sive scripto aperto, sive viva voce (*b*). — *Plura apud Iuristas.*

2° *Privilegiatum,* quod valet absque solemnitatibus: tale est testamentum a milite conditum, vel ab aliis tempore pestis, aut caeteris eiusmodi circumstantiis.

II. *Ex Iure Gallico.*

1° *Holographum,* quod manu testatoris integre scribitur cum indicatione anni, mensis, diei, et nominis appositione.

2° *Publicum,* seu *solemne,* quod scribitur ab uno notario coram quatuor testibus masculis, puberibus, etc., vel a duobus notariis coram duobus testibus (*Art. 971.*).

3° *Mysticum* seu *secretum,* quod testator clausum sigilloque signatum tradit notario coram sex testibus, asserens hoc esse testamentum suum a se vel ab alio scriptum, et a se subscriptum. Debet inscribi haec attestatio super codicem testamenti, et a notario, testibus et testatore subscribi. Si testator testamentum subscribere non potuerit, de hoc mentio fieri debet, et additur alius testis praeter sex requisitos (*Art. 976. 977.*).

(*a*) Ex iure autem romano *Testamentum est voluntis nostrae iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit.* Ex Modestino *L. 1. ff. Qui testamenta etc.*

(*b*) Receptior et congruentior est distinctio in testamentum *scriptum* et *nuncupativum.* Quamvis enim vulgaris mos ferat, ut posterius hoc appelletur *apertum,* illud vero prius *clausum* (*Vid. Lugo Disp. 24. n. 2.*); non tamen necessarium est, ut quodlibet testamentum *in scriptis* sit clausum, uti infra etiam ex Auctoris contextu satis colligitur.

Conditiones testamentorum.

815. — Ut testamentum sit firmum et validum, requiritur 1° ut habeat conditiones ad contractus gratuitos requisitas, et imprimis consensum liberum et spontaneum; 2° ut dispositio bonorum fiat iuxta reservationem seu legitimam heredibus a lege assignatam; 3° ut non fiat ab inhabili ad testandum, nec in gratiam inhabilis ad recipiendum, seu ad succedendum in iura defuncti; 4° ut serventur substantiales formalitates iure praescriptae.

816. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An facultas testandi oriatur a iure naturali, an a civili tantum?*

Resp. Iuxta sententiam communiorem et probabiliorem repetenda est primario a iure naturali, quia talis est persuasio communis, quae ultimas voluntates ut quid sacrum habet, et quia ius testandi antecedit omnem legem civilem. Ex iure enim naturae quisque potest disponere de bonis suis prout vult, etiam post mortem, et hoc est ius privatum. Sed etiam Respublica habet sua iura, et inter alia ius praescribendi normas circa contractus; hoc ius est *naturale,* quippe necessarium ad bonum societatis. Si autem sit collisio iurium, ius privatum, utpote inferius, cedere debet. — *V. dicenda infra, Q. 4°.*

Quaer. 2° *Cuiusmodi testes requirantur in testamentis?*

Resp. 1° *Ex Iure Romano* debent esse masculi, puberes, liberi, non surdi, non muti, non caeci, non intestabiles a lege (*a*), non heredes ex testamento, nec domestici testatoris vel heredis; non tamen excluduntur legatarii. — *S. Lig. n. 919.*

Resp. 2° *Ex Iure Gallico* postulantur masculi, maiores, subditi Reipublicae, fruentes iuribus civilibus, non scribae notariorum qui actum conficiunt, non legatarii seu heredes, neque horum consanguinei vel affines intra *quartum* inclusive gradum, id est intra *secundum* iuxta computationem canonicam pro linea transversali; attamen in mystico testamento legatarii aut eorum cognati non excluduntur. — *Art. 975. 980.*

817. — Quaer. 3° *Quaenam requirantur ad validitatem in testamento holographo?*

Resp. Tria requiruntur et sufficiunt, scilicet 1° ut integre scribatur propria testatoris manu; 2° ut apponatur dies, mensis et annus, quo confectum est; 3° ut nomen proprium testatoris subscribatur in forma chirographi ad calcem testamenti et integris litteris. Sic ex *art. 970.*

Porro 1° Adiectio diei, mensis et anni arithmeticis notis fieri potest, et in qualibet testamenti parte collocari, sed tutius est in-

(*a*) *Intestabiles a lege* dicuntur. qui iuxta leges testimonii dicendi ius non habent.

tegris litteris eam conscribere; 2° inscriptio loci, ubi testamentum conficitur, minime necessaria existimatur; nam ex art. 999. valet testamentum, ubicumque conditum fuerit; 3° papyrus quaelibet, licet non obsignata, sufficit: si tamen res ad iudicem deferatur, mulcta erit ab herede solvenda (30 fr.); 4° testamentum *holographum,* antequam executioni mandari queat, praesentari debet iudici in Tribunali primae Instantiae: iudex vero post sufficiens examen iubebit, illud apud aliquem notarium custodiri (*art. 1007.*). Sed haec forma accidentalis omnino est. — *V. Casus, n. 829. et seq.*

QUAER. 4° *An valeant in foro conscientiae testamenta ad* CAUSAS PROFANAS, *formis legalibus destituta?*

Resp. Triplex habetur probabilis sententia, prout supra *n. 786.* generatim de contractibus praeter legis praescripta confectis dictum est. I[a] igitur SENTENTIA admittit, huiusmodi testamenta secundum legem naturae valida haberi posse. — II[a] SENTENTIA docet, ea vi legis positivae prorsus irrita habenda esse. — III[a] SENTENTIA favendum esse possessori pronuntiat, donec res a iudice dirempta fuerit (*a*). Et haec tertia opinio, iuxta *S. Lig. n. 927.,* prae caeteris in praxi tenenda est. Interveniente autem iudiciali decreto, huic ex omnium sententia est adhaerendum. — *V. Casus, n. 857.*

818. — QUAER. 5° *An testamenta ad pias causas sint valida, si formis legalibus careant?*

Resp. Affirm., et haec sententia communissima et certa est; 1° quia constat ex Iure canonico, *Decret. l. 3. tit. 26. c. 2.* etc.; 2° quia piae causae ad Ecclesiam pertinent, eiusque subiacent iurisdictioni: porro Ecclesia libera et immunis est a potestate civili in iis omnibus, quae iurisdictioni suae directe subsunt. Quare a Conc. Trid. sic statutum est: *Episcopi, etiam ut Sedis Apostolicae delegati, in casibus a iure concessis, omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate quam inter vivos, sint executores. Sess. 22. C. 8. de Ref. — Ita S. Lig. — Less. — Ronc. et alii.* — S. Poenitentiaria, pluries interrogata, huic sententiae adhaerendum esse respondit.

Non apparet igitur probabilitas alterius opinionis, quam de caetero eius quoque patroni fere ad nihil in praxi redigunt. Putant enim, huiusmodi legata pia valere, si rationabiliter praesumatur, ea tum ad restitutionem implendam, tum ad preces pro anima defuncti erogandas destinata fuisse.

Addo tamen, Confessarium, habita ratione ignorantiae fidelium, qui saepius aegre sibi suadent, praefatam assertionem veram esse, plerumque illos in bona fide relinquere debere (*b*). Quod si inter-

(*a*) De tertia hac sententia vide quae superius (*ad n. 786.*) adnotata sunt.

(*b*) Haec doctrina nititur communibus principiis circa opportunitatem monendi vel non monendi poenitentes, etiam cum de obligationibus iustitiae agitur.

rogetur, ut supra dictum est, respondebit. — *V. Casus, n. 1859. et seq.*

819. **Casus.** — 1° *Leander* a *Liborio* familiari suo mox e vivis decessuro conspicuam pecuniae summam, instar muneris *de manu,* ut aiunt, *ad manum* acceptat. Defuncto *Liborio,* dubiusancepsque *Leander,* utrum tuta conscientia donum servare possit, ignorat. Quid interroganti respondebit Confessarius? — *Resp.* Nihil esse cur *Leander* de donationis valore dubitet, eam scilicet valere uti donationem *inter vivos.* Excipe, 1° nisi donatio ius heredum evidenter laedat; 2° nisi donatarius inhabilis sit (*a*) ad donationem acceptandam. — *Gousset, n. 796.* etc.

2° *Polydorus* moriens dicit *Paulo* heredi naturali: Sponde mihi, te legata haec soluturum esse: heredis autem promissis confisus, *Polydorus* abstinet a conficiendo vel immutando testamento, vel ab iisdem legatis inscribendis. *Paulus* promissis valedicens, renuit legata persolvere, eo quod in testamento inscripta non fuerint. Quid iuris? — *Resp.* Ex iure naturae *Paulus* in foro conscientiae ad solvenda omnia legata promissa tenetur non obstante defectu formarum. Ratio est, 1° quia nonnisi ea conditione testamentum accepit; 2° quia per promissionem suam confectionem aut mutationem testamenti impedivit.

3° *Gabinus* heres ex testamento informi, accipit et retinet hereditatem, ut sibi legitime acquisitam; sed abstinet a solvendis legatis, ob defectum formae in actu testatoris. Quid de eo sit sentiendum? — *Resp.* Quantum sit iniustus et ridiculus talis agendi et ratiocinandi modus, ex sensu communi clare et evidenter patet. — *Voit de Conscientia n. 104.* — *Elbel de Consc. n. 190.* — *La-Croix l. 1. n. 373.*

4° *Anatolius,* confecto testamento holographo, moritur antequam subscribere potuerit. *Sabinus,* heres nominatus in hoc testamento, subscriptionem testatoris tam bene simulat, ut vere ab ipso confecta visa fuerit. Attamen cum suborta fraudis suspicione testamentum ad iudiciale forum fuisset delatum, a iudice validum declara, tum fuit. Quid iudicii? — *Resp. Sabinus* ad restitutionem teneturquia per fraudem hereditatem sibi vindicavit; fraude enim remota, certo per sententiam ab hereditate exclusus fuisset. Sententia igitur *Sabino* favere non debet, cum falso facto innitatur.

(*a*) Intellige, nisi inhabilis sit etiam in foro conscientiae.

PUNCTUM II.

De testatoribus et heredibus.

820. — I. Testatores esse possunt: *Ex Iure Romano* omnes usum rationis habentes, exceptis surdis-mutis a nativitate, impuberibus (*a*), prodigis, damnatis ad mortem civilem vel naturalem, necnon Religiosis professis. *Ex Iure* autem *Gallico* 1° omnes qui donationes facere possunt *inter vivos;* 2° uxores, quae licet donationes *inter vivos* erogare absque speciali mariti consensu, aut iudicis auctoritate nequeant; neutro tamen horum indigent, quo libere disponere per testamentum possint (*art. 905.*); 3° minores ab anno 16 testari tantum possunt de dimidia parte eorum bonorum, de quibus maiores disponere valent (*art. 904.*); non vero testari possunt interdicti.

821. — II. Quod ad heredes attinet, 1° Institui possunt heredes, quicumque a iure positivo non sunt specialiter prohibiti, licet usu rationis careant, ut dictum est de donatione, *n. 802.*

2° Prohibentur autem *ex Iure Romano,* damnati ad mortem tum naturalem tum civilem, perduelles, eorumque filii spurii, iuxta restrictiones infra ponendas. *Ex Iure* vero *Gallico,* prohibentur illi, qui donationes recipere non possunt. — *Vide supra, n. 804.*

3° Heres quilibet renuntiare potest hereditati apertae iuxta axioma: *Nemo heres, nisi velit.* Sic *ex quocumque iure.* Ratio est, quia nemo tenetur acceptare beneficium, cuiusmodi praesertim est testamentum, quod saepe magnis oneribus gravatur. Renuntiatio autem non praesumitur, sed cum forma iuridica fieri debet. *Ex iure Gallico* facienda est in tabulario tribunalis territorii, in quo obtigit successio, et in speciali actorum codice, qui ad hunc finem ibi asservatur.

822. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quotuplicis generis heres distinguatur?*

Resp. 1° *Legitimus,* qui de iure succedit ab intestato;

2° *Necessarius,* qui a testatore excludi non potest;

3° *Voluntarius,* qui heres vocatur ex libera testatoris voluntate.

Hinc patet, distinguendum esse etiam heredem *ex testamento,* si per testamentum fuerit designatus, et heredem *ab intestato,* si de iure succedat defuncto, qui nullum aut imperfectum testamentum fecit.

QUAER. 2° *Quinam sint heredes necessarii et legitimi?*

Resp. 1° In utroque iure heredes *necessarii* sunt omnes cognati in *linea recta,* nempe 1° *descendentes* in propiori gradu; 2° ipsorum defectu *ascendentes,* tum ex parte patris, tum ex parte matris in gradu pariter propiori.

Resp. 2° Heredes *legitimi* sunt insuper omnes consanguinei

(*a*) Iuxta Institution. (*Lib. 2. Tit. 12.*) adde eos omnes, *qui alieno iuri subiecti sunt..., adeo quidem, ut quamvis parentes eius permiserint, nihilo magis iure testari possint.* Qui quidem (*ibid.* §. *1.*) aperte *ab impuberibus* distinguuntur.

propioris gradus etiam in *linea collaterali* usque ad 10um gradum in *Iure Romano*, id est 5um quoad computationem canonicam, et 12um *ex iure Gallico.*

823. — QUAER. 3° *Quaenam sint iura et obligationes heredum?*

Resp. Generatim heredes succedunt in omnia iura et onera defuncti, quia illius personam repraesentant; excipiuntur ea tantum, quae personae defuncti natura sua vel pacto erant affixa. Hinc dominium bonorum defuncti pleno iure acquirunt, eius obligationes et debita in se suscipiunt, et ipsius voluntatem in legatis implere debent.

Quoad modum solvendi debita a defuncto relicta, singuli *pro rata* suae portionis hereditariae solvunt, et si propter hypothecam plus solvere cogantur, recursum habent contra caeteros. — *C. C. 873.*

Heres acceptare potest hereditatem sub beneficio inventarii, ita scilicet, ut facto inventario bonorum iuxta formam legalem, non obligetur ultra hereditatis vires. Si non eo modo acceptaverit, tenetur in foro externo omnia solvere debita, etiamsi vires hereditatis excedant. Controvertitur vero inter Theologos, an in hoc casu heres teneatur in foro conscientiae solvere debita quoad excessum prae bonis acceptis. — Sed *probabilius* et *communius* negatur. — *Salmant. — Reuter. — Gousset, Code commenté art. 302.*

824. — QUAER. 4° *An heredes necessarii exheredari possint?*

Resp. 1° *Ex Iure Romano* exheredari possunt filii sola patris auctoritate in casibus sequentibus: 1° si filius iniiciat manus in parentem, aut contumeliose eum tractet; 2° si eius accusator aut testis sit in causis criminalibus; 3° si rem habeat cum eiusdem uxore; 4° si nolit fideiubere ad patrem e carcere liberandum; 5° si patrem a condendo testamento prohibuerit; 6° si filia, recusato honesto matrimonio, luxuriose vivat (*a*). — *S. Lig. n. 948. et seq.*

(*a*) Auctor quasdam tantum praecipuas et in praxi frequentiores exheredationis causas recenset. At plures omnino romanum ius habet (*Novell. 115. et 22.*), quippe quod quatuordecim enumerat in liberis, octo in parentibus, tres demum in fratribus, quibus alioquin competeret inofficiosi testamenti querela; quas quidem habes hisce versiculis comprehensas (adi Ferraris *Biblioth. Can. Iur. Mor. V. Exheredatio*):

Quoad liberos — Bisseptem ex causis exheres filius esto:
Si patrem feriat, vel maledicat ei.
Carcere detrusum si negligat, aut furiosum,
Criminis accuset, vel paret insidias.
Si dederit damnum grave, si nec ab hoste redemit,
Testarique vetet, se sociatque malis.
Si mimos sequitur, vitietque cubile parentum,
Si mutet fidem, si filia sit meretrix.

Quoad parentes — Si pater accuset capitalis criminis, aut se
Adiungat nurui, vitae est insidiatus,
Testari prohibet gnatum, matrique venenum
Praeparat, inclusum carcere vel furiosum
Negligat, et veram contemnat Religionem.

Resp. 2° *Ex Iure Gallico* nunquam heredes privata auctoritate exheredari possunt. Iure tamen ceu indigni excluduntur ab hereditate in triplici casu, scilicet 1° si vitae testatoris fuerint insidiati; 2° si alimenta ei denegaverint; 3° si eius memoriam graviter conviciati fuerint. — *Vide art. Cod. 727. 955. 1046. 1047.*

825. — QUAER. 5° *Quaenam sit* RESERVATIO *seu* LEGITIMA *heredibus necessariis debita?*

Resp. Diversa est pro diversis iuribus. *Ex Iure Romano:* 1° Quoad *ascendentes, triens,* seu tertia pars, deficientibus descendentibus, reservatur.

2° Quoad *filios legitimos, triens,* si non sint plures quam quatuor filii; et *semissis* seu dimidia pars, si plures sint.

3° Quoad *filios naturales,* succedunt matri pari iure cum legitimis. Non succedunt vero patri filios legitimos habenti, licet ab eo duodecimam hereditatis partem accipere possint. Quod si pater filiis legitimis careat, filii naturales ei in omnibus bonis succedere possunt (*a*). — *V. S. Lig. n. 947.-951.*

Quoad fratres — Tres licet ob causas ingratum pellere fratrem:
Si fratri insidias, perniciemque ferat.
Si scelera affingat ferro, focoque pianda,
Aut si fraternas perdere tentet opes.

(*a*) Auctor, ut patet, in tertia hac paragrapho quaedam permiscet, quae ad quaestionem propositam *de parte legitima* nihil pertinent. Quae autem habet, clarius ex Card. De Lugo (*De Iust. et Iur. Disp. 24. n. 88–90.*) sic intelliges: *Dicendum est primo, filium naturalem, deficientibus legitimis descendentibus et ascendentibus, posse accipere a parentibus* (scil. ex testamento) *omnia bona... De eodem autem iure communi, existentibus descendentibus legitimis, solum potest dari filiis naturalibus et eorum matri simul a patre* (ex testamento) *duodecima bonorum pars; matri autem soli superstiti dari potest dimidium duodecimae partis. Unde Covarruvias, quem affert et sequitur Molina disp. 166., infert, filiis naturalibus, mortua eorum matre, posse a patre dari integram duodeciman partem. Deficientibus vero descendentibus legitimis, et existentibus adscendentibus legitimis, et quibus de iure communi debetur tertia bonorum pars, reliquum dari* (ex testamento) *potest filiis naturalibus.*

Dicendum secundo, filios naturales de eodem iure communi, deficientibus descendentibus legitimis, et legitima uxore non superstite, succedere ab intestato patri in sexta parte bonorum dividenda per partes aequales inter ipsos et eorum matrem, si ea superstes sit; quoad reliqua vero succedunt alii heredes ab intestato. Si tamen maneant vel filii legitimi vel legitima uxor, in nullo succedunt, sed debentur eis alimenta competentia. An vero idem dicendum sit, quando sunt adscendentes legitimi, quod adhuc filii naturales succedant ab intestato in illa sexta bonorum parte, aliqui negant, sed melius affirmat Molina dicta Disp. 166. Et haec, quae dicta sunt de successione filiorum naturalium ex testamento vel ab intestato, locum habent etiam in nepotibus et pronepotibus respectu avi et proavi, et cum proportione etiam locum habent in ipsis adscendentibus naturalibus, qui eodem modo succedunt descendentibus in defectu descendentium, qui ascendentibus praeferantur; quod eodem modo verum est quoad alimenta.

Dicendum tertio: de eodem iure communi filii naturales non solum

Ex Iure Gallico, sive pro testamento, sive pro donatione *inter vivos:* 1° Quoad reservationem *filiis legitimis* debitam, si unus sit, *dimidia pars* bonorum reservatur; si duo, bes (duae tertiae partes); si tres vel plures, *dodrans* (tres quartae partes).

2° Quoad reservationem *filiis illegitimis* legaliter recognitis attribuendam, si adsint alii legitimi, illegitimis reservatur tertia pars portionis, quam reservatam haberent si essent legitimi; si deficientibus filiis, adsint ascendentes, fratres aut sorores, dimidia pars portionis praedictae; si vero alii tantum consanguinei, dodrans dictae portionis, reservatur; si nulli consanguinei, reservationem habent eamdem ac si essent legitimi.

3° Quoad reservationem ascendentibus debitam, si adsint filii legitimi, ius nullum habent; si adsint fratres aut sorores, pater et mater ius habent unusquisque ad quartam partem (*a*); caeteri ascendentes a fratribus excluduntur. In caeteris casibus ius habent ad 2^{am} vel 4^{am} partem, prout sunt ex utraque parte, vel ex una tantum (*b*).

Uxor non venit inter heredes necessarios, aut legitimos ab intestato, nisi deficientibus caeteris legitimis intra gradus lege stabilitos. Ita ex utroque Iure, Romano scilicet et Gallico. Attamen ob arctissimam inter maritum et uxorem necessitudinem testator lege naturali aliquam partem adsignare debet coniugi superstiti, si bona sua sufficientia non habeat. — *Scavini.* Deficiente etiam uxore, hereditatem init de Iure Respublica. Hinc axioma: *Fiscus post omnes.* Ita etiam *in utroque Iure.*

Filius naturalis ex Iure Gallico recognosci debet per actum authenticum, nisi recognitus fuerit in actu ipso nativitatis; sed nequeunt recognosci filii adulterini et incestuosi.

826. — QUAER. 6° *An testator de iure naturali teneatur* SUB GRAVI *relinquere bona cognatis, qui non sunt heredes necessarii?*

Resp. 1° *Quoad fratres affirm.,* si sint in gravi necessitate; secus, non erit nisi veniale; imo nullum peccatum, si rationabile sit motivum. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 946.* — *Laymann.* — *Lugo...,* etc.

Resp. 2° *Quoad alios consanguineos remotiores,* iuxta communiorem sententiam non est gravis obligatio eos caeteris praeferendi,

ex testamento possunt matri succedere, sed etiam ab intestato aequis portionibus cum filiis legitimis...; et idem dicendum de matre respectu filii naturalis succedenti in eadem portione filio, qui non habeat descendentes.

(*a*) Pertinere haec videntur ad successionem ab intestato iuxta articulos 748–751. Nam in hypothesi testamenti, portio, de qua non licet filio disponere, quandoque reservatur solis patri et matri, fratribus exclusis. *V. art. 915.*

(*b*) Forte Auctor iuxta Art. 915. significare hic voluit, quod si desint pater et mater, etiam alii ascendentes ius habent *ad legitimam,* ita ut haec portio sit *semis* vel dimidia pars (non autem 2^{a} pars), si ex utraque linea simul supersint; *quadrans* vero vel quarta pars, si supersint tantum ex una.

etiamsi sint pauperes; non tamen peccatum veniale deerit, si omnino sine rationabili causa praetermittantur. — *S. Lig.*, etc.

827. — QUAER. 7° *An peccent in foro conscientiae contra iustitiam parentes, si laedant legitimam filiorum per testamentum, vel donationes inter vivos, aut contractus simulatos?*

Resp. Affirm. per se cum sententia communiori. Ratio est, quia lex gaudet omnibus conditionibus ad obligandum in foro conscientiae requisitis, scilicet, est iusta, utilis bono publico, et ipso facto irritans. — *Reuter, n. 286.* — *Gousset.*—*Bouvier.*

Dixi, *per se*, quia non videntur ullo modo peccare parentes, qui iusta de causa *partialiter* legitimam filiorum laedunt in aliquo casu particulari. Tunc enim cessat finis legis, quae attingere non intendit illos casus particulares, qui familiae prosunt, nec bono communi obsunt: v. gr. si pater donationes quasdam tribueret filio probo remunerationis gratia, unde minus filio dissipatori obveniret.— *Gousset, n. 794.*

Post factum non sunt facile inquietandi filii, qui maiorem paternae hereditatis partem non sine alterius heredis detrimento acceperunt, quando ex rerum adiunctis coniici potest, parentes ex aliqua iusta causa ipsis favisse; praesertim si in bona sint fide, et merito timeri possit, ne obligationem renuant adimplere. Imo theologis non paucis videtur, legem civilem non posse ita obligare parentes ad aequalitatem inter filios servandam. Itaque eos *per se* a culpa eximunt, si de caetero honestae filiorum sustentationi sufficienter providerint, nec pravo fine moveantur.

828. — QUAER. 8° *An parentes donationes manuales alicui e filiis, vel extraneis, aut causis piis, erogare possint?*

Resp. Parentes licite facere possunt donationes sequentes: 1° donationes, quae fieri solent inter coniunctos et amicos aequalis conditionis, ut munuscula, etc... ; 2° donationes remuneratorias pro quantitate et qualitate meriti iuxta aestimationem prudentium, quia potius solutio debiti alicuius, quam gratuita donatio dici istae debent; 3° donationes quaslibet, *per se*, ex meris reditibus, intactis capitalibus, quae patrimonium proprie dictum constituunt (*a*), quia parentes *per se* nullo iure adaugere patrimonium ex reditibus vel labore tenentur.

(*a*) Minime apparet, curnam donatio fieri non ex iis quoque possit, quae patrimonium constituunt, dummodo legitima filiorum non laedatur. Lugo (*Disp. 23. n. 147.*) de hac re ita scribit: *Parentes si inofficiose donaverint, hoc est in praeiudicium legitimae filiorum, eorum donationes revocari possunt a filiis. Non tamen est invalida donatio, sed irritari potest.* Et sane quisnam contendat, patremfamilias, plura habentem praedia, partem v. gr. horti (qui sane non computatur inter patrimonii reditus) vel etiam integrum hortum Cappuccinis donare non posse, si haec donatio integram filiorum legitimam relinquit?

PUNCTUM III.

De dispositionibus testamentariis, seu de codicillo et legato.

829. — I. *Codicillus*, seu parvus codex, est ultima defuncti voluntas minus solemnis et extra testamentum expressa, qua edicit, quid fieri velit post mortem suam de rebus suis, absque directa heredis institutione. — Clausula autem codicillaris est clausula testamento ipsi inserta, qua declaratur, quod si testamentum ex aliquo defectu non valeat, vi tamen codicilli valere debeat.

Ad codicillum sive nuncupativum, id est viva voce habitum, sive scriptum, sufficiunt quinque testes, etiam non rogati, et etiam feminae. Sic ex *Iure Romano*. In *Iure* autem *Gallico* codicillus non admittitur.

II. *Legatum* est donatio quaedam cuipiam directe a defuncto relicta, et ab herede praestanda.

Legatum esse potest 1° purum seu absolutum, vel conditionatum ; 2° universale, vel particulare ; titulo universali, v. gr. *lego omnia mobilia;* vel particulari, v. gr. *lego talem summam*. Ex *Iure Gallico* nulla admittuntur legata, nisi in ipso testamento includantur.

830. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An legatum relictum puellis, ut nubant, possit illis de iure naturali dari, quae Religiosae fiunt?*

Resp. Affirm., si relictum fuit personae determinatae, nisi aliter constet de mente testatoris. — *Neg.* autem, si legatum relictum sit personis indeterminatis, quia tunc testatores potius intendunt providere solis puellis nubere volentibus, ne seductioni exponantur. — *Ita communius* cum *S. Lig. n. 930.* contra *alios* (*a*).

QUAER. 2° *An legatum relictum puellis, ut nubant, possit dari puellis, quae sine dote iam nupserunt?*

Resp. Affirm., si agatur de puellis determinatis ; quia praesumitur, testatorem voluisse ipsis omnino providere ob peculiarem erga illas affectum, vel ut nuptae decenter vivant. — Secus, si de

(*a*) Otiosum non videbitur advertisse, etiam quoad secundum hoc responsionis membrum *affirmativam* sententiam auctoribus sane gravibus probatam fuisse. Adde, rationem, qua plerique ducti in *negantem* sententiam venerant, fatente Card. De Lugo (*Disp. 24. n. 293.*), non satis efficacem videri. Num vero ipse efficaciorem huic a se posthabitae suffecerit, esto sapientiorum iudicium. Sane si argumentum peti debeat ab *Authentica* Iustiniani, quam omnes hic producunt, Lugo sincere fatetur, manifestum esse legis scopum, nimirum *Religionis favorem*. Si vero te convertas ad scopum testatoris hasce dotes statuentis, nimirum (aiunt) ut e prostitutionis periculo puellae eriperentur, quae ob paupertatem nubere non possent, enimvero numquid minus eodem periculo liberantur, quae ob paupertatem ingredi monasterium non possent? vel dicemus, mentem testatoris eo spectasse, ut puellae, quae malesuada fame ac paupertatis angustiis premuntur, huic se periculo subtrahere non possent, nisi abiecto sacri cum Christo connubii proposito, ad saecularia vota se converterent?

indeterminatis, quia tunc testator censetur potius nubentibus subvenire voluisse, ut periculum prostitutionis vitent. — *S. Lig. ibid.*

831. — QUAER. 3° *Quid veniat in legatis nomine* MOBILIUM, *seu bonorum* MOBILIUM?

Resp. 1° Bona mobilia ea sunt generatim, quae e loco moveri possunt, ut vestes, animalia, pecunia, etc. Idem sonant *bona mobilia, res mobiles, mobile* vel etiam *mobilia* cum oppositione ad *immobilia.*

Resp. 2° *Mobilia,* sine addito et sine determinatione, *ex Iure Gallico* dicuntur omnia bona, quae non sunt immobilia, exceptis pecunia, libris, gemmis, numismatibus, debitis activis, instrumentis artium, linteaminibus ad usum corporis, equis, armis, granis, vino, foeno, et aliis similibus. Adde ea, circa quae commercium particulare exercetur.

Resp. 3° Ex eodem *Iure Gallico* supellex seu mobilia domum praecise instruentia omnino restringuntur ad ea, quae ordinantur ad usum, vel habitationis ornamentum, ut sedilia, tabulae, armaria, etc.

Hinc 1° sunt mobilia *simpliciter,* seu ex 2ª classe, supellex argentea, animalia, exceptis equis, linteamina, exceptis iis, quae ad usum corporis adhibentur.

2° Si dicat testator: *Lego mobilia Caio, et immobilia Sempronio, Caius* ius habet ad omnia bona mobilia, quia mens testatoris evidenter patet ex oppositione mobilium ad immobilia. — *Gousset, Code commenté art. 533.* — *Rogron, ibid.*

3° Si legatum sic ferat: *Lego Titio omnia mobilia mea,* vel *bona mobilia,* vel *totalitatem mobilium; Titius* ius habet ad omnia bona non immobilia, quia vox *mobilia* hic non sumitur *sine addito.* — *Gousset, n. 807., et Code commenté art. 533.* — *Rogron, ibid.*

832. — QUAER. 4° *An summus Pontifex possit legata et alias ultimas voluntates testatorum commutare, quando de causis piis agitur?*

Resp. Affirm., si adsit iusta ratio, quia a Christo institutus est piarum causarum administrator, ut possit de iis disponere, prouti necessitas et spiritualis utilitas exigit. Idem dicendum est de Principe quoad legata profana in favorem Reipublicae constituta. — *S. Lig. n. 931.*

QUAER. 5° *An Episcopi pias dispositiones iusta de causa commutare possint?*

Resp. Neg. generatim loquendo. Ratio est, quia ex *Trid. sess. 22. cap. 8.* imponitur Episcopis sollicitudo ultimas voluntates sedulo exequendi. — *S. Lig. n. 391.* — Excipiendi tamen *probabilius* sunt casus, qui si a testatore praevisi fuissent, certo effecissent, ut aliter disponeret, v. gr. si reliquerit pecuniam ad vasa sacra pro Ecclesia, et haec vasis non indigeat, vel si legatum ad finem suum applicari nequeat, quia non sufficit, vel quia ad usum intentum deservire non potest.

PUNCTUM IV.

De revocatione testamentorum (*a*).

833. — I. Testamentum, sub quacumque forma sit factum, semper revocari potest ad nutum testatoris, quia testamentum ex natura sua est actus essentialiter revocabilis; proinde testator dominium bonorum suorum usque ad mortem retinet. — *Ita ex omni iure.*

II. Revocatio testamenti duplici modo fieri potest:

1° *Expresse,* seu 1° per destructionem testamenti; 2° per actum coram notario confectum, quo mutatio voluntatis exprimitur; 3° per testamentum novum priori contrarium: sed tunc revocatio non censetur integra, nisi dispositiones testamenti novi omnibus dispositionibus prioris sint contrariae.

2° *Tacite,* per donationem, venditionem, permutationem, destructionem, aut quamlibet dispositionem rei legatae, qua mutatio testatoris manifestatur (*b*).

Refertur ad revocationem testamenti eius caducitas, quae habetur, quando dispositiones testamentariae, etsi validae a principio, infirmae tamen evadunt ob quasdam circumstantias: v. gr. si legatarius moriatur ante testatorem, vel ante executionem alicuius conditionis, si res legata pereat, etc.

PUNCTUM V.

De executore testamenti.

834. — Testamenti executor is est, quem testator nominavit ad dispositiones testamentarias exequendas. Nullo autem nominato, exe cutio testamenti ad heredes pertinet. Circa testamenti executionem haec tenenda sunt (*c*):

1° Ut quis sit executor testamenti, necesse est, ut capacitatem sese obligandi habeat. Hinc executores esse nequeunt interdicti, minores, etiam consentiente tutore, et ex *Iure Gallico,* uxores sine mariti consensu. Executores esse possunt Religiosi ex licentia Praelati sui, nisi Ordinis Regula obstet.

2° Plures executores testamenti institui possunt, et uno absente, alter ad testamenti executionem procedere potest. Testamenti executor hoc munus ad suos heredes non transmittit.

(*a*) De alia causa, ob quam testamenta infirmantur, liberorum scilicet praeteritione, fac consulas Iurisconsultos.

(*b*) Etiam spectato iure gallico, quod Auctor hoc loco sequitur, haec non ad tacitam testamenti revocationem pertinent, sed ad legatorum adimpletionem.

(*c*) Quae Auctor hoc loco subiicit, ea ad ius gallicum fere pertinent.

3° Executor invigilare debet, 1° ut apponantur sigilla, si inter heredes sint minores, interdicti vel absentes; 2° ut fiat inventarium, praesente vel rite advocato proximo herede; 3° ut vendantur mobilia, si pecunia ad solutionem legatorum deficiat; 4° ut executionem testamenti urgeat.

4° Impensae, quae fiunt ab executore, muneris sui adimplendi causa, ex rebus hereditariis solvi debent. Nemo cogi potest ad illud munus acceptandum; sed si acceptet, ad rationem gestionis tenetur.

§. III. *De donatione mortis causa.*

835. — Donatio mortis causa ea est, quae intuitu mortis fit: est autem ex natura sua revocabilis.

De iure communi valet donatio mortis causa, modo debitis vestiatur conditionibus, scilicet 1° fieri debet intuitu mortis, secus donatio *inter vivos* censeretur; 2° acceptari debet ante mortem donatoris ab ipso donatario; 3° si donatarius praemoriatur, ipso facto revocatur (*a*), nec ad eius heredes transit (*b*). — *S. Lig., ibid. n. 741.*

De *Iure Gallico* donatio mortis causa non admittitur. Declaratur enim in *art. 893.*, neminem de bonis suis disponere posse gratuito, nisi per dispositionem *inter vivos*, aut per testamentum in formis a lege praescriptis. Hinc de ea dicendum videtur, sicut de testamentis, quae formalitatibus carent. Videtur tamen certo valere tamquam donatio manualis *inter vivos*, quam lex non afficit, sed quoad ipsam tantum actionem denegat. Et proinde idem dicendum videtur de donationibus mortis causa. — *Gousset, Code commenté, art. 8. et varii Iurisperiti.*

836. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An ille, cui mortis causa donata est res mobilis, possit illam occulte recipere, mortuo donatore?*

Resp. Affirm. saltem *probabilius*, modo sit certus de donatione et ultima voluntate defuncti; habet enim ius in re donata; ergo iure suo utitur. Deinde res non fuit donata ut solvenda, sed ut ab ipso donatario accipienda.

Quaer. 2° *An valeat donatio manualis ab ipso facta sub ea conditione, ut res donata sibi restituatur, si convalescat?*

Resp. Affirm. Etenim 1° valet ut donatio mortis causa, etiam de *Iure Gallico*, quod donationibus manualibus non obstat; 2° valet etiam quatenus donatio *inter vivos*, si non sit revocabilis ad nutum donatoris, sed tantum ex eventu sanitatis; quia tunc ut donatio conditionata *inter vivos* haberi potest.

Quaer. 3° *An eadem donatio valeat sub conditione ut restituatur, si repetatur?*

(*a*) Vide tamen, quae de his dicta fuerunt *sup. n. 812.*
(*b*) Itidem revocatur donatio mortis causa, si donator periculo supervixerit.

Resp. Affirm. probabilius, quamvis non valeat ut donatio *inter vivos,* quae postulat, ut donator re sua se spoliet irrevocabiliter; valere tamen potest tanquam donatio mortis causa propter traditionem realem, quae non minus roboris habere debet, licet nulla mortis mentio fiat.

837. **Resolves.** — 1° Non est donatio mortis causa, sed *inter vivos,* dispositio, qua quis nunc et irrevocabiliter alteri donat dominium rei, cuius usum vel usumfructum sibi reservat usque ad mortem.

2° Nec ut donationes mortis causa habendae sunt, sed *inter vivos,* dispositiones, quibus aegroti dant actualiter et irrevocabiliter personis praesentibus, v. gr. parentibus, famulis, amicis, res mobiles aut etiam immobiles absque ulla conditione mortem respiciente.

3° Vim donationis mortis causa non habent promissiones, quae solent fieri in vita de re aliqua danda in morte parentibus, famulis, amicis..., neque vi talis promissionis quispiam poterit vel quid minimum praetendere; quia promissiones illae non aliud solent denotare quam merum propositum, seu bonum animum donationis alias faciendae. Cavendum igitur, ne famuli et amici, etc.... facilius voluntatem defuncti in sui favorem interpretentur, atque adeo res quasvis, praetextu promissionis vel donationis, occulte surripiant. *Recole dicta supra de promissione, n. 800. — V. Casus, n. 841. et seq.*

§. IV. *De substitutione et fideicommissis.*

838. — *Substitutio* licet quandoque fideicommissi nomen obtineat, latius tamen se extendit, quippe quae generatim sumpta definitur: dispositio, qua quis vocatur ad hereditatem vel legatum in alterius defectu.

Duplex est substitutio: alia *fideicommissaria,* quae idem est ac fideicommissum; et alia *directa,* qua quis directe et proprio nomine, loco alterius, ad hereditatem vocatur, siquidem ille rem accipere nequeat vel nolit.

Fideicommissum, seu melius *substitutio fideicommissaria* est, qua heres testamento institutus vel ab intestato veniens a defuncto gravatur et obligatur, ut hereditatem totam, vel eius partem alteri restituat seu tradat. — *Schmalzgr. Lib. 3. Tit. 26. n. 126.*

Quaesita. — Quaer. 1° *Quaenam substitutiones* Iure Gallico *prohibeantur?*

Resp. Prohibentur omnes dispositiones, quibus aliquis vocatur ad aliquid accipiendum sub onere illud servandi, et dein reddendi tertio (*a*). Hinc non prohibentur substitutiones, in quibus bona non debent aliquandiu servari, sed statim ad tertium transmitti.

(*a*) Ius Gallicum (art. 896.) dispositiones istas non interdicit eo sensu, ut irrita sit omnino institutio heredis aut legatarii, sed legatarium ab onere aliis accepta servandi ac tradendi eximit.

839. — Quaer. 2° *Quaenam sint substitutiones a* Iure Gallico *permissae?*

Resp. 1° Valent substitutiones directae, seu testamentum, quo secundus instituitur legatarius defectu prioris, si legatum accipere nolit vel non possit (*art. 898.*); 2° item donationes, quibus ususfructus uni, et rei proprietas alteri datur, non habendae sunt ut substitutiones (*a*), cum uterque statim fiat rei sibi legatae dominus (*art. 899.*); 3° valent dispositiones, quibus aliquis bona, quorum liberam dispositionem habet, alicui donat cum onere ea remittendi uni aut pluribus ex descendentibus ipsius donatarii, usque ad secundum gradum tantum. — *Ita lex 17 Maii 1828, modificans Cod. civ. art. 1048. et seq.*

Quaer. 3° *An valeant in foro conscientiae substitutiones fideicommissariae lege prohibitae?*

Resp. Videtur eadem esse quaestio ac pro testamentis, quae formalitatibus destituuntur; unde possessori ante iudicis sententiam favendum est (*b*).

840. Quaer. 4° — *An valeant in foro conscientiae fideicommissa occulta pro causis piis, seu sub forma donationis simulatae, testamenti aut legati ficti in favorem alicuius privati?*

Resp. Affirm., si agatur de donationibus manualibus vel de rebus, quae diu conservari non debent ante transmissionem; vel etiam *probabiliter,* si non debent conservari usque ad mortem donatarii; quia lege non prohibentur (*c*).

2° Quod spectat ad alias donationes fideicommissarias, respondendum est sicut de testamentis ad pias causas quae formis careant.— *Recole dicta sup. n. 818* (*d*). — *V. Casus n. 867. et seq.*

(*a*) Vi *art. 898.* neque dispositiones, quas priori loco Auctor innuit, habendae sunt ut *substitutiones.* Quocirca ad quaestionem heic propositam reipsa ea tantum pertinent, quae mox tertio loco habentur.

(*b*) Conf. dicta sup. n. 786.

(*c*) Nimirum si per leges hae dispositiones non prohibentur, nulla suppetit ratio, propter quam impugnari ipsae ab iis possint, quorum forte interesset, illas executioni non mandari.

(*d*) Constat ex sequenti declaratione S. Poenitentiariae 23. Iun. 1844. Proposita enim sequenti quaestione:

Eudorius *caelibatarius, heredibus necessariis destitutus, graviter decumbens, ut animae suae consulat, statuit partem bonorum in pia opera erogare. Ad hunc finem,* Bonifacium *legatarium universalem instituit per testamentum debitis vestitum formis. Scriptum autem privatum* Bonifacio *tradit, in quo piam manifestat voluntatem, postulatque ab ipso, ut eamdem fideliter exequatur.* Bonifacius *vero, mortuo* Eudorio, *hereditatem integram servat, ex eo quod testamento valido illam teneat. Postulatur, utrum in conscientia tutus esse possit?*

Sacra Poenitentiaria respondet, in casu exposito Bonifacium teneri in conscientia ad implendam voluntatem *Eudorii* certe cognitam, pro foro conscientiae.

CAPUT III.

DE COMMODATO ET PRECARIO

841. — *Commodatum* est contractus, quo res ad solum usum (*a*) *gratis* conceditur pro certo tempore, cum onere rem eamdem in individuo (*b*) restituendi.

Precarium, quod commodato affine est, definitur: contractus, quo alicui petenti rei alicuius usus conceditur, revocabilis tamen ad concedentis voluntatem. Et in hoc a commodato precarium differt, quod ad concedentis arbitrium revocabile sit.

Hinc commodatum differt 1° a locatione, qua usus rei conceditur quidem, sed non gratuito; 2° a deposito, quo res traditur non ad usum, sed ad custodiam; 3° a mutuo, quo res in eadem tantum specie restituenda est.

Obiectum porro commodati aut precarii esse possunt res quaecumque, sive mobiles, sive immobiles, in civili commercio positae, modo consumptibiles non sint primo usu, cui destinantur.

Obligationes commodatarii.

842. — Generatim uti debet re sibi commodata tanquam bonus paterfamilias; speciatim vero

1° Non potest uti re commodata, nisi ad usum vel sibi concessum, vel cui prudenter iudicat consentire commodantem, vel cui res ex natura sua destinatur; secus, re aliena abutitur, omniaque inde provenientia damna reparare tenebitur.

2° Subire debet expensas necessarias ad rei conservationem, alere v. gr. equum commodatum; sed non tenetur ad sumptus extraordinarios, v. gr. ad curandum equum gravi morbo citra culpam suam laborantem.

3° Rem commodatam praefixo tempore et propriis expensis reddere debet, etiamsi non repetatur; quia dies statuta pro domino interpellat. Si restitutionis tempus praefinitum non fuerit, restitui res commodata debet statim ac postulatum usum praestiterit.

4° Si res commodata detrimentum aliquod ob concessum usum patiatur absque culpa commodatarii, iste ad compensationem non te-

(*a*) Imo in hac definitione alii solent dicere, *certi usus gratia*, vel, *certo praescripto utendi fine et modo;* qua phrasi includi solet etiam *tempus*, non expresse idcirco semper determinandum.

(*b*) Auctor utitur modo loquendi proprio philosophorum magis, quam iuristarum; et idcirco rem restituendam dicit *in individuo*, si fuerit commodata, *in eadem autem specie*, si data *mutuo* fuerit. Aliter vero iuristae, qui in casu priori rem in *eadem specie*, in posteriori autem restituendam dicunt in *eodem genere*.

netur. Si deterior facta sit culpa ipsius iuridica, tenetur in foro externo compensare, et iuxta Theologos non paucos etiam in foro interno, cum contractus sit in solam eius utilitatem initus. *Negant* tamen *probabiliter alii,* nisi de hoc peculiaris conventio intercesserit (*a*).

Obligationes commodantis.

843. — 1° Tenetur rem commodatam non repetere ante tempus praefixum, vel saltem, si hoc praefixum non fuerit, antequam commodatarius ea uti valeat: alioquin tenebitur de damno, quod alius expertus est ex intempestiva eius revocatione, cum ius alienum pacto acquisitum sic violaverit. Excipe, si res commodata fuerit in favorem solius commodatarii, qui ante tempus praefixum moriatur; vel si ipse commodans ex casu improviso re sua statim indigeat.

2° Tenetur restituere expensas extraordinarias, quas urgentes et ad rem conservandam necessarias subiit commodatarius, dum alioqui commodantem monere facile non potuit.

3° Rei commodatae vitia nociva, si quae noscit, commodatario aperire tenetur; alias damnum inde proveniens compensare debebit.

4° Tandem rei pericula atque detrimenta ex casu fortuito enata, seclusa mora, culpa, pacto, et peculiari lege, sustinere tenetur, quia iuxta axioma: *Res perit domino.* — *V. Casus, n. 869.*

CAPUT IV.

DE DEPOSITO ET SEQUESTRO

I. *De deposito.*

844. — Depositum est contractus, quo gratis res custodienda committitur, et accipitur in integrum restituenda, quando deponenti libuerit.

Obligationes depositarii.

1° Tenetur rem depositam servare ac custodire ea cura et diligentia, quam homines diligentes adhibere solent in consimili re propria conservanda; hanc enim rei traditae custodiam suscepit. Si res deposita ex dolo vel eius incuria theologice culpabili pereat, ad restitutionem tenetur.

2° Uti re deposita non potest sine consensu domini expresso vel tacito, vel saltem prudenter praesumpto; neque enim re aliena inconsulto domino uti licet.

3° Tenetur rem depositam petenti statim reddere; nam secus rem

(*a*) Conf. sup. (*n. 661. seq.*) dicta de culpis, e quibus restituendi obligatio etiam in foro conscientiae profluit.

alienam haberet, domino rationabiliter invito. Excipe, nisi deponens eam repetat in suum vel alienum damnum; vel nisi res sit furtiva, et dominus eam repetat; vel etiam (saltem in foro conscientiae) nisi depositarius iustam habeat compensationis causam. Res autem deposita reddi in eo statu debet, in quo reperitur tempore restitutionis, et cum fructibus ex ea perceptis. Si vero culpa depositarii deterior facta fuerit, hic ad damnum reparandum obligatur.

Obligationes deponentis.

Deponens tenetur solvere expensas, quas depositarius subiit in re deposita servanda, illumque indemnem reddere pro omnibus, quae occasione depositi passus fuerit. Sic v. gr. si deposueris in alterius stabulo equum, solvere debes nutritionis expensas; et si equus ille morbo contagioso laboret, ex quo equi depositarii inficiantur, hunc indemnem reddere debes. Hinc effatum: *Officium suum nemini debet esse damnosum.* — *V. Casus, n. 875. et seq.*

II. *De sequestro.*

845. — *Sequestrum* est depositi species, quo res controversa deponitur apud tertium, ut post sententiam iudicis vel arbitri vincenti tradatur.

Duplex distinguitur sequestrum: *conventionale,* quod fit mutua contendentium conventione; et *iudiciarium,* quod sententia iudicis decernitur. De utroque satis erit innuere sequentia.

1° Sequestri tam conventionalis quam iudiciarii obiectum potest esse res mobilis vel immobilis.

2° Sequestrum conventionale potest esse non gratuitum, et tunc fit operae conductio, istiusque contractus legibus subiicitur. Si vero gratuitum sit, iisdem regulis subiacet, ac depositum. Non dissolvitur tamen, nisi mutuus partium consensus vel legalis causa superveniat.

3° In sequestro iudiciario custos curam boni patrisfamilias gerere debet; committens vero custodiae mercedem iure statutam depositario solvere tenetur. Sic de iure naturali et positivo.

CAPUT V.

DE MANDATO ET NEGOTIORUM GESTIONE

I. *De mandato.*

846. — *Mandatum* est contractus, quo obligatio aliquid agendi in commodum alterius gratuito suscipitur, v. gr. negotium aliquod conficiendi, aliquid emendi, vendendi, etc... Dixi, *gratuito;* nam

si ob sancitum pretium suscipiatur, potius operae locatio nuncupatur (*a*).

Obligationes mandantis.

1° Adimplere debet omnes obligationes a mandatario contractas et mandato consentaneas; non autem id, quod ultra mandatum confectum est, nisi expresse vel tacite ratum habuerit.

2° Ea praestare mandatario debet, quae ad mandati executionem necessaria sunt, eique legitimos sumptus, quos fecit occasione mandati, refundere, etiamsi rem ad felicem exitum non perduxerit.

3° Indemnem praestare tenetur mandatarium ratione damnorum, quae, praecisa culpabili imprudentia, occasione mandati passus fuerit; nemo enim tenetur nec censetur velle alteri beneficium cum proprio dispendio conferre.

Obligationes mandatarii.

847. — 1° Tenetur mandantis negotium diligenter ac velut proprium gerere. Unde saltem de dolo, et incuria theologice culpabili tenetur.

2° Intra mandati limites se continere debet. Unde nihil pluris emere vel minoris vendere potest, quam ipsi praescriptum sit; secus enim vi mandati non ageret.

3° Non potest mercedem exigere, nisi promissa sit, vel ipse eam antea petierit, nec ei licet suam operam occulte compensare.

4° Non potest *per se* sibi retinere lucrum, si vendat, nec pretii excessum, si infra pretium determinatum emat, nisi dominus consentiat. *Per accidens* tamen potest mandatarius seu proxeneta sibi retinere pretii excessum, 1° si res speciali eius industria et indebito labore melior evaserit; 2° si tacite convenit cum domino, se nihil ei daturum esse ultra pretium seu valorem determinatum; 3° si in meram ipsius gratiam venditor pretium imminuerit, vel emptor maiorem summam obtulerit. — *S. Lig. n. 825. — V. Casus, n. 885. et seq.*

Mandatum tribus modis scinditur: 1° revocatione mandati, quam mandans pro libitu facere potest; 2° renuntiatione mandatarii tempore debito notificata; 3° morte naturali vel civili, aut interdictione sive mandantis, sive mandatarii.

(*a*) Superius (*in nota ad n. 673.*) advertimus, ex natura mandati excludi quidem mercedem proprie dictam, non tamen *salarium* seu *honorarium*. Caeterum aliis non placet haec mandati definitio, in qua nulla habetur ratio *mandantis*, sed solum obligationis a *mandatario* assumptae. Potius igitur *mandatum* sic definiendum putant: *Est contractus bonae fidei, consensu constans, quo negotium honestum alteri id suscipienti gratis gerendum committitur.* Voet, *Lib. 17. Tit. 1. n. 2.*

II. *De negotiorum gestione.*

848. — *Gestio negotiorum* est quidam *quasi-contractus,* quo quis absentis et ignorantis negotium utiliter gerendum suscipit, sine mandato expresso, sed ex eius commissione rationabiliter praesumpta.

1° Gestor negotii, perinde ac mandatarius, tenetur alterius rem administrare tanquam bonus paterfamilias, et damna absenti illata ex suo dolo, negligentia vel culpa resarcire. In pluribus tamen circumstantiis temperari potest, etiam in foro externo, obligatio compensandi damna, maxime quando ista proveniunt ex imperitia vel negligentia gestoris, qui rem alterius in defectu peritioris gerendam sumpserit.

2° Absens, cuius negotium geritur, tenetur conventiones a gestore rite factas servare, et ipsi expensas et damna ex tali gestione provenientia resarcire, etiamsi res male successerit.

Probabilius ius habet ad mercedem congruentem ; secus enim pauci invenientur, qui negotia absentis gerenda sponte suscipiant. — *Ita Antoine c. 4. in fine, et alii. — V. Casus, n. 889.*

CAPUT VI.

DE MUTUO

Agendum 1° de natura contractus mutui ; 2° de lucro ex mutuo percepto, seu de usura; 3° de titulis ab usura excusantibus.

ARTICULUS I.

DE NATURA CONTRACTUS MUTUI

849. — Vox *mutuum* iuxta vim nominis significat aliquod *ex meo tuum fieri* (*a*). Aliquando sumitur pro ipsa re mutuo tradita; aliquando vero, et saepius, pro contractu, quo ea res alteri utenda traditur. In postremo hoc sensu hic accipitur.

Mutuum definiri solet *contractus,* quo res primo usu consumptibilis alteri traditur, cum obligatione rem similem reddendi statuto tempore, atque in eadem specie et bonitate.

Res autem primo usu consumptibiles censentur ea omnia, quae

(*a*) Advertit Donellus (*De Iur. Civ. Lib. 14. c. 1. n. 6.*) mutuum ita dictum esse *non utique eo tantum, quod de meo tuum fiat, ut est in L. 2. De reb. cred.; alioquin donatum, et venditionis aut permutationis causa traditum fit mutuum ; sed quia viceversa hoc etiam agatur, ut tuum illud, quod acceperas, rursus fiat meum. Inest enim in hoc verbo reciprocatio mei et tui, idest haec vis, ut meum tuum fiat, et retro tuum meum.*

natura sua destruuntur et consumuntur ad humanis necessitatibus subveniendum, ut panis, frumentum, vinum, oleum, sal, fructus, etc. Secundum iura autem (*L. 2. ff. De rebus creditis*) eiusmodi censentur, *quaecumque pondere, numero vel mensura constant.*

Hinc mutuum differt a commodato, locato et deposito; 1° quia in mutuo res debet esse primo usu consumptibilis, secus in aliis; 2° quia res non in individuo, sed in specie tantum eadem reddenda est; 3° quia in mutuo transfertur rei dominium (*a*), et non in aliis; 4° quocirca in mutuo res perit accipienti, in caeteris tradenti.

Ratio porro, quare in mutuo stricto et proprie dicto transferatur rei dominium, est, quia cum res mutua sit primo usu consumptibilis, eiusmodi usus non esset licitus sine dominio ipso. Hinc expensae omnes et rei traditae pericula cedunt mutuatario, utpote vero domino.

850. **Principia.** — I. Datur praeceptum strictum mutuandi respectu pauperum, qui in extrema necessitate versantur, et habituri sunt quo restituant. Ratio est, quia adest stricta charitatis obligatio subveniendi proximo in ea necessitate posito iuxta regulas et principia statuta ubi de charitate erga proximum.

Saepius abest praeceptum mutui erga pauperes, eo quod non praesumantur habituri, unde aequivalens reddere valeant. Sed tunc urget praeceptum eleemosynae *alicuius* ipsis erogandae. Dico *alicuius;* quia non teneris tantum eleemosynae praestare, quantum pauper mutuo efflagitabat. Sunt enim etiam alii, qui opitulari possunt et tenentur.

II. Datur praeceptum concedendi mutuum etiam divitibus, qui ob

(*a*) Haec dominii translatio non absolute, sed circumscripto quodam sensu intelligenda est. Neque enim quemadmodum in donatione, sic in mutuo transferri dominium contingit, sed potius tamquam in *re credita;* nam, ut iura aperte habent (*L. 2. §. 3. ff. De rebus creditis*), mutuum ad creditum velut species ad genus revocatur. Duo haec itaque conciliari debent, nimirum et quod pecuniae mutuo datae fiant accipientis, ut ex iure (§. 2. *Instit. Quibus modis re contrahitur obligatio, et L. 13. ff. De rebus creditis*) manifeste colligitur, et quod nihilominus eadem pecuniae summa ex parte mutuatarii censeatur, et vere sit *aes alienum,* ex parte vero mutuatoris sit *res credita,* de qua iure dominii disponere pro arbitrio possit, eam donando, legando, vendendo, etc. Cuius rei simile exemplum habes in bonis dotalibus. Si enim in pecuniis haec consistant, ac marito tradantur, utique harum ita fit dominus, ut eas pro lubitu absumat; nec ideo tamen uxor dotis suae dominium amittere censetur; nempe in his casibus amittitur dominium proprietatis in pecunias, quatenus sunt haec massa metalli, seu signum valoris; nequaquam vero in valorem ipsum, cuius mere ceditur usus. Hinc fit, ut in traditione alicuius summae in mutuum, seu ad utendum (nam hinc et *usurae* nomen), necesse nullatenus sit massam metallicam alteri dare (ut patet ex *Leg. 15. ff. De rebus creditis*), sed (si quis est, cui communis fiducia ita favet, ut hoc ipsi deferat) sufficiet nominis appositio ad cambii litteras, quae alteri tradantur, prouti nunc sufficit traditio monetae chartaceae tamquam signi valoris, ad cuius usum parum interest, utrum in monetam metallicam, nec ne, convertatur.

peculiarem circumstantiam eo summe indigeant, non tamen illis divitibus, qui ad augendas opes idem postulent. Ratio 1^{mi} est, quia praeceptum charitatis nos obstringit erga omnes homines, etiam divites, et exigit, ut hoc libenter praestemus, quod in pari casu nobis praestari vellemus, saltem si absque incommodo (*a*) ipsis per mutuum succurrere possimus. Ratio autem 2^{di} est, quia huiusmodi divites in nulla necessitate constituuntur, nec proinde ullum erga eos urget charitatis praeceptum.

851. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quae sint obligationes mutuatoris et mutuatarii ?*

Resp. ad 1um Obligationes mutuatoris sunt sequentes:

1° Tenetur mutuatarium monere de vitio rei traditae, si quod sit; item de imminente damno, lucro cessante, periculo sortis, nisi gratis (*b*) mutuari velit: alias hic non consentit, et sustinet iniuriam, quam reparare tenebitur mutuans.

2° Tenetur non repetere rem ante tempus aliquod iudicio prudentium definiendum, consideratis circumstantiis et fine, ob quem res mutuo data est. Tenetur tamen rem recipere, si afferatur ante, quia in gratiam mutuatarii tempus concessum est (*c*).

3° Tenetur, *per se,* non plus recipere, quam res mutuata valuerit, quando mutuo data est; quia mutuum per se est contractus gratuitus hoc sensu, quod aliud onus mutuatario non imponat, quam ut reddat in specie, debito tempore, id quod accepit (*d*). — *S. Lig. n. 755.*

(*a*) Antequam Confessarius hanc mutuandi obligationem urgeat, perpendere sane debet, charitatis praeceptum non adstringere cum gravi incommodo; grave autem incommodum perraro abesse ab hoc mutuandi officio, gravissimasque molestias ut plurimum manere eos, qui creditum recuperare pro iure suo volunt. *Fraudabit* (inquit Spiritus Sanctus Eccli. XXIX) *illum pecunia sua, et possidebit illum inimicum gratis. Et convicia et maledicta* (mutuatarius) *reddet illi* (mutuatori), *et pro honore et beneficio reddet illi contumeliam.* Unde concludit: *Multi non causa nequitiae non foenerati sunt, sed fraudari gratis timuerunt.*

(*b*) Idest nisi velit condonare illud, quod titulus *damni emergentis, lucri cessantis,* etc., servata mutui gratuitate, exigere iuste posset. Ideo autem censetur haec condonasse, et per iniuriam, nisi praemonuerit, haec exigeret, quia, nisi prius de his pacta statuantur, merito negabit mutuatarius, se in ea consensurum fuisse, vel certe sublatam sibi fuisse libertatem consentiendi vel non consentiendi, iure merito opponere potest.

(*c*) Melius forte dixeris, *quando in meram gratiam mutuatarii tempus concessum est.* Non enim repugnat, mutuationem etiam in mutuantis gratiam fieri posse. Contingere insuper potest, ut praepropera mutui restitutio cedat, saltem ex parte, in iacturam lucri, quod istius mutuationis causa mutuans abdicaverat.

(*d*) Haec ratio nullam praefert difficultatem, si de pecuniis agatur; cum enim totum in *valore* consistat, certe *valor* spectandus est in restitutione. At si mutui materia aliis rebus constet, iam tibi difficultates occurrent, de quibus Auctor in Resp. ad Q. 2. nonnulla dicit. Iuvat interim prae oculis illud habere, quod cavetur (*L. 3. ff. De rebus creditis*) in iure romano: *Cum quid mutuum dederimus, etsi non cavimus, ut aeque bonum nobis redderetur, non licet debitori deteriorem rem, quae ex eodem ge-*

Resp. ad 2um Quoad obligationes mutuatarii,

1° Utcumque res mutuata forte pereat, mutuatarius non liberatur, donec mutuator suum vel per se vel per alium designatum receperit; ratio, quia debitum non est de re in individuo, sed in specie, vel de valore, si pecunia tradita mutuo fuerit.

2° Res debet reddere praestituto tempore, et in eadem specie physica, mensura, numero, pondere. Quoad pecuniam vero, quae moraliter tantum perire censetur, sufficit (nisi de eadem pecuniae specie reddenda conventum fuerit) ut iuxta eumdem valorem restituatur: quia in pecunia potius ad valorem, quam ad speciem attenditur; quinimo plures negant, pecuniam esse rem primo usu consumptibilem, quando divitibus seu mercatoribus mutuo ad commercium peragendum traditur; unde etiam negant, mutuum hinc haberi proprie dictum; secus vero in aliis.

852. — Quaer. 2° *An possis rem mutuatam in eadem mensura et quantitate recipere, si mutui tempore crescat eius pretium? An plus repetere, si decrescat?*

Resp. 1° Si quando res mutuo traditur, aequale sit utrinque dubium, an tempore restitutionis res valitura sit pluris vel minoris, licet pacisci, ut servata eadem bonitate et mensura reddi suo tempore debeat, etsi pretium eius valde sit auctum. Ratio est, quia cum utrinque aequale fuerit periculum, eo ipso iam aequalitas servatur. — *S. Lig. n. 782.*

Resp. 2° Licitum non est *per se* pactum praedictum, si certo constet, vel longe probabilius sit, tempore solutionis valorem auctum iri. Ratio est, quia sic non servatur aequalitas, sed plus exigitur, quam detur tempore mutui. Hinc si modius tritici nunc valeat tribus francis, et valiturus sit quatuor tempore restitutionis, non licet pacisci, ut tantundem solvatur. Excipe tamen, nisi statueris rem servare in tempus pretii aucti; quia tunc plus exigitur ratione lucri cessantis. — *Lacroix, n. 910. et seq., S. Lig. n. 782.,* etc.

Resp. 3° Si praevideas valoris seu pretii imminutionem, tantum potes repetere, et mutuatarius solvere debet, quanti res valebat, cum mutuo tradita est; quia revera non plus exigis, quam dedisti. — *S. Lig. ibid., Reuter,* etc. (*a*).

nere sit, reddere: veluti vinum novum pro vetere: nam in contrahendo quod agitur, pro cauto habendum est: id autem agi intelligitur, ut eiusdem generis et eadem bonitate solvatur, qua datum sit.

(*a*) Ad praesentem quaestionem facit, quod in *L. 22. ff. De rebus creditis* sic habetur: *Vinum, quod mutuum datum erat, per iudicem petitum est: quaesitum est, cuius temporis aestimatio fieret: utrum cum datum esset, an cum litem contestatus fuisset, an cum res iudicaretur. Sabinus respondit, si dictum esset, quo tempore redderetur, quanti tunc fuisset: si non, quanti tunc cum petitum esset. Interrogavi, cuius loci pretium sequi oporteat? Respondit, si convenisset, ut certo loco redderetur, quanti eo loco esset· si dictum non esset, quanti ubi esset petitum.*

ARTICULUS II.

DE USURA SEU DE LUCRO PERCEPTO EX MUTUO

Usura, lato sensu sumpta, dicitur omne *lucrum* perceptum ex mutuo, vel illius occasione, sive cum titulo sive absque titulo legitimo. Usura autem *sensu strictiori* est lucrum immediate proveniens ex mutuo, idest praecise vi mutui, et absque iusto alio titulo. Usurae tamen crimen non adest, si quis exspectet pro mutuo aliquid, non ut debitum, sed ex mera benevolentia (dummodo non subsit usura implicita), vel si exigat rem aliunde iam ex iustitia debitam, cum sic de facto nullum onus novum imponatur. — *S. Lig. n.* 774., 777. *et seq.* — Si limitis iusti tituli excedat, vel erga pauperes exerceatur, usura *oppressiva* nuncupatur (*a*).

853. **Principia.** — I. Usura percepta *vi mutui* in re primo usu consumptibili, ut in vino, tritico etc..., est prorsus illicita. Ratio est, quia usus talis rei fere non est pretio aestimabilis independenter a re ipsa mutuata; res autem illa solum titulum praebet ad rei similis restitutionem, nec adest permanens usus, qui pretio aequivalere possit (*b*). — *Ita communiter.*

II. Usura *oppressiva* iuri naturali repugnat, sive erga pauperes, sive erga divites fiat: 1° *si fiat erga pauperes,* quia mutuans ex cha-

(*a*) Non par est causa, quod lucrum excedat iustitiae limites, et quod a pauperibus lucrum per se iustum exquiratur. In primo enim casu iustitia, in secundo autem sola charitas laeditur, ut A. infr. advertit. Proinde cum restituendi obligatio consequatur violationem *iustitiae*, neutiquam vero violatum charitatis officium, propterea onus restitutionis utique in priori casu, non autem in posteriori, saltem si res mere ad ius naturae exigatur, urgeri potest.

(*b*) Ratio intrinseca, cur usura percepta *vi mutui* sit prorsus illicita, ut solida sit et ita inconcussa, ut suam semper vim retineat, peti aliunde non potest, nisi ex huius contractus natura, qui ex certa omnium sententia est et esse debet *gratuitus*. Et reipsa etsi fingas, quod falsum est, vinum, triticum, etc. alium usum non habere, nisi ut absumantur; at nonne hoc est aliquod commodum, quod tibi comparatur, ut hic et nunc possis absumere? Sed insuper, uti inferius dicetur, ratio, cur pretio aestimabile sit, propriam pecuniam aut aliud quidpiam libero alterius usui concedere, ex communissimo DD. sensu non a commodo, quod inde percipiat alter, petenda est, sed potius ab incommodo, quod ex ipsa rei natura ille subit, qui semet commodo utendi re sua in gratiam alterius privat. Itaque sicut agentes de *commodato* aut *donatione,* rationem, cur ex iustitia nihil exigere *donans* aut *commodans* licite possit, non exinde sane quaerimus, quod nulla donatario vel commodatario utilitas pretio aestimabilis accedat, aut quod *donans* vel *commodans* nullum sibi assumat onus pretio aestimabile, sed quaeramus oportet ex natura contractus *gratuiti,* vi cuius alter spontanea liberalitate renuntiat iuri exigendi promeritum pretium pro rei alicuius aut usu aut pleno dominio alteri concesso; ita et de contractu *mutui,* nisi quis inextricabilibus difficultatibus implicari et obvolvi in votis habeat, definiendum videtur.

ritate (*a*) mutuum gratuito dare tenetur; 2° *si fiat erga divites* ultra limites iusti tituli (vel saltem taxae legalis), quia iustitia requirit, ut sit proportio inter hunc titulum et lucrum inde perceptum, seu inter lucrum et usus valorem (*b*). Constat ex variis textibus Scripturae.

III. Usura poterit ab omni iniustitia excusari, si adsit titulus iustus, v. gr. *damni emergentis,* etc. Ratio est, quia tunc lucrum non vi mutui accipitur, sed ratione extrinseci tituli. Licet enim tibi accipere, quantum tradidisti; porro si ex datis centum nummis decem perdas, erogas aliquo modo centum et decem: ergo centum et decem accipere potes.

IV. Usurarii eorumque cooperatores ex iustitia ad restitutionem tenentur, quippe qui iustitiam commutativam laedunt haud secus ac ipsi fures; iis igitur regulae, in *Tractatu de Restitutione* traditae, applicandae sunt.

854. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An in dubio, utrum mutuatarius dederit aliquid supra sortem gratis vel non, possis id retinere?*

Resp. Affirm. cum sententia communi et probabiliori, nisi aliud ex circumstantiis definiri debeat (*c*).— *S. Lig. n. 761.*

Quaer. 2° *An mutuans retinere possit, quod mutuatarius dedit ex timore, ne alias mutuum sibi denegetur?*

(*a*) Si *oppressiva* ea usura dicitur, quae etiam limites alicuius extrinseci tituli excedit, ratio reatus hic non solum a violata charitate, sed ab iniustitia quoque exsurgit; neque enim minus cum pauperibus, quam cum divitibus iustitiae leges servari debent.

(*b*) Paulo ante (*in Princ. I.*) praestituerat Auctor, *usum rei nullatenus esse pretio aestimabilem;* hic vero quasi iustum lucri titulum proponit *usus valorem.* Sic nimirum, et non aliter, contingat oportet, quandocumque ad asserendam mutui gratuitatem alia uti velis ratione praeter eam, quam in praecedenti Nota ad primum illud principium habes.

(*c*) Videlicet potest acceptum retineri, quando, omnibus perpensis, prudenter iudicari ex circumstantiis possit, mutuatarium mere ex dono liberali illud rependisse. Quod quidem ubi Confessarius satis comperiat, retineri donum posse definiet, tum si mutuator illud bona fide acceperit, tum si dubia aut etiam mala fide, quasi scilicet sibi ex iustitia debitum. Nam in postrema hypothesi tenebitur quidem erroneam quasi debiti sibi soluti persuasionem, pravumque animum deponere, non item id amittere, quod legitimo donationis titulo sibi collatum est.

Ad prudens vero, de quo diximus, iudicium conferunt sane illa S. Alphonsi (*Lib. 3. n. 761. Q. II.*): *In dubio mutuatarius regulariter praesumitur coacte dedisse, quia difficulter homines gratis sua largiuntur.* Ita S. Auctor, qui tamen mox subiicit: *Caeterum in hoc dubio deferendum est illi parti, pro qua est potior praesumptio; hinc aiunt Salmant., Spor., Less., praesumendum esse, mutuatarium moraliter certo donasse, si non sit pauper aut avarus, aut non dederit impulsus ex metu, neque ex molestia vel petitione mutuantis,* aut (adde) si munuscula sint levis momenti, ut DD. communiter habent, etiam quando agitur de simoniae crimine.... *Oppositum vero praesumitur, si mutuans ante donationem significaverit, velle aliquid ut sibi debitum, aut si mutuatarius sit pauper, vel non solitus donare, vel si solvat ante redditionem mutui: quia tunc facile praesumitur dare, ne cito cogatur ad restitutionem.* Verumtamen haec quaestio in praxi raro locum habebit; quippe in more communi est pacta in antecessum praestituere.

Resp. Affirm. probabilius. Ratio est, quia requiritur ad usuram, ut detur ex vi pacti, sive ut debitum ex iustitia. — *Ita communius.* — *S. Lig. n. 763.*, in hanc sententiam inclinat.

855. — QUAER. 3° *An sit usura, si mutues ea lege, ut mutuatarius sibi necessaria iusto pretio in tua officina emat?*

Resp. Affirm., si hoc in pactum deducatur. Ratio est, quia onus mutuatario imponitur, et ipsius libertas restringitur, quod illicitum et iniustum est (*a*). — *S. Lig. n. 780.*, etc.

QUAER. 4° *An possit in pactum deduci donatio* antidoralis, *seu quae ex animo grato fiat?*

Resp. Neg. Ratio est, quia ex *pactis* necessario oritur iustitiae titulus, non vero donatio mere ex animo grato erogata. — *S. Lig. n. 764., et alii communiter.*

ARTICULUS III.

DE TITULIS AB USURA EXCUSANTIBUS

Quinque praecipui numerantur, scilicet 1° damnum emergens; 2° lucrum cessans; 3° periculum sortis; 4° poena conventionalis; 5° lex civilis.

Quatuor priores communissime admittuntur; de postremo lis agitatur. De singulis pauca dicemus.

I. *De damno emergente.*

856. — Damnum *emergens* est detrimentum, quod patitur mutuans occasione mutui proximo praestiti (*b*).

(*a*) Quamvis ex huiusmodi pacto nullum damnum aut incommodum mutuatario eveniat, erit tamen pactum naturae huius contractus *plane gratuiti* repugnans; et ideo non carebit aliqua iniustitia. Idem dicendum foret, si quis cum eiusmodi pacto alteri vineam donaret; eodem quippe modo donationi, quae suapte natura est contractus gratuitus, pacta onus imponentia repugnant.

(*b*) Fac advertas discrimen, quod inter contractus aeque gratuitos, *commodatum* nempe et *mutuum*, consuetudo invexit. Nam licet occasione *commodati* aliqua *emergentis damni* aut *lucri cessantis* ratio haberi posset, sive quia res commodata usu teratur, aut utcumque deterior fiat, sive quia commodator lucrum amittat, quod alioquin ex rei commodatae vel usu vel locatione percipere sane posset; tamen istiusmodi tituli, propter quos ex *commodato* aliquid recipiatur, admitti non solent, et censentur huic contractui repugnantes; quod contra de contractu mutui factum cernimus. Dixi autem, *hoc consuetudine invectum.* Nam quod olim mutui gratuitas excluderet emergentis quoque damni compensationem, testis adest Io. Duns Scotus, qui (*in 4. Dist. 15. Q. 2. Art. 3.*), ubi usuras damnat, hanc quoque sibi proponit solvendam difficultatem: *Si arguitur contra hoc, quod licet unicuique in contractibus se servare indemnem, ut dictum est prius, quod vendens potest carius vendere attendens damnum suum in vendendo;... ergo eodem modo si inducatur ab alio ut sibi mutuet, licet sibi se*

I. Si mutui causa mutuans damnum patitur, legitimus est titulus aliquid supra sortem accipiendi. Ratio est, quia aequum non est, ut damnum ex mutuo feras; nemo enim tenetur cum damno proprio beneficium praestare, nisi in proximi necessitate.— *Ita omnes.* — *S. Lig. n. 768.*

servare indemnem, quod non potest nisi accipiendo aliquid supra sortem. Hoc porro responsum subiicit: *Respondeo: si non vult damnificari, pecuniam sibi necessariam reservet, quia nullus eum necessitat ad faciendam misericordiam proximo; sed si vult misericordiam facere, necessitatur ex lege divina, ut non faciat eam vitiatam.* Et hanc sententiam sua quoque aetate receptam testatur S. Thomas; qui (*De Malo Q. 13. art. 4. ad 14.*) haec sibi obiicit: *Duplex est interesse: quoddam quidem ex eo quod aliquid non adest; quia scilicet aliquis non acquisivit, quod acquirere potuisset; et ad hoc interesse non obligatur aliquis. Aliud est interesse ex eo quod aliquid abest; quia scilicet aliquid subtractum est alicui de hoc quod habebat; et de tali interesse nascitur obligatio. Sed contingit quandoque, quod ex pecunia mutuata aliquis damnificatur in eo, quod habeat: ergo videtur, quod possit propter hoc interesse aliquid accipere absque peccato.* Ecce autem quid respondeat: *Dicendum, quod ex pecunia mutuata potest ille, qui mutuat, incurrere damnum rei iam habitae dupliciter. Uno modo ex quo non redditur sibi pecunia statuto termino; et in tali casu ille, qui mutuum accepit, tenetur ad interesse. Alio modo infra tempus deputatum; et tunc non tenetur ad interesse ille, qui mutuum accepit. Debebat enim ille, qui pecuniam mutuavit, sibi cavisse, ne detrimentum incurreret. Nec ille, qui mutuo accepit, debet damnum incurrere de stultitia mutuantis. Et est etiam simile in emptione. Qui enim emit rem aliquam, tantum pro ea iuste dat, quantum valet: non autem quantum ille, qui vendit, ex eius carentia damnificatur.* Quod vero ad lucrum cessans attinet, etiam Franciscus Zech (*Rigor moderatus etc. Dissert. 2. §. 27.*) sincere fatetur, quod *antiquiores Doctores.... nolebant agnoscere titulum lucri cessantis, nec permittere pactum de eo compensando, quando nec vis in extorquendo mutuo, nec culpabilis mora in restituendo admissa, sed pecunia liberrime credita fuerat:* quam quidem sententiam disertissime vides expressam et admissam in obiectione, quam supra sibi proponebat S. Thomas, utut S Doctor has doctrinas in *Summa Theologica* (*2. 2. q. 78. art. 2.*) tantisper emolliverit. Ex quibus multum profecto lucis huic materiae affulget. Nam quod damnum emergens et abdicata lucri spes sint quidpiam pretio aestimabile, atque adeo iusta ratio inde adsit compensationem congruam exigendi, non solum sensus communis habet, sed et Apostolicae Sedis iudicium in Litteris Benedicti XIV confirmat. Quod ergo veteres Doctores negarent, horum causa compensationem aliquam esse quaerendam, luculentissime id confirmat doctrinam, nunquam in hac materia non habendam prae oculis, horum contractuum gratuitatem non esse repetendam ex nullo pretio operis, quod praestatur, sed ex natura *gratuiti* contractus, vi cuius spontanea unius liberalitas in alterius gratiam renunciat compensationi operis, quod per se, utpote pretio aestimabile, compensationem citra iniustitiam admitteret. Cumque liberalitatis exercendae modus ac mensura (omissa nunc obligatione charitatis forte aliter postulantis) in cuiusque libera sit potestate; proinde pro contrahentium arbitrio contractus poterit citra iniustitiam plus, minusve, aut nullatenus esse gratuitus, variata scilicet pro arbitrio contractus natura. Ita v. gr. Titius vineae suae dominium in Caium transferre potest aut pretio iusto exacto, et sic erit *venditio;* aut gratis omnino, et sic erit *donatio;* aut mere exigendo, ut sibi paucisque aliis amicis in eadem vinea prandium bis per autumnum paretur, et erit quid mixtum, quod cum perfectae

II. Ad hoc vero conditiones sequentes requiruntur: 1° ut mutuum sit causa damni; 2° ut nihil praeter compensationem exigatur (*a*); 3° ut auctarium ab initio in pactum deducatur.—*S.Lig. n.769.*

857. **Quaesita**. — QUAER. 1° *An mutuans compensationem damni emergentis exigere possit, si ipse ultro se ad mutuandum offerat?*

Resp. Affirm., probabilius, cum *S. Lig. n. 769.,* etc. Ratio est, quia etiam tunc mutuatarius, cum mutuum acceptat, est vera causa damni emergentis. Mutuans enim non offert absolute, sed conditionate, nempe sub conditione compensationis obtinendae.

QUAER. 2° *An liceat mutuanti ab initio pacisci de certo lucro percipiendo, si damnum emergens sit tantum probabiliter futurum?*

Resp. Affirm., dummodo proportio iuxta damni probabilitatem servetur. — *S. Lig. n. 770.* — *Salmant. c. 3.*

Dum ista de damno emergente statuimus, omnino praescindimus a titulo legis civilis, et variis contractibus, vi quorum ex pecunia alteri mutuata forte legitimari lucrum aliquod posset, ut ex dicendis patebit. Quae quidem animadversio etiam pro aliis titulis mox exponendis lucri cessantis, etc. valere debet.

II. *De lucro cessante.*

858. — I. Lucrum *cessans* est id, quod mutuans servata re vel pecunia sua lucratus fuisset, si eam in alio contractu licito adhibuisset.

Lucrum cessans legitimus est titulus aliquid supra sortem exigendi. Ratio est, 1° quia tunc vere damnum *emergens* habetur (*a*);

donationi aliquid detrahere videatur, nullam tamen iniustitiam, utpote a contrahentium arbitrio plane dependens, continet; esset vero a iustitia alienum, quod donatione plane gratis oblata et acceptata, deinde prandia illa quasi sibi debita ex iustitia exigeret.

(*a*) Si auctarium aliquod iuste mutuanti rependitur, quia aequitas non patitur, ut ex hoc beneficio aliis collato ipse damnum referat; atque adeo auctarii mensura a quantitate subeundi damni desumi debet; contingere sane poterit, ut ea mensura excedat, imo interdum longe superexcedat terminos lucri, quos aut leges, aut communis locorum consuetudo praescribunt. Ita v. gr. si mutuam quis det pecuniam, qua oleum, vinum, frumentum, aliaque usui domestico necessaria opportuno tempore secus compararet, ex quo fiat, ut ipsa vel duplicato pretio dein emere cogatur. Quid porro cum poenitente eiusmodi auctarium in iis adiunctis exigente aget Confessarius? Equidem nisi circumstantiae officium charitatis etiam cum mutuantis damno postulent, mutuatarius vero perpensis omnibus contractum utcumque tanto onere gravatum e re sua esse iudicaverit, poenitentem quasi iniustitiae reum damnare nullo modo posset.

Idipsum autem et ad titulum lucri cessantis transferri potest; nisi quod incertis eventibus cum lucra ista subiacere, imminuique ac praepediri soleant; proinde auctarii mensusa non a sperato lucro, sed a valore prudentis spei dimetiri oportebit. *Vid. infr. n. 872.*

(*a*) S. Thomas (*De Malo, Q. 15. art. 4. obiic. 4.*) discrimen inter *lucrum cessans* et *damnum emergens* ita servat, quod in altero *aliquis non ac-*

2° quia spes lucri est mutuo extrinseca, et simul pretio aestimabilis.

II. Conditiones requisitae 1° eaedem sunt ac in titulo praecedenti; 2° debet mutuans mentem habuisse pecuniam suam in negotiationem impendendi; secus enim lucrum non cessaret. — *S. Lig. Hom. apost. n. 149. et seq.*

Quaer. *An aliquid exigere possis ratione lucri cessantis ob pecuniae mutuum, si aliam pecuniam otiosam serves?*

Resp. 1° *Affirm.* certo, si hanc reservaveris ad usum familiae, vel ne tuum statum periculo exponas, quia non teneris ratione mutui tuam rem negligere. — *S. Lig. n. 771.*

Resp. 2° *Affirm. probabiliter* etiam in caeteris casibus, quia mutuum est vera causa, cur lucrum cesset (*a*). — *S. Lig. ibid.*

III. *De periculo sortis.*

859. — Periculum *sortis* est timor prudens, ne sors recuperari nequeat. Periculum sortis iuxta communiorem et probabiliorem sententiam est legitimus alicuius lucri titulus. Ratio est, tum quia si abdicata spes lucri pretio est aestimabilis, aestimabile erit *a fortiori* periculum damni *probabilis;* tum quia pluris aestimantur res in tuto, quam in periculo positae; tum etiam quia constat ex decisione *Sacr. Congreg. de Propaganda* pro Missionariis Sinensibus ab *Innoc. X* approbata, anno 1645 (*b*). — *Vide S. Lig. n. 765.*

quisiverit, quod acquirere potuisset; in altero autem quod *aliquis damnificatur in eo, quod habebat.*

(*a*) Hanc responsionem aegre forte compones cum secunda ex praemissis conditionibus, nimirum quod mutuanti inesse debuerit intentio lucrum ex pecuniis suis quapiam alia ratione percipiendi. Insuper si *mutuum* per se *est vera causa, cur lucrum cesset,* nonne consequeretur, ipsi naturae *mutui* insitam esse causam, cur lucrum ex *mutuo* exigi semper possit? Quonam igitur pacto sibi constat contractus huius natura, qui *gratuitus* esse debet, atque omne *per se* lucrum respuit, non secus ac pretium respuit donatio? Quae quidem, aliaque huiusmodi sibi minus cohaerentia, quae non raro apud scriptores occurrunt, profecto ostendunt, plane oportere, ut res tota ad solidiora principia revocetur, neque, cum de contractibus gratuitis sermo est, lucri, quod alioquin opus praestitum, si in se spectetur, per se forte admittat, abdicatio in aliam causam, ut saepius iam diximus, refundatur, quam in naturam contractus *gratuiti,* in quem spontanea liberalitas mutuantis consentit. Et si quidem lucrum speres et exigas ex mutuo, propterea quod *mutuum sit vera causa lucri cessantis,* non contractum habebis *mutui,* qui lucrum respuit, sed alium contractum, de cuius iustitia iuxta alia principia inquirendum supererit.

(*b*) Declaratio, quam approbante Innocentio X edidit S. Congregatio, sic refertur a S. Alphonso: *Censuit S. C. Cardinalium S. Rom. Ecclesiae, ratione mutui immediate praecise nihil esse exigendum ultra sortem principalem; si vero aliquid recipiant ratione periculi probabiliter imminentis, et qualitatis eiusdem, ac servata proportione inter periculum et id quod accipitur etc..., non esse inquietandos.* Ad haec autem postrema verba idem S. Alphonsus glossam istam subiicit: *Quae utique verba non meram tolerantiam, sed positivam permissionem significant.*

Excipe 1° Si mutuatarius sit pauper (*a*), quia tunc praeceptum mutui ex charitate urget; 2° si mutuatarius sortem per pignus assecuret, quia sic periculum cessat. — *S. Lig. ibid.*

860. — *Obiicies:* Vel sors peribit, vel non: si *prius,* nihil mutuans accipiet, neque sortem scilicet, neque auctarium stipulatum; si *posterius,* nullum de facto patietur detrimentum: ergo nihil exigere debet.

Resp. 1° Etiamsi sors peritura sit, non sequitur necessario, mutuantem nihil omnino accepturum; nam fieri potest, ut sors non statim pereat, et tunc *interesse,* quod interea solvitur, ut quaedam compensatio pro sorte habebitur.

Resp. 2° Quamvis nullum damnum de facto patiatur mutuans, nihilominus aliquid supra sortem percipere potest; nam periculum pretio aestimabile vere subit. Pari profecto iure qui pro navi assecuranda de pretio cum alio convenit, illud sane exigere potest, licet de facto navis non perierit. Ergo *a pari,* etc.

IV. *De poena conventionali.*

861. — Poena *conventionalis* consistit in hoc, quod mutuatarius se obliget ad aliquid supra sortem solvendum, si tempore praefixo illam non restituat.

I. Poena *conventionalis* legitimus est titulus accipiendi praeter sortem id, de quo conventum est. Ratio est, quia ita consulitur firmitati contractus, et simul negligentia mutuatarii praecavetur. — *S. Lig. n. 766.,* etc.

II. Conditiones requisitae sunt, 1° ut mora debitoris sit notabilis et culpabilis; 2° ut poena sit moderata et culpae proportionata. — *S. Lig. n. 766., et alii communiter.*

Vide plura, si placet, de titulis praecedentibus apud auctores. Perpauca tantum delibavimus, quia accedente legis titulo, caeteri iam rarius in praxi occurrent (*b*), *ut ex dicendis patebit.*

V. *De titulo legis civilis.*

862. — Olim iam existebant apud varios populos leges, vi quarum lucrum certum ex mutuo percipi poterat, praesertim inter Romanos, et recentius inter Germanos. *Vide Mastrofini, c. 4. 8. 9.*— Nostris autem temporibus huiusmodi leges apud plerosque populos usu generali receptae sunt. Ex iis porro sat communiter permittitur lucrum annuum ex mutuo pecuniae percipiendum ea conditione, ut quinque pro singulis centenis *in materia civili*, et sex *in*

(*a*) Huc spectant verba Bened. XIV (Const. *Vix pervenit,* §. 5.): *Neminem enim id saltem latere potest, quod multis in casibus tenetur homo, simplici ac nudo mutuo alteri succurrere.*

(*b*) Idest rarius necessitas urget hos requirendi.

materia commercii percipi possint. In Gallia vero lucrum conceditur sive pecuniae, sive frumenti, sive alterius rei mutuatae. Lege autem 3 Septemb. 1807 statutum est, ne lucrum ex mutuo percipiendum excedat 5 pro 100 in re civili, et 6 pro 100 in re ad commercium spectante. Ex eadem lege si quis convincatur, quod statutam taxam violaverit, ad excessum restituendum damnatur. Quod si saepius id fecerit, mulcta plectendus decernitur.

An vero illa lex creet legitimum titulum in foro conscientiae ad lucrum ex mutuo percipiendum, disputatur. Sententia affirmativa *probabilior* et communior est. Hinc sequens

PROPOSITIO

Titulus legis civilis probabilius est ratio iusta et honesta lucrum aliquod moderatum ex mutuo percipiendi** (a)* , ***secluso etiam quocumque alio titulo.

863. — *Prob.* 1° *ex ratione.* Etenim titulus legis de medio illud tollit, quod seclusa lege usuram sapere posset, cum ad hoc sufficiat, ut legislator cessionem lucri ex mutuo iustam ac legitimam

(a) Iam aliquam confusionis labem cernis in hac ipsa recentiorum thesi non deesse. In antecessum scilicet quaesivisse oportebat, num hoc pacto servetur *mutui* natura, an vero fiat in alium contractum mutatio. Et sane si ille, qui pecuniam suam alterius libero usui concedit, ex hac praestatione lucrum (et lucrum profecto penitus distinguitur a *compensatione damni aut periculi*) vult sibi acquirere, ideoque pecuniam hoc pacto tradit, ut saltem taxam lucri legibus praefixam percipiat, equidem iste neque id facit *gratis,* neque facere intendit; ergo neque facit contractum *mutui,* qui ex sua essentia est *gratuitus;* non secus ac scilicet quisquis pro usu equi pretium exigit, non facit contractum *commodati,* et qui equum permutat cum mulo, non facit contractum *donationis.* Quaestio itaque supererit, quomodo lucrum non quidem ex contractu mutui (qui parere lucrum nullatenus potest), sed ex hac pecuniae praestatione perceptum cum lege *iustitiae* componi utcumque possit. Porro si ad huius quaestionis solutionem auctoritatem quoque civilium legum adhibere placeat, erit forte qui inquirendum esse putet, non quidem an legislatores voluerint dominium *gratuiti* (idest *non promeriti*) lucri ab alio in alium transferre (quod in mentem illis venisse, nullum subest indicium, cum tamen leges eiusmodi sint antiquissimae, translationis autem eiusmodi notio recentius a paucis quibusdam dumtaxat scriptoribus excogitata fuerit), sed potius an leges illae (quae numquam iniustae habitae sunt, quinimo a Theologis quoque pro cuiusque modulo tamquam iustae fuerunt propugnatae) supponant rei quoque, ut aiunt, *fungibilis* praestationem per se non carere titulo, propter quem sit aestimabilis pretio, quod idcirco citra iniustitiam exigere possit, quisquis eam ex gratuita liberalitate exhibere non consentit; adeo ut leges mere hoc officium demum sibi sumpserint, ut lucri alicuius, alioquin iusti, ex rerum fungibilium praestatione percipiendi aequam praestituerent mensuram. Et huic quidem istarum legum sensui illud favet, quod DD. ad huius lucri defensionem sensum praximque piorum hominum invocare solent (*Vid. Schmalzgr. Lib. 5. Tit. 19. n. 146. et Reiffenst. eod. tit. n.62.*). Et cum eiusmodi titulum non recentiores modo, ut Auctor in seq. §. VI.

faciat. Atqui res ita se habet. *Prob.* Hanc cessionem iustam et legitimam facit legislator, si *possit* et *velit* dominium istius lucri de uno in alium transferre. Porro de utroque liquido constat (*a*).

1° *Potest*. Nam vi *alti dominii* potest Princeps, postulante id bono communi, aliqua bona subditorum de uno in alium, seu in Reipublicae utilitatem transferre, ut omnes fatentur: sic, v. gr. iuste tributa, etiam quandoque extraordinaria, vel operarum moderatam praestationem requirit (*b*). Quare ergo, exigente bono communi, legem lucrum ex mutuo permittentem statuere non valeat? Talis enim dispositio summae utilitatis, imo et moralis necessitatis est in societate; siquidem spectatis maxime nostrorum temporum adiunctis minus floreret, imo fere interiret commercium, ac languesceret industria, nisi pecuniae praestatio foveretur: quippe omnes procul dubio suam pecuniam servare mallent, quam sine ullo lucro eam aliis mutuo tradere. Insuper tali lege subvenitur viduis, pupillis, famulis, ancillis, et aliis, qui negotiari non possunt, et alioquin modicas pecunias suas consumere cogerentur. — Nec iustitia distributiva tali statuto laeditur (*c*), cum lex pro futuro feratur, et omnibus successive favere possit. Si onus tibi hodie incumbat, cras commodum favebit. *Hodie mihi, cras tibi.* Unde vera compensatio in societate generatim spectata tribuitur. Ergo nulla iniustitia in tali lege.

2° *Vult*. Etenim ea voluntas dominium lucri transferendi manifeste in ipso legis facto includitur. Legislator enim vult quidquid

disserit, sed et veteres perviderint, supervacuum videri forte poterit, lucri alicuius novam hanc, dissitissimam, oculosque effugientem originem perscrutari, quam alioquin in rei ipsius natura insitam praesentemque habeamus.

(*a*) Vim huius argumenti infringere forte potest, quod lex civilis alicubi mensuram lucri ex pecuniae praestatione percipiendi liberae contrahentium voluntati permittit, et ad solvendum cogit, quidquid demum pactum fuerit. Audebimusne supremae potestati civili hoc etiam tribuere, quod lucri utcumque iniquissimi dominium velit transferre?

(*b*) Alias advertimus, tributorum sive operarum impositionem ad illud, quod *altum dominium* dici consuevit, nihil pertinere; cum eiusmodi impositio mere spectet ad aequam distributionem illorum onerum, quae ad bonum commune subditi subire tenentur. Adde, huic *alti dominii* potestati neminem unquam illud quoque attribuisse, ut scienter cives aliquos iniustitiae istius conscios spoliare possit, quo alios item conscios iniustitiae ditet. Adde denique, supremam potestatem, si quando reipublicae necessitate ac bono communi exigente de bonis subditorum disponat, hanc quoque sibi curam pro debito officio semper assumere, ut congruis compensationibus indemnes omnes servet. De hoc argumento fac consulas Schmalzgrueber (*Lib. 5. Tit. 19. n. 11-15.*).

(*c*) Iustitia distributiva reipsa nihil huc spectare videtur. Quod vero additur, *compensationem* haberi, quia onus et commodum evadunt communia, chimaericum est. Etsi enim pauci quidam sint, qui pecuniis mutuo acceptis et dein datis solent ditescere, horum tamen cumulatae divitiae neutiquam compensarent detrimentum eorum quamplurium, qui nullam huius lucri quaerendi facultatem habent

ab eius voluntate pendet, et ad necessariam legis efficaciam et honestatem requiritur, si quidem vult legem honestam et efficacem statuere (*a*). Ergo voluntas illa dominium lucri transferendi implicite in ipsa lege existit; ergo nihil deest ad legis iustitiam et honestatem. Ergo, posita lege, lucrum ex mutuo perceptum non iam vi mutui, nec immediate ex mutuo percipitur, sed mediate tantum, ex mera mutui occasione provenit; statutum enim Principis mutuo prorsus extrinsecum est.

Imo lex iusta et honesta esse potest independenter a dominii translatione. Nam lex illa est universaliter acceptata in communitate, et a viris etiam timoratis in praxim deducta; ergo includit voluntariam iuris sui cessionem ex parte subditorum (*b*). Ergo independenter a dominii translatione nequaquam hac lege iustitia laeditur.

864. — *Prob.* 2° *ex auctoritate S. Sedis.* Etenim S. Sedes saepius interrogata, nostris hisce temporibus, utrum deneganda foret absolutio iis, qui lucrum lege concessum accipiunt, absque ullo alio titulo, semper respondit: *Non sunt inquietandi, donec S. Sedes aliquid circa hoc definiverit.* Ergo concludere licet ex praefatis responsis, sententiam legi consentaneam esse saltem probabilem. Quomodo enim S. Sedes respondere potuisset, *non sunt inquietandi* (*c*),

(*a*) Iam diximus, nihil esse, quod suadeat, legumlatores de dominio propria sibi auctoritate transferendo unquam cogitasse. Argumentum vero inde petitum, quod secus legem iniustam rogassent, prorsus claudicat, quando in promptu alia est ratio, propter quam lex perceptum ex pecuniae praestatione lucrum non quidem facit iustum, sed iustum reperit.

(*b*) Haec ratio prorsus enervat praecedens argumentum, cuius vis in eo tota residet, quod sine voluntate legislatoris transferente dominium, lex neque honesta foret, neque iusta. Caeterum et ista proprii iuris cessio ex parte subditorum ad somnia, non secus ac illa principis voluntas dominium transferens, ableganda videtur. Nam nulla sane existet voluntaria *iuris* cessio, nisi ius istud cognoscatur. At enim quodnam, quaeso, est *ius* istud, cui omnes subditos cessisse fingitur? Numquid ut alii *gratuitum* aliquem contractum mecum ineant? Num ut *gratis* mihi id tribuant, quod pretio aestimabile esse potest? Concludamus, in hisce omnibus nihil aliud nisi congeriem quandam idearum neque sibi neque communibus principiis cohaerentium apparere.

(*c*) Iam alias diximus, ad hanc formulam, *Non sunt inquietandi*, et quidem quoad hanc ipsam materiam, S. Alphonsum (*Lib. 6. n. 765.*) istam glossam subiecisse: *Quae verba non meram tolerantiam, sed positivam permissionem significant.* Caeterum quod attinet ad istam Sedis Apostolicae responsionem dignissimum notatu est, eandem omnino responsionem factam fuisse dubiis tum Episcopi Rhedonensis a Congregatione S. Officii 18 Aug. 1830, tum Episcopi Veronensis a S. Poenitentiaria 14 Aug. 1831, licet in propositis quaestionibus ne verbum quidem occurreret de *titulo legis civilis,* vi cuius lucrum licite perciperetur. Et quod maioris momenti est, cum deinde Episcopus Vivariensis nova dubia Congregationi S. Officii hac de causa proposuisset, dubia nimirum inde exorta 1° quod *in quaesito Rhedonensis Episcopi nulla fieret mentio dicti tituli legis,* et 2° quod lex in Galliis *nullum ius tribuat percipiendi usuras, sed potius supponat, mutuantem ad eiusmodi lucrum ius certum habere*, solaque ratio, cur

nisi vere saltem probabile esset, legem esse iustam et honestam? Si enim probabile non est, inquietari debent. Fatendum tamen est, Sacras Congregationes sic respondendo noluisse hac de re definitivam ferre sententiam circa rem adeo arduam. Sufficit autem vera et solida probabilitas, ut fideles iuxta legem lucrum ex mutuo percipientes a peccato et restitutionis onere sint immunes.

Hinc recte concludit *Bouvier:* « Resolutiones S. Sedis, licet a » SS. Pontificibus Pio VIII et Gregorio XVI approbatae, et sibi » perfecte concordes, definitivam non continent S. Sedis decisio» nem, ut patet ex earum forma, natura et terminis; attamen qui » consuetam agendi rationem Ecclesiae Romanae norunt, persua» sum habere debent, S. Sedem contrarias decisiones nunquam edi» turam esse.... His omnibus momentis ductus firmiter persuasum » habeo, lucrum lege taxatum ex mutuo charitate non debito, nunc » prohibendum non esse, ac timoratos sapienter esse dirigendos, ne » ex sua simplicitate et nimia Confessarii rigiditate detrimentum » patiantur. » *Bouvier, Append. ad Tract. de Contractibus.*

Praeter *Bouvier* modo citatum, hanc tenent sententiam communius recentiores theologi cum *Gousset n. 823. — Rousselot in edit.*, etc. Iam prius sic sentiebant *Würzenburgenses, de Contr. n. 201. — Saettler, de Contr. p. 2. c. 4. — Reuter, n. 201.*, — et multi alii a *Würzenburgensibus* citati, praesertim *Zech, Ledesma, Tannerus, Haunoldus, Toletus,* etc.

865. **Obiectiones.** — *Obiic.* 1° Legislator vi alti dominii proprietatem privatorum auferre nequit absque debita compensatione; atqui nulla datur compensatio in praefata lege: ergo, etc.

Resp. 1° *Dist. ant.* Quando compensatio fieri potest, *conc.;* secus, *neg.* Quomodo igitur rerum proprietas in lege praescriptionem statuente transfertur? Quaenam compensatio in eo casu erogatur?

Resp. 2° *Neg. min.* Datur vera compensatio in hoc, quod lex omnibus sit valde utilis, etiam illis, qui auctarium solvunt, cum facilius invenire possint pecuniam, qua indigent. Aliunde qui hodie solvit foenus, cras vicissim illud recipere poterit.

866. — *Obiic.* 2° Princeps nequit facere licitum, quod de se

lex licitum dixerit stipulari interesse pro solo mutuo, haec reddita a legislatoribus fuerit, quod eiusmodi lucrum *aequa foret compensatio commodi, quo se ille privat, qui suas alteri pecunias utendas tradit;* S. Congregatio 31 Aug. 1831 respondit: *Provisum in decretis feriae IV, 18 Aug. 1830, atque dentur decreta:* remittens scilicet Postulatorem ad illud responsum Episcopo Rhedonensi redditum, quod novi huius dubii causa extiterat. Ex quibus satis profecto colligitur, rationem cur S. Congregatio decreverit, *non esse inquietandos eos,* qui lucrum percipiunt ex pecuniis ad interesse (ut aiunt) traditis, non petendam esse *ex auctoritate legis civilis,* quae lucrum eiusmodi licitum efficiat: atque adeo hoc quoque argumentum, quod ad astruendam vim tituli a civilibus legibus petiti solet adhiberi, nihil per se concludere. Decreta SS. Congreg. heic memorata *vid. inf. in Not. ad n. 878.*

illicitum est; atqui usurae sunt illicitae de iure naturali et divino, utpote ab utroque iure prohibitae: ergo....

Resp. 1° *Dist. ant.* Si non possit Princeps apponere conditionem, quae iniustitiam tollat, si qua sit, *conc.;* secus, *neg.* Porro Principem huiusmodi conditionem apponere posse, ex dictis patet.

Resp. 2° *Dist. min.* Usurae sunt prohibitae iure naturali et divino, si sint usurae *proprie dictae*, v. gr., excessivae, aut a pauperibus requisitae, vel usurae sine titulo, seu provenientes ex mutuo vi ipsius mutui, *conc.;* secus, *neg.* — Etenim si omne lucrum ex mutuo perceptum iure naturali et divino prohibitum sit, quomodo S. Sedes id ignorat, et statuit fideles beneficio legis utentes non esse inquietandos (*a*)?

867. — *Obiic.* 3° Pecunia est *sterilis ex natura sua;* ergo fructum producere nequit; ergo non licet lucrum ex ea requirere (*b*).

Resp. Dist. ant. Pecunia est sterilis ex *se sola, transeat;* adiuncta hominis opera seu industria, *neg.* Consulantur de hoc mercatores. Nonne etiam ager est ex se sterilis et infructuosus, nisi excolatur?

Quinimo plures, praesertim recentiores, non solum contendunt, pecuniam non esse sterilem, sed praedictos omnes titulos in pecuniae mutuo innixos reiiciunt utpote inutiles, et horum loco titulum universalem *fecunditatis pecuniae* substituunt. Pecunia iuxta ipsos fructum producere potest. Hinc concludunt circa pecuniam, nisi pauperibus tradatur, non semper dari verum mutuum. Ipsorum

(*a*) Sedes Apostolica reipsa non statuit, ut iam (*not. praec.*) advertimus, ideo non esse inquietandos fideles, quod ad lucrum percipiendum *utantur beneficio legis;* multo vero minus consentit, *lucrum* EX MUTUO *perceptum iure naturali et divino prohibitum non esse.* Rationem videlicet, cur Sedes Apostolica per SS. Congregationum organum pluries responderit, fideles illos *non esse inquietandos,* nullam ipsa protulit. Illud unum ergo ex istis responsionibus certo colligi posse videtur (quod et Auctor *infr. n. 869. resp. 3°* notat), in casibus propositis contractum haberi, qui in Constitutione Benedicti XIV, *Vix pervenit, 1 Nov. 1745,* non damnatur. Ratio autem, cur hic contractus Constitutioni praedictae non repugnet, scholis inquirenda ita permittitur, ut ex responso ad Vivariensem Episcopum (quod reperies infra) satis eluceat, eam in titulo legis civilis non esse necessario quaerendam.

Haec autem confirmantur ex Litteris, quas die 7 Martii 1835 Card. De Gregorio Poenitentiarius Maior dedit ad Vivariensem Episcopum (*Vid. L'Ami de la Réligion vol. 84. pag. 433. 434*), in quibus et ista habentur: *Sacra igitur Poenitentiaria quaestionem a Theologis agitatam de titulo illo ex lege principis desumpto haudquaquam voluit definire, sed solummodo normam proponere, quam Confessarii tuto sequerentur erga poenitentes, qui moderatum lucrum lege principis statutum acciperent bona fide,* etc.

(*b*) Quorsum ista obiectio, quando iustitia percepti lucri prorsus debeatur voluntati principis dominium lucri transferentis, aut cessioni iuris ex parte subditorum? Sed iam pluries diximus, frustra in hisce omnibus cohaerentiam desiderari.

autem rationes, quae minime spernendae videntur, sequentibus capitibus continentur (*a*).

(*a*) Heic potissimum revera cardo controversiae vertitur, an dici queat ac debeat de *mutuo*, quod de *commodato* et *donatione* manifestissimum est, obligationem nimirum nihil exigendi, tamquam ex iustitia debitum, non inde repetendam esse, quod horum contractuum materia non sit pretio aestimabilis; quandoquidem materia *donationis* et *commodati*, domus, v. gr. vel equus, materia itidem esse potest, ut fatemur omnes, *venditionis* et *locationis;* sed quod spontanea *donantis* vel *commodantis* liberalitas ex vi contractus renuntiet iuri, quod ad congruum pretium iuste exigendum per se tribueret concessio aut *dominii* aut *usus* tum domus tum equi. Quaeritur videlicet, num etiam *mutui* contractus quamlibet retributionem ex iustitia debitam respuat ideo tantummodo, quia mutuator per huiusmodi contractum sponte abdicat ius exigendi pretium, quod alioquin iuste, spectata contractus materia, posset exigere.

Ista est controversia, quam et A. hoc loco pertractat. In qua tamen cuipiam forte minus arridebit, quod Auctores ab ipso allegati rem totam revocent ad quaestionem *de fecunditate pecuniae,* sufficientem alicuius lucri titulum in ipsa sola reponentes. Id enim hoc in primis laborat incommodo, quod quaestionis solutio ad pecuniae tantummodo, non autem ad caeterarum rerum *fungibilium* praestationem sese porrigat, ut patet ex iis, quae in primo huius doctrinae capite Auctor ipse mox subiicit.— Deinde vero neque ad omnes pecuniae praestationes pertinere solutio videbitur; nam (*eod. loc.*) ratio solutionis petitur ex *valore pecuniae, qui non perit, quando in augendam mutuatarii fortunam impenditur;* haec autem ratio nonne evanescit, si supponas, v. gr. nobili civi tria scutatorum millia praestari per unam noctem absumenda, quibus nempe sumptuosissimum inter chorearum laetitiam concentusque musicos symposium universae urbis nobilitati quapiam die bacchanalium paret?— Quinimo iuxta ea, quae A. ibidem (*n. 4. et 5.*) refert, iam concluderes, auctarium sortis inde fieri licitum, quod aut *vendas lucrum cessans, quod sperare poteras ex societate* cum mercatore inita seu ineunda, aut *contrahas censum,* etc.; quae quidem auctarii praedicti honestatem vel ad paucos quosdam casus revocant, vel potius quaestionem ita immutant, ut in aliam prorsus diversam transferant.

Ad suadendum igitur, quod res suas, eas quoque quae dicuntur *fungibiles,* alteri utendas tradere, quidpiam sit ita pretio aestimabile, ut suapte natura compensationem, et quidem *pecunia commensurabilem* (*S. Thom. In 4. Dist. 25. q. 3. art. 3. O.*), admittat, aptius forte videbitur insistere principio, quod et communi sensui consentaneum, et communiter a Doctoribus receptum reperire est. Et hoc quidem principium prostat in difficultate, quam sibi solvendam communiter Doctores proponunt, dum evincere conantur, usurae alicuius exactionem naturali legi repugnare, atque adeo intrinsece malam esse. Cuius difficultatis cum facilem solutionem haberent in natura contractus *gratuiti*, cuiusmodi donatio quoque est, et commodatum, cui reipsa compensationis debitum ex lege naturali repugnat; attamen, ut non pauci expresse fatentur, eam posthabuerunt, ne quaestio iam de *solo nomine* fieri videretur (*Vide Lugo De Iust. Disp. 25. n. 17.*), non advertentes scilicet, hoc ipsum obiici potuisse, quando pro sola nominis mutatione aut *commodati* in *locationem* aut *donationis* in *venditionem* efficitur, ut pro rei vel usu vel pleno dominio alteri concesso pretium iuste exigi possit vel non possit, atque adeo rem esse non mere de nominibus, sed de diversitate contractuum; e qua diversitate proinde diversa iura, diversaeque obligationes ex contrahentium voluntate pariuntur.

Principium itaque, quod vel inviti ratum DD. habuerunt, illud est,

1° Mutuum, iuxta omnes, fieri nequit, nisi de re primo usu consumenda, quod ex ipsius mutui natura evincitur. Porro pecunia primo usu non consumitur, nisi praebeatur pauperi illam impensu-

pretio aestimabilem esse obligationem, qua quis dum rem suam alteri utendam tradit, se obstringit, re sua eiusque usu carendi, seu, aliis verbis, pretio aestimabilem esse obligationem, qua quis semet privat commodo rebus suis utendi. Ita Lugo (*Disp. 25. n. 18.*): *Qui ad id se obligat, eo ipso privat se aliquo pretio aestimabili.* Et rursus (*ibid. n. 24.*): *Licet fateamur* (*illam obligationem*) *esse pretio aestimabilem,* etc. Sic et Molina (*De Iust. Tract. 2. Disp. 304. n. 5.*): *Usus, quo mutuans ad tempus privatur, est pecunia aestimabilis.* Sic Salmanticenses (*Tr. 14. Cap. 3. n. 25. 26.*): *Pretio aestimabile est fideiubere alterius nomine..., ergo etiam mutuare cum obligatione per unum annum non repetendi, etc.* Sic et Io. Salas (*De Usur. Dub. 3. n. 4.*)· *Libertas non solvendi illam* (*sortem*) *per annum est aliquid peculiare pretio aestimabile... Obligatio ad expectandam solutionem videtur pretio aestimabilis.* Sic et Becanus (*De Iust. et Iur. Cap. 78. Q. VI. n. I.*): *Fideiubere alterius nomine ad unum annum pro tanta summa est pretio aestimabile: ergo etiam mutuare cum obligatione non repetendi... quia hoc est difficilius quam illud.* Et ne plures sine causa congerantur, illud in praesens satis sit, quod ex omnium consensu simoniaca habeatur mutui exactio pro re spirituali. Quomodo enim simoniam haberemus, nisi mutuatio per se quidpiam habeat, quod sit *pretio aestimabile?* (Vid. quae dicta de hac re sunt *supr. in not. ad n. 288.*).

Et huius quidem principii solidissimam firmitatem illud vel maxime ostendit, quod nihil a quopiam eorum DD. proferri in medium potuerit, quo difficilem hunc nodum probabili aliqua ratione solveret. Instar omnium sit Cardinalis De Lugo: qui re diligentissime perpensa, postquam sincere cum Molina (*Tr. 2. Disp. 304. n. 14.*) fateri debuit, plures huius difficultatis solutiones ab aliis excogitatas reipsa inefficaces esse, nihil solidius, quod reponeret, ipse invenit, quam ut concederet, aestimabile quidem pretio esse, quod mutuans ex obligatione se commodo rebus suis utendi privet, sed compensari hanc commodi privationem, quando idem commodum simul cum re mutuata suo tempore ipsi mutuanti restituitur. Ita ille (*Disp. 25. n. 21.*): *Hoc totum* (onus scilicet a mutuante susceptum, ut ex obligatione careat re sua eiusque usu) *solvitur ad aequalitatem solvendo mutuum et reddendo tantundem postea mutuanti. Si enim mutuans dando 100 privavit se facultate negotiandi et lucrandi cum illa pecunia; postea redditur illi aequalis pecunia cum facultate negotiandi et lucrandi cum illa: quae facultas aequivalet facultati illi, qua se prius privavit ad tempus, sicut pecunia reddita aequivalet pecuniae datae. Totum ergo illud solvitur et compensatur reddendo ei tantundem,* etc. Cumque sibi obiecisset (*ibid.*), quod si *pecuniam mutuo non dedisset, nec se obligasset ad non repetendum hoc anno, habuisset hoc anno potestatem lucrandi, et habuisset etiam anno sequenti: nunc autem quia mutuo dedit cum tali obligatione, habebit quidem facultatem anno sequenti, quando mutuum redditur, non tamen hoc anno;* quid reponit? Hoc denique unum: *Respondetur non minus valere pecuniam redditam anno sequenti cum potestate utendi illa toto tempore sequenti, quam valeret pecunia data hoc anno cum simili facultate.* Quae quidem quid valeant, disce exemplo domus, cuius usu quis se privet, ut eam alteri habitandam ad annum cedat. Ex praemissa theoria statuetur, pretio quidem aestimabile esse eiusmodi susceptum incommodum et commodum alteri concessum; et satis haec compensari, locationisque pretium satis rependi, quandoquidem domus, commodumque eam inhabitandi post annum domino restituitur! Cuinam porro arridere haec possint? Sed neque Molina melius quidquam habuit,

ro ad suam sustentationem. Etenim in traditione pecuniae solus valor transfertur, et est contractus obiectum; valor autem non perit, quando in augendam mutuatarii fortunam impenditur. Ergo....

quo huic difficultati occurreret. Et cum (*l. c.*) sibi obiecisset, *non probari, pro rei usu, qui pecunia est aestimabilis, et quo mutuans ad tempus privatur, non posse aliquid licite accipi*, respondet (*ibid. n. 7.*): *Ad obiectionem dico, pro re, quae mutuo datur, persolvi aequale non solum quoad proprietatem, sed etiam quoad usum; quippe res eiusdem usus persolvatur.* Et huc adductus demum est etiam Sporer, qui (*Tr. 6. in Decal. Cap. 4. n. 112.*): *An,* inquit, *ex parte tua* (*affers*) *carentiam pecuniae, obligationem non repetendi, impotentiam utendi, fruendi, vel utilitatem capiendi interea? Atqui haec omnia... adaequate tibi compensantur, reddendo aequivalentem pecuniam cum aequali facultate ea utendi, fruendi; sive enim quis longiori, sive breviori tempore possit uti pecunia, non ideo plus valet.* At enim si perspicacissimum illud Card. De Lugo ingenium, si ante illum Ludovicus Molina ad hasce angustias opinione sua inducti, ut vel negare deberent, pretio aestimabilem esse rei suae cessionem ad alterius usum, vel hoc admittere ceu parem illius pretii solutionem, quod res suo tempore domino restituatur, postremam hanc denique, misellam sane nutantemque responsionem quasi omnium optimam arripere coacti sunt; patet luculentissime, primum illud adeo exploratum et inconcussum apparuisse, ut nihil sit, quod vel levissima verisimilitudinis alicuius specie obiici contra ipsum possit.

Concludamus igitur, principium satis firmum ac perspicuum suppetere, quo de materia contractus *mutui* eodem modo, ac de materia *commodati* atque *donationis*, decerni possit, scilicet non eam per se esse, quae nullius pretii sit, eaque de causa compensationem absque iniustitia admittere non possit; sed ideo tantum *gratis* tribui, quod spontanea dantis liberalitas vi horum contractuum iuri compensationis renuntiet: adeo ut etiam quoad mutuum cuiusvis exclusio lucri (nam *lucrum* non dicimus emergentis damni, aut cessantis emolumenti etc. iustam compensationem) unice repetenda sit ex *natura contractus;* quippe qui suapte natura et essentia *gratuitus* esse debet.

Eam in rem bene Filliuccius (*Tract. 34. Part. 2. C. 6. n. 102.*): *Dices: aliis oneribus potest aliquod pretium imponi; ergo etiam oneri carendi sua pecunia* (scil. mutuo tradita) *tanto tempore. Respondeo, esse disparem rationem, quia aliis oneribus potest imponi aliquod pretium, quia non venit ex natura contractus; at in mutuo carentia pecuniae et obligatio non repetendi ante tempus veniunt ex natura contractus.* Pari modo et Becanus (*l. c.*) obiectioni, quam superius retulimus, respondet: *Carentia pecuniae et obligatio non repetendi ante aliquod tempus est quid intrinsecum rationi mutui: alioqui mutuum non differret a precario: atqui* MUTUUM DEBET FIERI GRATIS: *ergo pro hac carentia vel obligatione nihil petendum est.* Eadem argumentatione utitur Reiffenstuel (*Ius Can. Lib. 5. Tit. 19. n. 21.*) inquiens: *Patet, quod mutuum ex natura sua* POSTULAT FIERI GRATIS, *idest, non plus petendo vi mutui, ac datum est.* Et ante hos omnes Albertus Magnus (*In 3. Distinct. 37. art. 13. ad Q. 1.*) pluries hoc unico utitur argumento ad quodlibet lucrum e mutuo excludendum. *Non est simile* (inquit) *de negotiatione et mutuo: quia negotiatio non est de gratis faciendis ex iure naturali et divino; sed* MUTUUM EST DE GRATIS FACIENDIS *ex iure naturali et divino.* Et infra: *Obligatio non potest deduci in pactum, eo quod contrariatur mutuo quoad gratiam, propter quam est faciendum ob dilectionem proximi.* Et rursus (*ad Quaest. 2.*) propositae huiusmodi obiectioni: *Ego do tibi mutuum, ut aliquid des pauperibus;* respondet: *Tale pactum non potest fieri, eo quod* GRATIAE MUTUI CONTRARIATUR. Eandem do-

2° Hinc contractus, quo traditur pecunia diviti, non est mutuum proprie dictum, sed potius commodatum, vel locatum, prout gratis vel pretio datur, et proinde dominium pecuniae non transfertur.

ctrinam prorsus praeclare proponit etiam Auctor *Opusculi De Usuris*, quod inter Doctoris Aquinatis opuscula Edit. Rom. an. 1570. LXXIII[m] locum obtinuit. Sic enim ille (*Cap. 3.*): *Illa sola superabundantia, quae ex mutuo ratione mutui procedit, liberalitatem et iustitiam corrumpit. Liberalitatem quidem, quia* MUTUUM GRATUITUM FIERI DEBET DE NATURA MUTUI... *Item iustitiam corrumpit, quia in mutuo dati redditio designatur. Et idcirco ubi plus redditur, inaequalitas paritur.* Quae quidem mox (Cap. 4.) luculentius ita Auctor declarat: *Alia ratione possumus ostendere, in usura malum incidere specialiter* PROPTER NATURAM ACTUS PROPRII, *ex quo incidit, qui est dare mutuo. Cum enim mutuo dare sit actus proprius, ex cuius corruptione generatur usurae vitium....., et huiusmodi actus* SIT ACTUS LIBERALITATIS ET GRATIAE..., *necessario quicquid actui accedit, quod liberalitatem tollit, ipsum actum* A NATURA SUA AVERTIT, *et per consequens virtutem iustitiae universalis corrumpit. Quare rationem iniuriae habet, et sic rationem culpae. Quod autem dare mutuo rem suam alteri* SIT LIBERALITATIS ET GRATIAE ACTUS PROPRIUS, *patet primo ex genere actus, qui est ipsa datio, quae designat liberalitatem dantis... Quare in illa translatione, in qua actus dandi proprie debet attendi, nullo modo liberalitas debet corrumpi: sed huiusmodi actus, scilicet dandi, vere attenditur in actu mutui.... Quare si aliqua circumstantia addatur huiusmodi actui, quae liberalitatem dandi corrumpat, erit huiusmodi actus malus et vitiosus, et peccatum. Talis autem circumstantia additur, quandocumque datio mutui fit pro aliquo lucro sive in spe sive in re, eo quod illud, quod pro lucro fit, non pro pura liberalitate fit. Ex quo sequitur, quod semper ibi malum et peccatum est, non solum ex natura finis et materiae suae, sed etiam* EX NATURA ACTUS PROPRII, *circa quem fieri habet.*

Ita quidem isti Doctores, quibus addi alii facile possunt, imo vero addi etiam debent quotquot duplex contractuum genus distinguentes, quorum alii *gratuiti* sint, alii *onerosi*, contractum *mutui* priori generi accensent; hi autem sunt Theologi plane omnes. Porro si ratio quodvis lucrum aut lucri spem a mutuo excludens, tota demum petitur ex natura contractus, quem spontanea liberalitas admittat; spontaneae autem liberalitatis officium et exercitium, seclusa charitatis obligatione, in libera cuiusque potestate residet; iam facilis se ratio prodit, cur sicut domum aut equum, sic et rem, quam *fungibilem* dicunt, tradens alteri utendam, cum gratis ex liberalitate possim renunciare cuilibet iustae compensationi, hanc tamen, mutata contractus ratione, possim sine iniustitia exigere. Duplicem idcirco diversum iniri posse de hac re contractum alii iam adverterant, quos refert Petrus de Ancharano (*In V. Decret. Tit. 19. Cap. 1.*) inquiens: *Quidam dicunt, quod aut usurae petuntur ex alio contractu, quam mutui, aut petuntur ex contractu mutui. Primo casu sunt permissae... Secundo casu, quando ex contractu mutui, non sunt permissae...., et ita intelligitur divina lex, etc.* Eodemque modo Alphonsus Tostatus (*In Cap. 25. Matth. Quaest. 181.*) disserit: *Si pro usu rei* (*aliquid petitur*), *aut accipitur pecunia, aut alia res; si alia res, est contractus innominatus, scilicet do ut des, facio ut facias. Si autem pecunia recipiatur, erit contractus locationis... Et ideo cum debeat mutuum esse gratuitum, si non sit*[1], *desinet esse mutuum, et est alius contractus*, etc. Quam quidem sententiam aliis probatam fuisse sic indicat Card. Hostiensis (*Summ. Lib. V. de Usuris* §. *1.*), ubi rationes affert, propter quas mutuo vitium usurae accedit. *Alii* (inquit) *dicunt hanc rationem,* QUIA MUTUUM DEBET ESSE GRA-

3° Contractus ille locationis pecuniae est in se licitus; nam iuste pretium exigitur pro re, quae valorem intrinsecum habet; atqui usus pecuniae, quae primo usu non consumitur, habet valorem in-

TUITUM; *sed ex quo pecunia interveniret, transiret in locationem, prout notavimus supra de commodato.* Et prorsus opportunissime lectorem remittit ad dicta *de commodato*, ubi (*Lib. 3. de Commod. n. 2.*) allata hac commodati definitione: *Alicuius rei ad aliquem certum usum gratuita facta concessio*, vocis *gratuita* similem sic profert rationem: *Gratuita ideo dicitur, quia si merces interveniat, transit in locationem... Debet autem esse gratuitum, sicut et mandatum, quod ab amicitia etc. Et si species daretur, transiret in contractum innominatum, do ut facias...* Quae luculenter ostendunt, quomodo idem omnino opus, quandoquidem sit pretio aestimabile (aestimabile autem pretio esse mutuandi officium negat nemo, nec negare potest), materia esse queat tum contractus *gratuiti*, si ex mera liberalitate et gratia praestetur, tum contractus onerosi, si merces, cui in primo contractu liberalitas renunciet, in secundo iuste exigatur et accipiatur.

Hoc autem principium multo aptius in hanc rem adhiberi, quam principium a recentioribus invectum *de fecunditate pecuniae*, multiplici ratione suadetur. Ac primo quidem magis est universale, atque adeo mutuationem (nam hac voce abusive seu sensu latiori utemur ad designandam quamlibet, etiam non gratuitam rerum ad usum alterius praestationem) non pecuniae solum, sed cuiusvis rei fungibilis complectitur. Non alioqui non apparet ratio, cur in uno, non autem in altero casu, aestimabile pretio sit incommodum carendi re sua, et onus eam ad certum tempus non repetendi. Deinde quia hoc principium magis consonum est iustitiae legibus. Iustitia enim postulat, ut ius ac norma compensationis in contractibus non quidem ex commodo, quod ex re acquirenda quis percepturus forte erit, sed potius ex onere desumatur, quod alter re sua se privans subeat (*Vid. infr. n. 891-892.*). Denique quia hoc principium non solum magis in se firmum est ac certum, multoque magis a DD. receptum ac probatum, quam novum illud de *fecunditate pecuniae*, sed etiam quia obscuras illas, tricarumque plenas, atque innumeris aequivocationibus molestas impune praetervolat disputationes, *sitne sterilis an frugifera pecunia, sitne rei an industriae fructus, cuiusnam sint fructus, et cuiusnam dominium sortis, etc. etc. etc.*; quae dum mentes inter incerta defatigatas vexant, firmum, cui conscientia tranquille acquiescat, iudicium vix concedunt.

Huic principio accedit praeterea et S. Alphonsi suffragium (*Lib. 3. n. 760.*), ubi nimirum quaerit, *an pro obligatione, cui se submittat mutuans, non repetendi mutuum nisi post longum tempus, possit aliquid ultra sortem exigere, etiamsi nullum incommodum ex dilatione ei eveniat.* Neque enim dissimulare potuit sapientissimus Auctor, se prorsus affirmativae sententiae adhaerere; de qua, licet contra communiorem, definit tamen, quod *haec sententia* VERE *non videtur sua probabilitate carere*, suppetiasque petit ex iis, quae et nos a Card. De Lugo mutuati superius sumus, inquiens: *Si mutuans aliquid accipiat pro tali obligatione, rite accipit.... ratione oneris ex pacto sibi impositi, quod onus utique est pretio aestimabile, ut fatetur ipse Lugo.... cum aliis.* Insuper et utitur in eandem rem hoc argumento: *Si enim* (inquit) *licite aliquid exigere potest, qui obligatur ad mutuandum infra longum tempus, ut docent DD. communius...., cur non potest, qui obligatur non repetere suum, nisi post diuturnum tempus?* Cuius argumenti instar validius aliud proferri in rem nostram potest post doctrinam communem, quod *non liceat pro mutuo exigere, ut mutuatarius mihi det aliam rem mutuam.* Etenim si ideo non possum pro

trinsecum, qui pretio aestimari potest, et in commercio humano causa evadit multorum emolumentorum. Ergo auctarium sortis est iustum pretium illius usus.

mutuo exigere, ut alter invicem mihi det mutuum, quia *imponerem pro mutuo onus pretio aestimabile*, cur non erit itidem *pretio aestimabile onus, quod mihi erga illum assumo?* Caeterum S. Alphonsus id quidem asserit dumtaxat de obligatione non repetendi mutuum *ad longum tempus*, quasi haec specialis obligatio sit quidpiam mutuo extrinsecum. At enim manifestum est, uti Lugo recte observat (*Disp. 25. n. 19.*), obligationem non repetendi mutuum *ad aliquod tempus* esse huic contractui intrinsecam et essentialem, uti ex ipsius definitione patet. Et si obligatio illa, ut (*ibid.*) habet Lugo, *est vere aliquid pretio aestimabile,* hoc onus *pretio aestimabile* maius quidem, minusve erit, prouti eam obligationem ad longius, breviusve tempus quis sibi imponit; sed cum *plus et minus* non immutent rei naturam, nunquam a mutuante aberit assumptio oneris *pretio aestimabilis.* Idcirco difficultatem reipsa evades nunquam, nisi ad naturam contractus huius recurras, cuius, non secus ac *commodati* et *donationis,* proprium necessario est, ut pars altera sibi onus utique pretio aestimabile assumat, simul tamen semet ex pura liberalitate obliget ad illud *omnino gratis* exhibendum.

Et his quidem adhibitis principiis etiam melius solvetur difficultas, quam S. Alphonsus (*l. c.*) diluendam sibi proponit, petita scilicet ex damnatione prop. 42. ab Alexandro VII proscriptae: *Licitum est* MUTUANTI *aliquid supra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.* Respondet S. Alphonsus: *Dicta propositio merito fuit damnata, quia per illa verba nimis generalia comprehendebatur cuiuscumque temporis expectatio, etiam ea, quae mutuo est intrinseca: non autem prohibetur, aliquid exigi pro obligatione expectandi per tempus extraordinarium, quae obligatio est mutuo extrinseca.* At enim ea, quae modo attulimus ex Card. De Lugo, perspicue evincunt, hanc vitandae damnationis rationem minus efficacem esse; quippe mutui natura pro diversa temporis mensura nullatenus immutetur. Vitium contra, quod iustissima fuerit damnationis causa, tantummodo et simul manifeste in voce illa MUTUANTI reperies. Nam MUTUANS, prouti omnes fatemur, ex vi contractus se obligat ad nihil *pro mutuo* exigendum. Atqui intrinseca et essentialis contractui *mutui* est obligatio non repetendi sortem *intra certum tempus,* in qualecumque demum et quantumcumque tempus mutuator contrahendo consenserit. Ergo quoties vere de MUTUANTE sermo sit, nunquam licitum ipsi esse poterit aliquid exigere supra sortem, utcumque se obligaverit ad sortem usque ad qualecumque certum tempus non repetendam: ac propterea merito illa propositio confixa est, quae contra naturam contractus praetextu temporis lucrum *gratuitati* contractus repugnans admittebat.

Rursum vero ex eo quod *intrinseca* et prorsus *essentialis* contractui mutui sit obligatio sortem ad certum quoddam tempus non repetendi, propter quod et a contractu *precarii* distinguitur, ex hoc, inquam, novum in rem nostram exsurgit illudque peremptorium et evidens argumentum, quo hucusque dicta confirmentur. Et sane ab omnibus sive theologis sive iurisconsultis ceu firmissimum principium retinetur, quamlibet obligationem civilem esse pretio aestimabilem, atque adeo compensari pecunia posse. Exinde autem ad quaestiones (verbis utar Dominici Soto *De Iust. et Iur. Lib. 6. Q. 1.*), *utrum possis mutuatarium ratione mutui ligare, ut tuum colat agrum iusto pretio, vel tuum molendinum, aut furnum, aut tabernam frequentet*, unanimi sententia respondent, non licere, utcumque alioqui supponant, ut ibi habet Sotus, *mutuatorem nullum dare damnum,*

4° Pecunia, ut constat experientia mercatorum, fructum producit, et multiplicatur *per se*, independenter ab humana industria; ergo non omnino sterilis reputanda est. Etenim idem mercator in

nullumque extorquere pretium, quia scilicet *iusto pretio* proponit tibi agrum colendum, molendinum, furnum, tabernam adeundam. At enim cur haec non licebunt, ubi nihil iniqui exigitur? Et unanimiter respondent: *Quod illa civilis obligatio est aestimabilis pecunia. Haud enim dubium est, quin privatio libertatis suapte natura sit digna pretio.* Ita cum aliis Sotus secutus magistrum suum S. Thomam, qui eodem usus principio (*2. 2. Q. 78. art. 2. ad 4.*) negat, pro mutuo imponi posse mutuatario obligationem ad mutuum faciendum in posterum; *quia* (inquit) *etiam talis obligatio pecunia aestimari potest.* Et ex his idem arguit Caietanus (*Comment. ad S. Thom. l. c.*) quoad obligationem fideiussoris propriam: *Fideiussor,* ait, *potest aliquid exigere, ut fideiubeat: quoniam fideiubendo obligat se civiliter ad solvendum pro alio, quod non est minus quam obligare se ad mutuandum: ac per hoc, quia obligatio mutuandi potest vendi, ut est in littera, consequens est, ut obligatio ad solvendum pro alio possit vendi, utpote pecunia aestimabilis.* Et ea de causa eiusmodi obligationem pro mutuo imponi posse sic negat: *Obligatio civilis est pecunia aestimabilis; ac per hoc cum quibuscumque fiat conditionibus, plus sorte ex pacto exigit, et usura est.* At vero *civilem hanc obligationem* nonne sibi liberaliter mutuator assumit, quando pecuniam suam, aliamve rem quamlibet mutuo tribuens, semet obstringit, ne ante praefinitum aliquod tempus repetere eam possit? Nonne intercedit, ut ait Sotus, ea *libertatis privatio, quae suapte natura est digna pretio?* Manifestum est igitur, iuxta principia constantissime ab omnibus admissa, contractui mutui eam subesse materiam, quae itidem contractus onerosi materia esse possit: quippe quae ex unanimi DD. consensu *digna pretio est, aestimabilis pretio est, aestimabilis pecunia est*, et prouti Caietanus post S. Thomam dicebat, *quae vendi potest.* Quod postremum alia ratione, eaque pereleganti, nobis indicat S. Thomas (*4. Dist. 25. Q. 3. art. 3.*), ubi quaerit de Simoniae materia. *Emptio*, inquit, *vel venditio consistit non solum in datione et acceptione pecuniae, sed omnium eorum, quorum potest pretium numismate mensurari: in his enim est liberalitas secundum philosophum. Constat autem, quod in iisdem est liberalis datio, et venditio, quae est ei contraria.* Ubi vides, iuxta S. Thomam post Aristotelem eandem *liberalitati* subesse materiam, ac subsit venditioni, cuius nimirum pretium possit numismate mensurari. Et hoc quidem sapientissime dictum est. Quis enim liberalitatis laudem illi tribuat, qui rem conferat nullum omnino pretium habentem, atque adeo utilitatem nullam, nullumque commodum? Porro nemo id infitiari potest, quod Albertus Magnus, ut sup. vidimus, toties inculcat, concessionem mutui esse actum *liberalitatis* et gratiae. Redit ergo conclusio, quod mutui materia, utpote materia *liberalitatis*, materia itidem esse possit *venditionis* seu alterius contractus *onerosi*, non secus ac scilicet materia *donationis* fieri potest, mutata contractus natura, venditionis materia, aut permutationis, aut locationis.

Illud tamen hucusque dictis obstare quis forte putabit, quod ista longe discedere videantur a doctrinis, propter quas Theologi insectandis palliatis usuris tantopere institerunt, ac prope insudarunt. Et facile res patet. Curnam enim tot, tamque varii contractus praeteritis temporibus excogitati fuerunt, nisi quia qui pecunias aut quidvis aliud e rebus fungibilibus alteri credebant seu utendum praestabant, in id gratis nullatenus consentire, sed lucrum aliquod inde referre vellent? Porro si ea admittantur, quae superius disputata sunt, plane constat, illos iure suo usos fuisse. Nam cum titulum iusti alicuius lucri in ipso opere insitum esse contendamus, alio-

iisdem circumstantiis et cum eodem industriae gradu, multo maius lucrum facit, si multo maiorem summam impendere in commercium possit; ergo facultas pecuniam impendendi in commercio est vere pretio aestimabilis.

quin vero gratis id aliis praestare, quod iusto pretio vendi potest, excepta (si quando adsit) obligatione charitatis, sit actus liberalitatis, ad quem nulla lex quempiam adstringit; ab aliquo igitur lucro quaerendo ac percipiendo nequaquam prohiberi illi poterant. Attamen quis ignorat, quam acri ac simul subtili studio haec lucra ceu palliatas usuras communiter Theologi insectati, imo et exsecrati fuerint? Numquam autem non suspecta videri ea debent, quae a doctrina in catholicis scholis communiter recepta recedere videantur.

Cui quidem difficultati diffitendum sane non est suam inesse vim, quam ii tantum non persentiscent forte, qui quantum scholarum auctoritati sit deferendum, ignorant.

Advertere tamen in primis licet, potiori iure haec obiici tunc potuisse, cum saeculo elapso Scipio Maffeius, aliique cum eo, pro honestate alicuius lucri ex pecuniae praestatione percipiendi, si quidem ratio contractus immutaretur, certare coeperunt. Et acerrimam quidem tunc inter doctos commissam pugnam novimus, in qua profecto gravissimum hoc auctoritatis praeiudicium contra recentiorum placita militabat. Hoc tamen argumentum non eius roboris visum fuisse, propter quod recentiori opinioni illae notae inurerentur, quae a posthabita et quodammodo contempta communi scholarum doctrina exspectari possunt, historia docet: quin et Benedictum XIV non abnuisse, ut sibi nuncuparentur opuscula, in quibus recentior theoria propugnabatur, Mastrofinium vero legitima annuente auctoritate suum pro eadem sententia opus prelo in ipsa urbe Romae committere potuisse, notissimum est, sicut omnes iam et illud novimus, ab ea aetate ad nostram usque, quin vires recentiori huic doctrinae deficerent, maiores imo in dies accessisse, adeo ut inter probabiles scholae opiniones suum iam locum obtinuisse videatur.

Advertendum deinde, haud omnino novam elapso saeculo hanc doctrinam prodiisse. Iam enim alias in scholis catholicis auditam et admissam fuisse, satis ea evincunt, quae superius ex Petro Ancharano, ex Tostato, et Card. Hostiensi retulimus. Neque caeterum satis efficax videtur, quod adversus eam Card. Hostiensis obiecit, in locatione scilicet, secus ac in pecuniae praestatione contingat, dominium rei non transferri. Nam et in pecuniae praestatione dominium, quod transfertur, sensu prorsus circumscripto intelligatur oportet, uti superius (*in not. ad n. 849.*) iam vidimus. Negari deinde potest suppositum, rationem nempe alicuius, quod quaeratur, lucri petendam esse ex fructu, quem mutuatarius ex pecunia percepturus sit, uti ex superius dictis manifestum est.

Insuper quascumque demum vias alii iniverint ad evincendam honestatem contractus, quo lucrum aliquod ex pecunia aliis ad utendum praestita percipi iuste possit; nos tamen non aliis, ut patet, principiis utimur, quam quae unanimiter catholici doctores probant, et constanter propugnant. Perperam igitur adversus nos quaestiones illae moverentur, quae circa abstrusas subtilesque Mastrofinii theorias excitari consueverunt; atque hoc unum tandem inquirendum supererit, an istis principiis, quae et nos cum scholis catholicis profitemur, ac defendimus, consentanea magis appareat conclusio, quam ex iis ipsi deducimus, an vero sententia nostrae conclusioni adversa. Porro vel pauca illa, quae superius a Card. De Lugo et Molina proferri vidimus, ut semet, suaque theoremata extricarent e difficultatibus per ea principia inductis, quae abnegare nulla ratione poterant, satis superque sunt, ut iudicari inter utramque sententiam possit.

5° Illud auctarium sortis potest non solum haberi ut pretium locati valoris, sed etiam ut pretium venditi lucri, quod ex inita societate sperabatur; mutuum enim commercii assimilatur triplici con-

Denique illud maxime perpendendum venit, nos in alia prorsus conditione nunc versari, ac Doctores, quos nunquam non suspicere ceu nostros et patres et magistros debemus. Solemne nimirum Doctoribus vere catholicis semper fuit oculos ad Apostolicam Sedem intentos habere, e qua sane omnis doctrinae lux, atque adeo tutissima sentiendi in omnibus norma quaeri atque exspectari debet. At vero quis ignoret, haudquaquam eos ad manum habuisse Apostolicae Sedis responsa, quae sub SS. Pontif. Pio VIII et Gregorio XVI per SS. Congregationes tum Poenitentiariae tum S. Inquisitionis prodierunt, e quibus alioquin discere tuto quisque potest, quid in praesenti materia tamquam definitum haberi debeat, quid adhuc libere in scholis discutiendum relinquatur? Numquid enimvero quis putet, Doctores illos quodlibet in his lucrum ceu usurae saltem palliatae labem insectaturos fuisse, si quidem novissent, iudicio Sedis Apostolicae non esse eos inquietandos, qui eiusmodi lucra aut sectantur, aut licite ea quaeri docent? Non igitur quasi nobis adversos censere eos debemus aut possumus, qui profecto si quae nobis nunc nota sunt, cognovissent, eadem quae nos sentimus, et ipsi sensissent.

Caeterum quod studia sua, laboresque, et qualemcumque industriam quisque pro viribus conferamus ad istas quaestiones enucleandas, nemo enimvero non cernet, id maxime consentaneum esse obsequio, quod Apostolicae Sedi, eiusque de hac materia Responsis omnes debemus.

Videlicet utut certissimum et compertissimum esse debeat, Responsa Sedis Apostolicae sub sa. me. PP. Pio VIII et Gregorio XVI ne minimum quidem distare a doctrinis, quas Benedictus XIV in Constitutione *Vix pervenit* ab omnibus tenendas edixerat; si tamen rationem inspiciamus dubiorum, quae de hoc argumento proposita fuisse Apostolicae Sedi alias diximus, quosdam extitisse reperiemus, quibus difficile accidebat, posteriora haec Responsa cum praedictis Benedicti XIV Litteris conciliare. Reverentiae ergo ac filiali in communem omnium Matrem ac Magistram studio congruum est summopere, ut dubia eiusmodi suspicionesque, quantum in nobis est, diluamus, aptissimas, quas sciamus, rationes proponendo, quibus consona sibi Sedis Apostolicae oracula appareant. Id vero consequi dabitur, semel ac planum fiat, posteriora Responsa non ad doctrinam in praedictis Litteris definitam, sed ad quaestiones pertinere, quas ipse Benedictus XIV in iisdem Litteris nolle se dirimere professus aperte est. Diserte enim S. Pontifex certas quasdam de hac re quaestiones nedum dirimere, sed ne in examen quidem vocare se voluisse sic innuit (§. 2.): *Non tamen expetivimus ab ipsis* (Consultoribus), *ut iudicium ferrent de contractu, qui controversiae causam initio praebuerat.* Quinimo contractum quempiam a mutuo diversum posse institui, e quo lucri aliquid licite perciperetur, sic idem Pontifex (§. 10.) indicat: *Quarto loco vos hortamur, ne aditum relinquatis ineptis illorum sermonibus, qui dictitant, de usuris hoc tempore quaestionem institui, quae solo nomine contineatur; cum ex pecunia, quae qualibet ratione alteri conceditur, fructus ut plurimum comparetur. Etenim quam falsum id sit, et a veritate alienum, plane deprehendimus, si perpendamus,* NATURAM UNIUS CONTRACTUS AB ALTERIUS NATURA PRORSUS DIVERSAM ET SEIUNCTAM ESSE; ET EA PARITER DISCREPARE MAGNOPERE INTER SE, QUAE A DIVERSIS INTER SE CONTRACTIBUS CONSEQUUNTUR. *Revera discrimen apertissimum intercedit fructum inter, qui iure licito ex pecunia desumitur...., ac fructum qui ex pecunia illicite conciliatur, ideoque fori utriusque iudicio restituendus decernitur.* Cum ergo S. Pontifex manifeste edicat, a contractuum diversitate repetendum esse, ut ex pecu-

tractui societatis (de quo infra, n. 862.) et assecurationis tum sortis tum lucri. Triplex autem ille contractus probabiliter censeri potest legitimus iuxta Benedictum XIV, *S. Lig.* et alios.

Hanc doctrinam tenent *Mastrofini* — *Maffei* — *Rossignol.* — *Card. de la Luzerne*, *et alii*, quibus assentiunt recentiores non pauci.

868. — *Obiic.* 4° Christus Dominus in lege nova omne lucrum ex mutuo prohibuit; dixit enim: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Luc. 6. 35. — Ergo....

Resp. Haec verba non sunt certo intelligenda de praecepto rigoroso, saltem quoad omnes homines et omnes casus. Etenim in capite citato plura referuntur, quae meri sunt consilii, v. gr. sequentia: *Omni autem petenti te, tribue; et qui aufert quae tua sunt, ne repetas.* Luc. 6. 30.

869. — *Obiic.* 5° *Benedictus XIV*, in Epistola encyclica *Vix*

nia concessa (N. B. non dicit, *mutuata*) fructus licite vel illicite percipiatur, neque referenda haec sint ad ea, quae in antecessum de titulis *emergentis damni aut lucri cessantis,* etc. statuerat, infertur plane, dari posse *contractum* a *mutuo diversum ac seiunctum,* quo fructus ex pecunia licite comparetur. Qui quidem contractus cuiusmodi sit, cum neque in ipsis Benedicti XIV Litteris, neque in posterioribus Sedis Apostolicae Responsis ullo modo significetur, atque adeo scholarum studiis disquirendum id relinquatur, profecto in obsequium cedit utriusque oraculi, quod nostra omnia ipsius Sedis Apostolicae iudicio subiicientes, et principiis communius in catholica schola receptis insistentes, diligenter inquiramus, quinam eiusmodi contractus in hac re haberi queat, qui et Benedictinae Constitutionis sensui, et praxi per SS. Congregationum Responsa praescriptae, et utriusque oraculi conciliationi plenius satisfaciat. Quod utrum in paucis hac nota disputatis obtentum aliqua ratione sit, tum Sedis Apostolicae iudicio, tum sapientiorum sententiae lubentissime submitto.

Nulla autem ratione praetermittendum hic est, utcumque videri cuipiam queat, praeiacto ab aliis principio *de fecunditate pecuniae* praeferendum hoc alterum esse, quod nempe *pecunias suas seu res alias fungibiles alterius usui ad tempus quoddam statutum concedere sit opus per se pretio aestimabile;* haec tamen nihil ad praxim, sed mere ad theoriam nonnihil expoliendam spectare, quo aptior scilicet eorum ratio reddatur, quae probata cernimus non modo per communem sensum et usum, sed et apud *sapientissimos illos* (utar enim verbis Card. De Lugo *Disp. 25. n. 11.*) *iurisconsultos romanos, qui usuras* (intellige lucrum, ut notat *usurae* vox, pro concesso usu exactum, non pro gratuito *mutui* contractu, quae iniquitas in sapientissimorum illorum mentem venire sane non potuit) *in moderata summa licitas censuerunt, et pro eis exigendis actiones concesserunt, et pro solutis repetendis actionem negarunt.* Nam quod ad praxim pertinet, ad mensuram videlicet compensationis reddendae, eodem modo se res habet, utrumlibet adhibeas principium. Omissis enim adiunctis *emergentis damni* aut *cessantis lucri,* quae sin minus in foro externo, saltem in foro conscientiae, forte aliter decerni aliquando posse concedant, semper valere dicenda est lex illa, quae in qualibet compensatione servatur. Aut enim lucri huius mensura legibus praefinita est, et hanc praetergredi nefas erit; vel nullam leges praefiniunt mensuram, et tunc *vulgari pretio,* quod tamen et in re praesenti diversos *infimi, medii* et *summi* poterit habere limites, standum erit.

pervenit, damnavit ut usurarium omne lucrum ex mutuo perceptum. Ergo....

Resp. 1° Non constat inter theologos de vero sensu Benedictinae Constitutionis, teste controversia de hoc adeo agitata apud auctores.

Resp. 2° *Benedictus XIV* non reprobavit nisi lucrum ex mutuo, *vi mutui* perceptum, praescindendo a variis titulis. Ergo ex hac Constitutione nihil contra lucrum ex aliquo titulo perceptum deduci potest. Adde, quod Pontifex aperte declaravit, se nolle dirimere controversias in scholis agitatas, v. gr. de liceitate trini contractus.

Resp. 3° Si praeclarus Pontifex quippiam definivisset, nonne a S. Sede cognosci deberet melius quam ab aliis? Et si verum foret, quomodo Pontifices *Pius VIII* et *Gregorius XVI* decisionem oppositam ferre potuissent? Numquid *inquietandi* non forent illi, qui contra dogmaticam Constitutionem summi Pontificis agerent?

870. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Quibusnam liceat percipere 6. pro 100. ratione commercii iuxta legem civilem?*

Resp. 1° Licet certo mercatoribus pecuniam aliis mercatoribus mutuantibus, quia omnino de commercio agitur.

Resp. 2° Licet etiam mercatoribus respectu aliorum non mercatorum, quia lex favere commercio intendit; favet autem permittendo mercatoribus, ut maiorem censum ex mutuata pecunia percipiant.

Resp. 3° Si agatur de aliis non mercatoribus respectu mercatorum, *controvertitur*. Negant *communius* licere, et afferunt talem esse tribunalium decisionem. Ratio est, quia lex, quae mercatoribus favere intendit, ipsis potius nociva foret, si interesse maius solvere deberent.

Plures tamen etiam inter iurisperitos affirmant. Ratio autem horum est, 1° quia verba legis sunt generalia: *in materia commercii;* nec constat, qualis sit sensus genuinus illorum verborum; 2° quia expedit commercio, ut ita lex intelligatur: sic enim multo facilius mercatores pecuniam reperiunt cum maiori sua et commercii utilitate, etc.—Sed, aiunt merito (*a*), non ideo posset quilibet ex non mercatoribus etiam ab alio non mercatore 6 exigere, ideo quod mercatori mutuare potuisset; nam nullo modo in commercio pecuniam reponit; nec ratione damni emergentis inniti valeret, cum lex unice intendat commercio favere.

871. — Quaer. 2° *An vel quatenus requiratur bona fides ad lucrum ex mutuo percipiendum titulo legis civilis?*

Resp. 1° ***Respectu peccati vitandi,*** requiritur bona fides, quae con-

(*a*) Si non merus sit praetextus, sed in promptu esset mercator, quocum contrahi posset, quaestio videretur solvenda ex iis, quae A. infra (*n. 872.*) habet.

sistit in bono conscientiae testimonio, seu in conscientia efformata saltem ex probabilibus et solidis rationibus, vel ex auctoritate theologorum. Hanc igitur bonam fidem poenitentibus suis interrogantibus praebere potest ipsemet Confessarius, eos docendo de controversia theologorum non facile dirimenda, necnon de responsis *Sanctae Sedis*. Hoc constat tum ex natura rei, tum ex ipsis responsis, infra referendis.

Resp. 2° *Respectu iustitiae,* quaestio bonae fidei est quid mere indifferens. Quemadmodum enim praeter causam praescriptionis ius bona fide intrinsece conferri nequit, cum possessor bonae fidei nullatenus a restitutione eximi possit; ita etiam ius mala fide contrahentis adimi nequit; siquidem mala fides efficere non potest, ut contractus, qui in se saltem probabiliter iustus est, usurarius evadat. Nec dicas, neminem posse inire possessionem cum mala aut dubia fide, nec possessionem hanc retinere. Nam ubi de contractibus agitur, omnis conventio, quae certo non est in se iniusta, sed *probabiliter* iusta, consensu partium *certo* iusta evadit (*a*). Constat insuper ex responsione *Sancti Officii* ad Episcopum Nicaeensem. — *Ita* etiam *DD. Devie, Episc. Bell.* in Epistola encyclica *de Mutuo.* — *Gousset, n. 822.*

872. — Quaer. 3° *An liceat excedere taxam legalem in mutuo ratione damni emergentis, vel lucri cessantis?*

Resp. 1° *Neg.* respectu pauperum vel aliorum, qui in necessitate mutuum petunt, et qui auctario maiori opprimerentur, ut constat ex dictis. Non tamen teneri videris cum magno tuo incommodo ad mutuum eis concedendum (*b*).

Resp. 2° Si pecunia in utilitatem, non vero in necessitatem alterius tradatur, *controvertitur,* et duplex fertur sententia. Iª Sententia *affirmat* ratione indemnitatis seu iustae compensationis. *Ita* inter alios *Kenrich* et *Pagès Lugdunensis*, etsi in materia usurae notissimus severitatis fama evaserit. — IIª Sententia *neg.* Ratio est, quia compensationes damnorum ex obligatione pecuniaria provenientium exigi possunt iuxta taxam legalem. Quae quidem sententia locum habere potest, si mutuator cogat aut obliget alium ad mutuum a se accipiendum; secus non apparet ratio, cur mutuator emergentis damni detrimentum in gratiam alterius subire debeat.

873. — Quaer. 4° *An liceat percipere* interesse *ex ipso* interesse *(les intérêts des intérêts)?*

Resp. 1° *Affirm.* ex lege civili. Sed requiritur, 1° ut terminus

(*a*) Nempe corrigenda tantum superest falsa persuasio; neque enim praecedens mala fides in casu adigere ad restitutionem magis potest, quam si quis suam ipsius rem, quam putaverat alienam, furto surripuisset.

(*b*) Videlicet si detrimentum, quod ob lucrum cessans vel damnum emergens subire debes, haud leve sit, mutuum dare non teneris etiam pauperi; quia charitas sola tunc te obligat: charitas autem non obligat cum gravi incommodo.

contractus ab uno saltem anno elapsus fuerit; 2° ut adfuerit conventio specialis, vel petitio iudiciaria. Imo redditus elapsi locationum aut censuum, sive perpetuorum sive vitalitiorum, producunt foenus ab ipso die petitionis vel conventionis.

Resp. 2° Affirmandum etiam videtur pro foro interno, 1° si praecesserit conventio, sive explicita sive implicita; quia reditus, elapso termino, summae capitali adiiciuntur: idem enim omnino est, quod debitori pecuniam meam, quam iam habet ex mutuo, relinquam, vel ei aliam tradam; 2° si ex dilatione solutionis damnum creditori obveniat. — *Gousset, Cod. Civ. commenté art. 1154.*

QUAER. 5° *An liceat percipere auctarium legale, ubi excedit 5 vel 6 pro 100?*

Resp. Affirm., si lex, perpensis omnibus circumstantiis, videatur iusta, id est, appareat aequalitas inter lucrum lege permissum et valorem usus pecuniae aut pericula sortis, etc. Nulla enim constitui potest taxa absoluta, sed attendendum est ad varias locorum circumstantias, necnon ad pecuniae raritatem, ex qua eius pretium et proinde usus crescit, ut in Africa, in India, etc.

874. — QUAER. 6° *Quid dicendum de institutionibus, quae vulgo dicuntur* ARCAE PARCIMONIAE *(Caisses d'épargne)?*

Resp. Non tantum tolerandae, sed et laudandae sunt eiusmodi institutiones, quippe quae subveniunt viduis, famulis, ancillis et pauperibus, dum modica eorum pecunia quodammodo accipitur mutuo, et census ipsis rependitur.

875. **Resolves.** — 1° Absolvi possunt, imo absolvendi sunt, qui taxam legis civilis non excedunt ratione lucri ex mutuo percepti; cum minime constet, eos iniustitiae reos esse, proinde nec ad restitutionem ullam faciendam obligari possunt.

2° Quamvis igitur unusquisque oppositam opinionem circa lucrum ex mutuo proveniens, ut *probabiliorem speculative* defendere possit; adversam tamen sententiam damnare nequit, ut doctrinae catholicae contrariam, nec restitutionem, denegata secus absolutione, exigere. Imo qui urgeret poenitentem ad restitutionem, ipse ad damnum poenitentis resarciendum adigendus foret; siquidem ex doctrina communiter recepta Confessarius indebitam restitutionem temere praescribens, damnum illatum tenetur reparare. — *Ita expresse et recte Bouvier de Contr. p. 2. c. 8. art. 4.*

3° Nec sunt obligandi ad restitutionem illi poenitentes, qui lucrum acceperunt iuxta legem cum mala fide, idest, putantes se tale lucrum percipere non posse; quia ex eo quod peccaverint agendo contra conscientiam, non sequitur, eos fuisse iniustitiae reos.

4° Poenitentes ex clausula in plerisque responsis *S. Congregationis* adiecta semper parati esse debent iudicio S. Sedis se submittere; sed non sunt necessario interrogandi a Confessario de tali dispositione; 1° quia hoc non exigitur in praefatis responsis; 2° quia Confessarius praesumere debet, poenitentem, utpote bonum Catho-

licum, in tali dispositione versari, nisi de contrario constet. *Ita Bouvier, ibid.* Imo, ait *Kenrich*, hanc conditionem S. Sedes iam consuevit omittere, et addit (*t. 1. de Usura, n. 101.*): *Quotiescumque conscientia peccati hac in re quis non tenetur, nec male audit apud alios, nec aliquis de iniustitia sibi facta queri noscitur, non videtur inquietandus, cum bona fide et communi agendi et sentiendi ratione possit excusari, et alioquin vix speretur fructus ex correptione; nec enim Confessario mores invalescentes reprobanti facile assentietur.*

876. — 5° Non est damnandum de iniustitia lucrum perceptum ex pecunia mutuata etiam pauperi, qui gravem necessitatem non patitur, quique non temere sperat, se ope istius pecuniae adeo divitem evasurum, ut sortem cum moderato auctario facile restituere possit. Nam praeceptum mutuandi gratuito tunc non urget, et pecunia etiam tunc utilitatem et suum pretium retinet.

6° Si nihil lucri debeat percipi ex pecunia pauperi ad sustentationem mutuata, hoc fit, non quia pecunia tunc pretium suum amittit, sed quia mutuans vi praecepti charitatis tenetur velle pecuniam a se mutuatam applicari ad solam pauperis sustentationem.

7° Lucrum excedens taxam legis civilis est illicitum et iniustum, proindeque restitutioni obnoxium. Excipe, nisi ratio maioris damni emergentis vel lucri cessantis aliud suadeat, vel etiam notabile commodum mutuatarii ex mutuo sequatur (*a*).—*Ita communiter recentiores Theologi.*

877. — 8° *A fortiori* duplum exigi nequit lucrum propter alium praeter legis civilis titulum; v. gr. si lucrum ex mutuo cessans sit tibi pro quinque, decem exigere non potes ob accedentem legis titulum; quia iuxta omnes, saltem quando lucrum cessans vel damnum emergens non excedit taxam legalem, nihil praeter hanc accipi potest, cum hoc evidenter fini et intentioni legis adversetur.

9° Pariter qui mutuo accipit pecuniam iuxta taxam legis, non ideo eamdem pecuniam alteri remutuando exigere decem potest; quia deficit titulus ad quinque superflua accipienda. Plures tamen permittunt nummulariis *(banquiers)*, qui ex statu suo mutuum frequenter accipiunt, ut remutuare valeant aliquid ultra taxam legis, v. gr. 1 pro 100 ratione laboris, temporis, impensarum, etc.: unde iuxta illos possent accipere 7 pro 100; considerantur enim ut mercatores, et ut tales iam 6 pro 100 accipere possunt. Ipsis saltem favet multorum locorum consuetudo. Item non videtur contra le-

(*a*) Postrema haec ratio cuipiam forte minus firma videbitur. Quod enim ex accepta pecunia vel quavis alia re aut mutuatarius aut emptor commodum plus minusve notabile consequatur, hoc non debetur mutuanti aut venditori. Secus etiam emptor aut mutuatarius ex notabili commodo, quod mutuans aut venditor ex pretio consequuturus est, ius habebit quidpiam pro se exigendi, et lucrandi.

gem civilem aut naturalem *per se*, quod quis mutuo accipiat pecuniam pro 3 vel 4, et eamdem remutuet pro 5 in 100.

10° Nihil prorsus exigi potest a pauperibus ex necessitate mutuum petentibus, non obstante legis civilis titulo ; et proinde , si quid lucri perceptum fuerit, restituendum est (*a*); quippe lex civilis, quae iuris naturalis obligationem perimere nequit, hunc casum comprehendere non censetur, atque adeo nec dominium lucri in mutuatarium transferre. — *V. Casus, n. 890. et seq.*

DECRETA

S. Congr. S. Officii, die 31 Aug. 1830, a S. P. Pio VIII approbata super sequentibus dubiis.

878. — 1° *Utrum Confessarius possit in conscientia denegare absolutionem presbyteris, qui contendunt legem Principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem absque titulo vel lucri cessantis vel damni emergentis?*

2° *Utrum debeat?*

Resp. ad utrumque. Non esse inquietandos quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subiicere; adeoque nihil obstare eorum absolutioni in Sacramento Poenitentiae.

Plures alias eiusmodi decisiones sive *S. Poenit.* sive *S. Officii* praetermittimus, tum quia satis notae sunt, tum quia eamdem omnino doctrinam referunt (*b*).

(*a*) Restituendum est ex charitatis officio, non vero ex iustitiae debito. In casu enim renunciare lucro ex sola charitate debeo.

(*b*) Praestat tamen heic subiicere aliquod Postulatum, in quo nulla qnaestio est *de titulo legis civilis*. Sic itaque Postulatum Episcopi Rhedonensis: *Episcopus Rhedonensis in Gallia exponit S. Congregationi Inquisitionis, non eandem esse Confessariorum suae dioecesis sententiam de lucro percepto ex pecunia negotiatoribus mutuo data, ut ea ditescant.*

De sensu epistolae encyclicae Vix pervenit *acriter disputatur. Ex utraque parte momenta afferuntur ad tuendam eam, quam quisque amplexus est sententiam, tali lucro faventem aut contrariam. Inde querelae, dissensiones, denegatio Sacramentorum plerisque negotiatoribus isti ditescendi modo inhaerentibus, et innumera damna animarum.*

Ut animarum damnis occurrant, nonnulli Confessarii mediam inter utramque sententiam viam se posse tenere arbitrantur. Si quis ipsos consulat de istiusmodi lucro, illum ab eo deterrere conantur. Si poenitens perseveret in consilio pecuniam mutuo dandi negotiatoribus, et obiiciat, sententiam tali mutuo faventem multos habere patronos, et insuper non fuisse damnatam a S. Sede non semel ea de re consulta; tunc isti Confessarii exigunt, ut poenitens promittat, se filiali obedientia obtemperaturum iudicio Summi Pontificis, si intercedat, qualecumque sit: nec, hac promissione obtenta, absolutionem denegant, quamvis probabiliorem credant opinionem contrariam tali mutuo. Si poenitens non confiteatur de lucro ex pecunia sic mutuo data, et videatur in bona fide; isti Confessarii, etiamsi aliunde noverint ab eo perceptum esse aut etiam nunc per-

APPENDICULA

DE MONTIBUS PIETATIS

879. — *Mons Pietatis* vocatur pecuniae aliarumve rerum mutuabilium cumulus ad id collectus, ut pauperes, dato pignore, quae sibi sunt necessaria, ex eo accipere mutuo possint.

cipi istiusmodi lucrum, eum absolvunt, nulla ea de re interrogatione facta, quando timent, ne poenitens admonitus restituere aut a tali lucro abstinere recuset.

Inquirit ergo dictus Episcopus Rhedonensis,

I. *Utrum possit horum posteriorum Confessariorum agendi rationem probare.*

II. *Utrum alios Confessarios rigidiores, ipsum adeuntes consulendi causa, possit hortari, ut istorum agendi rationem sequantur, donec S. Sedes expressum ea de quaestione iudicium ferat.*

Feria IV, die 18. Aug. 1830.

SS. D. N. Pius divina providentia Papa VIII, in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, audita relatione superiorum dubiorum una cum voto Emm. DD. Cardinalium Inquisitorum Generalium, respondit:

Ad I. — Non esse inquietandos.
Ad II. — Provisum in primo.

Id ipsum cernere est in dubiis, quae S. Poenitentiariae quarto loco proponit Episcopus Veronensis, in haec nimirum verba:

I. *An possit eorum Confessariorum agendi ratio probari, qui dum tenent uti probabiliorem opinionem contrariam lucro ex pecunia negotiatoribus mutuo data, poenitentes, eo modo lucrum percipientes ut ditescant, absolvunt, quando nempe isti obiicientes sententiam lucro faventem non fuisse damnatam a S. Sede, promittunt tamen obedire iudicio Summi Pontificis, si intercedat: et similiter agunt, quando poenitentes, lucrum percipientes in bona fide, de eo non confitentur, licet aliunde noverint, ipsos percipere lucrum, ut supra, nulla ea de re facta interrogatione, quando timent, ne poenitentes admoniti restituere aut a tali lucro abstinere recusent.*

II. *Utrum Episcopus possit hortari rigidiores Confessarios, consulendi causa ipsum adeuntes, ut priorum Confessariorum agendi rationem sequantur, donec Sancta Sedes expressum ea de quaestione iudicium ferat.*

Respondetur,

Ad I. — Non esse inquietandos.
Ad II. — Provisum in primo.

Datum Romae, in S. Poenitentiaria, die 14. Augusti 1831.

Postulatum autem Vivariensis Episcopi, qua parte dubium movet de

I. Eius conditiones hae sunt: 1° quidquid ex eo mutuo datur, ad certum tempus, v. gr. ad annum dari debet, nihil vero ad tempus indeterminatum; 2° pauperibus tantum ex Monte Pietatis mu-

Responso a Congregatione S. Officii facto Episcopi Rhedonensis quaestioni, propterea quod in ista nullum vestigium appareat tituli petiti ex Lege Principis, sic se habet:

In Exposito Episcopi Rhedonensis nulla fit mentio dicti tituli, quem volunt quidam Theologi reperiri in Lege Principis; sed unice de mutuo dato negotiatoribus, et de sensu Encyclicae Vix pervenit *circa tale mutuum negotiatoribus factum.*

Unde alii dicunt, iudicium SS. Pontificis Pii VIII in se solo attendendum esse et separatim a Responsis datis ab Emm. Cardinalibus, ita ut sensus istius iudicii sit, sententiam faventem mutuo facto negotiatoribus non fuisse damnatam a S. Sede, ea de re non semel consulta: adeoque si poenitentes promittant, se filiali obedientia obsecuturos iudicio SS. Pontificis, si intercedat, non esse inquietandos Confessarios, qui ipsis absolutionem non denegant. Qui sic iudicium SS. Pontificis interpretantur, aures avertunt a Litteris Encyclicis Benedicti XIV, ut I et II de Synodo Dioecesana eiusdem Pontificis, ad quam plures responsiones S. Sedis remittunt, ab Instructione data P. Carolo Felici 17 Aprilis 1749, et a diversis responsis datis a S. Sede Apostolica.

Alii non concipientes, qua via praefatum iudicium (Pii VIII) *conciliari possit cum dictis decisionibus Benedicti XIV, et aliorum SS. Pontificum circa mutuum negotiatoribus factum, si sic seorsim attendatur, putant, dictum iudicium non sic esse intelligendum, sed coniunctim cum Responsis datis ab Emm. Cardinalibus, ad quae remittere videtur SS. Pontifex..., et iudicium esse referendum ad Dubia de titulo Legis Principis, qui titulus damnatus non fuit a S. Sede....*

Itaque quaeritur,

I. *An praefatum iudicium SS. Pontificis* (Pii VIII) *intelligendum sit, ut verba ipsius sonant, et separatim a titulo Legis Principis, de quo Emm. Cardinales loquuntur in his Responsis, ita ut unice agatur de mutuo negotiatoribus facto.*

II. *An titulus ex Lege Principis, de quo Emm. Cardinales, sic intelligendus sit, ut sufficiat, Legem Principis declarare, licitum esse cuique convenire de lucro ex solo mutuo facto, sicut fit in Codice Civili Francorum, quin dicat se concedere ius tale lucrum percipiendi.*

Feria IV, die 31. Augusti 1831.

In Congregatione Generali S. Officii... propositis superioribus precibus Rev. P. D. Episcopi Vivariensis, iidem Eminentissimi et Reverendissimi Domini (Cardinales), *praehabitis Dominorum Consultorum suffragiis, dixerunt:*

Provisum in Decretis feriae IV, 18. Augusti 1830., atque dentur Decreta.

Eadem die et feria SS. D. N. Gregorius divina provid. Papa XVI, in Audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, Resolutionem ab Eminentissimis captam approbavit.

Porro Decreta 18. Augusti 1830. continentur Responso sup. relato, quod Rhedonensi Episcopo eadem S. Congregatio, probante Pio Papa VIII, reddiderat, quodque, cum nullam mentionem faciat tituli Legis Principis, dubitandi causam extitisse patet.

tuum dare licet, nisi adeo abundans sit, ut sine pauperum damno aliis etiam satisfieri possit; 3° mutuatarius debet aliquid supra sortem dare ob sumptus ad mercedem ministrorum domusque administrationem necessarios; 4° debet etiam pignus rei mutuatae aequivalens tradere, quod, nisi accepta statuto tempore reddat, vendendum est. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 756. in fine.*

II. Montes istis conditionibus instituti liciti sunt, nec ullo modo usurarii independenter a quocumque alio titulo ad lucrum. Ratio est, quia etiam independenter a quocumque alio titulo nullam usurae labem sapiunt; siquidem satisfieri debet expensis Montis et ministris, quorum labor et cura est vere pretio aestimabilis. — *S. Lig. ibid.*

880. — Quaer. *An Montes Pietatis institui possint a privatis?*

Resp. Affirm. probabilius cum *Lessio*. Ratio est, quia parvi refert ad rationem usurae, utrum institutio sit publica an privata, dummodo privatus non amplius accipiat, quam quod necessarium est ad se indemnem servandum.

SECTIO II.

DE CONTRACTIBUS ONEROSIS

Nimirum 1° de venditione et emptione; 2° de societate et trino contractu; 3° de locatione et conductione; 4° de cambio; 5° de censu; 6° de fideiussione, pignore et hypotheca; 7° de assecuratione, sponsione, sortitione seu loteria et ludo.

CAPUT I.

DE VENDITIONE ET EMPTIONE

Dicetur: 1° de natura venditionis et emptionis; 2° de iusto pretio; 3° de praecipuis venditionum et emptionum speciebus.

ARTICULUS I.

DE NATURA VENDITIONIS ET EMPTIONIS

881. — Contractus venditionis et emptionis definitur: mutatio pretii cum merce, aut vice versa; vel: contractus onerosus dandi determinatum et iustum pretium pro merce, aut vice versa. — *Ita Ius utrumque, Romanum et Gallicum.*

Principia. — I. *Ex Iure Romano.* Venditio solo partium consensu perficitur, nisi partes de conficienda scriptura conveniant. Dominium autem rei non transit ad emptorem, nisi facta dirtatione. Imo nec transfertur dominium rei etiam emptori traditae, donec ab

emptore pretium solvatur, vel offeratur, aut saltem praestetur vel fideiussio, vel fides de illo. Hinc antea emptori ius ad rem tantum, non vero in re competit. — *S. Lig. n. 795. et 796.*

II. *Ex Iure Gallico.* 1° Quaelibet venditio solo partium consensu perficitur, absque ulla legali formalitate. Tria igitur requiruntur et sufficiunt, scilicet res, pretium, et consensus. Proinde scriptura nonnisi ad probationem requiritur. Hinc dominium statim et ante rei traditionem transfertur. Excipitur tamen, quando agitur de rebus, quae iuxta mensuram venduntur, aut gustari solent; tnnc enim venditio perfecta non est, nisi res mensurata aut gustata fuerit. 2° Cum venditio summam 150 fr. excedit, ut in foro externo probari possit, scriptum authenticum vel privatum requirit (*Art. 1341.*).

882. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An venditor teneatur rei defectus manifestare?*

Resp. Distinguendum est; defectus enim sunt 1° substantiales, vel accidentales tantum; 2° occulti, vel manifesti; 3° insuper vel de iis venditor interrogatur, vel non. Hinc

Dico 1° Venditor *in omni casu* tenetur manifestare omnia vitia rei substantialia tam in se quam relative ad finem notum emptoris, seu ea omnia, quae rem aliam faciunt, vel eam noxiam, aut notabiliter inutilem reddunt; secus de pretio tenetur. — *Ita ex omni iure.*

Dico 2° Venditor *interrogatus,* tenetur omnia vitia occulta manifestare, etiamsi rem noxiam aut inutilem non reddant; secus enim dolum committeret. Proinde si dolus fuit *vera* causa emptionis, contractus est rescindibilis. Si vero dolus fuerit *incidens* tantum, ita ut emptor, vitio cognito, etiam emisset, sed non tanti, restituere debet venditor solum quanti minus emisset emptor; quia secus nulla fere venditio fieri posset. — Si autem venditor *non sit interrogatus,* et vitium occultum non reddat rem inutilem, pro ratione vitii pretium minuere debet. Ratio est, quia aliter res pluris venderetur, quam valeat.

Dico 3° Venditor non tenetur *per se* ostendere vitia rei accidentalia de se manifesta, modo imminuat pretium pro rata defectus. Ratio est, quia tunc non fit iniuria emptori, nec ratione pretii, quod imminuitur, nec ratione vitii, quod si non viderit emptor, sibi imputare debet. Excipe tamen, nisi emptor sit valde rudis, quia respectu illius vitium censetur occultum. Excipe etiam, si venditor specialiter interrogetur de tali defectu. — *S. Lig. n. 823.*

883. — Quaer. 2° *An venditor teneatur de omnibus damnis ex vitio rei venditae sequentibus?*

Resp. Non tenetur, nisi de damnis praevisis, quia non potuit suscipere obligationem quoad ea, quae ne in confuso quidem praevidit, ut constat ex dictis in *Tract. de Iustitia, n. 658.*

Quaer. 3° *Ad quid teneatur venditor quoad rei traditionem?*

Resp. 1° Rem et accessoria tradere emptori debet loco et modo, de quibus in contractu conventum est; 2° rem tradat statuto tem-

pore, secus emptor rescissionem contractus aut indemnitatem petere potest (*a*); 3° tenetur tradere rem vacuam ab alterius possessione et aliis oneribus inconsuetis.

884. — Quaer. 4° *Ad quid teneatur venditor, si res pereat ante vel post traditionem?*

Resp. 1° Ad nihil tenetur, si res pereat ante traditionem ex casu fortuito. Ratio est, ex *iure Gallico,* quia res perit domino, id est emptori. *Ita* etiam (nisi aliter conventum fuerit) tenendum est ex *Iure Romano,* licet venditor servet rei dominium, donec tradita fuerit (*b*). — *S. Lig. n. 828.*

Resp. 2° Si res pereat ante traditionem ex culpa venditoris, tenetur de pretio et sumptibus contractus (*c*), quia rem ut suam custodire debebat.

Resp. 3° Si res pereat post traditionem ex vitio intrinseco, quod tempore traditionis existebat, tenetur pariter restituere emptori pretium acceptum, et solvere expensas contractus, si quae sint (*d*). Ratio est, quia vendidit rem inutilem, seu nullius valoris: ergo adfuit in emptore error circa substantiam contractus; ergo contractus nullus est defectu consensus et ipsius materiae, quae nullo pretio erat aestimabilis.

885. — Quaer. 5° *Quaenam sint obligationes speciales emptoris, seu ad quid teneatur ratione pretii, eius foenoris, vel expensarum?*

Resp. 1° Tenetur solvere pretium loco, tempore et modo determinato in contractu; secus venditor potest contractus rescissionem petere, vel, si mavult, ad solutionem pretii cogere.

Resp. 2° Tenetur solvere foenus pro pretio non soluto a die quo rem possidet, si res sit frugifera, licet per accidens nullos fructus dederit a tempore venditionis, nisi venditor dilationem ad solvendum emptori dederit; quia non est aequum, ut emptor simul rem et pretium habeat. Si vero res non sit fructifera, non tenetur ad foenus solvendum, nisi in mora culpabili fuerit, nec aliter conventum sit.

Resp. 3° Tenetur solvere expensas factas pro asportatione rei venditae, pro scripturis (*e*) aut actibus authenticis; item pro sumptibus necessariis ad rei conservationem a die venditionis, nisi alio modo pactum fuerit.

(*a*) Auctor hoc loco proponit dispositiones iuris gallici. Nam ius romanum mere damnat ad interesse, non vero ad contractus rescissionem.

(*b*) Rei periculum ad emptorem ex romano iure pertinet, tum quia cum etiam omne rei commodum sequitur, tum quia statim a perfecta venditione venditor incipiat esse speciei (A. dixisset, rei in individuo) debitor, quem rei interitu liberari placuit. *Vide Voet* (*Lib. 18. Tit. 6. n. 1.*).

(*c*) Non solum ad ista, sed etiam *ad id, quod interest,* venditor tenetur. Vid. Voet (*Lib. 18. Tit. 6. n. 2.*). Hoc ipsum adverte quoad seq. Resp. 3.

(*d*) Etiam huc revocandum illud est, quod in not. ad praec. n. 883. monuimus. Conf. Voet (*Lib. 19. Tit. 1. n. 21.*).

(*e*) Quod A. dicit de *expensis pro scripturis*, id proprium est Iuris Gallici, non vero romani, quod nihil eiusmodi cavet.

886. — Quaer. 6° *An valeat emptio rei mobilis alteri venditae, sed nondum ipsi traditae* (a)?

Resp. 1° *Affirm.*, si res secundo emptori tradatur, modo hic bonae fidei fuerit. Ita *ex omni iure*. Sed tunc venditor tenetur de damnis, si quae sint priori domino illata. — *S. Lig. n. 827.*

Resp. 2° *Neg.*, si emptor fuerit malae fidei, vel si res non adhuc tradita sit secundo emptori. Ratio patet ex ipsis legis terminis, ex qua secundus emptor bonae fidei non potest praevalere priori, nisi ratione possessionis. — *S. Lig. ibid.; Cod. civ. 1141.*

887. — Quaer. 7° *Quam vim arrhae venditioni addant?*

Resp. 1° Si apponantur promissioni venditionis tantum, non confirmant contractum, sed unusquisque e contrahentibus resilire potest. Verum in hoc casu, si resiliat is qui arrhas alteri tradidit, eas simpliciter amittit; contra si resiliat is, qui eas accepit, duplum restituere debet, id est arrhas acceptas, et insuper valorem illis aequalem.

Resp. 2° Si apponantur ipsimet venditioni, non faciunt eam conditionalem, sed argumentum sunt venditionis contractae; pro parte enim pretii computantur, vel in securitatem solutionis dantur: unde nullus ex contrahentibus, altero invito, resilire potest. In dubio autem an promissioni contractus, vel ipsimet contractui adiectae fuerint, pro minimo standum est, seu soli promissioni venditionis adiectae censentur. *Ex Iure Gallico* promissio venditionis non distinguitur ab ipsa venditione.

Quaer. 8° *An, et quomodo vendi possint iura incorporea certa, vel incerta, seu litigiosa?*

Resp. ad 1um Iura *incorporea*, ut chirographa, credita, ususfructus, ius ad hereditatem apertam, si *certa sint*, vendi vel quocumque alio titulo ad alium transmitti possunt, sicut caetera iura. Eorum autem traditio fit remittendo chirographa, aut alia scripta authentica.

Resp. ad 2um Iura *litigiosa*, seu circa quae lites moventur, pariter vendi possunt pro rata probabilitatis fortunae secundae. — *Ita omnes.*

888. — Quaer. 9° *Quandonam venditor teneatur de evictione rei?*

Resp. 1° Tenetur de *evictione*, quoties emptor iuridice deturbatur a possessione rei emptae (b). Excipe nisi aliter in contractu conventum fuerit. Ratio est, quia venditor dominium rei tunc transferre nequit (1626.).

Resp. 2° Tenetur etiam ad pretium emptori refundendum, quando deprehenditur, rem venditam pertinere certo ad tertium hic et nunc

(a) Quaestio reipsa non solet hic fieri de *utriusque venditionis valore*, sed uter emptor praeferendus sit. Vid. Lugo (*Disp. 26. Sect. XI.*), qui rectissime quaestionem in ipso titulo instituit, *Cui debeatur res, quae eadem duobus emptoribus ex intervallo vendita fuit.*

(b) Intellige de emptore deturbato a rei possessione post iudicialem rei ablationem ex praecedente iure, vel dominii vel pignoris ex parte petitoris.

reclamantem: eadem autem est ratio; venditor enim non potuit transferre rei dominium, quod ipse non habebat. Verum ad hoc non tenetur in conscientia ante sententiam iudicis, nisi omnino certo ipsi constet, rem revera esse illius tertii; nec tenetur fidem facile praebere aliis ita esse asserentibus, cum praesumptio ipsi faveat, nec aliunde sententia iudicis intervenerit. — *Recole dicta de evictione in Tract. de Iust., n. 638.*

ARTICULUS II.

DE IUSTO PRETIO

889. — Duplex est: 1° *legale,* quod a lege determinatur; 2° *naturale* seu *vulgare,* quod valori rei respondet iuxta communem hominum aestimationem.

Pretium autem naturale est 1° *summum,* supra quod res aestimari non solet; 2° *infimum,* infra quod res generatim non aestimatur; 3° *medium,* quod inter utrumque interponitur.

890. **Principia.** — I. Pretium *legale,* seu auctoritate civili constitutum, habendum est ut adaequatum valori rei, et ideo servandum est sub onere restitutionis. Ratio est, quia ad auctoritatem civilem pertinet statuere quidquid ad commercium publicum attinet, cum leges pro bono communi condere possit. — *Ita omnes.*

Aliquando tamen licet legale pretium excedere, scilicet 1° si a maiore hominum parte non servetur, Principe tacente; 2° si mutatis circumstantiis taxa evadat iniusta; 3° si merces sint notabiliter solito pretiosiores, vel deteriores.

II. Deficiente pretio legali, illud solum habendum est ut iustum, quod tale determinatur aestimatione communi, si agatur de merce quae apud multitudinem appretiationem habeat; quia pretium adaequatum eiusmodi rerum ex ipsarummet utilitate ad communes usus deducitur. Porro appretiatio talis utilitatis nequit melius haberi, quam per communem aestimationem. — *Ita omnes.*

Si vero res vulgarem aestimationem non habeant, ut sunt gemmae, tabellae pretiosae, etc..., *probabilius* aestimandae sunt iuxta iudicium peritorum in ea materia, attentis circumstantiis, spectata rei novitate, antiquitate, raritate, etc. Ratio est, quia ipsi in eiusmodi reputantur iudices idonei prout vulgus in vulgaribus. Opposita tamen sententia ut *probabilis* apparet, quia in eo casu iustum videtur pretium, de quo contrahentes conveniunt. Sic quoad utramque sententiam *S. Lig. n. 807.* — In praxi non sunt inquietandi illi, qui bona fide et libere ad proprium arbitrium in talibus rebus conveniunt. — *Ita Salmant.* — *Gousset, n. 842. A fortiori* iustum reputandum est illud pretium, de quo pars utraque convenit, si pretium prorsus ignoretur, quia utraque tunc periculo exponitur. — *S. Lig. n. 802. in fine.*

891. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An venditor rem carius vendere possit ob specialem affectum, quem erga eam experitur, vel commoditatem quam ex ea percipit?*

Resp. ad 1um *Affirm.* Ratio est, quia affectus domini ad rem suam est vere pretio aestimabilis, cum privatio rei sit pro ipsa maior. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 807.*

Resp. ad 2um *Affirm.* etiam *a fortiori;* siquidem privatio specialis commodi reddit rem multo pretiosiorem venditori, et aequum est, ut pretium augeat ratione maioris iacturae, quam patitur. — *S. Thomas, 2. 2. qu. 77. art. 1. et seq., et alii communissime.*

892. — QUAER. 2° *An venditor rem possit carius vendere ob affectum vel utilitatem specialem emptoris?*

Resp. Negant communiter theologi, quia maior utilitas vel affectus non est venditoris, et proinde ab ipso vendi nequit, alioquin venderet, quod suum non est. — *Ita S. Thomas, qu. 77. art. 1.: Si aliquis multum iuvetur ex re alterius quam accepit, ille vero qui vendidit non damnificetur carendo re illa, non debet eam supervendere; quia utilitas, quae alteri accrescit, non est ex vendente, sed ex conditione ementis: nullus autem debet vendere quod suum non est.* — Consonant *S. Lig. n. 806., et Carrière, n. 692.*

Affirmant tamen quidam, eo quod venditor emptori illud commodum procuret; sed haec ratio prorsus debilis videtur, ut ex doctrina *S. Thomae* evidenter patet.

893. — QUAER. 3° *An liceat vilius emere in gratiam venditoris emptorem quaeritantis?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia res ultroneae vilescunt, et pretium rei decrescit, quando res est parum utilis emptori, et hic in gratiam venditoris emit. — *Ita communiter cum S. Lig. n. 802.*

QUAER. 4° *An etiam liceat vilius emere, ubi merces venduntur ob paupertatem?*

Resp. Affirm. probabiliter. Ratio est, quia res ultronea iuxta communem aestimationem pretio decrescit. Inopia autem venditoris non efficit, ut communis aestimatio mutetur. Negant tamen alii *probabiliter.*

894. — QUAER. 5° *An liceat carius vendere ob dilationem solutionis pretii, aut vilius emere ob anticipatam solutionem?*

Resp. Affirm. saltem *probabiliter,* modo non excedatur taxa legalis pro mutuo, aut ratio alicuius tituli. Ratio patet ex dictis supra de usura, *n. 863. et seq.* (*a*).

QUAER. 6° *An etiam chirographa et credita possint vilius emi ob anticipatam solutionem?*

(*a*) Videlicet carentia pretii, quo tempore differtur solutio, onus est *pretio aestimabile.* Voces autem *mutui* aut rei seu pecuniae *mutuatae* iuxta ea, quae fuse superius dicta sunt, abusive adhibentur. Diversae enim naturae censendus est contractus, quo ex his *lucrum* quaeritur.

Resp. 1° *Affirm.* omnino, si sint incertae vel difficilis solutionis, quia tunc notabiliter vilescunt.

Resp. 2° *Affirm. probabiliter,* etiamsi sint certae et facilis solutionis. Ratio est, 1° quia non emitur pecunia, sed actio in illam, et ideo censetur iustum pretium illud, quod communiter pro talibus chirographis solvitur... — *Ita S. Lig. n. 829.,* etc...; 2° quia aequivalent pecuniae mutuatae; proinde ex eadem ratione ac in mutuo, licet percipere lucrum moderatum, iuxta taxam legalem. — *Ita nunc praxis communis.*

895. — Quaer. 7° *An possit quis multo minoris emere credita solutionis valde difficilis in se, si propter circumstantiam sibi specialem solutu fiant facilia ?*

Resp. Affirm. probabilius. Ratio est, quia facilitas obtinendi solutionem non pendet a re, quae venditur, sed ab ipso emptore; valor autem alicuius rei a communi aestimatione, non vero a circumstantia particulari ementis determinatur. — *S. Lig. n. 829.*

Quaer. 8° *An possis pretio currente vendere rem, quam scis mox minoris valituram?*

Resp. Affirm. probabilius et verius. Ratio est, quia pretium praesens est iustum et nondum immutatum, modo tamen scientia haec sit privata; si enim communis esset, iam mutaretur. Aliquando tamen peccare posses contra charitatem. —*S. Thomas.* —*S. Lig. n. 824.* — *Hom. apost. n. 188.*

896. — Quaer. 9° *An possis pretio currente vendere rem mixtam cum alia viliore?*

Resp. Distinguendum est, scilicet 1° si commixtio sit noxia vel reddat rem *notabiliter* deteriorem aut minus utilem, peccas contra iustitiam, ut patet; 2° si res tua sit extraordinariae bonitatis, potes probabiliter illam cum viliore mixtam pretio communi vendere; 3° si materiam viliorem ita per industriam meliori admisceas, ut melius temperetur, potes vendere eam consueto pretio. At in praxi hoc non est facile permittendum ob hallucinationis periculum. — *S. Lig. n. 820-823.*

897. — Quaer. 10° *An teneantur ad restitutionem mercatores, qui fraude vel mendacio inducunt emptores ad merces suas emendas maiori pretio, quam emissent, licet summum pretium non excedant ?*

Resp. 1° Quoad fraudem, *affirm.* Ratio est, quia fraus est causa efficax et iniusta damni, quod emptor patitur: unusquisque autem ius habet strictum, ut fraude vel dolo non inducatur ad damnum quodpiam patiendum. Ergo...

Resp. 2° Quoad mendacium, *per se* idem dicendum foret, cum etiam illud sit de se causa iniusta damni. Attamen ordinarie mendacia vel etiam periuria, quibus mercatores affirmant merces tanti sibi valuisse, vel tale pretium sibi oblatum fuisse, habenda non sunt ut fraudes realiter damnificativae; ratio est, quia haec adeo inter illos sunt frequentia, ut eis fidem fere nemo adhibeat. Excipiendum tamen

est, si quando ob specialem fiduciam in venditorem mendacium censeri debeat causa contractus. — *S. Lig. n. 805.* — *Lacroix, n. 956.* — *Reuter, n. 223.*

898. — QUAER. 11° *An vel quomodo peccent mercatores, qui interrogati de pretio mercium, illud notabiliter exaggerant?*

Resp. 1° Si revera intendant hoc pretio vendere, peccant contra iustitiam, inique alienum appetendo; et ad restitutionem tenentur, si de facto pretium illud ipsis solvatur.

Resp. 2° Si vero intendant tantum dare emptori locum offerendi suum pretium, ut sic ad iustum pretium deveniant, excusantur, quia notum est et consuetum, mercatores ita loqui, ut emptores ad iustum pretium perducant.

QUAER. 12° *An peccent contra iustitiam, qui rem venditam infimo pretio, ante traditionem imminuunt vel adulterant?*

Resp. Affirm., quia agunt contra pactum cum emptore initum. Quamvis enim liceat summo pretio vendere, non licet tamen mercatori, qui infimo vel mediocri pretio vendat, occulte sibi comparare pretium mediocre vel summum, imminuendo qualitatem mercis, aut de mensura vel de pondere detrahendo; secus inutiles prorsus forent conventiones.

899. — QUAER. 13° *An peccent contra iustitiam mercatores europaei, qui maximo pretio vendunt apud Indos cultellos, specula, et alia eiusmodi, quae apud nos vilioris pretii habentur?*

Resp. Neg., quia haec licet viliora sint in nostris regionibus, communiter tamen magni aestimantur ab Indis vel Sinensibus etc.; pretium autem vulgare ex communi aestimatione hominum regionis determinatur. Ergo... — *Carrière, n. 699.*

900. — QUAER. 14° *An peccent contra iustitiam, qui vili pretio emunt res pretiosas, quando venales exponuntur apud veteramentarios?*

Resp. Neg., quia res illae censentur amisisse pretium antiquum, et aliud accipere consuetudine, seu contrahentium conventione. Unde res eiusmodi ratione pretii maximam recipiunt latitudinem. — *S. Lig. n. 807.* — Sic aliquando emuntur paucis assibus libri, qui quinque vel decem francis vendi potuissent. Idem dicendum de emptione mobilium veterum, quae dicuntur gallice *de rencontre*, quia haec minoris valoris communiter habentur. — *Carrière, n. 695. 699.*

901. **Resolves.** — 1° Mercatores, qui minutatim vendunt, possunt aliquando carius vendere, quam qui vendunt in magna quantitate; quia debent maiores labores, et expensas, maiusque tempus impendere ad eas conservandas, atque emptoribus distribuendas... Sic ab iniustitia excusantur caupones, stabularii, etc., qui avenam, foenum, paleas et alia carius vendunt. — *S. Lig. n. 809.*

2° Potest etiam carius vendi, si pretium ab emptore sit tradendum tempore, quo res sit pluris valitura. Sic pariter potest vilius emi, si res tradenda sit tempore, quo minus valebit.

3° Si venditor et emptor ignorent pretium rei, et de certo pretio

contrahant, valet contractus, modo uterque ex aequo et bono procedat; quia si uterque pretium iustum ignoret, uterque aequali periculo damni se exponit, et voluntarie de iure suo cedit.

4° Res ultra iustum pretium non ideo vendi potest, quod venditor eam ex sua ignorantia vel imprudentia aut etiam ex casu fortuito maiori pretio emerit, vel subierit maiores sumptus, quam vulgo alii solvant aut subeant. Ratio est, quia pretia rerum non crescunt aut decrescunt ex hoc quod uni vel alteri accidit, sed ex eo quod communiter contingit. Neque ex eo quod aliquis privatus mercator fuerit furtum passus vel naufragium, in aestimatione vulgi adaugeri solet pretium rerum: sicut neque crescere solet pretium frumenti, eo quod unus vel alter rusticus fatali grandine fructus agrorum suorum perdiderit. — Secus autem dicendum foret, si multi mercatores in naufragio suas merces perdidissent, quia merces rariores factae eo ipso pretio crescerent. — *Elbel, n. 587.*

902. — 5° Non probanda est praxis mercatorum vel artificum, qui ut ad suam officinam plures attrahant, solent munera dare ancillis, famulis, filiisfamilias, etc.; postea vero huiusmodi expensas tacite compensare nituntur adaugendo pretium rerum ultra iustitiam. Sic enin secreto cogunt dominos ipsos ad eas donationes iniuste refundendas. — *Elbel, n. 583.* — Secus vero si cum ipsis iustum pretium servent.

6° Pariter reprobanda est praxis eorum mercatorum, qui merces suas vilissimo pretio venales exponunt, ut emptores ad se attrahant; deinde vero pondus aut mensuram corrumpunt, etc. Ratio est, quia sic emptores decipiuntur iniuste. — *Elbel, n. 523.* — *Lugo, D. 26. sect. 8.*, etc.

7° *A fortiori* reprobanda est praxis eorum, qui res alienas bona fide emptas, domino comparenti restituere nolunt, nisi prius pretium pro iisdem expensum refuderit. — *Elbel, n.691.* Excipe tamen quoad Galliam, nisi res in foro publico vel a mercatore talia vendente empta fuerit (*Art. 2280.*). — *Vide supra n. 644.*

8° Generatim in restitutione facienda ob laesionem iusti pretii haec sunt tenenda: 1° si *de venditore* agatur, excessus iniustus computandus est a summo pretio, quia hoc pretio vendere potuit; unde emptor non fuit laesus, nisi in eo quod pretium supremum superat; 2° si vero *de emptore* agatur, defectus pretii computandus est a pretio infimo, quia potuit emere tali pretio; unde venditor tantum laesus fuit in eo, quod est infra hoc pretium. Dixi *generatim;* quia si lucrum fraude obtentum fuerit, esset restituendum, etiamsi pretium summum non excederet, vel infimum attingeret, iuxta dicta supra *n. 897.* — *V. Casus,* a *n. 900.* ad *n. 944.*

ARTICULUS III.

DE PRAECIPUIS VENDITIONUM SPECIEBUS

Scilicet 1° de retrovenditione; 2° de venditione sub hasta, seu per licitationem; 3° de monopolio; 4° de venditione per proxenetas.

§. I. *De retrovenditione et mohatra.*

903. — *Retrovenditio* est contractus (*a*), quo venditor sibi reservat ius rem suam redimendi, sub conditione quod sumptus, meliorationem, vel similia resarciat.

Mohatra est species retrovenditionis, seu contractus, quo quis rem maiori pretio credito vendit, cum pacto ut emptor ipsi minori pretio, numerata pecunia, retrovendat. — *Vide infra Quaer. 3°.*

Dico I. Licitus omnino est contractus retrovenditionis. Illud constat ex Scriptura sacra, quae testatur tale pactum fuisse Iudaeis impositum. Deinde nihil habet, quod iuri naturali contradicat: dummodo enim vera emptio fiat, nec usura palliata intercedat, liberum est venditori de re sua, prout vult, disponere: nec iniuriam ullam emptori infert, cum hic libere de retrovenditione conveniat, nec aliunde damnum in hoc patiatur. — *S. Lig. n. 812. et alii omnes.*

Dico II. *Conditiones ad hoc requisitae* sunt 1ª ut pretium minuatur iuxta aestimationem gravaminis, quod emptori imponitur; 2ª ut non sit pactum de retrovenditione pretio maiori vel minori facienda: licitum est pactum ut retrovendatur eodem pretio, licet res pretio augeatur; 3ª ne pacto exigatur, ut periculum rei venditae cedat in damnum venditoris, cum illud *per se* ad emptorem spectet; nisi tamen pretium iuxta aestimationem periculi augeatur; 4ª ut res retrovendatur, sicut traditur, vacua vel cum fructibus; adde *ex Iure Gallico*, ut non fiat ultra quinquennium. — *Cod. civ. 1660.*

904. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Quanto decrescere debeat pretium in retrovenditionis contractu?*

Resp. Regula praecisa determinari non potest, sed decisio plerumque a variis circumstantiis pendet; hinc auctores in hoc dissentiunt; alii enim dicunt, pretium decrescere usque ad quartam partem, alii usque ad tertiam, alii melius ad arbitrium prudentium. — *Vide S. Lig. n. 812.*

905. — Quaer. 2° *An sit licitum pactum rem redimendi ad arbitrium emptoris?*

Resp. Affirm. probabilius, dummodo adsit verus animus emendi

(*a*) Vox *retrovenditio* reipsa per se non significat contractum, quo quidpiam venditur aut emitur cum pacto retrovendendi seu redimendi, sed mere significat actum retrovendendi, tum si ex praecedente pacto, tum si nullo pacto praecedente id fiat.

et vendendi, emptorque maius pretium solvat iuxta oneris istius aestimationem, et non obligetur venditor redimere pretio maiori, quam recepit. — *S. Lig. ibid.* — *Lugo, D. 26. n. 200.*

906. — Quaer. 3° *Quid sentiendum sit de mohatra?*

Resp. Est contractus *per se* usurarius, adeoque illicitus et iniustus. Hinc ab *Innocentio XI* proscriptus est in damnatione *prop.* 40^{ae}, quae sic iacet: *Contractus mohatra licitus est, etiam respectu eiusdem personae, et cum contractu retrovenditionis praevie inito cum intentione lucri.* Ratio autem damnationis est, quia in eo contractu usura palliata latet; si vero res sine ullo praevio pacto retrovendatur etiam pretio infimo eidem venditori, non est *per se* illicitum.

Non est tamen damnandus ille contractus, si lucrum inde perceptum taxam legalem pro mutuo non excedat, quia tunc in legitimum mutuum (*a*) recideret. — *V. Casus, n. 945*

Occurrit recens quaedam mercatoria operatio, quae ad retrovenditionem refertur; dicitur *relatio (report).* Consistit imprimis huiusmodi negotiandi modus in iuribus, seu *actionibus (actions)* ad pecuniam apud mercatorias societates collocatam vendendis et reemendis. Illud commercii genus nondum a theologis perpensum fuit. A viris etiam probis passim exercetur, nec ab eis ut usurarium apprehenditur, quia est vera negotiatio, cui leges non adversantur, imo cui auctoritas publica patrocinatur. Proinde haec retrovenditionis species *per se* damnanda non videtur. Facile tamen usurae labem saperet atque *mohatram* redoleret, nisi iustis constringeretur limitibus. — *V. Casus, n. 917.*

§. II. *De venditione sub hasta, seu per licitationem.*

907. — Venditio *sub hasta* est ea, quae fit per praeconem, et in qua ultimae licitationi res adscribitur.

Licita est, sive fiat consentiente sive invito domino, seu per auctoritatem publicam, sive infra infimum pretium ematur, aut supra summum vendatur; quia potestas publica approbat iustum pretium publice constitutum ex emptorum concursu. Hinc si emptores concurrant, res fit aestimabilior; si non concurrant, vilior habetur. — *S. Lig. n. 808.* (*Cod. civ. art. 1686.*).

908. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An venditor possit rem suam retrahere, incepta licitatione, si minus pretium offeratur?*

Resp. Neg. per se. Ratio est, quia emptores publice convocati ad auctionem, acquirunt quoddam ius ad rem venalem, quatenus fit stipulatio tacita ut cedat plus offerenti. Attamen videtur temperandus huius doctrinae rigor, ubi forte vigeat contraria consuetudo, vi

(*a*) Alias iam monuimus, vocem *mutui* hic abusive seu latiori sensu usurpari; nam secus ac forte penes veteres romanos iurisconsultos adhiberetur, certe ecclesiastico sensu, qui deinceps ubique ut solus *proprius* praevaluit, contractum *gratuitum* significat.

cuius contrahentes in hoc consentiant. Durum enim videtur damnare iniustitiae praxim universalem, quam docti et etiam pii absque ullo scrupulo tenent. — *Ita Billuart*, etc.

QUAER. 2° *An possit venditor mittere fictos licitatores, ut pretium rei crescat?*

Resp. Negandum videtur. Ratio est, quia hoc apparet nimis fraudulentum ut excusari possit, cum tendat ad decipiendos emptores sinceros, atque adeo iis iniuriam inferat, dum causa sunt ut pretium crescat ex fraude, non vero ex concursu naturali rerum, ex emptorum scilicet libero concursu (*a*).— *S. Lig. n. 808.* — *Hom. apost. n. 175.*

909. — QUAER. 3° *An ille, cuius bona venduntur in gratiam creditorum, mittere possit amicos ad ea suo nomine emenda?*

Resp. 1° *Affirm.* saltem attento usu communi, si licitatio sit voluntaria, quia hoc sequi videtur ex eo quod venditor possit rem suam retrahere.

Resp. 2° *Affirm. a fortiori*, si licitatio sit coacta, seu si fiat auctoritate publica; nam ille, cuius bona venduntur, deterioris conditionis esse non debet. Aliunde ipse non est proprie vendens, cum venditio ipso invito fiat. Ergo.

910. — QUAER. 4° *An emptor possit pactum facere cum aliis, ne licitent, aut ne plus offerant?*

Resp. Neg. saltem in casu coactae subhastationis. Ratio est, quia venditor ius habet, ut emptores sint perfecte liberi, et ne impediatur pretii incrementum. — *S. Lig. n. 808.* (*b*).

Excipiunt tamen plures, si emptores sint societate coniuncti, vel quasi coniuncti, ut fratres, amici, etc., quia faciunt quasi unam personam moralem, nec potest exigi, ut adversum se licitent. Excipiunt etiam probabiliter alii, si vigeat usus, ut venditor rem suam retrahat, quando pretium inferius ei offertur: quia si ipse potest impedire, ne pretium sit nimis exiguum, aequitas etiam postulat, ne conqueratur, quod emptores conveniant, ne pretium nimis augeatur. — *Bouvier*, etc.

911. — QUAER. 5° *An emptor rogare possit alios, ne licitent?*

Resp. Affirm., quia in hoc non violatur venditoris ius, siquidem libertas licitandi non tollitur, et emptor sua utitur diligentia, ut sibi consulat. Attamen preces importunae esse non debent. — *Vide S. Lig. ibid.* — *V. Casus, n. 951. et seq.*

(*a*) Si venditor minori pretio rem suam distrahere nolit, pretium quod vult, expresse praestituat; secus rem suam sibi retineat, nec incertae sorti committat. Quod quidem ad praecedentem quoque quaestionem adverti potest.

(*b*) At enim si fas est amicos rogare ne licitent, neve plus offerant, ut infr. (*n. seq.*) dicitur, vix apparet, cur iidem inter se amici nequeant licite ea de re convenire. Neque enim hi alios a licitando impediunt; qui si non adsint, hoc sane per accidens continget, sicut etiam fit per accidens, ut unus aliquis, nemine simul concurrente ac decertante, rem vili pretio acquirat. *Vid. Diana Tom. 6. Tr 3 Res. 72-73.*

§. III. *De monopolio.*

912. — *Monopolium* est potestas vendendi penes unum aut paucos tantum existens; vel est agendi ratio, qua unus vel plures efficiunt, ut ipsi soli aliquid vendant aut emant. Aliud est *legale*, quod auctoritate publica ex rationabili causa conceditur; aliud *privatum*, quod opera unius aut plurium mercatorum exercetur.

Dico I. Monopolium *legale* licitum est, modo cum iusto pretio fiat. Ratio est, quia ob iustam boni publici causam Princeps illud ceu privilegium, vel ad tributum a mercatoribus exigendum, concedere potest.

Dico II. Monopolium *privatum* illicitum est in sequentibus casibus: 1° si mercator impediat fraude vel mendacio, ne aliae merces advehantur, ut ipse merces suas carius vendat cum communi detrimento; 2° si unus vel pauci merces omnes emant, ut deinde illas carius vendant; 3° si opifices vel artifices conveniant, ut non doceant artem suam, nisi pretio iniusto, vel ut nullus perficiat opus ab aliis inceptum. — *S. Lig. n. 815.*

913. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An peccent contra iustitiam et charitatem mercatores, qui conspirant, ne merces suas vendant nisi summo, licet iusto, pretio?*

Resp. 1° *Quoad iustitiam,* duplex est sententia probabilis.

I^a^ SENTENTIA *affirmat,* quia huiusmodi mercatores per medium iniustum alios pretio supremo emere cogunt. — *Laymann,* etc.

II^a^ SENTENTIA *probabilior negat,* quia si alii coguntur ad emendum pretio summo, non coguntur a venditoribus, sed sua necessitate, quae vera coactio ex parte venditorum dici nequit. — *S. Lig. n. 817.* — *Lugo,* etc. (*a*).

Resp. 2° *Quoad charitatem, affirm.*; quia licet charitate non ob-

(*a*) Duo nihilominus advertit Card. De Lugo (*Disp. 26. n. 172. et 173.*). Primum est, haec valere, nisi tamen quis ex illis mercatoribus ab aliis per vim, dolum, metumve impediatur, ne merces viliori vendat pretio. Fit enim iniuria emptoribus, cum alii venditores iniuste impediuntur, ne viliori pretio vendant.

Alterum spectat ad inveniendam rite hanc pretii summi iustam mensuram. Ut enim utar verbis De Lugo, *circa hoc videtur esse difficultas, quomodo debeat intelligi illud pretium summum iustum, in quo mercatores conspirant absque iniustitia: an scilicet sit pretium summum iustum idem, quod esset, si monopolium non fieret, an vero illud, quod supposita illa difficultate et conspiratione venditorum, aestimaretur iustum. Videtur enim non posse fieri conspirationem illam, quin eo ipso varietur pretium iustum, cum iustitia pretii desumatur ex facilitate et copia, vel difficultate et raritate venditorum. Respondetur tamen, procul dubio intelligi in primo sensu de pretio iusto summo, quo, secluso eo monopolio, merces illae venderentur, et ita supponunt praedicti Doctores* (ii scilicet, qui pro negativa hac sententia stant): *pretium enim iustum non debet desumi ex statu ab ipso monopolio introducto, sed ex statu, quem, eo secluso, merces haberent; cuius rationem statim reddemus.*

ligeris ad vendendum infra pretium summum, videris tamen obligari ad non dissuadendum aliis, ne minori pretio vendant. Ita licet charitate non tenearis ad eleemosynam tali pauperi erogandam, prohiberis tamen alios dissuadere, si qui eam largiri volunt: ergo *a pari*... — *S. Lig. ibid.*

914. — QUAER. 2° *An peccent contra iustitiam vel contra charitatem mercatores, qui tempore messis aut vindemiae omne triticum vel vinum regionis pretio vili tunc currente emunt, ut postea carius vendant?*

Resp. 1° *Neg. probabilius*, ut videtur, *quoad iustitiam*, modo non vendant supra pretium summum, quod secluso monopolio curreret. Ratio, quia nullius ius violant. — *Ita Lugo.* — *S. Lig. n. 817.*

Resp. 2° *Neg.* etiam *probabiliter quoad charitatem*, modo alios ad carius vendendum non inducant, nec ipsi vendant supra pretium summum, quod praeciso monopolio locum haberet, quia iure suo utuntur; nemo enim proprium commodum negligere tenetur, ut damnum alienum evitet, cum illud avertere non obligetur. — *Lugo.* — *Lessius*, etc., contra *alios.*

QUAER. 3° *An facto semel monopolio cum pretio iniusto ab aliquibus mercatoribus, liceat aliis merces eodem pretio vendere?*

Resp. Neg., quia pretium ex iniustitia auctum semper manet iniustum, nec aestimatio communis dici debet, sed fraus et deceptio. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 817.* — *Vide Casus, n. 958. et seq.*

§. IV. *De venditione per proxenetas.*

Venditio per proxenetas ea est, quae non fit immediate ab eo, ad quem res pertinent, sed per alios ex commissione, et hi proxenetae dicuntur. Proxenetae autem possunt esse vel tantum amici, vel speciali mercede ad hoc conducti, vel ad diversa opera pretio annuo locati.

915. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An proxeneta, qui vendit supra, aut emit infra pretium sibi designatum, possit excessum pretii sibi retinere?*

Resp. Neg. generatim loquendo. Ratio est, quia nullum habet titulum aliquid retinendi. Etenim 1° non ratione rei, quia illius non est, sed domini; 2° nec ratione laboris et industriae saltem stricto iustitiae titulo debitae, quia si stipendio sit conductus, ad nihil aliud ius habet; si vero industriam gratuito praestet, iam mercedi (*a*) renuntiavit. — *S. Lig. n. 825. et alii communiter.*

Excipe, 1° si labore extraordinario et indebito, aut industria vel diligentia omnino speciali, rem meliorem fecerit; 2° si dominus expresse aut aequivalenter declaraverit, se nihil ultra pretium deter-

(*a*) Intellige abdicatam per id fuisse mercedem, saltem quae stricto iustitiae titulo debeatur.

minatum exigere: tunc enim excessus retineri potest; 3° si dominus agendi rationem proxenetae noverit et ratam habeat. — *Sic communiter Theologi.*

916. — QUAER. 2° *An possit proxeneta rem pretio sibi determinato vendendam pro seipso emere, et postea eamdem rem tamquam suam maiori pretio vendere?*

Resp. Affirm., positis duabus conditionibus, scilicet 1° ut adhibita morali diligentia emptorem non inveniat, qui plus offerat; secus enim contra officium suum et voluntatem mandantis certo cognitam ageret; 2° ut rem sibi non ficte, sed vere emat, ita ut eius periculum subeat; et si forte tanti non vendat, nihilominus pretium determinatum reddat; secus enim aequitas non servatur. — *Ita communiter.*

QUAER. 3° *An proxeneta possit sibi retinere ea, quae vendens solo eius intuitu gratis donat?*

Resp. Affirm., si constet de vera donatione: quia mercator *absolute loquendo* aliquid cedere potest de lucro suo alicui proxenetae, ut eum ad officinam suam adducat; sed ad hoc requiritur, ut sit revera dispositus ad vendendum alteri cuilibet pretio superiori, et reapse sic ordinarie vendat. Confessarius autem non facile fidem adhibere debet proxenetis, tales donationes sibi factas fuisse asserentibus. — *S. Lig. n. 825.* — *Hom. apost. n. 189.*

CAPUT II.

DE SOCIETATE ET TRINO CONTRACTU

ARTICULUS I.

DE SOCIETATE

917. — Contractus societatis est conventio de re aliqua in communi possidenda ad commune bonum, aut lucrum pro rata parte percipiendum.

Dico I. Omnis societas fieri debet de re licita et honesta, necnon ad commune bonum contrahentium. Singuli autem socii in societatem afferre debent pecuniam, aut merces, aut industriam, vel operam. — *Ita ex omni iure.*

Dico II. Contractus societatis est modus legitimus negotiationem faciendi. Constat 1° ex legibus civilibus omnium nationum; 2° ex usu universali omnium populorum; 3° ex iure naturali: non enim minus licitum est pluribus coniunctim, quam singulis ex suis rebus lucrum facere, modo debita aequalitas servetur.

Dico III. Conditiones requisitae sunt, 1° ut sit aequalitas, id est, divisio lucri pro rata rei collatae; 2° ut ad certum tempus ineatur societas, et ante non liceat suum repetere; 3° ut periculum

sortis spectet ad dominum, nisi aliter pactum initum fuerit; 4° ut quisque subeat onus damnorum et expensarum, quae intuitu societatis adveniunt; 5° ut quisque diligentiam eamdem adhibeat in societate, ac in negotiatione privata. — *S. Lig. n. 905.*

918. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quomodo solvatur societas?*

Resp. Contractus societatis solvitur 1° lapsu temporis, ad quod factus est; 2° interitu rei, vel fine negotiationis; 3° morte naturali vel civili unius e sociis; 4° interdictione alterutrius socii, vel decoctione seu bonorum subversione; 5° impossibilitate rem promissam praestandi (*a*).

QUAER. 2° *Quid, si quis invito socio ante tempus e societate recedat?*

Resp. Tenetur damnum compensare, nempe solvere lucrum cessans pecuniae ab ipso praestandae, aut reddere lucra industriae suae. — *V. Casus, n. 981. et seq.*

ARTICULUS II.

DE TRINO CONTRACTU

919. — Contractus trinus est, quo quis pecuniam conferens paciscitur cum alio socio, ut quidquid eveniat, summa integra sibi restituatur cum lucro certo, minore tamen eo lucro, quod sperare probabiliter poterat; vel est contractus societatis, cui adiunguntur duo alii contractus, nempe assecurationis sortis et assecurationis lucri, seu venditionis spei lucri maioris percipiendi pro minore lucro certo et assecurato. Sic autem instituitur. Contraho, v. gr. cum *Petro,* pecuniae summam ei tribuendo ad negotiandum. Sed cum spes lucrandi 15 pro 100 mihi affulgeat, et timeam ex alia parte, ne sortem amittam, ineo secundum contractum cum *Petro*, ei 5 pro 100 erogando, si assecurationem sortis in se suscipere velit. Inito hoc secundo contractu, iam 10 tantum pro 100 mihi lucrandi supersunt. Verum lucrum adhuc minus at certum mallem, quam maius et incertum. Igitur propono socio meo, ut mihi 5 tantum pro 100 tribuat, sed certo refundat, quidquid superventurum sit. Hinc triplex datur contractus, scilicet societatis, assecurationis sortis, et assecurationis lucri.

QUAER. *An trinus contractus sit licitus?*

Resp. Duplex est sententia *probabilis* inter Theologos.

I[a] SENTENTIA *negat.* Ratio est, 1° quia sic destruitur societas, cuius natura est, ut pericula sint communia; ergo est verum mutuum; ergo deficit titulus seu fundamentum lucri percipiendi, saltem supra taxam legis pro mutuo; 2° quia, aiunt, opposita doctrina

(*a*) Per haec Auctor non vult excludere, quominus etiam mutuo sociorum consensu legitime societas solvi possit.

a *Sixto V* reprobata est per Bullam *Detestabilis*, anno 1586. — *Collet*. — *Habert*, etc.

IIª SENTENTIA *communiter affirmat* (modo pecunia in negotiatione impendatur). Ratio est, 1° quia hi singuli contractus separatim et cum diversis personis sunt de se liciti et iusti ; ergo etiam si fiant simul et cum eodem; 2° quia nihil est contra aequalitatem: nam datur compensatio, et periculum a tribuente pecuniam aequivalenter sustinetur; 3° quia *Benedictus XIV* declarat, in opere *de Synod. dioeces. lib. 10.*, contractum trinum a *Sixto V* non esse damnatum, nec illum damnare intendere. Et in Encyclica *Vix pervenit...* dicit, se nolle damnare contractus, de quibus inter Theologos disputatur. — *Vide S. Lig. n. 908.*

CAPUT III.

DE LOCATIONE

920. — Locatio est contractus, quo usus, vel fructus rei, aut personae opera pro certa mercede ad tempus ab uno accipitur et ab altero conceditur. Qui rem tradit in usum vel utilitatem alterius, dicitur *locator;* alter *locatarius* seu *conductor* nuncupatur. Porro variae numerantur locationis species: 1° locatio aedificiorum; 2° agrorum; 3° animalium; 4° laboris et famulatus. — *Cod. civ. Gall. art. 1711.*

Ad contractum locationis aliquatenus accedunt emphyteusis et feudum. *Emphyteusis* est contractus, quo res immobilis conceditur alteri quoad dominium utile, vel in perpetuum, vel saltem ad 10 annos, cum onere solvendi pensionem annuam domino directo. *Feudum* vero est contractus emphyteusi similis, seu traditio rei immobilis ad dominium utile, cum onere exhibendi domino directo obsequium seu fidelitatem. Differunt tamen emphyteusis et feudum a locatione, quia nequeunt constitui nisi in re immobili, nec ad brevius tempus, quam ad decennium.

I. *Regulae locationis generales.*

921. **Principia.** — 1° Locatio fieri potest scripto aut verbo; at si verbo solum fiat, probatio per testes non admittitur in *Iure Gallico,* nisi executio iam incepta fuerit: iuramentum tamen a parte negante exigi potest. — 2° Locatarius potest sublocare, nisi aliud fuerit stipulatum, vel inde locatori detrimentum fiat. — 3° Locatio non solvitur per mortem contrahentium, sed ad heredes transit. — 4° Si tempus locationis non fuit determinatum, cessare potest ad arbitrium alterius contrahentis, dummodo alterum congruo tempore moneat iuxta locorum consuetudinem et rei locatae naturam.

— 5° Si locator rem locatam vendiderit, non potest expelli locatarius, sed terminus locationis est expectandus (*a*).

II. *Obligationes locatoris.*

922. — 1° Tenetur aperire vitia noxia rei locandae. — 2° Praestare debet, ut locatarius tranquille ea fruatur.—3° Expensas necessarias rei locatae reparandae sustinere ipsi incumbit. Non tenetur tamen ad expensas minutas, ut mox dicetur. — 4° Formam rei locatae absque consensu locatarii mutare nequit. Reparationes tamen necessarias, etiam invito conductore , facere potest, nec quodcumque damnum inde exurgens compensare tenetur (*Art. 1724.*).

III. *Obligationes locatarii.*

923. — 1° Debet uti re locata tanquam bonus paterfamilias, ad solum finem locationis. — 2° Tenetur ea reficere vel reparare, quae culpa ipsius perierunt, aut deteriora facta sunt. — 3° Imo in foro externo tenetur de omnibus damnis, quae subit res locata, nisi ea, seclusa sua vel subditorum culpa, evenisse probaverit. — 4° Modicae reparationes, quae dicuntur *locativae*, ad ipsum spectant, v. gr., reficere vitra, etc.

924. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Quid iuris, si domus locata incendio pereat?*

Resp. 1° In foro conscientiae locatarius ad nihil tenetur, si absque ulla eius culpa etiam iuridica fuerit incensa; imo *probabiliter* etiamsi ex sola culpa iuridica perierit.

Resp. 2 In foro externo locatarius de damno tenetur, nisi probet, illud accidisse citra ullam, etiam iuridicam, suam culpam, ut supra dictum est (*Art. 1734.*).

Quaer. 2° *Quid speciatim de locatione operum?*

Resp. 1 Locator famuli, vel operarii tenetur cum eo de iusta mercede convenire, qualis est, quae communiter talibus dari solet.

Resp. 2 Si determinatio mercedis fuit relicta ad conductoris arbitrium, hic iustam, saltem infimam, dare debet. Herus autem famulum ante tempus dimittens sine sufficienti causa, damnum inde emergens resarcire tenetur.

Resp. 3 Si famulus vel operarius ultro sese offerat, tuque eo non egeas, sed ex charitate tantum suscipias, quid ei dare debeas, *recole dicta de Iustitia n. 625., et vide S. Lig. n. 522.*

925. — Quaer. 3° *An locatarius agrorum teneatur integram pen-*

(*a*) Quintum hoc principium valet iuxta ius gallicum (*Art. 1743.*), non vero generatim iuxta ius romanum (*L. 9. C. De locato et conducto*). Vid. Lugo (*Disp. 29. n. 16.*).

**

sionem solvere in casu sterilitatis ob grandinem, vel aliud infortunium extraordinarium?

Resp. Neg. Licet enim videatur in rigore iustitiae de iure naturali ad id teneri, attamen consuetudine generali introductum est, ut si ingens sit iactura, aliquid remittatur, et damnum ex aequo ab utroque subeatur. Excipe, nisi ex fructibus per alios annos perceptis aequa detur compensatio. — *S. Lig. n. 860.;* et ex *utroque Iure Romano et Gallico confirmatur.*

Quaer. 4° *An tributum solvendum sit a locatore, an a locatario?*

Resp. 1° *Per se* seclusa speciali conventione locator tributa solvere debet; quia non solum est rei dominus, sed ne usumfructum quidem transtulit, nisi modo successivo et de die in diem. Secus autem de usufructu pleno et proprie dicto, ut dictum est supra *n. 593.*

Resp. 2° *Ex Iure Gallico,* locator solvit tantum tributa fundo imposita. Tributa autem pro ianuis et fenestris a locatario solvenda sunt; sed non solvente eo, qui solvere debet, fiscus actionem in alterum habet, salvo tamen recursu posterioris in priorem.

926. — Quaer. 5 *An nuntius proficiscens in certum locum, licite possit a pluribus integram accipere mercedem?*

Resp. 1° De aurigis nulla difficultas, quia talis est consuetudo. — *Ita communiter Theologi.*

Resp. 2 De nuntio duplex est sententia probabilis. — *Recole dicta supra, n. 757.* — *V. Casus, n. 973. et seq.*

CAPUT IV.

DE CAMBIO

927. — Cambium est permutatio pecuniae cum aliquo lucro campsoris. Cambium tamen in genere idem sonat, ac permutatio sive in pecunia sive in aliis rebus.

Cambium varium distinguitur, scilicet

1 Cambium *manuale* seu *minutum,* et cambium *locale* seu *per litteras.* Prius fit, cum permutatur pecunia unius formae vel materiae cum pecunia alterius formae aut materiae. Posterius autem locum habet, quando pecunia praesens commutatur cum pecunia absente et alio loco solvenda.

2° Cambium *reale* seu *verum,* et cambium *fictum* seu *siccum.* Prius illud est, quo pecunia cum alia reapse commutatur. Posterius vero illud est, quo permutatio fingitur, sed non est aliud nisi mutuum palliatum, uti, v. gr., cum datur pecunia tamquam in alio loco recipienda, quae tamen in hoc ipso loco recipitur.

3° Cambium *fictum* sic fieri solet: v. gr. *Titius* indigens pecunia in hoc praesenti loco, 100 nummos a campsore postulat. Camposr autem non aliter dat, nisi in loco distanti solvendos, petitque

ab eo pretium, quod pro locis similibus exigitur. *Titius* vero pecuniam accipit, et tamen non cogitat de pecunia in tali loco reddenda, idque campsori manifestum est. Unde contractus ille est merum mutuum palliatum (*a*).

928. **Principia.** — I. Licitum est cambium *reale,* sive minutum, sive locale, modo servetur aequalitas, aut lucrum non excedat iustum pretium determinatum lege vel locorum consuetudine. Ratio est, quia sunt varii tituli, ex quibus campsor lucrum percipere potest, scilicet 1° pecuniae assecuratio usque ad locum assecurationis; 2° locatio operae et officii ad numerandam et transmittendam pecuniam; 3° damnum emergens ex infortuniis debitorum; 4° expensae et curae in detinendo telonio. — *S. Lig. n. 851-852., et alii.*

II. Illicitum est *per se* cambium *fictum.* Ratio patet; nullus enim est in eo titulus lucrum accipiendi, cum nullum fiat cambium proprie dictum, siquidem nulla est realis pecuniae translatio, sed tantum ficta, unde non est nisi mutuum palliatum. —*Ita omnes.* — *S. Lig. n. 853.* — Dixi *per se,* quia ratione mutui licet sequi huius contractus leges, iuxta dicta supra, *n. 863.*

S. Pius V in Bulla de cambiis varias apposuit restrictiones circa cambium: *Haunoldus* tamen eam in paucis locis vigere saltem quoad omnia in ea contenta testatur. De ea loquitur *S. Lig. n. 852.*

929. —**Quaesita.** — QUAER. 1° *An licitum sit cambium eis, qui officium publicum cambiendi non habent?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia eaedem militant rationes; quisque enim ius habet ad lucrum pro labore et industria sua. Sed cavere debent isti campsores, ne lucrum maius aequo exigant.— *Ita S. Lig. n. 851.* — *Salmant. c. 4. n. 8.* — *Carrière, n. 1038.*

QUAER. 2° *An licitum sit cambium vulgo dictum* Francofurtense, *in quo campsor dat pecuniam in proximis nundinis reddendam, ita ut lucrum maius pro maiori dilatione exigatur?*

Resp. 1° *Affirm.,* si sit titulus lucri cessantis, damni emergentis, etc. — *S. Lig. n. 854.*

Resp. 2° Secus *controvertitur;* sed *probabiliter* leges civiles pro mutuo in hoc sequi licet, iuxta dicta superius, *ubi de Usura, n.863.*

930. — QUAER. 3° *Quid campsores recipere possint ratione mutui?*

Resp. Recipere possunt 6 pro 100, iuxta taxam legalem pro mercatoribus, quia quamdam mercaturam pecuniae exercent. Ordinarie enim campsores multa pecunia, ut tali officio fungi possint, multisque ministris indigent, ac variis periculis exponuntur. Imo in varis locis permittitur ipsis accipere 7 pro 100 ob pericula et labores, quos subire debent ad pecuniam alio transferendam, eamque assecurandam. — *V. Casus, n 988. et seq.*

(*a*) Huius contractus nulla nunc consuetudo adest, nec necessitas aut occasio.

CAPUT V.

DE CENSU

931. — Census est ius pensionem annuam percipiendi ex re vel persona. Census potest esse multiplex, scilicet

1° *Reservativus,* id est pensio annua percipienda ex re quoad fundum alienata.

2° *Consignativus,* id est pensio annua percipienda ex re vel ex persona ex titulo emptionis.

3° *Realis,* vel *personalis,* prout pensio in re frugifera constituitur, vel in personae labore et industria.

4° *Temporarius,* vel *perpetuus,* aut *vitalitius,* prout constituitur ad tempus, v. gr. ad 20 annos, vel in perpetuum, vel ad vitam hominis.

5° *Redimibilis* ex una vel utraque parte, prout ad nutum alterutrius vel utriusque redimi potest; vel *irredimibilis,* si ex pacto venditor seu censuarius se liberare non possit per capitalis restitutionem: tunc emptor, seu censualista necessario ius suum in censum servat.

932. **Principia.** — I. Quilibet census reservativus est licitus, quia quilibet rei suae proprietatem transferens, potest partem fructuum illius sibi reservare, modo pro rata reservationis pretium imminuat.

II. Census consignativus realis, tum fructuarius, tum pecuniarius, est licitus, quia ius ad partem aliquam ususfructus, vel ad pensionem annuam vendere et emere licet.

III. Conditiones eaedem generatim ad censum requiruntur de iure naturali, ac ad venditionem, scilicet 1° bona fides; 2° assecuratio sufficiens ex parte censuarii erga censualistam; 3° pretium iustum, quod lege vel aestimatione communi determinatur.

933. **Quaesita.**— Quaer. 1° *An census consignativus personalis sit licitus?*

Resp. Affirm. saltem de iure naturali, modo serventur debitae conditiones; quia ius recipiendi pensionem ex alterius labore, industria, etc..., tam est pretio aestimabile, quam ius illam percipiendi ex re frugifera. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 839.,* contra *alios* negantes, quia persona vendi nequit. Ex *Iure Gallico* nemo operas obligare potest, nisi ad tempus, vel pro negotio determinato (1780.).

Quaer. 2° *An census* REDIMIBILIS *sit licitus?*

Resp. Affirm. saltem ex parte censuarii, sicut retrovenditio licita esse potest. — In iure Gallico omnis census est essentia sua redimibilis; sed pacisci licet, ne redimi queat ante 30 annos, sicut pretium vel conditio alienationis rei immobilis (530., 1911.).

934. — Quaer. 3° *An possit esse redimibilis ex utraque parte?*

Resp. Affirm., probabilius, quia est vera venditio, et emptor non

debet esse deterioris conditionis ac venditor, modo sit bonae fidei, et aliunde aequalitas servetur. — *S. Lig. n. 843.* — *Less.*—*Laym.*, contra alios.

Quaer. 4° *An liceat emere currente pretio census annuos in Gubernio fundatos, vel actiones a nummulario publico* (gallice *actions de la banque*)*?*

Resp. Affirm. Venduntur enim ut merces; pretio crescunt vel decrescunt iuxta communem aestimationem.

935. — Quaer. 5° *An licitus sit census vitalitius?*

Resp. Affirm. Est enim contractus aleatorius, nec ullatenus iuri naturali repugnat, et a lege civili approbatur.

Sequentes autem conditiones requiruntur:

1 Habenda est ratio aetatis vel sanitatis personae.

2 Pretium se extendere ordinarie non debet ultra 15 pro 100.

3° Censuarius non potest se redimere, nisi ex voluntate censualistae; nec censualista capitale repetere potest, nisi in quantum censuarius promissas securitates non praebeat.

4 Census non exstinguitur morte civili censualistae, sed transit ad eius heredes usque ad eius naturalem mortem (1982., 1983.). — *V. Casus, n. 1005.*

CAPUT VI.

DE CONTRACTIBUS SUBSIDIARIIS, SEU DE FIDEIUSSIONE, PIGNORE ET HYPOTHECA

Contractus isti dicuntur subsidiarii, quia adhibentur ad securitatem alterius contractus. De singulis breviter dicemus.

ARTICULUS I.

DE FIDEIUSSIONE

936. — Fideiussio est contractus, quo quis alienam obligationem in se suscipit, si non solvat debitor principalis.

937. **Regulae fideiussionis.** — 1° Nemo fideiussor esse potest, nisi liberam bonorum administrationem habeat. Ex *Iure Gallico* requiritur insuper, ut fideiussor habitet in territorio curiae regiae, ubi fideiussio praebenda est (*Art. 2018.*).

2 Qui principaliter obligari non possunt, fideiubere non valent: tales sunt pupillus, minor, Religiosus, uxor, saltem sine consensu tutoris, curatoris, Superioris, mariti.

3° Fideiussor tenetur erga creditores de omnibus obligationibus debitoris, sed solummodo in illius defectu, seu impotentia, et quidem iuridice probata.

4 Fideiussor, qui pro debitore solvit, omnibus creditoris iuribus

subrogatur, et proinde recursum in eundem debitorem habet, ut ab eo repetat, quidquid eius loco solvere coactus fuit.

5° Obligatio fideiussoris ad ipsius heredes transmittitur, quia est obligatio realis, non vero mere personalis. — *V. Casus, n. 1007.*

ARTICULUS II.

DE PIGNORE

938.— Pignus est contractus, quo debitor rem mobilem creditori dat in assecurationem crediti. — Pignoris nomine venit etiam res oppignerata.

Regulae pignoris. — Ex parte *debitoris* pignus tradentis. Debet 1° tradere creditori pignus idoneum; 2° refundere creditori impensas necessarias, quae factae fuerint ad rei conservationem; 3 pignus non repetere, priusquam integrum debitum solverit, nisi eo creditor abutatur.

II. Ex parte *creditoris* pignus accipientis. Debet 1° non uti re sibi credita, nisi de consensu debitoris; 2° diligenter pignus custodire; secus de damno tenetur; 3° fructus ex pignore perceptos in debiti diminutionem computare, ad aequalitatem scilicet servandam; 4° non vendere pignus propria auctoritate ad solutionem obtinendam, nisi debitor sit in mora culpabili, et prius monitus fuerit. Ita de iure naturali et positivo.

Pignori accedit contractus qui *antichresis* nuncupatur. Est autem *antichresis* pignoris species, qua debitor tradit rem immobilem in usum creditoris, usquedum debitum solvatur. — *S. Lig. n. 916.* (*a*). — *V. Casus, n. 1010.*

(*a*) S. Alphonsus, seu potius Busembaum (nam merum huius textum de hac re S. Alphonsus profert), mox addit hanc resolutionem: *Contractus hic videtur iuxta Caietanum, Sotum, etc.* (*contra quosdam iuristas*) *esse usurarius, quia creditor ultra sortem aliquid lucratur, causa solius mutui, quae est usura.* S. Alphonsus autem in notula intra parenthesim addit (*Lib. 3. n. 916.*): *Et certum est cum Palao apud Croix, n. 1115.* Attamen (*ibid.*) rata habet, quae dein subiicit Busembaum (*Resol. 2.*): *Possunt tamen intervenire tituli iusti lucrandi fructus ex pignore sine diminutione sortis; ut si, v. gr., fructus ex hypotheca percepti non superent quantitatem pensionis, quae iure census super eandem constituti exigi potest cum pacto redhibitionis, ut supra dictum est de censibus : aut si alioquin lucrum cesset, aut damnum emergat, dum debitum differtur. Unde non facile damnandi illi, qui a Principibus in locum debitorum agros, pascua, officia, etc. in antichresim habent. Vide Laym. et Binfeld. De Usuris, Mol., etc., Lessium cap. 137.* Quibus addi possunt et illa, quae de lucro ex pecunia credita citra iniustitiam percepto superius, ubi *de mutuo*, dicta sunt.

ARTICULUS III.

DE HYPOTHECA

939. — Hypotheca est contractus, quo res immobilis creditori obligatur, ut ex illa sibi solvere possit, si debitor non solverit.

Triplicis generis distinguitur hypotheca: nempe legalis, iudicialis, et conventionalis.

1° Hypotheca *legalis*, quae etiam *implicita*, seu *tacita* dicitur, ea est, quae vi solius legis, et absque ulla speciali conventione instituitur: sic uxor hypothecam habet in cunctis bonis mariti pro dote recuperanda.

2° Hypotheca *iudicialis* illa est, quae ex iudicis decreto statuitur in gratiam eorum, qui causam obtinuerunt: si v. gr. iudex aliquem damnat ad certum damnum resarciendum, vi illius sententiae cuncta bona immobilia damnati, praesentia et futura, pro damno hoc reparando hypotheca gravantur. Requiritur autem, ut haec iudicis sententia apud hypothecarum conservatorem inscribatur, et a die tantum inscriptionis vim obtinet.

3° Hypotheca *conventionalis*, seu quam partes mutua conventione inter se statuunt, est contractus solemnis, quo persona ad contrahendum habilis bona specialiter designata creditori obligat in debiti determinati assecurationem et solutionem. Debet igitur fieri coram notario, cum certis formalitatibus sub poena nullitatis in foro saltem externo, et a persona ad contrahendum habili, seu quae liberam habeat bonorum suorum administrationem; hinc minores, interdicti, uxores non possunt aliquid in hypothecam tradere *(Art. 2124. et seq.)*. — *V. Casus, n. 1015.*

CAPUT VII.

DE CONTRACTIBUS ALEATORIIS

940. — Varii sunt generis: assecuratio, sponsio, sortitio, seu loteria et ludus. Dicuntur aleatorii, quia sortis vicissitudinibus sunt obnoxii.

ARTICULUS I.

DE ASSECURATIONE

Assecuratio est contractus, quo unus periculum alicuius rei in se suscipit, et alter ad pretium pro suscepto huiusmodi periculo se obligat. Sic variis in urbibus existunt societates, quae assecurant, v. gr. domos contra incendium, navigia contra naufragia, etc.

941. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An sit licitus assecurationis contractus?*

Resp. Affirm. Aequalitas enim servatur, concurrentibus debitis conditionibus, ut fatentur communiter Theologi, et praxis quotidiana confirmat.

QUAER. 2° *Quaenam sint conditiones ad assecurationem requisitae?*

Resp. Sunt sequentes: 1° ut pretium sit periculo proportionatum; 2° ut periculum sit verum, et utrique parti aequaliter notum; 3° ut assecuratus servet omnes contractus conditiones; 4° ut assecurator habeat, unde solvere possit. — *S. Lig. n. 911.* — *V. Casus, n. 1012.*

ARTICULUS II.

DE SPONSIONE

Sponsio est contractus, quo plures, de veritate aut de eventu rei alicuius contendentes, aliquid sibi invicem spondent, vel apud aliquem deponunt, ut sit eius, qui verum dixerit.

942. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An contractus sponsionis sit licitus?*

Resp. Affirm., positis ponendis; nihil enim inhonesti prae se fert. — *S. Lig. n. 869. et alii communiter.*

QUAER. 2° *Quaenam sint conditiones, ut sponsio sit licita?*

Resp. 1° Ut res eodem sensu ab utraque parte intelligatur; 2° ut sit animus se obligandi et solvendi, quod spondetur; 3° ut eventus sit utrique incertus. — *V. Casus, n. 1017.*

ARTICULUS III.

DE SORTITIONE, SEU LOTERIA

Loteria est contractus, quo plures aliquid deponunt in commune, ut ius habeant sortiendi rem in medio exhibitam. Quidam totum, quidam partem, quidam denique nihil habent.

943. **Quaesita.** — 1° QUAER. *An loteria sit contractus licitus?*

Resp. Affirm., dummodo adsint requisitae conditiones. Ratio est, quia loteria spectari potest ut emptio rei incertae, seu ut contractus, quo pecunia emitur ius sortiendi et acquirendi id, quod per sortem acciderit. Porro licet emere rem incertam, sicut pro rei alicuius periculo pacisci.

QUAER. 2° *Quaenam sint conditiones requisitae, ut loteria fiat contractus in se licitus?*

Resp. Sunt 1° ut nulla sit fraus in schedulis educendis, nec in solvendo praemio, quod obtigerit; 2° ut dominus loteriae in lucro non excedat, nec plus moraliter lucretur, quam si alio contractu licito pecuniam suam impenderet, vel merces suas distribueret. Attamen maius potest esse lucrum, si in bonum opus vel utilitatem publicam instituta sit loteria. — *Ita communiter.*

ARTICULUS IV.

DE LUDO

944. — Ludus est contractus, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat pretium quod exposuerunt. — Triplex est ludus: 1° *industrialis,* qui potissimum regitur industria ludentium, ut ludus pilae et discorum; 2° *aleatorius,* qui praecipue pendet a casu; 3° *mixtus,* qui partim ab industria, partim etiam a casu pendet, ut, v. gr. ludus chartarum, saltem plerumque.

945. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An licita sit omnis species ludi recensita?*

Resp. Nullus ex tribus praefatis ludis ex se illicitus est, si serventur conditiones debitae. Ratio est, quia ludus *per se* 1° non repugnat moribus, cum sit honesta recreatio; 2° nec iustitiae, cum quivis possit bonorum suorum dominium transferre, cui et quomodo voluerit.

Olim ludi aleatorii Iure canonico omnibus, praesertim Clericis, prohibebantur; sed hae leges quoad laicos et etiam quoad Clericos in desuetudinem fere abierunt.

946.—QUAER. 2° *Quaenam sint conditiones requisitae, ut ludus sit licitus ?*

Resp. Requiritur 1° ut ludens liberam habeat rerum, quas exponit, administrationem; 2° ut a ludo exulent fraus et dolus; 3° ut utrinque moraliter aequale sit perdendi periculum; 4° ut ludus sit honestus in se, nec lege prohibitus; 5° ut absit coactio, qua ad ludendum quis inducatur; 6° ut non exponatur ingens summa, adeo ut familia et creditores inde damnum pati possint.

947. — QUAER. 3° *An teneatur restituere victor, qui multo peritior est in ludo, ita ut certo praesciat se victorem fore ?*

Resp. Affirm. multo *probabilius;* quia deest aequalitas inter ludentes requisita, et proinde iustitia laeditur. Hinc notabiliter peritior a ludo recedere debet, vel aliquid commodi adversario remittere. — *Ita communius* contra *nonnullos.*

Attamen in praxi restitutio non esset urgenda, si de re minoris momenti ageretur; vel etiam quando adversarius sufficienter praemonitus nihilominus pertinaciter ludere voluisset; quia tunc nulla deceptio intercessisset.

948. — QUAER. 4° *An teneatur ad restituendum victor in ludo prohibito, vel ad solvendum in eodem ludo victus ?*

Resp. ad 1um *Neg.;* quia contractus non declaratur a lege *irritus,* sed tantum *illicitus. — S. Lig. n. 887. — Antoine, qu. 5. — Lugo, D. 31. n. 60. — Lacroix, n. 1086., et alii communiter.*

Resp. ad 2um *Controvertitur.* I^{a} SENTENTIA *negat;* quia lex talem ludum prohibendo, videtur ipso facto obligationem naturalem sol-

vendi in poenam victoris sustulisse. — *Ita Lugo, D. 22. n. 300.* — *Salmant., c. 4. n. 62.*

IIª SENTENTIA *affirmat*, quia contractus fuit iure naturali validus, et proinde victus huic stare debet, donec iudicialiter restitutionem petat. Utraque sententia probabilis videtur. Primam tamen *probabiliorem* dicit *S. Lig. n. 890.*

949. — QUAER. 5° *An sit validus, si magna pecuniae summa una vice exponatur?*

Resp. Affirm., per se, probabilius, si conditiones requisitae serventur, id est praesertim, si ludentes de bonis suis libere et plene disponere valeant, sine detrimento familiae, creditorum, etc..., quia ludentes aeque periculum subeunt scientes et volentes; ac proinde nulla est iniustitia. Sed facile deficiunt praefatae conditiones; et aliunde etiamsi talis ludus non esset contra iustitiam, saltem honestati adversatur: unde prudens Confessarius per modum satisfactionis iniungere, si opportunum videatur, posset poenitenti victori, ut partem aliquam lucri in usus pios impendat. — *Antoine, c. 11. qu. 5.* — *Bouvier.* — *Gousset, n. 889.*

Attamen, cum haec sententia non sit certa, non videntur inquietandi in tribunali Poenitentiae illi, qui nollent solvere magnam summam, quam amisissent. — *Ita recte Gousset, ibid.*

950. *Conclusio.* — Licet ludus plerumque sit in se licitus, et honestae recreationi inserviat, debita moderatio in eius usu quam maxime commendanda est, ne facile in detestandos abusus deflectatur. Quanta enim mala ex eo proveniant, comprobat quotidiana et lugenda nimis experientia! Quot enim, heu! cernuntur miserrimi iuvenes, necnon cuiuslibet conditionis homines, qui ludo dediti integrae fortunae paucis diebus vel horis iacturam faciunt, familiam aerumnis immergunt, et ipsi in omni flagitiorum genere volutantur! Satagant igitur pro viribus Parochi et Confessarii, ut subditos et poenitentes ab huiusmodi ludendi furore avertant, atque solliciti sint, ne obtemperare renuentes ad Sacramenta admittant. — Sic recte concludit *Gousset, n. 891.* — *V. Casus, n. 1021. et seq.*

FINIS TRACTATUS DE CONTRACTIBUS.

INDEX TOMI I.
COMPENDII THEOLOGIAE MORALIS

TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

TRACTATUS DE CONSCIENTIA.

TRACTATUS DE LEGIBUS.

TRACTATUS DE PECCATIS.

TRACTATUS DE VIRTUTIBUS.

TRACTATUS DE PRAECEPTIS DECALOGI.

TRACTATUS DE PRAECEPTIS ECCLESIAE.

TRACTATUS DE IUSTITIA ET IURE.

TRACTATUS DE CONTRACTIBUS.

FINIS INDICIS TOMI I.